BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

CHEZ N. E. LEMAIRE, Éditeur, boulevard Italien, n° 22, en face des Bains Chinois.
BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, F^bg St-Germ.
DE BURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.
F. DIDOT, imprimeur du Roi, rue Jacob, n° 24.
TREUTTEL et WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.
ANT. AUG. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.
BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.
BRUNOT-LABBE, libraire, quai des Augustins, n° 33.
MONGIE aîné, libraire, boulevard Poissonnière, n° 18.
DONDEY-DUPRÉ, impr.-libr., rue St-Louis, n° 46, au Marais.
H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.
ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

Et chez tous les libraires de France et des pays étrangers.

CLAUDII CLAUDIANI

QUÆ EXSTANT

OMNIA OPERA

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,
REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

CLAUDII

CLAUDIANI

OPERA OMNIA

EX

OPTIMIS CODICIBUS ET EDITIONIBUS

CUM VARIETATE LECTIONUM

SELECTIS OMNIUM NOTIS

ET INDICE RERUM AC VERBORUM UNIVERSO

RECENSUIT

N. L. ARTAUD

IN COLLEGIO LUDOVICI MAGNI HUMANIORUM LITTERARUM PROFESSOR

VOLUMEN PRIUS

PARISIIS

COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE

POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXIV

EDITORIS NOVI PRÆFATIO.

Quæ fuerit, in hac editione Claudiani, mei propositi ratio, et quibus adjutus auxiliis ad hoc opus aggrediendum accesserim, lectorem breviter præmonitum velim. Quum in interpretrandis illustrandisque nostri poetæ carminibus plurimi commentatores jam operam collocaverint, mihi præcipua cura fuit inter tot doctorum virorum elucubrationes, id potissimum eligendi, quod sano se judicio et lucida interpretatione commendaret. Equidem jam in textu restituendo et concinnandis adnotationibus feliciter laboraverant Heinsius, Burmannus, et bene multi alii, quos inter, Barthium et Gesnerum nominare sat erit. At ex omnibus quæ ad hunc diem prodierunt Claudiani editionibus, ea nobis præponenda visa est, quam G. L. Kœnig, Lipsiæ publicavit, anno 1808. Ille enim, utpote recentior, tum proprie ingenii acumine bene multa dilucidavit et explicuit, tum si quid in prioribus commentariis inerat boni, hoc sibi vindicavit suumque fecit.

Huic priori volumini præfixa sunt testimonia de Claudiano, et Prolegomena, in quibus idem ille Kœnig docte et eleganter disseruit de Claudiani vita, ingenio et facultate poetica, de scribendi genere quo usus est, ac de fatis quæ nacta sunt ejus carmina, quorum unumquodque insigni sagacitate dispicit ac perpendit.

Quum autem Claudiani carmina plerumque versentur in laudandis vituperandisque Imperatorum virorumque

insignium vel virtutibus, vel vitiis, et Claudianus, ut par erat, rebus quæ ad eos pertinent sæpius adludat, nulla temporum ratione adhibita, non abs re visum fuit, seriem rerum quæ Poeta commemoravit subjungere, a Valente usque ad Arcadium et Honorium per annos digestam et ad certum temporum ordinem revocatam, ut planior legenti sensus foret. Adjectum est quoque stemma domus Theodosianæ, cujus apud Nostrum perpetua est mentio.

Nunc superest, ut consilium quod in altero volumine sequuturus sum, paucis exponam. Post editam sui operis dimidiam partem, KOENIG suam editionem mancam imperfectamque (quam ob causam referre haud possim) ad hunc diem reliquit. Proinde necesse fuit, ut me ad priores commentatores converterem, quos inter eminet Gesnerus, tum doctrina, tum acuto sanoque judicio præstans. Hujus igitur adnotationibus et editionibus utar, ut illi quasi fundamento noster labor, quicumque sit, innitatur. Nec ideo alios censui omittendos: nempe intersererur passim delectus ex variorum notis; nec non ex meo fonte quasdam, ut et in priori volumine, subjungam, quando res postulabit. Idem Gesnerus uberrimum suppeditabit indicem, qui totum opus concludet. Utinam hæc nostra editio a lectoribus benigne excipiatur, tanquam non indigna quæ classicæ huic accedat collectioni, cujus editor indefessus me consiliis et opera diligenti semper adjuvit, et cui jam undique suffragati sunt quicumque se literarum bonarumque artium studiosos profitentur! Vale.

ARTAUD.

TESTIMONIA ET JUDICIA
DE CLAUDIO CLAUDIANO.

S. Augustinus, de Civ. Dei, l. V, c. 26.

« Unde et poeta Claudianus, quamvis a Christi nomine alienus, in ejus tamen laudibus dixit :

O nimium dilecte Deo, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti. »

Suidas.

Κλαυδιανὸς Ἀλεξανδρεὺς ἐποποιὸς νεώτερος γέγονεν ἐπὶ τῶν χρόνων Ἀρκαδίου καὶ Ὀνωρίου τῶν βασιλέων.

Paulus Orosius, VII, 23, *de Claudiano loquens :*

« Unus ex ipsis, poeta quidem eximius, sed paganus pervicacissimus, hujus modi versibus et Deo et homini testimonium tulit, quibus ait :

O nimium dilecte Deo, etc.»

Paulus Diaconus, lib. XII.

« Ad cujus laudem ob insignem victoriam, poeta quidam eximius, sed infidelis, inter cætera hos versiculos cecinit :

O nimium dilecte Deo, etc.»

Sidonius Apollinaris ad magnum Felicem, Carm. IX, 271.

Non Pelusiaco satus Canopo,
Qui ferruginei toros mariti
Et musa canit inferos superña.

Jovianus Pontanus.

Ponam versus aliquot e Proserpina Claudiani Poetæ, tum summi quidem studii, tum magni etiam exercitatique ingenii.

Varia testimonia.

Prosper Aquitanicus in chronico consulari vocat Claudianum *poetam admiratione dignum;* Cassiodorus in chronico sub consulatu Probini et Olybrii *insignem poetam* appellat. Justus Lipsius *altum et animosum;* Joseph. Scaliger *eruditissimum et egregium carmine;* Philippus Beroaldus *luculentum;* Joannes Pierius Valerianus, *luculentissimum;* J. B. Pius, *utriusque linguæ consultissimum;* Durantius, *disertissimum*, Casaubonus, *facundissimum;* Muretus, *optimum ævi sui Poetam;* P. Faber, *clarissimum, elegantem et politum;* Buchananus, *summo ingenio, summaque doctrina Poetam;* Junius, *recondito et minime vulgari usu verborum gaudentem;* Fr. Modius, *ingeniosum et tersum;* B. Rhenanus, *cultissimum;* Vincentius Contarenus, *Poetam bonum et grandem;* Hieronymus Cagnolus Jureconsultus quædam Claudiani *Carmina literis aureis* putavit *inscribenda.*

Hæc omnia testimonia brevitatis causa congessimus; sed qui sequentes auctores omitti queant?

Petrus Crinitus, de Poetis latinis, lib. V, cap. 85.

Cl. Claudianus, Poeta insignis, Arcadii et Theodosii temporibus « floruit.... ingenio excellenti fuit, maximeque apto ad carmen componendum. Nam et assurgit feliciter, variisque figuris ac sententiis mirifice delectat; ut videatur a natura ipsa instructus ad Poeticam facultatem. Verisimile est eum Romæ diu versatum, multasque Italiæ urbes peragrasse; quod quum alia multa testantur, tum hi

versus, quos de balneis Aponi composuit. Opera illius satis nota sunt : sed præcipuam laudem sibi, multorum judicio, vindicat his carminibus, quibus principes viros summis Laudationibus seu Panegyricis extulit.... Augustinus et alii Veteres plurimum commendarunt ingenium atque eruditionem Claudiani ».

J. Vadianus.

« Jam Raptus Proserpinæ adeo insignibus montium, urbium, lacuum, amnium locis refertus est, ut piaculum mihi videatur, si quis Geographiæ expers tam eruditum Poema attingat, nedum evolvat, profiteatur.... quem alium, quam Geographum, Claudianum dixeris? Transeo encomia in Stilichonem, ob hoc maxime erudita, quod locis Geographiæ explicandis referta sunt. »

Zazius Jureconsultus.

« Quam totam rem Claudianus ad Honorium elegantissimo, immo aureo, carmine complexus est. Quam bene haberet, si celeberrima hujusmodi carmina divino ingenio scripta Principibus Romanis tam operose ingererentur! »

Ludovicus Vives, lib. III de Tradendis Disciplinis.

« Ausonius Gallus ubique argutus et excitans, nec lectorem sinit dormitare : Claudianus melior, ac ingenii et spiritus plane poetici. »

Idem in Comm. ad S. Augustinum, de Civ. Dei, lib. V, cap. 26.

Claudianus « ad carmen natus fuit, quod elegantissime scripsit poetico vir ingenio ».

Janus Parrhasius Neapolitanus, in Vita Claudiani.

« Si nihil aliud ad claritatem sui nominis Alexandria protulisset, illustraretur, Hercule, vel uno Claudiano; qui præter ingenii monumenta, quæ de se prædicant, in vita tantus fuit, ut Arcadio Honorioque gratus, amplissimis ab utroque muneribus honestaretur, et statua, etc. »

Piso et Picus puer apud Gyraldum.

« Istius ego Poetæ a primis usque annis studiosus fui; ejus enim mihi carmen non sonorum modo et elegans, sed et floridum semper visum est : idem dicere velle videbatur puer Picus. »

Stephanus Claverius, in Præf. ad Claudiani Annot.

Claudianus Poeta, « qui non injuria maximus, altus, et animosus audiat.... Poeta, quem in osculis habebat Jacobus ille Cujacius » Jureconsultorum aquila.

Joannes Borcholten et Vinnius, Jurisconsulti.

« Huc pertinent elegantissimi et antiquitatis pleni versus Claudiani in quarto Consulatu Honorii, *Aspice mox lætum*, etc. » Sed idem Borcholten male tribuit Ausonio hoc Distichum; « direptas quid plangis opes, etc. » nam Claudiani nostri est, cui, ex Vinnio Jurisperito, *lepidi joci* in Eutropium *materiam* tribuit *parentis* appellatio.

Julius Cæsar Scaliger, Poetices lib. VI, 5.

« Maximus poeta Claudianus, solo argumento ignobiliore oppressus, addit de ingenio, quantum deest materiæ. Felix in eo calor, cultus non invisus, temperatum judicium,

dictio candida, numeri non affectati, acute dicta multa sine ambitione...... libri de raptu Proserpinæ candidi, culti, tersi, numerosi. »

Idem, lib. V, cap. 6.

Idem ait, quædam Claudiani carmina « speciosiora esse quam Ovidiana . . . Cereris currum tam Claudianus, quam Ovidius descripsere : verum hic levissime, non suo more; ille ambitiosius », etc.

Angelus Politianus.

Aut Pelusiaci missum de plebe Canopi....
Gaudentem Stygio dominam junxisse marito.

Natalis Comes, Myth. lib. II, cap. 9.

« Claudianus rem totam de Plutone elegantissimo carmine complexus est. »

Gaspar Barthius.

Barthius, qui plurima nobis suppeditavit testimonia, inter alias laudes Claudianum vocat « nobilissimum et literatissimum ex omni fere antiquitate Poetam, et ingenio ad omnia summa nato ».

Idem de Panegyri Mallii Theodori.

« Eruditissimum, eloquentissimum, tantumque non divinum hunc librum, humanæ sapientiæ mysteria magnam partem indicantem, si enarrare ex merito velis, Græciæ Latiique penetralia omnia necesse erit ut excutias. »

Nicolaus Heinsius de Claudiano.

Musarum ocellus, summus artifex fandi,
Salubribusque plenus ora præceptis,
Quo Nili alumna nil venustius jaciat,
Lagea tellus, civitasque Alexandri,
Sive arma verbis, atque adoreas magni
Herois æquat, inque laude virtutis
Pulchre occupatus, tollit indolem Augusti
Infantis altam, etc.

Gerardus Joannes Vossius, de Poetis latinis, cap. 4.

« Claudianus, Poeta magni spiritus, ab Arcadio et Honorio statuam meruit in Foro Romano. »

Malherbæus et Hallæus, Cadomi et Literariæ Reipub. clarissima lumina.

Malherbæum illum Lyricorum Galliæ nostræ Poetarum facile principem dicere solitum accepimus, se crebra Claudiani lectione delectari, seque ex hoc Poeta, tanquam ex uberrimo fonte, semper haurire aliquid consuevisse, unde præclare cogitatis foret fecundior. Id a nobilissimo Malherbæo sæpius se audivisse dictitabat, idemque sentiebat, vir clarissimus Antonius Hallæus, summus et Poeta et Orator, et, dum viveret, nostri lux prima Lycei. Talium virorum illustre testimonium pro coronide adjiciemus, idque omisisse, piaculum esse duceremus.

Romæ Tabula Marmorea.

Statuæ basis marmorea, in foro Trajani inter ruinas effossa, Claudiano fuit honorificentissima. Hanc, ex Claverio, « Pomponius Lætus, ævi sui Quintilianus, possedit atque in honore habuit ». Hujus tale fuit[1] elogium: « Cl. Claudiano V. C. Tribuno et Notario, inter cæteras

1. Vid. infra ad hoc volum. p. 6. Ed.

ingentes artes prægloriosissimo Poetarum, licet ad memoriam sempiternam carmina ab eodem scripta sufficiant, attamen testimonii gratia ob judicii sui fidem DD. NN. Arcadius et Honorius, felicissimi ac doctissimi Imperatores, Senatu petente, statuam in foro Divi Trajani erigi collocarique jusserunt. » Ubi et hoc distichum græcum repertum est:

Εἰν ἑνὶ Βιργιλίοιο νόον καὶ μοῦσαν Ὁμήρου,
Κλαυδιανὸν, Ῥώμη καὶ βασιλεῖς ἔθεσαν.

Quod sic ad verbum interpretamur : *Roma et Reges*, seu Imperatores, *posuerunt Claudianum*, seu statuam *Claudiani*, habentis *in se uno Virgilii mentem et Musam Homeri*, hoc est, hujus fecunditatem et illius judicium. Quid autem majus, quam in uno et eodem Poeta Claudiano agnoscere Virgilii judicium, et Musam seu ubertatem atque ἐνθουσιασμὸν Homeri, unde Maro ipse materiam petere, quam ingenio suo præstantissimo confidere maluit? Sunt qui per literas V. C. in statuæ basi marmoreâ inscriptas *virum Consularem* intelligant, eumque ideo Consulatu functum esse contendant; sed alii per V. C. *quintæ cohortis* Tribunum explicant : id quod Janus Parrhasius damnat inscitiæ; quod, ut opinor, passim legamus, *Tribunos militum*, at cohortis Tribunos non ita legamus. Guthерius tamen refert *Tribunos minorum cohortium* : ubi etiam hoc legitur, *Inter milites clarissimorum honore potiuntur Tribuni*, etc. Cæterum hac et statua et statuæ inscriptione ab Imperatoribus, et petente senatu, data, nihil meo judicio honorificentius fingi potest; et Virgilius ipse, ad quem *dignatus Cæsar scripsisse*, nihil unquam simile adeptus est.

Sequuntur Inscriptiones duæ honori Stilichonis positæ, quarum in Prolegomenis[1] mentio facta est.

1. Vol. I, infra p. 64 sq. Ed.

Prima Inscriptio reperta Romæ in basi marmorea prægrandi.

Fl. Stilichoni, V. C.

« Fl. Stilichoni illustrissimo viro, Magistro equitum peditumque, Comiti Domesticorum, Tribuno Prætoriano, et ab ineunte ætate per gradus clarissimæ militiæ ad columen gloriæ sempiternæ et Regiæ affinitatis evecto, Progenero Divi Theodosii, Comiti Divi Theodosii Augusti in omnibus bellis atque victoriis, et ab eo in affinitatem Regiam cooptato, itemque socero D. N. Honorii Augusti, Africa consiliis ejus et provisione liberata, ex S. C. »

Secunda Inscriptio ibidem reperta in basi marmorea superne fracta.

« Viro bis Consuli, ordinario Magistro utriusque militiæ, Comiti Domesticorum et stabuli sacri, atque ab ineunte ætate per gradus clarissimæ militiæ ad columen Regiæ affinitatis evecto, socio bellorum omnium et victoriarum, affini etiam Divi Theodosii Augusti, itemque socero Domini nostri Honorii Augusti, Populus Romanus, pro singulari ejus circa se amore atque providentia, statuam ex ære argentoque in Rostris ad memoriam gloriæ sempiternæ collocandam decrevit. Exsequente Fl. Pisidio Romulo V. C. Præfecto Urbis. »

N. B. Sequuntur varia de Claudiano judicia, e Gallicis scriptoribus excerpta; sed inter eos referre nolui pauciora, quæ de illius carminibus breviter attigit Criticus inter nostros celeberrimus; (*Laharpe*, *Cours de Littérature*, tom. I, pag. 273) quem videas rogo, si quid arrogantius ac iniquius sine causa, sine rationibus, et quasi decretoria voce pronuntiatum legere volueris. Ed.

Rollin, *Histoire ancienne*, *lib. XXVII*, *cap.* I.

Claudien mérite le premier rang entre tous les poètes héroïques qui ont paru depuis l'heureux siècle d'Auguste. De tous ceux qui ont tâché de suivre et d'imiter Virgile, il est celui qui approche le plus de la majesté de ce poète, et qui tient le moins de la corruption de son siècle. On sent bien qu'il avait beaucoup de génie, et qu'il était né pour la poésie. Il était plein de ce feu qui produit l'enthousiasme. Son style est châtié, doux, élégant, et en même temps noble et élevé. Il a trop de saillies de jeunesse, et est trop enflé. Il a de l'esprit et de l'imagination, mais il est bien éloigné de cette délicatesse de nombre et de ce tour naturel de vers que les connaisseurs admirent dans Virgile. Il retombe sans cesse dans la même cadence, ce qui fait qu'on a peine à le lire sans se lasser.

Gibbon, *Hist. de la décadence et de la chute de l'empire Romain*, t. V. pag. 530 (trad. de M. Guizot.)

On lit Claudien avec plaisir dans tous les pays, qui ont conservé, ou acquis la connaissance de l'idiome. Après avoir balancé avec impartialité son mérite et ses défauts, nous devons avouer que Claudien ne satisfait, ni ne subjugue la raison. Il serait difficile de trouver dans ses œuvres un de ces passages, qui méritent l'épithète de sublime ou de pathétique. On n'y rencontre point de ces vers, qui pénètrent l'ame en agrandissant l'imagination. Nous chercherions en vain dans ses poèmes l'invention heureuse, ou la conduite ingénieuse d'une fable intéressante, ou la peinture juste et frappante des caractères et des situations de la vie réelle. Il publia en faveur de Stilichon beaucoup de panégyriques et de satires, et le but de ces compositions serviles se

trouve d'accord avec le penchant qu'il avait à sortir des bornes de la vérité et de la nature. Ces imperfections sont toutes compensées à quelques égards par la variété poétique de Claudien. Il avait le rare et précieux talent d'ennoblir le sujet le plus ignoble, d'orner le plus sec, de varier le plus monotone. Son coloris, surtout dans les descriptions, est brillant et doux; et il manque rarement l'occasion de déployer, souvent même jusqu'à l'abus, les avantages d'un esprit orné, d'une imagination féconde, d'une expression facile et quelquefois énergique, enfin d'une versification toujours abondante et harmonieuse. A cet éloge, indépendant des accidens de temps et de lieu, nous devons ajouter le mérite particulier, qu'il sut vaincre les circonstances défavorables de sa naissance. Claudien était né en Égypte, dans le déclin des arts et de l'empire. Après avoir reçu une éducation grecque, il acquit, dans la maturité de son âge, la connaissance et l'usage de la langue latine, s'éleva audessus de ses faibles contemporains, et se plaça, après un intervalle de 300 ans, au nombre des poètes de l'ancienne Rome.

Schœll, Histoire abrégée de la Littérature romaine, tom. III, pag. 81.

Un poète digne d'un plus beau siècle ouvre le cinquième siècle. C'est Claudien. Né à Alexandrie, où on parlait grec, ce fut dans cet idiome qu'il composa ses premiers ouvrages. Il reçut une éducation distinguée. Il débuta dans les lettres latines par des vers en l'honneur de Stilichon et de la princesse Séréna. Ces vers ne sont pas sans mérite, mais ils furent récompensés par des honneurs exagérés.[1]

1. Vide quæ de statua Claudiani paullo supra pag. xv, et infra pag. 6 scribuntur. Ed.

Claudien a laissé des ouvrages de divers genres, des épopées, des poésies panégyriques et satiriques, des idylles, des épigrammes.

L'enthousiasme qu'il affecte dans ses panégyriques n'est pas inspiré par les vertus de ceux qu'il célèbre, et nous ne pouvons le partager, parce que l'histoire nous a trop bien instruits des vices dont ils étaient entachés. On doit au reste tenir compte à Claudien de l'art avec lequel il sait relever les choses futiles et peu dignes d'éloge, et le plaindre d'avoir eu à traiter des sujets si ingrats et si peu honorables aux yeux de la postérité.

Passons aux épopées de Claudien. Il en a laissé une en trois chants, *le Rapt de Proserpine*, et le commencement d'une seconde, *la Gigantomachie*. La première n'est peut-être point terminée; mais il ne peut y manquer un grand nombre de vers. Les connaisseurs croient avoir remarqué que le dernier chant n'est pas aussi limé que les deux autres. Le plan du rapt de Proserpine est défectueux; le poète raconte plutôt une fable complète, comme un historien rapporterait un événement, qu'il ne nous transporte subitement au milieu de l'action, comme fait le poète épique. Tous les acteurs étant des dieux, et par conséquent élevés au-dessus de la nature humaine, ils ne peuvent inspirer qu'un intérêt très-faible. A cet inconvénient, attaché au choix de son sujet, Claudien a voulu remédier par un style toujours élevé, par de fortes images et des descriptions brillantes. Mais ce ton soutenu d'un bout à l'autre, et l'uniformité des caractères, y ont répandu une monotonie qui devient fatigante. Malgré ces défauts, Claudien est peut-être, après Stace, le poète épique latin qui s'est approché davantage de Virgile, surtout dans quelques descriptions et comparaisons, et son talent doit paraître encore plus grand, lorsqu'on fait attention à l'époque où il a vécu.

Claudien est auteur de qu lques poèmes qu'on serait tenté de ranger dans la classe des satires, si la manière dont le poète traite son sujet n'était pas plutôt épique ou du genre de la rhétorique, et si ses poèmes n'étaient pas composés dans la même intention que ses panégyriques : savoir, celle de complaire à Stilichon. Nous voulons parler de ses *Invectives contre Rufin et Eutrope*, ennemis du ministre; chacune de ces Invectives est composée de deux livres. Ce sont peut-être les chefs-d'œuvre de Claudien ; quelques connaisseurs trouvent le poème contre Eutrope préferable à celui qui est dirigé contre Rufin.

Claudien a fait également preuve d'imagination et de talent dans deux *Epithalames* composés l'un à l'occasion du mariage d'Honorius avec Marie, fille de Stilichon et de Séréna ; l'autre sur le mariage de Palladius et de Célérina. Le dernier est un impromptu, si toutefois on peut prendre à la lettre la petite préface dont il est précédé.

PROLEGOMENA

IN

CL. CLAUDIANUM,

In quibus de ejus vita, carminum generibus, eoque quid in singulis præstitum sit, de scribendi genere universo quo usus est, de fatis quæ nacta sunt carmina, iisque viris doctis, qui illa edenda, castiganda et explicanda curaverunt, disputatur.

DE VITA CLAUDIANI.

Fato accidit satis iniquo, ut virorum, quorum scriptis adhuc delectamur, vitam et fortunas plerumque ignoremus, quanquam, quemadmodum in iis, quos vel amore vel veneratione complectimur, omnia, quæcunque ad illos pertineant, non aliena a nobis ducimus scireque desideramus. Quid? quod cognitio temporis, quo vixerit aliquis scriptor, locorum, ubi sit versatus, disciplinæ, qua a teneris imbutus, virorum, quorum familiaritate et consuetudine usus, vitæ denique omnis privatæ et publicæ, necessaria est ad recte de virtutibus ejus et vitiis eorumque causis judicandum. Quorum, si memoriæ prodita non sunt, desiderio affici solemus tanto vehementiore, quanto major est utilitas, quæ ex illorum cognitione capi potuisset.

Nec Claudianus communem fere scriptorum antiquorum sortem effugit; paucis tantum, quæ patriam vitamque ejus

spectant, quæque ipse scriptis suis passim intexuit, exceptis, reliqua omnia plane ignorantur. Quanquam fuerunt, qui de patria ejus controversiam moverent, constat tamen, non tam ex ipsius, quam ex aliorum testimoniis, eum Alexandriæ natum atque educatum fuisse[1]. Quales parentes habuerit, nescimus[2], a quibus tamen, quicunque tandem illi fuerint, liberaliter est institutus. Nam, ut ex carminibus ejus apparet, nulla fere res est, quæ quidem ad humanitatem pertineat, quam ille scientia non sit complexus; mythorumque antiquitatis imprimis Romanæ, diversarumque rationum philosophicarum cognitio, ubique fere ostentata, declarat, eum et bonis magistris esse usum, et in ea civitate diu versatum, ubi literarum studia maxime vigerent.

Quando, quo ætatis anno et quonam fato in Italiam pervenerit, parum liquet, neque magis constat, qua ratione se Stilichonis tutelæ commendarit, benevolentiamque Serenæ sibi comparaverit. Romæ illum jam fuisse A. C. 394, inde facile colligitur, quod anno sequenti panegyricum in Probinum et Oly-

1. Hoc liquere aiunt ex XXXIX, 20, ubi Alexandrum M. conditorem patriæ, et ex v. 56 sqq. et XLIII, 3, ubi Nilum suum vocat. Quum autem de illo priori carmine, utrum a nostro Claudiano profectum sit, necne, in utramqne partem probabiliter possit disputari, nihil certi inde colligas. Accedit autem testimonium Sidonii Apollinaris carm. IX, 271 sqq., qui procul dubio Claudianum intelligit: *Non Pelusiaco satus Canopo, qui ferruginei toros mariti et Musa canit inferos superna;* et Suidæ, Κλαυδιανὸς, ἀλεξανδρεὺς, ἐποποιὸς νεώτερος, γέγονεν ἐπὶ τῶν χρόνων Ἀρκαδίου καὶ Ὀνορίου. Illorum commenta, qui Claudianum vel Florentinum, vel Hispanum fecerunt, jamdudum sunt explosa. Cf. Fabricii Biblioth. lat. ed. Ernest. T. III, p. 192 sq.

2. Claverius suspicatur, patrem ejus illum Claudianum fuisse, de quo Eunapius in Maximo pag. 67 extr. ἀδελφοὺς εἶχε γνησίους, οὓς ἐκώλυεν εἶναι πρώτους αὐτὸς ὤν, Κλαυδιανόν τε τὸν καταλαβόντα τὴν Ἀλεξάνδρειαν κἀκεῖ παιδεύσαντα, καὶ Νυμφιδιανὸν, τὸν ἐν Σμύρνῃ περιφανῶς σοφιστεύσαντα. Etiamsi ita se rem habere nullus præstiterim, tamen probabilius hoc mihi videtur, quam quod Gesnerus colligi posse putat ex XXXIX, 55, agnatione attigisse Claudianum Hadrianum præfectum prætorio, quum adhuc de inscriptione illius epistolæ possit dubitari, neque ex verbis ipsis, etiamsi ad illum virum epistola scripta sit, tuto id colligere queas.

brium consules[1] recitavit; quo in carmine quum liberalitatem Probi, patris illorum juvenum, præcipue laudibus efferat, fieri potest, ut ipse quoque illam sit expertus, ab illoque viro Stilichoni traditus. Cujus viri quoniam in illo carmine, ubi de rebus gestis Theodosii M. sermo est, nulla mentio fit, quem alibi[2] induxit profitentem, se nihil sine illius opera gessisse, fortasse ante hujus imperatoris mortem, quæ accidit A. C. 395, in Stilichonis tutelam non est receptus. Sed belli contra Eugenium poterat spectator esse, saltem ex propinquo; nam illum in castris quoque esse versatum, nullo modo potest probari. Post obitum autem Theodosii M. Mediolanum se contulisse atque in Stilichonis cohorte ab illo inde tempore fuisse videtur, quem virum, tunc principatum obtinentem, in expeditionibus forsan secutus est. Ipse enim testatur in illa carminis prolusione, quo consulatus Stilichonis celebratur[3], se per quinquennium Roma abfuisse. Quum igitur Stilicho consul fuerit A. C. 400, sequitur, ut ille se Roma Mediolanum contulerit A. C. 395, quo anno, ut supra monuimus, Probinus et Olybrius consules fuerunt, et Theodosius M. mortuus est. Honores quoque, quibus ornatus est, ostendunt, quam carus fuerit fautoribus suis. Fuit enim tribunus et notarius, ut ostendit tabula marmorea, in domo Pomponii Læti inventa, quam infra proponemus. Cujus autem generis tribunus fuerit, haud facile dixeris; sed castra illum esse secutum, minime potest affirmari[4].

In illud etiam quinquennium incidit iter Claudiani in Ægyptum, nulla alia ratione forsan susceptum, quam ut puellam, quam jam ante cognitam amarat, literis Serenæ ad parentes illius scriptis adjutus, in matrimonium duceret. Hujus rei mentionem ipse facit XL, ubi Serenæ matrimonii

1. Cf. XLII, 13, sq.
2. VII, 144 sq. XV, 290 sqq.
3. XXIII, 23 sq.
4. Saltem non ex XXXIX, 51 sq. ibi enim procul dubio de militia aulica sermo est; atque XVI, 5, nihil aliud dicere videtur poeta, quam semper se in Stilichonis cohorte, itaque inter milites, esse versatum. Cf. etiam XXX, 2 sq. et 8.

nomine et illustris et divitis gratias agit. Illas nuptias Alexandriæ esse celebratas patet ex v. 55, quo tempore jam Honorius Mariam, Stilichonis et Serenæ filiam, in matrimonium duxerat, atque, ut equidem conjicio, post bellum contra Gildonem circa finem anni C. 398. Mirum sane videri nequit, homines, tanta potentia indutos, poetæ nostri rationibus tantopere consuluisse. Quid enim tyranno ex barbaris orto[1], rerumque summam contra jus fasque sibi vindicanti, optatius contingere potuit, quam poeta aliquis insignis, qui res ejus vel levissimas tanta verborum magnificentia posset celebrare, omnibusque, quæ minus placerent, hominumque voluntatem offenderent, honestatis, justitiæ et æquitatis speciem rhetoricis artibus induere? Nihil enim est, quemadmodum nostra quoque memoria usu venit, quod multitudini persuaderi nequeat, non tam res quam verba ponderanti, neque quidquam est tam fœdum, quod non colore callidæ orationis obductum possit nitescere. Natura etiam ita comparatum est, ut deleto omnis libertatis sensu, omnique generosioris animi impetu, in publicis malis homines, quæ propulsare, quum vires deficiant, non possint, libenter acquiescant, facileque patiantur, ut illis felicitatis species induatur, ne quando levitatis abjectissimæ, qua hujuscemodi ferenda et toleranda existiment, conscientia crucientur, aliorumque contemptui exponantur. Illam igitur Stilichonis benevolentiam Claudianus carminibus sibi conciliavit, in quibus præconem agit ingenii illius virtutum et rerum gestarum, ita ut adulationi penitus inserviat, veritatique forsan parum tribuat. Quæ quidem non in eam sententiam disputata accipias, quasi omnia, quæ laudibus effert, ingenio ejus debeantur, neque quidquam in ejus carminibus invenias, quo uti possis ad historiam illorum temporum accuratius expoliendam[2]. Etiamsi enim in Honorii et Stilichonis gratiam omnia

1. Erat nempe natione Vandalus. Vocatur apud Orosium VII, 38: *Vandalorum imbellis, avaræ, perfidæ et dolosæ gentis genere editus.* Cf. Claudian. XXI, 35 sqq.

2. Carmina XXI, XXII, XXIII, XXIV in consulatum Stilichonis

erant componenda, quæ in panegyricis protulit; tamen, siquidem impudentiæ et summæ vanitatis crimen vel in laudando effugiendum est, ne is, quem extollas, risui propinetur, fundo aliquo probabili destituta esse omnino non poterant, quæ prædicanda suscepit. Atque hoc non tam valet in virtutibus celebrandis, in corporis pulchritudine et specie laudanda, quanquam etiam in his, quæ fidem aliquam dictis facere possint, non omnino debent desiderari, quam in rebus gestis prædicandis, in quibus semper aliquid subesse debet, quod vere gestum inter omnes constet, etiamsi id artibus rhetoricis ornatuque poetico faciem externam sit nactum a rei veritate abhorrentem. Res ipsas comminisci ne abjectissimus quidem adulator temere audet, quia vel ipsius magnopere interest, quum maxime blandiatur, ab assentandi suspicione liberum videri, ne oratio ironiæ speciem induat; sed in iis explicandis, augendis, deprimendis, exornandis et amplificandis consilio suo accommodate versari solet. Neque ei idcirco, quum nihil fere sit, de quo in utramque partem disputari nequeat, præsertim si ejus, quod vel laudandum vel vituperandum susceperis, ratio pluribus accurate cognita non sit, manifestum vanitatis crimen potest intendi. Quapropter, carmina Claudiani, quanquam ad historiæ fidem ea scripsisse existimandus non est, quandoquidem nemo sanus ei, qui vel prædicatoris vel vituperatoris vices tuendas susceperit, injungere potest, ut sine studio et ira res commemoret; tamen in iis monumentis, ex quibus temporum ratio, qualis sub Theodosio M. ejusque filiis fuerit, possit constitui, vel gravissima sunt existimanda. Nec parva sane est utilitas, quæ ex eorum lectione ad historiam illius

scripta, totam ejus vitam omnesque res præclare gestas continent, laudibusque ejus solum sunt dicata. Præterea autem neminem fere, ne Honorium quidem, laudibus celebrat Claudianus, quin Stilichonis memor sit ita, ut omnia illi tribuisse videatur. Cf. VII, 144 sqq. VIII, 430, ubi felicitas temporum sub Honorio Stilichonis virtuti et moderationi imputata fertur. Vide præterea X, 30 sqq. XV. 288 sqq. et 318 sqq. XVII, 161 sqq. Quin illum Theodosio M. præfert, XXI, 144.

ævi condendam possit redundare, modo intelligas ornatum poeticum detrahere fucumque oratorium abstergere, ut nuda veritas possit apparere. Quo rite facto, nescio sane, cur Zosimo, Zonaræ compilatoribus, jejunisque annalium consarcinatoribus, et patribus ecclesiæ ipsis, quibus ea tantum probari solebant, memoratuque digna videbantur, quæ ipsorum superstitionibus essent accommodata, plus auctoritatis tribuatur, quam Claudiano. Uberior autem de fide Claudiani disputatio aliena est a nostro proposito, qui id agamus, ut constituatur, quemadmodum ille poetæ vices defenderit; de illa autem omnino tacere noluimus propterea, ut non ignorarent juvenes, poetam nostrum vel hoc nomine non plane esse negligendum. Cæterum carminibus in Stilichonem scriptis id assecutus est Noster, ut illius auctoritate senatus romanus ipsi statuam cum titulo in foro ponendam decreverit, qui honor et illis temporibus non vulgaris fuisse censendus est[1]. Eadem facultate poetica mul-

1. Statua ipsa non amplius exstat, sed titulum ejus in tabula marmorea, inventa in domo Pomponii Læti, fortuna servavit. Læti fides in dubium vocata est a viro docto in *Giornale de' Letterati d'Italia*, T. XII, p. 400. Cf. Mazoch. pag. 8, et Gruteri Inscript. pag. 391, 5.

CL. CLAUDIANO. V. C. TRI
BUNO. ET. NOTARIO. INTER. CETERAS
VIGENTES. ARTES. PRÆGLORIOSISSIMO
POETARUM. LICET. AD. MEMORIAM. SEM
PITERNAM. CARMINA. AB. EODEM
SCRIPTA. SUFFICIANT. ADTAMEN
TESTIMONII. GRATIA. OB. IUDICII. SUI
FIDEM. DD. NN. ARCADIUS. ET. HONORIUS
FELICISSIMI. AC. DOCTISSIMI
IMPERATORES. SENATU. PETENTE
STATVAM. IN. FORO. DIVI. TRAIANI
ERIGI. COLLOCARIQ. IUSSERUNT
EIN ENI BIPΓIΛIOIO NOON
KAI MOYCAN OMHPOY
KΛAYΔIANON PΩMH KAI
BACIΛEIC EΘECAN.

De hac inscriptione Heinsius in fine præfationis éd. sec. ita loquitur : « Inscriptionem antiquam ab Arcadio et Honorio Impp. Augg. Claudiani

tos præterea sibi proceres devinxit, ut Probinum et Olybrium juvenes, Mallium Theodorum, Gennadium, quos etiam in epistolis satis familiariter tractat[1]. De iis, quæ post Stilichonis cædem, interfectus autem est A. C. 408, Claudiano acciderint, nihil omnino memoriæ est proditum[2]. Alia quæ-

meritis in foro Trajano olim dedicatam, ibidemque ante annos propemodum ducentos erutam, quæ imagini ejus æneæ, cujus ipse meminit in poematis, subjecta videtur fuisse, — nos coram in Farnesianis ædibus — Romæ inspeximus, rudi atque impolito literarum ductu, tabula marmorea oblonga, nullis admotis distinctionibus, nullo ornatu adhibito expressam, mutilam adhæc nonnihil adeo quidem, ut duas aut tres priores literas versuum trium priorum liqueret intercidisse, nec manifestum satis esset, quid pro VIGENTES, aut quod alii prætulerunt, INGENTES. ARTES. legi oporteret: quum ejus vocabuli literæ priores truncato marmore periissent, tertiæ literæ dimidiatæ pars inferior etiamnum superesset, quæ C potius literæ, quam G vestigium manifeste præ se ferret; ut persuasum habeam, DECENTES ARTES exaratum fuisse. Pro DOCTISSIMI IMPERATORES, a manu prima illic GLORIOSISSIMI vocabulum exstiterat, sed erasum postea sic ut primam ejus syllabam GLO non penitus abolevisset sculptor. Hæc plus satis operose, ut antiquariorum curiositati satisfieret." Meminit autem hujus rei Claudianus ipse, XXV, 7 sq. Ex quo loco quidam perperam collegerunt, poetam patricium esse factum. Sed recte Gesnerus *patricium honorem* eum intelligit, qui a Patribus, id est, a senatu habitus est. Sic XXIV, 50, *patricius*, id est, senatus favor, opponitur votis plebeiis.

1. XLI, XLII, XLIII.

2. Claudianum Hadriani præfecti prætorio, apud quem ante fuisset in gratia, dicacitate sua inimicitias provocasse, vulgo perhibent ex epistola ad illum scripta XXXIX. Qua re id factum sit, non facile ex poetæ verbis colligas: *Me dolor incautus, me lubrica duxerit ætas, Me tumor impulerit, me devius egerit error.* Nonnulli, inter quos etiam Gesnerus est, existimant, Hadrianum exacerbatum fuisse egigrammate LXXX, in quo illius rapacitas et Mallii desidia perstringitur. Quanquam dicacitas commune Alexandrinorum vitium fuit, cujus etiam a Claudiano specimina passim sunt edita, contendere tamen possim, multa occurrere in illa epistola, quæ probare videantur, illius auctorem Nostrum non fuisse. Primum enim apparet, scriptorem Alexandriæ vixisse et juvenili fuisse ætate (v. 7 et 57) et aliqua re offensum (v. 6) et munere publico functum; memorantur enim (v. 50) cingula militiæ, sive aulicæ illa fuerint, sive armatæ. Verisimile autem non est, Claudianum, antequam in Italiam est profectus, publicum aliquod munus obtinuisse. Neque res illa accidere potuit Stilichone vivo, quum quia poeta noster in illius potentissimi viri tutela erat, tum quia Ægyptus erat provincia imperii

stio eruditos exercuit, utrum Claudianus sacris christianis initiatus fuerit, necne. Probabile quidem videtur, quum imperatores cum proceribus plurium deorum cultu abdicato ad puriorem religionem se transtulissent, jamque sacerdotum instinctu veteres cerimonias, quibus ante fuerant addicti, partim circumscribendas, partim tollendas curarent, etiam poetam in retinendis ritibus pristinis non fuisse pervicacem, sed lubenti animo ad nova sacra se contulisse, ut gratiam imperatoris et sacerdotum, qui jam tum magnos spiritus sumere cœperant, vel hoc nomine iniret. Sed Augustini[1] et Orosii[2] testimonia contrarium perhibent, quorum

orientalis, cujus munus aliquod is videtur ohtinuisse, qui in illa epistola iram deprecari studet; neque post Stilichonis mortem, quo tempore Claudianus *ardore* saltem *juvenili* impelli non poterat ad procerem aliquem violandum, nisi dicas, factum hoc esse Stilichone adhuc vivo, et Hadrianum iram suam distulisse in commodum tempus. Deinde inscriptio hujus carminis MSS. consensu non probatur, nam in quibusdam legitur: Cl. Claudiani *satisfactio pro se apud Stilichonem*. Quæ quidem, etiamsi genuina esse non potest, sed monachi cujusdam stupori debetur, hoc tamen declarat, neque illam descriptionem, quam Heinsius post Claverium unice veram esse existimat, antiquam esse et ab auctore profectam, alioquin ab hac librarii aberrare non potuissent. Quid? quod epigr. LXXX, quod inscribitur *de Theodoro et Hadriano*, et in quo illius desidia hujusque rapacitas acerbe perstringitur, librarios induxisse videtur, ut illam epistolam ad Hadrianum, epigrammate offensum, scriptam esse existimarent. Sed et in hoc Hadriani nomen mihi suspectum est; cur enim auctor carminis, quum Mallium nomine designasset, Hadrianum nomine patriam tantum designante et ad omnes Alexandrinos pertinente, significaret? Cur *Pharius* nomen proprium esse non potest? Jejuna sane illa est opinio, quam Barthius fovit, quamque post illum omnes fere adoptarunt, id ipsum esse epigramma, quo Hadriani ira in Claudianum sit provocata. Ut enim fuerit crudelissimus, potestatemque habuerit in inimicos suos sæviendi, tamen in amicos et cognatos ejus, a quo carmine malo læsus fuerit, ita grassari non potuit, ut alios tormentis necaret, alios in exilium pelleret (v. 24 sq.), neque crudelitatem cum dementia ita conjungere, ut, multatis tam crudeliter insontibus, auctori carminis parceret. Quæ quum ita sint, præstat in dubio ea relinquere, quam ea proferre, quæ sibi repugnant, omnemque probabilitatem excedere videntur. Vulgarem opinionem amplexus quoque est Gibbonus, Anglus illustris, in libro doctissimo *Decline and fall of the Roman Empire*.

1. De Civit. D. V, 26. — 2. VII, 35.

ille poetam nostrum *a Christi nomine alienum*, hic *gentilem pervicacissimum* nominat; atque in his acquiescendum esse censeo. Reliqua argumenta, quæ Gesnerus ex carminibus ipsis[1] ducit, levissimi sunt momenti, aut potius nihil probant; etenim quid prohibeat, quominus vel sanctissimus poeta Veterum loquendi formulis uti possit? Contra, christianæ disciplinæ asseclam Nostrum fuisse ex carminibus græcis disputare velle[2], quæ sub ejus nomine circumferuntur, nihil aliud est, quam litem lite dissolvere; prius enim est probandum, quod probari nequit, illa ingenio Claudiani deberi. Sed satis jam de vita Claudiani disputatum est: videamus nunc, quali fuerit ingenio, quæque scribendi ejus ratio, quibus virtutibus illa inclaruerit, quæ vitia notanda videantur.

DE CLAUDIANI INGENIO ET FACULTATE POETICA.

Tenendum est igitur, Claudianum fuisse Alexandrinum, in ea urbe natum, in qua etiam illis temporibus literarum studia vigebant, quibus sub Ptolemæis per omnem terrarum orbem nobilis erat et clara. Ibi scholæ geographorum, mathematicorum, astronomorum, seu potius astrologorum, philosophorumque discendi cupidis erant apertæ, qui nisi omnino naturæ et ingenii dotibus destituti essent, variis doctrinis et multiplici rerum cognitione animum poterant locupletare. Diu autem jam ante, perversus ille mos apud scholarum magistros reliquosque homines doctos invaluit, ut omnibus studiis a rerum actu et vera vita ad umbram et otium revocatis, finem scribendi et orandi delectationem solam statuerent, illamque non in gravitate rerum et utilitate, sed in figmentis et exornatione oratoria collocarent. Præterea vigebat in illa urbe grammaticorum multitudo, qui operam suam in fabulis subtiliter explicandis ponebant,

1. III, 336 sqq. XVIII, 210 et 314.
2. XCV, XCVI et XCVII.

qui multa Veterum lectione erant imbuti, ingeniumque illarum rerum pervestigatione acuerant. Ex his facile potest colligi, qualis fuerit poetarum habitus. Ingenia exculta et elegantia non deerant; sed omnes fere inventionis, quæ summa poetices est, laude carebant, illaque simplicitate cum sublimitate conjuncta, quam tantopere in antiquioribus admiramur, erant destituti. Oratio eorum et nitida et tersa palæstram et oleum sapiebat, eamque commendare solebant ingenti doctrinæ copia, magno mythorum et historiæ antiquæ studio, et numeris versuum maxime exactis, omninoque naturali venustate repudiata, artis illecebris placere cupiebant. In hac communi poetarum Alexandrinorum imagine a nobis adumbrata, prima quasi lineamenta jam ducta sunt, ex quibus Claudiani ingenium scribendique genus, quod secutus est, cognosci possit; quippe qui similitudinem ejus familiæ in qua natus est et educatus, in omnibus suis carminibus præ se ferat.

Adhuc juvenis in Græcorum scriptis versatus, quorum sermone etiam hactenus in carminibus faciendis usus esse videtur[1], nescio quo casu et quo anno Romam est delatus. Ibi alexandrinum illud ingenium invenit solum, in quo lætius potuit efflorescere. Jam pridem enim sermo latinus, ad rationem poetarum alexandrinorum temperatus, a pristina simplicitate deflexerat, candoremque suum cum ipsa civium libertate amiserat. Non enim amplius patriæ amori, frugalitati, gravitati atque constantiæ in rebus gravissimis inserviebat, sed publicus ejus usus in adulando erat positus, depravato pulchri judicio accommodatus, atque in rhetorum scholis auditoriisque recitantium, troporum figurarumque multitudine, formularum subtilitatibus pronunciandique mollitia oneratus, obscuratus atque enervatus. Omnia ad aurium voluptatem referebantur, et quo quis magis ostentationem ipsam ostenderet, eo majori plausu excipiebatur ejus oratio. Sed de his uberius alio loco disputavimus[2].

1. Cf. XLII, 13 sq.

2. In præfatione ad Persii satiras et in libello *De Satira Romana ejusque auctoribus præcipuis*, inscripto.

Diu jam a rhetoribus erat receptum, ut Veterum orationibus, præclarissimis naturæ atque ingenii fœtibus, excussis, non solum rerum inventionem, sed et compositionem omnemque elocutionem ad certas præceptiunculas revocarent, indeque artem efficerent, qua quis instructus orationes non illis quidem, ex quibus regulæ erant deductæ, pares, sed earum similitudines imitando expressas posset elaborare. In hac arte perficienda et locupletanda quo magis erant occupati, eo proclivior quidem via videbatur munita ad eloquentiæ laudem etiam iis, quibus aditum ad oratorum cœtum natura pæne negaverat; sed eo magis ingenia ipsa, quæ libero cursu forsan summa attigissent, præceptiuncularum angustiis circumscripta, dum locorum copia atque ubertate parata, remoto mentis in inveniendo et excogitando labore, uterentur, torpore quodam exarescebant. Idem fere in poetices studiis accidisse perquam est probabile, quum ea partem eloquentiæ constituat, aut saltem cognatione arctissime eam attingat. Quæ tamen res suas habebat difficultates non facile superandas. Orationum enim natura ita comparata est, ut partium descriptio in omnibus fere sit eadem, et ut diversitas, si qua est, a temporum, rerum, personarum et locorum ratione facile possit repeti et ad certas regulas, easdemque paucas, revocari. Carminum autem genera non solum infinita, sed etiam natura sua tam diversa sunt, ut, si singula quædam excipias, compositio earum ad præcepta deduci nequeat. Longe aliter autem se res habuit in ratione, qua res et sententiæ poetarum more possint efferri, seu in dicendi genere et ornatu poetis proprio, quum ipse sermo, quem antiquissimi Romanorum poetæ adhibuerant, posterisque adoptandum reliquerant, ex græco fonte fluxerit, et propterea imitandi consuetudo, antiquitatis auctoritate commendata, apud Romanos inveteravit. Ad eam igitur partis rhetoricæ similitudinem, quæ de enunciatione agit, acutiores magis quam ingeniosiores totam sermonis poetici rationem, omnes tropos, figuras, imagines ad certa genera et classes revocare cœperunt, ut totum apparatum poeticum scientia

complecti atque in promptu habere unusquisque posset ad sententias quascunque poetica veste induendas. Ita se res habebat sub serioribus imperatoribus, ubi, ut monumenta, quæ ætatem ex illo ævo tulere, satis abunde testantur, ex laceratorum et comminutorum carminum ejus ætatis, quam vocant auream, fragmentis satis ridicule interdum comtis, nova carmina componebantur, seu potius Musarum ludibria. Ex quibus ea, quæ optima sunt, externam tantum carminum speciem induerunt, eorumque auctores id modo consecuti sunt, ut verbis sonantibus numeroque et concinnitate versuum auribus colligerent escas, quarum voluptas tamen mentis fastidio vel minuitur vel tollitur. In omni enim carmine, quod non impetu quodam et ardore mentis seu contemplatione seu cogitatione alicujus rei commotæ fusum, sed frigida præceptorum observatione consutum est, nulla vivida vis seu divina quædam aura lectores et auditores afflat, ut rebus præsentibus quasi emoti arteque magica in novas regiones delati aliam et inusitatam rerum formam sibi videantur aspicere, novosque et insolitos animi motus sentire, quorum perceptione voluptatibus jucundissimis perfundantur; sed, dum aures vel maxime implentur, animus languet, cumque sudoris vestigia, quem anxia et operosa artis observatio expressit, frigore feriunt. Magis etiam hæc locum habent in inventione et compositione, quæ ad certa præcepta revocari nequibat; quam si respicias, facili negotio poetas, quibus nascentibus Musæ arriserint, ab illis possis dignoscere, qui furorem simulatum quibusvis rebus potius, quam fontium divinorum haustibus debeant, etiamsi id quavis pagina vel verbis conceptis jurent.

Quum omnis poetices ratio apud Romanos in hunc statum esset delata, ut arte magis quam ingenio regeretur, natum est panegyricum genus carminum, non plane hactenus inauditum, sed specie aliqua, quam origini debuit, singulari novum. Quod si enim naturam illorum carminum solam spectes, huc referri possunt omnia, in quibus laudes deorum vel heroum vel virorum illustrium celebrabantur non

lyrica sed epica ratione, ut Callimachi hymni, ut Theocriti carmen ad Hieronem, Hieroclis filium, ultimum Siciliæ tyrannum[1]. Fortasse etiam in recitationibus poetarum publicis, quæ in ludis Apollini et Musis Alexandriæ institutis fiebant, laudes Ptolemæorum canebantur. Idem fere factum est Romæ sub Augusto[2]. Illud autem genus, de quo nunc agimus, ortum videtur ex orationibus panegyricis, quibus primum consules suffecti eo die, quo munus adibant, in senatu solebant imperatoribus gratias agere[3], quod deinde etiam ab aliis et diversis quidem temporibus esse frequentatum reperimus[4]. Exempla oratorum, præmiis et honoribus ob hanc rem ab imperatoribus ornatorum, secuti sunt poetæ, omnemque artem suam ad res gestas illorum celebrandas contulerunt. Et cupide sane ingrediebantur viam, qua sola latranti stomacho possent succurrere; nam omnis laboris

1. Idyll. XVI. A deorum, heroum, mortuorum insigni, dum in vivis essent, virtute conspicuorum laudationibus, quæ simul cum poesi natæ sunt, ad vivos etiam ornandos vel meritorum magnitudo, vel adulandi cupido, vel commodi alicujus exspectatio poetas facile deducere potuit. Qui quum mature intellexissent, hominum animos carminibus maxime capi, eaque memoriæ mandari, in otio et circulis repeti et filiis a patribus tradi solere, in animum sibi statim induxerunt, se esse immortalitatis arbitros, quam deinde haud paullo post pro quovis lucello habebant venalem. Communis videtur illorum exhortatio fuisse, qua utitur Theocritus l. c. 29 sqq.

Μουσάων δὲ μάλιστα τίειν ἱερὼς ὑποφήτας,
Ὄφρα κε, κ' εἰν ἀΐδαο κεκρυμμένος, ἐσθλὸς ἀκούσῃς,
Μηδ' ἀκλεὴς μύρηαι ἐπὶ ψυχρῷ Ἀχέροντος.

Notissima quoque est Simonidis seu historia seu fabula, Cic. de Orat. II, 86. Cf. quæ laudat Harles ad Theocrit. l. c. 36 et 44.

2. Hoc discimus ex Sueton. August. 89. *Componi tamen aliquid de se, nisi et seria et a præstantissimis, offendebatur; admonebatque prætores, ne paterentur nomen suum commissionibus* (certaminibus oratoriis et poeticis) *obsolefieri.*

3. Quo ex genere Plinii panegyricus est. Cf. Saleii Bassi carm. in Pison. 70 sq. Poet. lat. min. ed. Wernsd. T. IV, P. I, pag. 250; et Heyne in Commentatione priore, quæ inscribitur Censura XII. Paneg. Veter.

4. Ut diebus imperatorum natalibus. Paneg. Vet. I, 1, 4; et II, 1, 1.

fructus, Musarum studiis insumpti, jam Juvenalis tempore plausus erat et fames[1]. Sed quum non amplius nascerentur poetæ, sed in rhetorum subselliis et grammaticorum scholis fingerentur, nemini potest mirabile videri, quod in hujusmodi carminum inventione et dispositione rhetor jejunus, in enunciatione et ornatu poeta frigidus agnoscatur[2]. Quo tempore hic mos percrebuerit, non facile dixeris; prima hujus rei mentio, quod equidem sciam, fit sub imperio Pescennii Nigri et Alexandri Severi[3]. Antiquiora autem exstant duo carmina, quæ in hunc censum veniunt, alterum in Messalam, quod Tibullo perperam tribuitur, nec definiri potest, a quo et quo tempore sit scriptum[4], alterum ad Piso-

1. Juvenal. VII, 82 sqq.:

Curritur ad vocem jucundam et carmen amicæ
Thebaidos, lætam fecit quum Statius urbem,
Promisitque diem: tanta dulcedine captos
Adficit ille animos, tantaque libidine vulgi
Auditur; sed, quum fregit subsellia versu,
Esurit, intactam Paridi nisi vendat Agaven.
Ille et militiæ multis largitur honorem,
Semestri vatum digitos circumligat auro.
Quod non dant proceres, dabit histrio....

2. Originis, unde illa carmina nata sunt, plura occurrunt vestigia. E. g. exordio rhetorico auspicatur poeta, III, 1 sqq. XXI, 1-24; a loco communi, XVII. Transitu rhetorico utitur, XXII, 1 sq. Declamationes frequentes inserit, III, 196 sqq. V, 420 sqq. VIII, 104 sqq.

3. Ælius Lampridius in Alexandro Sev. c. 35: «Oratores et poetas non sibi panegyricos dicentes, quod exemplo Nigri Pescennii stultum dicebat, sed aut orationes recitantes, aut facta Veterum, quos ante retuli, libenter audivit; libentius tamen, si quis ei recitavit Alexandri Magni laudes, aut meliorum retro principum, aut magnorum urbis Romæ virorum.» Memorabilia sunt Pescennii Nigri verba, quæ servavit Æl. Spartianus in ejus vita cap. 11: «Denique quum imperatori facto quidam panegyricum recitare vellet, dixit ei: Scribe laudes Marii vel Hannibalis, vel alicujus ducis optime vita functi, et dic, quid ille fecerit, ut eum nos imitemur. Nam viventes laudare irrisio est, maxime imperatores, a quibus speratur, qui timentur, qui præstare publice possunt, qui possunt necare, qui proscribere; se autem vivum placere velle, mortuum etiam laudari.»

4. Eleg. IV, 1; ibi vid. Heyne.

nem, quod Lucani nomen falso præ se fert, et Saleio Basso, qui sub Nerone et imperatoribus sequentibus vixit, a Wernsdorfio assignatur[1]. Forma quidem illorum plane eadem est cum eo genere, de quo nunc quærimus, sed missa sunt ad illos viros, non coram illis in cœtu aliquo solenni recitata.

CLAUDIANI CARMINUM GENERA.

His præmissis, accedere possumus ad id, quod nobis proposuimus, atque ostendere, quem locum inter poetas Claudianus obtineat, quod scribendi genus secutus sit, quæ fuerint virtutes ejus, quæ vitia; de his enim omnibus nusquam, quod sciam, accurate disputatum est. Ut recte autem de poeta nostro et de ejus facultate poetica judicemus, necesse est, ut carminibus, quæ ad nos pervenerunt, in sua genera descriptis, quemadmodum unumquodque tractatum sit, quidque in singulis præstitum, dispiciamus. Scripsit autem et recitavit primum carmina panegyrica in *consulatum Probini atque Olybrii*, in *consulatum Honorii tertium, quartum et sextum*, in *consulatum Fl. Mallii Theodori*, in *consulatum Stilichonis*, cui tria carmina impendit, quæ quasi unum constituunt. His adnumerari potest carmen *Laudes Serenæ* contineus. Sequitur alterum genus carminum, non tam forma quam materia a priori diversum, in quo poeta ostendit, quantus in vituperando esset. Sunt autem carmina *unum et alterum in Rufinum, unum et alterum in Eutropium.* Illud, quod tertio loco ponimus, ab iis, quæ præcedunt, disjunctum, complectitur duo carmina, alterum *de bello Gildonico*, alterum *de bello Getico* inscriptum. Quarto genere continentur duo epithalamia, alterum *de Nuptiis Honorii et Mariæ*, alterum *dictum Palladio et Celerinæ* inscriptum. Omnia illa hoc habent commune, quod ad epicum genus pertinent. Genus autem carminum prorsus peculiare constituunt ea, quæ *præfationum* titulos in fronte gerunt, qui-

1. Poet. lat. min. T. IV, P. I, pag. 39 sqq.

busque majoribus carminibus, quibus sunt præfixa, prolusum est, et *Fescennnina*, quorum sunt quatuor. Scripsit præterea Claudianus carmen epicum, *De raptu Proserpinæ*, cujus tres libros priores fortuna servavit; porro aliud ejusdem generis, *Gigantomachia* inscriptum, cujus principium tantum exstat, et fragmentum e carmine græco, quo, ut volunt, bellum deorum contra gigantes erat expositum. Sequuntur epistolæ quinque, *Deprecatio ad Hadrianum præfectum prætorio, ad Serenam, ad Olybrium, ad Probinum ut scribat, ad Gennadium ex proconsule.* Tum Eidyllia septem, *Phœnix, Hystrix, Torpedo, Nilus, Magnes, Aponus, De piis fratribus et eorum statuis, quæ sunt apud Catinam.* Tandem quinquaginta epigrammata, hoc enim titulo parva carmina varii argumenti et pretii, etiam græca quædam, comprehenduntur, quorum pleraque Claudiano prorsus indigna sunt. His omnibus adjungi solet fragmentum poetæ anonymi, quod *Laudes Herculis* continet.

CARMINA PANEGYRICA.

Primum igitur agemus de carmine panegyrico, videamusque, quomodo poeta in eo adornando versatus sit, ita tamen, ut eum non ad certas leges et formulas, ex notione carminis in hoc genere perfecti, quam mente forsan et cogitatione conceperis, deductas, exigamus. In hoc carmine ejus, in cujus honorem scriptum est, genus et natales laudantur, institutio et disciplina puerilis, studia juventutis, mores, res gestæ, dignitatis gradus, per quos ad summos honores ascenderit. Principia solent ex iis duci, quæ carminibus occasionem præbuerunt, et illuc etiam fines spectare. Eædem igitur res argumentum constituunt, quæ in orationibus panegyricis, omnisque materia ex locis rhetoricis, in scholis ad nauseam usque decantatis, petita est. Disputatio autem de hoc scripturæ genere et charactere, ejusque causis, si, quæ ante dicta sunt, memoria tenes, haud est difficilis. Totum est declamatio, quæ carminis speciem assumpsit. Atque hoc

præcipue inde est factum, quod illa carmina, ex orationibus panegyricis nata, naturam originis suæ traxerunt. Sermo enim solutus, numero poetico adhibito, comparationibus et imaginibus crebrius inductis, in poeticum, a quo tunc temporis in orationibus, si numerum excipias, haud multum abhorrebat, mutatus est; libertateque assumpta, qua in rebus exponendis poetæ soli uti possunt, species quidem carminis nata est, cui tamen, si illius naturam spectes, hujusmodi argumentum parum est accommodatum. Etenim carminis ratio hæc est, ut diversa, quæ illo contineantur, totum aliquod conficiant in suo genere perfectum atque absolutum, cujus illa partes sint atque membra, quorum nullum salva conspiratione totius possit deesse. Illa autem rerum varietas, quæ hujusmodi carmine complectenda est, hoc uno cohæret, quod ad unum spectat, seu ad laudes unius pertinet. Etiam ille, qui laudat, nullum habet in rebus celebrandis liberum delectum, neque quidquam ad consilium suum minus accommodatum sine offensione potest relinquere, præsertim in rerum gestarum inopia, et, etiamsi hoc possit, tamen non semper res, vel per se, vel ex hominum sensu et consuetudine maxime memorabiles, eæ quoque sunt, quæ poeticam tractandi rationem facillime admittant. Simul cogetur sæpius poeta illius, quem laudat, existimationem cogitandi sentiendique rationem sequi, quam rei naturam et carminis, ita ut iis potissimum utatur, quibus ille maxime superbire soleat. Poeta porro, nisi magnitudine rerum et amplitudine ipse incaluerit, animos eorum, a quibus vel auditur, vel legitur, non potest accendere. Sed quid esse poterat in puero, vix duodecim annos nato, magnopere laudandum? quæ virtutes Stilichonis in admirationem sui raperent, quum nihil eorum, quæ faceret, ad publicam utilitatem, nihil non ad sua commoda referret[1]? Id

1. Quanto uberior laudandi materia Horatio contigit in Augusto, qui, quanquam occupatæ tyrannidis invidia apud libertatis amantes flagraret, tamen et illi, qui quidem rerum prudentes essent, perspicere poterant, in tanta morum et disciplinæ corruptela, quietæ libertatis fructum

igitur solum restabat poetæ, ut animi motus, quibus ipse carebat, arte simularet. Non potest autem fieri, ut omnis artis ostentatio eos sensus excitet, quos animi affectus veri eliciunt, ad quos loquendi ratio ea, quæ optima et fidelissima mentis interpres est, sponte se accommodare solet. Cæterum laudandi consuetudine semel inducta, certamineque poetis, præsertim famelicis, injecto, quum alter alteri in captanda Imperatorum et procerum benevolentia cedere nollet, accidit, ut in rebus citra omnem veritatis verecundiam augendis et amplificandis probabilitatis modum prorsus excederent. Quæ quum legimus, mirari licet, quanto sto-

nullum esse posse, nec civitatis oppressore e medio tollendo quidquam aliud profici, quam ut reliquis, in subsidiis quasi ad quamcunque occasionem captandam latitantibus et promptis, aditus ad simile aliquid audendum multo cum sanguine pararetur. Quod in illo rerum statu maxime optabile erat, ut jugum cervicibus impositum, quantum ab eo fieri posset, leve videretur, ut, quod boni in votis habebant, cujusque gratia mutatam reipublicæ formam æquiore animo ferebant, discordiæ intestinæ, seditiones, bellaque civilia removerentur, ut sua cuique tuta essent, nullus ab hostibus externis timor impenderet, nomenque populi romani apud barbaros in honore et gloria esset, ut vitiis leges resisterent, virtutique suus honos constaret, hoc Augustus seu præstitit seu præstare adnisus est, atque in illis rebus celebrandis Horatius reliquique illius ætatis poetæ multi sunt. Cf. Vellei. Patercul. II, 89. In Honorio contra Claudiano omnia defuere, quæ quidem per se dignitatis satis haberent; multa igitur erant in laudem detorquenda, multa affingenda, multa præter omnem fidem augenda, et ne sic quidem, omni arte in subsidium vocata, species orta est quædam majestatis plena, quam efficiendam poeta sibi proposuerat, sed potius imago distorta magnitudinis ingentis, a puero, et corpore et animo maxime infirmo, satis ridicule discrepans. In aliis, in quibus inopia rerum Claudianus forsan non laborabat, in Mallio et Stilichone, perversa illa ratio ab oratoribus adoptata, qua omnis vita, quasi per annos digesta, exposita est, omnem veram vim poeticam exclusit, et virtutibus etiam singulorum locorum offecit. Quid frigidius esse potest rerum distributione, quam fecit in Stilichone ornando, ut primum bellicas ejus virtutes laudaret, secundo pacis, tertio consulatus initia? quid pro poeta languidius, quam transitus, quibus lectores et auditores partitionum admonuerit, quas initio fecerit? Felicius versatus est Statius in Domitiani consulatu (Silv. IV. 1) a Claudiano non discrepans in sequenti, quod cœna imperiali corruptus sibi et Musis extorsisse videtur, nec in tertio, quo via Domitiana describitur.

lidæ arrogantiæ callo frons illorum fuerit obducta, quorum aures hujusmodi recitationibus paterent[1]. Sed omnis exaggeratio, quæ primum animos pungit, consuetudine vim suam amittere, atque in inanem loquendi formulam solet abire, ita ut semper nova impudentia opus sit, ad veterem audaciam superandam. Atque, si semel a naturæ veritate in laudando discessum est, non potest consisti, nisi eo, ubi verborum et rerum discrepantia ea demum facta est, ut vel

1. Adulandi principium jam pridem ab Horatio, Virgilio, Ovidio reliquisque antiquioribus poetis factum, magis magisque semper auctum est a recentioribus. Exempla apud Claudianum obvia sunt, cujus ratio maxime solemnis est, eum, quem vult extollere, cum antiquitatis heroibus ita comparare, ut ostendat, eorum laudes longe inferiores illius fuisse, III, 262 sqq. 278 sqq. XXI, 97 sqq. et passim. Sed cf. Sidon. Apoll. V, 151 sqq. Quum semel more esset receptum, Imperatores vivos deorum cultu prosequi, etiam id, quod deorum præsentiam arguere creditum est, ad illos transferebatur, I, 115 sqq. VII, 123 sqq. Nec sane pro consuetudine modum excessisse dicendus est Noster, quum dicit, stellas invitare Theodosium, incertas, quibus esse sodalis dignetur, VII, 170 sqq. nec, quum idem et frater *deorum proceres* vocantur, XV, 215. Verum ex nostro sensu male inducit eumdem sic loquentem: *si non cupidis essem præreptus ab astris.* Illud autem risum potest movere, quod de Honorio, puero novenni, quem pater Augustum declaraverat, dicit, prudentiam ætatem adeo præcurrisse, ut omnes essent questi, imperium ei sero esse datum, VII, 85 sqq. Impudentiam sapit illa laus, quæ Honorio et Stilichoni tribuitur, quum satis aliunde notum sit, quam ægre fines contra barbaros defenderentur, XVIII, 377 sqq. Hoc quoque non est omittendum, quod, quum virtus bellica maxime virum ornet, ea autem puerulo, qui nondum hostem ex propinquo viderit, non posset tribui; bello exorto semper causa Claudiano in promptu est, qua dicat impeditum fuisse Honorium, belli scilicet alias cupidissimum, quominus ipse in castra proficisceretur, VII, 73 sqq. XV, 370 sqq. 347 sqq. Magis Stilichonis et Arcadii rerum administratio laudari non poterat, quam iis verbis, quibus utitur Justitia, XVII, 171 sqq. Etiam hoc attendas velim, quantopere ubique Claudianus, etiamsi tecte, Honorium Arcadio præferat. Ex VII, 85 sqq. pæne colligas, Honorio curam rerum a patre proficiscente fuisse demandatam, quum de Arcadio sileatur, et v. 178, stella Theodosii oriens *aspicit* Arcadium, occidentem *remoratur visus* Honorius. Forsan *cliens*, XVIII, 257, Arcadius est, opponitur illi Honorius, v. 377 sqq. Hæc omnia nostræ saltem ætati, quam lucri spes et timor in illis rebus solertiorem reddidit, quam veteres unquam fuere, mira videri nequeunt.

fungis et stipitibus risum excutiat. Inde quoque narratio nascatur necesse est, non quæ simplicitate, proprietate et venustate sensim in animos se insinuat, eosque molli quidem sed tamen efficaci imperio, quocumque velit, flectit; verum quæ inani verborum pompa, sententiarumque strepitu aures tantum implet, seu potius obtundit, et doctrinæ multiformis ostentatione, ornatuque undique conquisito onerata riget. Ut actione aliqua inducta colorem epicum carmina trahant, ad fastidium, quod in perpetuis declamationibus et descriptionibus auditores capere possit, leniendum, Claudianus ratione utitur non semper felici, interdum jejuna, in qua magnæ imprimis Romæ deæ partes sunt, interdum plures terræ in personas mutatæ, et fluvii in scenam prodeunt, non ut agant, sed ut orationes, in quibus, quidquid figurarum et flosculorum scholæ rhetoricæ collegerint, consumptum esse videtur, cum artis ostentatione, tanquam in auditorio aliquo recitent[1]. In tanta sæpe rerum, quæ vera laude dignæ essent, inopia, est sane, quod mireris, qua ratione poeta parvis, et interdum futilibus, verborum et sententiarum pompa, dignitatis speciem conciliarit, et quædam, non ad-

1. I, 73 sqq. Roma dea inducitur, quæ Probino et Olybrio fratribus consulatum impetret a Theodosio M., qui modo Eugenium ad Alpium radices superaverat. In fine v. 209 sqq. Tiberinus ex antro suo excitatur, ut laudes fratrum canat, fluminibusque suæ ditionis diem festum indicat. XVII, 113 sqq. eodem ministerio, quo Roma supra, Justitia fungitur, cæloque relicto ad Mallium tendit, ne cursu honorum peracto in otio consenescat, sed rem publicam rursus capessat. Non prætereundæ sunt etiam Uraniæ partes in eodem carmine, v. 270 sqq. sorores aliam ad alium deum mittentis, ut ea subministrentur, quæ ad ludos consulares necessaria sunt. XXVIII, 147 sqq. Eridanus fugienti Alarico insultat, a Naiadum una ad spectaculum fracti hostis excitatus. Iterum Romæ deæ mandatur, v. 356 sqq. ut Honorium ex Ravenna in suam urbem invitet. Non unius numinis ministerio poeta contentus est, XXII; ibi Hispania, Gallia, Britannia, Africa, Œnotria, Romam deam adeuntes inducuntur, ut Stilichonem ad consulatum suscipiendum adhortetur. Versus finem, v. 424 sqq. Sol ad Temporis antrum proficiscitur, aureum annum Stilichoni electurus. XXIV, 237 sqq. Diana nymphas in omnes terrarum partes dimittit, ad feras capiendas, quæ consularibus ludis inserviant; etc.

modum honorifica, virtutis et sapientiæ splendore, dicendo inducrit, et easdem sæpe res quanta varietate exposuerit. Cujus rei exempla in promptu erunt, carminibus in tertium et quartum Honorii consulatum inter se comparatis[1]; et quam studiose laudis et ostentationis materiam undique collegerit, specimen luculentum carmen in sextum ejusdem consulatum suppeditabit. Cæterum ad rectum de toto hoc carminum genere judicium ferendum, hoc in universum tenendum est. Omnis laudandi ratio, quæ quidem non solum ei qui laudatur, sed etiam aliis qui legunt, vel audiunt, placeat, non magis ab imaginandi vi et Musarum dotibus, quam a sensu quodam exquisito, et judicio poetæ subacto pendet, ut intelligat, quo quis maxime ex sui ipsius et vulgi opinione ornetur, et quid alii, quum audiant, vel inviti probent, seu rei veritate adducti, seu verborum et sententiarum lenociniis invidiam mitigantibus. Oportet enim carmen, quo laudes alicujus celebrantur, ut statua in honorem posita, summaque arte expolita, omnium oculos

1. Jam in carmine VII omnem laudandi materiam consumpsisse videtur, sed in VIII easdem plane res profert ita, ut variando novitatis gratiam illis conservet. In utroque orditur a pompa consulari (VII, 1-6. VIII, 1-17). In illo tantum indicatur, Honorium esse porphyrogenetum; in hoc genus ejus celebratur, et res avi patrisque, cui servati ab interitu imperii decus assignatur, cujusque clementia in victos extoilitur, debitis laudibus ornantur (VII, 7-14. VIII, 18-120). In utroque celebrantur natales Honorii. Porro compares VII, 15-21 cum VIII, 121-155; rursus VII, 52-58 cum VIII, 24-40, et VII, 83 sq. cum VIII, 169-202. Pugnam cum Eugenio in priori (VII, 89-100) ornatius jam extulerat, quam ut eam in posteriori potuisset retractare. Pari ratione ea, quæ in illo (VII, 22-50) summo splendore exornaverat, in hoc plane omisit. In illo institutionis quidem Honorii mentio fit, in hoc deæ ipsæ cum puero ludunt, VIII, 160-164. Comparari etiam possunt VII, 51-62, et VIII, 214-395. Consilio poetæ vehementer accommodata est conversio repentina ad Theodosium in stellam mutatum, VIII, 428 sqq. ut aspiciat quam pulchros fructus illa præceptio tulerit. Longæ enim admonitionis, quanquam dissimulatæ, fastidium laudibus tantum poterat mitigari, simulque occasionem inde sumpsit illius laudes cum laudibus Stilichonis conjungendi. Sed longum est singula prosequi quæ utramque paginam faciunt.

cum voluptate non solum in se convertere, verum etiam jucunde detinere; quo frequentiores enim lectores invenerit, eo majus et perennius erit laudis monumentum. Nihil igitur in eo debet desiderari, quod in carmine politissima arte perfecto requiri solet, ut lector operis præstantia commotus summa voluptate perfruatur, itaque dulcedine captus teneatur, ut nullus in illo invidiæ sensus oriri, nec ipse ad historiæ veritatisque calculos possit confugere. Quod ut fieri possit, genuinus et sincerus animi sensus in eo spiret, necesse est, quem artis ostentandæ, et ornatus laboriose quæsiti suspicio non minus refrigerat, quam commodi alicujus aut accepti, aut exspectati. Subesse etiam debet vel vera et justa laudandi materia, vel saltem ea, quæ aliqua ex parte speciose possit commendari, et vel leviter tractata naturali fulgore exsplendescere. Errant quoque, qui arbitrantur, præcepta in hanc rem posse a rhetoribus peti; quum oratio, ut semel audiatur, componenda sit, carmen repetitæ lectioni vel auditioni scribendum. Neque quidquam magis Claudiano fraudi fuisse unusquisque fatebitur, quam forma ipsa carminum a poetices natura utique aliena; unde natum est aliquid, quod mixtas virtutes habet et rhetorices et poeseos, locumque obtinet inter orationem atque carmen, cujus ratio hybrida eo tempore tantum poterat placere, quo sensus pulchri exquisitus et perversæ magnificentiæ studio, et exaggerandi audaciæ cessit. Probabile quoque est, Claudianum non animi voluntate et judicio hanc formam elegisse, sed consuetudine et more semel recepto ad illam esse delatum. Inter omnes poetas, qui laudandi partes susceperunt, primum sane locum obtinet Horatius, neque fere quisquam est, qui majore cum dignitate illam provinciam sustinuerit. Sed rationes, quibus usus est, ingenio limatissimo, et judicii sensusque subtilitate ex consuetudine virorum elegantissimorum contracta dignissimis [1], haud

1. Ad exquisitam laudandi rationem, qua Horatius utitur, referendum sane est, primum, quod, dum alia re occupatus videatur, nec opinato quidem, sed tamen naturali rerum serie ad Augusti laudes ducitur; alterum, quod in Augusti laudibus a re aliqua splendida, ejus-

scio an lyrico generi sint propriæ, atque temporibus et institutis, quibus Claudiano indulgendum fuit, alienissimæ. Quotus enim quisque tunc illa blandimenta, ad quæ

que auspiciis, consilio, aut virtuti assignanda statim deflectit ad id, quod specie quidem ab argumento alienum est, tamen, si paullo accuratius attendas, vel maxime pertinet ad magnitudinem et amplitudinem rei gestæ illustrandam et commendandam. Quæ res minus animadversa in causa fuit, ut interpretes passim et antiquiores et recentiores contra omnem artis rationem duplex argumentum ejusdem carminis statuerint, aut congeriem phantasmatum, ut illi quidem existimabant, confusam lyrica mentis perturbatione excusarint. Hujus rei exemplum est od. I, 12, cujus vim multi perperam acceperunt. Percitus Musarum œstro ante oculos obversari videt subito illos deorum atque hominum, quos populus romanus semper præcipuos habuit atque coluit. Animus ejus sancto hoc concilio quasi attonitus in omnes partes versatur, ipseque modo hujus, modo illius mentionem facit, non servato aut dignitatis aut temporis ordine, donec v. 51 ad Augustum veniat, atque in ejus laudibus subsistat. Vel ipsam Catonis Uticensis (v. 35) mentionem ad Augusti laudem pertinere, quis non videt? Summi enim viri et libertatis amantissimi commemoratio palam et impune facta ostendit liberalem Imperatoris animum, qui tantum vindex reipublicæ videri cupiebat, non eversor, quique imperium a populo sibi obtrusum vel invitus sustinere simulabat. Specie quidem Augustus sub Jove deprimitur, sed quum secundum ab illo locum obtinere dicatur, supra omnes reliquos mortales extollitur. De hoc carmine aliter statuere videtur Wielandus, quem vid. in not. ad Horat. Epist. T. II, p. 23. Alterius rei exemplum luculentissimum est od. III, 5, in quo carmine exponendo sententiarum nexum plerique non viderunt. Augustus Parthos, quum signa Crasso erepta recepisset, subegisse a poeta fingitur. Illa victoria ignominiam non solum cladis Romanorum, sed etiam pacis deinde cum Parthis factæ, ut captivi recuperarentur, qui jam matrimonia cum barbaris inire coacti erant, plane abstersit. Illa pax ignominiosa a senatu erat facta aut comprobata, quanquam Regulus vel morte sua cavere studuerat, ne quando bellum cum hostibus tam ignominiose populus romanus finiret. Quæritur jam, quæ sit illa pax cum Parthis facta, quo tempore et a quo? hoc equidem nescio. Sed res Romanorum contra Parthos post Crassum sub Cassio, Bibulo et iis, qui postea exercitui præfuerunt, gestæ omnino parum cognitæ sunt, et diverse a diversis narrantur. Et, si pacem negas, possunt induciæ locum habuisse ad recuperandos captivos factæ. Admissis iis, quæ conjectavi, quæque Horatius significare videtur, quum historicis argumentis refelli nequeant, omnia expeditum nanciscuntur explicatum, nec facilem et naturalem sententiarum nexum requires. Augustus Parthos devicit, pacisque, seu induciarum turpitudinem sustulit, qua senatus captivos recuperare non erubuit, qui, ut vitam servarent, non solum

percipienda et teretes aures, et sensus omni humanitate expoliti requirebantur, poterat intelligere; quotusquisque sibi persuadere, sæpius in una sententia, in unico, prope dixerim, verbo, majorem laudandi vim inesse, quam in oratione panegyrica vel verbosissima[1]. Etiamsi igitur Claudianus, si eum ad illa, quæ ars desiderat, revoces, minus probari possit, tamen excusatio illi est parata, si morem et consuetudinem, cui erat litandum, auresque obtusas, et corruptum ætatis ejus judicium, quibus erat placendum, apud animum reputes. Progrediamur ad illud carminum genus, quod secundo loco posuimus.

CARMINA IN RUFINUM ET IN EUTROPIUM.

Hujus generis ratio eadem est cum priori, materia diversa. In illo laudandi, in hoc vituperandi partes sustinet, atque, si utrumque compares, invenias illum plus valuisse in hoc quam in illo. Scilicet in hostibus Honorii et Stilichonis lædendis, quidquid in eum finem utile putaret, eo poterat impune uti, quum sciret, ne monstra quidem inferna quemquam esse offensura, nam malos genios esse, eosque se rebus humanis immiscere, mortalesque in fraudem agere, vel christianæ fidei doctoribus tunc erat persuasum. Etiam

arma abjecerant, verum etiam Romæ immemores matrimonia cum barbaris contraxerant, quanquam Regulus vel morte sua cavere studuerat, ne hujusmodi pacem facerent Romani cum Carthaginiensibus, etiamsi captivi peregrina connubia ad vitam servandam non inierant. Forsan de illa re rectius possemus statuere, si Appiani Parthica ad nostram ætatem pervenissent.

1. Num quis et brevius et elegantius Veneris pulchritudinem laudavit, quam Lucianus (Antholog. Gr. T. III, pag. 21, ed. Jacobs), illo epigrammate, quo imaginem Veneris ipsi dedicatam prosecutus est:

Σοὶ μορφῆς ἀνέθηκα τεῆς περικαλλὲς ἄγαλμα
Κύπρι, τεῆς μορφῆς φέρτερον οὐδὲν ἔχων.

Dignus sane auctor, qui deæ pulcherrimæ osculo fuisset exceptus. Et quanta vis est in illo verbo *egregii* apud Horat. od. III, 25, 4.

fingendi et comminiscendi quæque libera erat potestas. In priori genere, ad meram ostentationem comparato, nulla erat orationis varietas, omnia vel in summa rerum tenuitate splendida erant et magnifica; in altero lascivia interdum gravitati admixta est, et dignitas subinde in petulantiam abit, indeque sermo modo cothurno incedit, modo soccis inambulat. In hoc, Furiarum et Bellonæ instinctu et auxilio pleraque fiunt; in illo magnopere erat cavendum, ne deorum interventu et ope gloriæ ejus, quem laudaret, detraheretur. Cæterum in vituperando eamdem viam ingreditur, quam in laudando; totam inimici vitam percurrit, omniaque ad odium, invidiam, infamiam excitandam idonea occupat, et carpendo, ridendo, calumniando, vel vera, vel ficta omni verborum turpitudine exagitat. Magis etiam ingenio indulget in inveniendo, epicaque ratione frequentius utitur, quam in prioribus, ut ostendunt carmina in Rufinum, quorum prioris prima pars, omisso principio, quod declamatoris est sermone poetico utentis, Claudiano satis feliciter cessit. Alecto felicitatis, qua homines sub Theodosii M. imperio fruebantur, invidia corripitur. Quam felicitatem ut conturbet, convocat monstrorum infernorum concilium. Sententiæ dicuntur. Megæra censet, sufficere Rufinum Constantinopolim mittendum. Ipsa se accingit operi, illumque, cujus pueritiam ipsa finxerat, lucri cupidine et spe potentiæ futuræ concitat. Bene hominis astutia et calliditas exaggeratur, ne mireris Theodosium istius insidiis succubuisse. Hactenus bene; sed statim ad ingenium et consuetudinem poeta redit, declamationemque interponit frigidam, de cupiditate habendi, quam longa scelerum recensio excipit ab illo improbo commissorum, in qua satis prudenter pleraque tantum significat poeta, ad quædam alludit, ne invidiam faciat manibus Theodosii, quod nebuloni tantum indulserit. Quanquam autem poeta, si, quæ composuit, ad artem referas, in hoc genere magis probatur : displicere debet, si consideres vel levitatem ejus in laudando, vel in vituperando cupiditatem. Sed patriæ vitiis inquinatus, Romanque pro-

fectus, Stilichonem patronum nactus est, prudentem quidem et callidum, sed et genere et moribus barbarum, cujus voluntati erat inserviendum. Inde quoque factum est, ut in spectaculis, et immanibus, et abominandis cum voluptate immorari videatur, dummodo Stilichonis vindictæ satisfaciat. Quis enim ab humanitatis sensu non plane alienus, illam Rufini dilacerationem[1], tanquam in tabula picta propositam, sine horrore et oculis irretortis potest adspicere! Valet tamen ad poetam ex parte excusandum, quod illorum hominum, quibus scribebat, oculi et animi consuetudinis callo erant obducti, nihilque gratius iis esse poterat, quam iram suam ulciscendique cupidinem expletam videre. Propterea quoque miser ille in frustula dissectus, et dissipatus Rufinus nondum dimittitur, sed ad inferos deductus pœnæ traditur sempiternæ[2]. Quid in vituperando possit efficere, videtur expertus esse in carmine XVIII et XX, in quibus Eutropium spadonem, gravissimum Stilichonis adversarium, eversum et in exsilium actum, in patroni sui gratiam non solum æqualibus sed etiam posteris abominandum reddere tentavit, nomenque illius æterna infamia aspergendum. Iste Eutropius, quod hactenus inauditum fuerat, et spado et consul, largam sane materiam maledicendi præbere potuit, etiamsi res ejus gestæ non magnopere fuissent culpandæ, atque illam rem quasi cardinem constituit, in quo utrumque carmen verteretur. Hac indignitate veluti vehementer percussus omnia monstra et portenta, quæ semper gravissima sunt habita maximeque dira, principio recenset, quorum tamen nullum tam fœdum et inmane fuerit, quam consul spado. Omni deinde verborum pondere utens, eos, quorum est monstra procurare, deorumque iram avertere, compellat, ut explorent, quæ tanta calamitas turpissimo illo omine portendatur, quove piaculo possit depelli[3]. Cum fortuna

1. V, 407 sqq.
2. V, 466 sqq.
3. XVIII, 1-23.

expostulat, quod, si omnino voluerit servum facere consulem, non probum et frugi, sed abjectissimum, sed infinitorum dominorum elegerit, qui non amplius vendi, ne dono quidem cuiquam obtrudi potuisset. Verba et sententiæ, quibus hæc expressit, hujusmodi sunt, ut vehementius et contumeliosius nihil possit excogitari. Potuisses exspectare, jam satisfactum esse maledicendi officio, quod assentandi studium poetæ imposuerat; verum illa omnia exordii tantum vices sustinent, statimque cognoscimus, poetam in animo habere, nihil prætermittere, quod memoriam istius hominis aliqua ratione possit diffamare. Incipit enim a prima pueritia, eaque etiam, quæ fortunæ fuerant, suaque natura miserationem potius quam invidiam movere solent, summa inhumanitate vel potius crudelitate in ludibrium istius adhibet, dumque ea vel mente recolit, vel effingit, velut lætissimo spectaculo frui videtur. Ex his rebus seculi mores cognoscas, quibus talia placere potuerint. In sequentibus, ubi vitam spadonis usque ad ætatem ejus exoletam prosequitur, talem verborum, sententiarum, et similitudinum delectum habet, ut ex altera parte ingenium mireris, ex altera doleas, donum illud naturæ in re tam turpi esse consumptum. Imaginem enim miseri hominis videmus omnibus numeris absolutam, ut ad fœditatem et obscœnitatem nihil possit addi. Quæcumque mala senectus decrepita et neglecta afferat, in istam aucta etiam et amplificata congesta sunt. Sed piget istis rebus diutius immorari, in quibus, quantum arti tribuit poeta, tantum ab humanitate discessit; et quæ dicta sunt, possunt sufficere ad ostendendum, quibus lineamentis et coloribus usus sit in adversariis describendis, qua in re non dubitat omnem probabilitatis legem migrare, dummodo curet, ne turpitudine aliqua vulgari insignes conspiciantur.

DE BELLO GILDONICO : DE BELLO GETICO.

Progrediamur ad tertium genus, quo bellum Gildonicum et Geticum continetur. In quo quum persona vel laudanda vel vituperanda non sit proposita, sed res gesta exponenda, jure potuisses exspectare, rationem epicam potissimum fuisse adhibitam. Verum multum falleris; nam in duobus illis carminibus actionis est parum, nimiumque declamationis[1]. Dii quidem et homines complures in scenam prodeunt, sed plerumque ut pueri, qui orationes memoriæ mandatas ante magistri cathedram recitant. Hoc præcipue locum habet in carmine XV, quia illa pars, quæ narrationem expeditionis continebat, fato intercidit. Mirari quoque hoc possis, quod in carmine XXVI Claudianus illud ad Pollentiam prælium, quod præ cæteris debuisset verbis exornare, leviter tantum attigit. Forsan consultius existimavit, paucis in illa re describenda defungi, quæ accurate exposita gloriam Stilichonis vel minuisset vel obscurasset. Hujus rei suspicionem ipsum quoque poetæ studium movet in laudando Stilichonis consilio (v. 90, seqq.), quo pulsum Alaricum, quem, si adulatori fides est, vel vivum capere vel penitus delere potuisset, salvum et incolumem ex Italia decedere passus est. Hujusmodi eloquentiæ specimina sæpius nostra memoria in eo bello sunt edita, quo Germania, non virtuti et armis, sed Principum discordia proditioni et perfidiæ cessit. Cæterum quum indoles et natura hujus generis carminum a prioribus non magno-

1. Roma dea fame propter retentas a Gildone naves frumentarias pæne confecta, in Olympo ad deos frequentes orationem habet v. 28-127. Qua finita Africa prodit, calamitatesque suas exponit v. 139-200. Jupiter verbis paucioribus defungitur v. 204-207. Theodosius avus, et pater, ille ad Arcadium, hic ad Honorium mittuntur. Illius oratio continuatur a v. 236-324; hujus a v. 330-347. Honorius narrat somnium Stilichoni a v. 354-378. Stilicho respondet a v. 380-414. Exercitum collectum Honorius ad virtutem exhortatur a v. 427-466. Milites alacritatem exprimunt suam a v. 488-504. In hoc carmine poeta doctrinam suam in antiquis fabulis, historia romana, et locorum descriptione explicat, iisque rerum gestarum ordinem sæpius interrumpit.

pere abludat, eaque vitia, quæ supra notata sunt, huic quoque insint ; ad ea properemus, quæ restant.

EPITHALAMIA.

Quartum genus, quod carmina in nuptias Honorii et Mariæ, atque Palladii et Celerinæ complectitur, quum materia ipsa, tum tractatione majorem lectoribus voluptatem præbebit. In hoc videmus poetam, quanquam illis vinculis nondum plane exsolutum, quibus eum consuetudinis vis existimatioque publica de pulchro et honesto, qualis tunc temporis erat, innexum tenebat, liberius tamen incedere, et ex suo ipsius ingenio materiam petere, quam in prioribus vel virtutes amicorum vel vitia adversariorum præbuerant. Quum enim laudes alicujus persequi, aut vitia, aut rem aliquam gestam exponere magis sit oratoris, vel historici, quam poetæ, quia tot tamque diversa, quæ simul prædicanda sunt, vix ita possunt componi, ut membra quasi unius pulchri corporis videantur; neque rerum delectus liber est, neque omni verborum et sententiarum pompa ille ardor excitari potest, quo liberi ingenii, sensuum et imaginum veritate accensi, fœtus agnoscuntur; noli mirari, quod in prioribus declamatorem tantum sentias poetico ornatu incedentem, teque ipsum in tanto artis apparatu nihil commotum. Nuptiarum cogitatio copiam rerum et imaginum venustarum poetæ menti suggessit, quas inventione ingeniosa ita conjunxit, ut naturali vinculo inter se cohærere videantur. Compositio atque adumbratio poetam prodit, quanquam in singulis partibus expoliendis popularium magis judicium, quam naturæ veritatem atque simplicitatem secutus sit, neque omnino liber fuerit ab iis vitiis, quæ temporum et morum corruptela in artem poeticam invexerat. In carmine X fingit poeta, Honorium amoris desiderio correptum, de nuptiarum dilatione queri. Cupido, auctor vulneris, adstat, et ubi vidit, Honorii pectus telo misso inflammatum, statim ad matrem avolat, tantam victoriam nunciaturus (X, 1—48). Mores quidem ejus, qui, primo amore accensus, omnium rerum,

quibus ante delectaretur, tædio afficitur, animoque nequit consistere, in Honorio naturæ accommodate sunt expressi; sed in querimoniis, quæ illi tribuuntur, plura sunt intexta, quæ abesse malis, præcipue dignitatis imperatoriæ mentionem ab amoris simplicitate prorsus alienam. Hoc tamen Imperatoris reverentiæ poeta dandum putavit, nec Stilicho poterat in malam partem accipere, quippe qui, quo tutius ipse dominatum exerceret, speciem majestatis Honorio relinquendam existimaret. Sedes Veneris in insula Cypro ita describitur, ut agnoscas, Claudianum ingenio non fuisse destitutum, sed ævi vitiis, quibus rerum magnificentia plus quam simplex gratia placebat, illud fuisse inquinatum. Inde nata est auri et argenti copia gemmarumque pretiosissimarum multitudo, quibus omnia exstructa atque distincta narrantur. Sed hæc compensantur pulchro loco, quo Venus in cultu corporis occupata, Gratiæque illi ministrantes inducuntur (v. 97—109); et illo non minus venusto, quo Venus Cupidini, quem victoria superbientem, remque gestam festinanter et concise narrantem gremio exceperat, præ gaudio nihil respondet, sed statim, ornatu corporis accelerato, cestoque arrepto, ad litus properat, Amoresque alio alium ad Tritonem arcessendum præmio proposito dimittit. Pulchra quoque est illa scena, quam poeta carminis XXXI principio oculis proponit. Venus in umbraculo vitibus contexto super flores molliter reclinata somnum capit ad solis æstum vitandum. Nymphæ et Gratiæ sub ingenti quercu juxta requiescunt. Cupidines suspensis per ramos arcubus pharetrisque vel colludunt, vel avium nidos investigant, vel mala legunt dominæ, vel volitant per summas ulmos, vel in statione sunt ad arcendos Faunos reliquosque deos silvestres, ne nimis curiosi Veneris somnum conturbent. Sed non æque bene Venus, ubi chori ex urbe vicina auditi somnum illi excusserunt, Amores dimittit ad quærendum Hymenæum, et quum ipsa in illum incidisset, ex eo quærit, cujusnam nuptiæ celebrentur? Cæterum motus animi, quos sentit Hymenæus Venere visa, egregie sunt

expressi (v. 40, seqq.). Minus placet declamatio, qua ille generis nobilitatem et Palladii et Celerinæ celebrat (v. 56—99). Apte in priori (X, 135 seqq.) Triton Cymothoen reluctantem ambiens deprehenditur, qui, ubi audivit, si properasset, facilem sibi dehinc illam deam fore, ad litus festinat, in illum corporis habitum compositus, quo Venerem per mare vehens a plasticis et pictoribus fingi solet. In itinere describendo poeta ingenio luxurianti nimis indulsit; nec margaritæ, a Nymphis marinis e maris fundo in dona nuptialia petitæ, satis probantur. In altero (XXXI, v. 103 seqq.) curru vehitur Venus floribus ornato et a columbis tracto; Amores avibus insidentes per auras iter faciunt. In oratione Veneris (X, 190—227), qua comitibus partes cuique agendas distribuit, rerum opulentia nimis studiose oculis exposita offendit. Tandem ad Mariæ ædes pervenitur, quæ puella tum maxime ex veterum Græcorum et Latinorum poetis, et, quod mireris, ex Sapphus carminibus, pudicitiæ exempla discebat. Pulchritudo matris et filiæ Veneris stupore exprimitur, adjectis similitudinibus haud ineptis; sed sequens oratio, quæ Veneri tribuitur (v. 252—281), quanquam non omnino displicet, oratorios magis lecythos sapit, quam simplicitatem et venustatem Venere dignam. Etiam in altero (XXXI, v. 116—138) Venus ad ædes Celerinæ tendit, easque floribus ornat et balsami odoribus implet; tum, puella ad juvenem e matris gremio deducta, junctisque illorum manibus, illum, ut precibus potius quam vi puellam aggrediatur, hanc, ne nimis juveni repugnet, adhortatur[1].

1. Sed ne semper Virgilium, Horatium aliosque poetas, quos melius ævum protulit, cogitantes, Claudianum præ illis fastidiamus, age comparemus illum cum Sidonio Apollinari, cujus duo epithalamia sunt, alterum Ruricio et Iberiæ, alterum Polemio et Araneolæ dictum. Quo facto, etsi non undique teres sit Claudianus et rotundus, maculæque offendant, quas adspersit recentioris ævi consuetudo, libenter tamen ab Sidonii frigore et jejunitate ad illum refugiemus. In priore carmine, quod nullam habet inventionis laudem, sed imitationem potius puerilem, incipit poeta a descriptione sedis Venereæ v. 1-13, cf. Claud. X, 49-51; et templi v. 14-26, cf. Claud. l. c. 85-91. Triton, quam Galathea comitatur, huc vehit Venerem; Amores sequuntur. Venerem

CARMINA FESCENNINA.

Ad quintum genus pertinent ea carmina, quæ in MSS. epithalamio Honorii et Mariæ vel præmittuntur, vel postponuntur. Inscripta quidem vulgo sunt *Fescennina;* quum autem in MSS. hæc inscriptio variet, num ea genuina sit, potest dubitari. Carmina sunt quatuor, nec, ut vel ex argumento patet, inter se cohærentia, ut quidam tamen statuerunt, in quorum primo principis pulchritudo celebratur, quæ tanta sit, ut omnes deas amore accendat, et vel Scythas et Hippolyten domet. In toto hoc carmine ne levissima quidem significatio occurrit, illud in Honorii laudem esse scriptum; sed potest ad quemcumque pulchrum Principem trahi. Cæterum non invenustum est, et inter optima Claudiani potest censeri. In secundo totus terrarum orbis ad concelebrandas nuptias invitatur. Priori forsan est postponendum. Tertium, quod scriptum est ad Stilichonem, frigidam continet sententiam, nec virtute poetica potest commendari. Venustius est quartum, nec solum ingenium Catulli, sed etiam lasciviam ejus spirat, verumque epithalamii titulum sibi potest vindicare.

dormientem (cf. Claudian. XXXI, 1 sqq. Nescis utrum in Tritonis dorso an in litus egressa dormiat) unus Amorum, e Gallia adveniens, suscitat. Locus hic non adeo inficetus est. Sed orationem ejus, v. 61-72, cf. cum Claudian. X, 116-122, et quæ Venus respondet v. 72-93 cum Claudian. l. c. 264-275. Sequitur descriptio currus, quem Venus junctis oloribus conscendit v. 93-110, comitatus v. 113-123. Compara porro v. 124-5 cum Claudian. XXXI, 116-123. Ubi Venus eo, quo destinaverat, pervenit, dextras jungit sponsi sponsæque fausta quævis adprecans v. 129-133; cf. Claudian. XXXI, 124-138. Alteri carmini sententia subest non absurda illa quidem, inde nata, quod Polemius philosophiæ erat deditus, æmulusque erat stoicorum, Araneola autem quum nomine, tum texendi arte notissimam poetæ fabulam in mentem vocaverat; tractatio est frigidissima. Araneola, quæ Minervam texto, quo philosophum tetricum irriserat, illusit, stoico in pœnam jungitur. Descriptio Minervæ, ejus thoracis, clipei reliquique habitus a v. 1-33. Deinde a v. 37-125 omnis philosophiæ historia, dogmatumque varietas percurritur. Cf. Claudian. XVII, 77 sqq. Sequitur vestium a Minerva textarum descriptio v. 126-145; tunc earum mentio fit, quæ Araneola fecit v. 150-178; ejusque, qua Minerva illusa est v. 181-184. Versus pauci, qui sequuntur, reliqua continent.

Barthius, quem secutus est Gesnerus, existimavit, illa carmina primo nuptiarum die a Claudiano esse recitata, quæ quum minus placuissent quibusdam severioribus, illum, ut ostenderet, se posse etiam altius quiddam et gravius canere, septimo die attulisse epithalamium, quod nostro ordine decimum est. Verum enimvero omnia hæc nituntur conjectura, cui ansam dederunt vers. 9, seqq. carminis IX, quam nec infringere nec confirmare operæ pretium videtur.

Porro illa carmina, quibus prælusit majoribus Claudianus novum genus constituunt, in quorum nonnullis ostendit, quid præstare potuisset, si Musis tantum, non Honorio et Stilichoni, cecinisset. Forsan suum quodque carmen e majoribus præfatiunculam habuit; sed quædam, quum colligerentur in unum fasciculum Claudiani carmina, jam interciderant; ut contra quædam præfatiunculæ exstare videntur, quæ ad illa carmina, quibus nunc præfigi solent, nullo modo pertinent. Carmen quidem IV, quod in fronte secundi in Rufinum carminis collocatum videmus, ad hoc minime spectat, quemadmodum jam Barthius recte observavit, neque magis ad aliud quodcunque eorum, quæ servata sunt. Quo, nisi omnia nos fallunt, ei carmini prælusum est, quod victoriam de Getis a Stilichone in Græcia reportatam celebrabat, ad quam non uno in loco Claudianus alludit. Nec credibile est, poetam, qui victos ad Pollentiam barbaros cecinit, illam cladem Getis illatam silentio prætermisisse, quum tam amplam laudandi Stilichonis materiam præbere potuisset. In hoc Musas invocat, et Apollinem ipsum, ut suæ sedis defensorem coronent, deinde argumentum carminis majoris, quod subinde recitaturus est, proponit, Stilichonemque rogat, ut canenti sibi aures præbeat. Sermo purus est et comptus, neque ornatu, neque doctrina molestus; sententiæ non operose quæsitæ, sed ab ipsa re suggestæ. Propter nimium tumorem minus placet carmen II, quod forsan interpolatione laborat. Jucundam quoque similitudinem continet VI, modo obliviscaris, deum illum Honorium fuisse, puerulum, undecimum vix ætatis annum agentem. Dignitas cum suavi-

tate egregie juncta est in carmine IX, et, si quid judico, ipsi epithalamio, cui præfixum est, illud est anteponendum. Minus placet carmen XVI, propter similitudinem nimis longe quæsitam, neque satis convenientem. Præfatio carminis XVIII non amplius exstat, qua tamen, ut ex Claudiani consuetudine colligere possumus, destitutum non fuit. Etiam secundum in Eutropium prælusionem habet ipso carmine longe meliorem. Carmen XXIII non tertio libro in Stilichonem, sed primo, præfigendum videtur, et ad omnes tres pertinuisse, nec ex XXII, 286 seqq. possis colligere, Stilichonem nondum Romæ fuisse, quum illa scriberentur. Non quidem invenustum est carmen XXV, sed venustius XXVII, si illud ipsum, non eum simul, in quem scriptum est, consideres. Elegantissimum sane XXXII habendum, quod principia, incrementa et perfectionem navigationis paucis versibus complectitur; sed ad librum, in cujus fronte nunc legitur, vix pertinet, neque magis XXXIV. Nihil enim in illis est, quod ad ea, quibus præmittuntur, possit trahi. Hoc autem omnes fere habent præfatiunculæ, ut iis aliquid insit, ex quibus tuto colligas, quorsum pertineant. Cæterum hæc duo carmina illi epico, etiamsi integrum ad nos pervenisset, virtute poetica palmam præripiunt, nisi dignitatem carminis decempeda metiaris.

DE RAPTU PROSERPINÆ.

Carmen epicum, quod vulgo *De raptu Proserpinæ* barbare, ut existimat Heinsius, qui *raptus Proserpinæ* corrigendum censet, inscriptum est, ab actione, quam voluit primariam poeta esse, titulum traxit, quem etsi nemo facile contendet esse genuinum, tamen similem illud carmen in fronte gessisse, docent verba Sidonii Apollinaris, quæ supra protulimus. Omnem disputationem ex illa quæstione ortam, num fabula de Cerere et Proserpina præbere potuerit materiam carmini epico satis idoneam, vanam puto et inanem, quum, quid ingenium aliquod felix et a natura benigne

instructum possit efficere, definire nequeas, nec, si vel pluribus conata haud prospere cesserint, inde sequetur, argumentum, quod incassum toties tentatum sit, ab hujusmodi tractatione prorsus abhorrere. Recte quidem dixeris, quo uberior res sit, quam tibi proposueris, eo faciliorem reddi laborem, quippe quia in rerum copia, electione tantum opus sit et diligenti compositione : ingenium tamen fons est rerum inexhaustus, unde semper depromi possunt, quæ argumento desint, ita ut nihil tam simplex sit et tenue, quod non tractatione fieri possit uberius. Quid? Iliade penitus incognita, si quis iram Achillis cum Proserpinæ raptu animo contenderet, utram rem et graviorem et uberiorem judicaret? Quæ quum ita sint, neminem movere debent, quæ Walchius contra disputavit[1]. Quin, qui neget, actionem illam non tam quidem per se, quam propter ea, quæ secuta sunt, esse gravissimam, arbitror esse neminem. Quid enim magis, non ad certam aliquam gentem, sed ad omne genus humanum potest pertinere, quam agriculturæ inventio, unde semina simul omnis humanitatis vitæque cultioris et sparsa sunt, et effloruere. Hanc rem ita tractare, ut admiratio inde et delectatio auditores et lectores capiat, poetæ est ingeniosi. Num autem hoc omnino fieri potuerit in actione, in qua deorum tantum partes sunt, nec affirmaverim nec negaverim. Quid fieri potuerit, nemo facile dixerit; quid factum sit, facilius dijudicabitur. Sed mihi propositum non est, ad præcepta, quæ artis scriptores excogitaverunt, Claudianum exigere, et ut alter Procrustes, quæ lectuli modulo minus conveniant, vel amputare, vel dilatare; verum ut unus de multis, non de schola, neque a magistro, quæ mihi probentur, quæve minus, candida mente profitebor. Sunt quædam principia veri et pulchri, in animis hominum insita, quibus ut quique proxime accedunt ad naturæ simplicitatem, ita maxime quasi impetu quodam cæco reguntur, quanquam

1. In libello, cujus est titulus : *Uberioris commentationis de Claudiani carmine de raptu Proserpinæ inscripto specimen*. Goettingæ, 1770, 4.

illorum ab omni rerum copulatione remotorum sibi conscii non sint. Illa citra rerum complexum animo sibi proponere, aliaque ex illis ratiocinatione deducere, accurate definire, ad genera et classes revocare, artemque inde efficere, recentioris, et nostræ maxime, erat ætatis, judiciique maturitatem requirebat et quasi principatum, quem temporibus antiquis imaginandi vis et ardor aliquis animi obtinuerat. Quæ quidem ante oculos habere, quum veterum monumenta legas, ad multas res utile est, præcipue autem id præstat, ut intelligas, tenerum et incorruptum naturæ sensum in hominibus, certum aliquem ingenii cultum rerum quadam felicitate nactis, sed pristina morum simplicitate nondum amissa, plus efficere potuisse, quam subtilissimas de arte disputationes, quibus nostra ætas onerata est et laborat. Videamus jam, quemadmodum poeta argumentum sibi propositum persecutus sit.

Contra Horatii[1] eorumque, qui Horatium secuti sunt, de carmine epico præcipientium normam atque regulam, non moderate et modeste Claudianus orditur, sed spiritu quodam vehementiore animi, divino afflatu concitati, principio statim incedit et speciem potius vaticinaturi, quam narraturi, præ se ferre videtur. Quæ ratio quum acriter sit a quibusdam notata[2], dispiciendum est, num habeat, quo se quodammodo tueatur, aut num aliquid sit, quod poeta sequi potuerit. Nempe ea erant canenda, quæ magnam partem apud inferos fuerant gesta. Hæc sine monitu divino scire poeta non poterat, animum igitur ab Apolline occupatum fingit, mentemque priorem penitus expulsam, seque inter earum rerum species repente delatum, quas erat expositurus. Hanc animi concitationem subitique furoris accessum exprimit imaginum obscura et confusa significatio, quæ oculis de improviso sunt obortæ, atque illa fictio,

1. Horat. Arte Poet. v. 136 sqq.

2. Walchius l. c. p. 24, versus 1-19 non decori sed dedecori esse carmini putat, eoque jam absoluto cum nimio studio a poeta adfictos atque operi adjectos.

qua in templum Cereris Eleusiniæ delatus sibi videtur, iisque sacris interesse, in quibus actione quadam oculis ea proponebantur, quæ argumentum carminis constituunt. Jam sibi redditus, quanquam mente adhuc commota, deorum inferorum veniam precatur, ut sibi, quæ viderit, cum aliis liceat communicare. Hoc enthusiasmo, quo poeta consilium atque argumentum carminis proponit, lectoris animus necesse est vehementer commoveatur, exspectatioque intendatur, quam deinde ne destituat narratio ipsa, etiam atque etiam cavendum est. Verum nequaquam illa frustrabitur lectores, si rerum expositio ita est temperata, ut admirationem moveat, sustentet, sensim augeat, animum spe et timore suspensum teneat, novaque semper voluptate permulceat, etiamsi impetus, quo opus est inceptum, in sedatiorem narrationis habitum, rebus exponendis aptum, abierit. Cogitemus igitur poetam repentino numinis instinctu mente solita emotum, novisque rerum imaginibus, quæ ei aliæ post alias suboriuntur, stupentem et conturbatum, rerum novarum multitudine et mole plane oneratum, conditionemque suam in universum tantum indicantem, potioraque capita eorum significantem, quæ ante oculos versantur. Narratio, quæ sequitur, videri potest ejus, qui resipuerit, aliisque, quæ viderit, animo rursus composito et quieto exponentis. Hanc rationem secutus esse videtur inter alios Wielandus, in carmine *Oberon* inscripto, quem nemo sanus, nisi qui veterum exemplis prorsus acquiescendum, Horatiique præceptum semper et ubique sequendum putat, nulla rerum naturæ ratione habita, hoc nomine vituperabit. Quæ quidem veteres in ratione et disciplina pulchri instituerunt atque sanxerunt, plerumque sunt ejusmodi, ut ipsius naturæ dictata, a quibus non sit recedendum, existimari debeant; quorumdam autem ratio ea est, ut certis tantum rebus adstricta perperam ad omnia quæcunque transferantur. Quemadmodum nemo negabit, veteres in pulchro et venusto dijudicando plus vidisse, et sensisse acutius, quam nos, qui a naturæ simplicitate remo-

tiores, variisque opinionibus et institutis, pravo more receptis, corrupti sumus; sic stolide antiquitatem admirantis est, arbitrari, veteres omnem rerum naturam exhausisse novisque commentis nullum locum reliquisse. Hæc sufficiant ad carminis epici prooœmium contra eos defendendum, qui, ut frigidi grammatici, non rationibus pugnant, sed præceptis tantum nituntur, quæ apud veteres legerunt. Quum autem per se intelligatur, principium carminis, illa ratione constitutum, quanquam natura sua lyricum sit, lyricumque dicendi genus postulet, non ita tamen comparatum esse debere, ut a reliquo corpore, tanquam pannus inscite adsutus, dissideat, sed transitum mollem atque facilem habere, ut quasi genuinum totius membrum videatur; Claudianus in hoc minus ferendus est, qui, ut alia, quæ ad dictionis genus pertinent, omittam, non probanda, clivo molli seu per gradus non descendit, sed plane ab alto in lutum, ut aiunt, se præcipitat. Quis enim ex hoc principio hujusmodi narrationis initium (v. 32), quo anus auspicari solent nænias suas, æquo animo potest ferre? Sed satis de prooœmio; videamus totius carminis dispositionem.

Inducitur statim Pluto ira commotus, quod solus ex diis connubio egeat, ejusque jussu monstra inferna contra superos bellum parant (v. 32—41). Quum jam omnium rerum confusio ex hac contentione immineret, Parcæ, ad pedes illius abjectæ, rogant et obtestantur, ut a Jove conjugem petat, nam repulsam eum laturum esse negant (v. 41—67). Verecundia precantium motus, per bonam gratiam obtinere statuit, quod vi sibi conciliare paraverat (v. 67—75). Jam quæritur, cur ira Plutonis tam repente et tantopere excanduerit? Num jam precibus ante, et sæpius, rem tentaverat incassum? Et, si tentaverat, quod tamen nusquam significatur, quanam re motus Jupiter, siquidem omnino id negare potuerit, negavit? Deinde, si Parcarum arbitrio omnia subjecta sunt (v. 51—53), cur ad pedes Plutonis accidunt supplices? Possis dicere, non Deorum res, sed hominum, omniumque rerum, quæ in terris sunt, ad arbitrium Parca-

rum ex mente poetæ pertinere (v. 55—63); sed si dissolutionem *legum pacis firmatarum* (v. 64), quarum auctores Parcæ se profitentur, quum ex iis, quæ statim sequuntur, tum ex superioribus (v. 42—47) explices, rerum omnium complexum ab nutu et arbitrio Parcarum pendere Claudianus finxit. Cf. v. 215—217. Tandem, si futuri erant consciæ, quid omnino belli apparatu erat opus, quandoquidem eæ tantum a Plutone fuissent consulendæ? Quæ quum ita sint, apparet, totam rem non satis accurate a poeta fuisse expensam. Sunt præterea, quæ notatu digna videantur, præcipue displicet comparatio (v. 69—75) per se satis bona, sed loco inepto.

Mercurio propere accito, declamationem Pluto, ex rhetorum subselliis petitam, detonat, qua satis superbe Jovem increpat, bellumque minitatur, nisi obtemperet imperataque faciat (v. 89—116). Jupiter, perlatis mandatis, terrore forsan perculsus, postulatis annuit; illo tantum angitur, quæ tandem illud conjugium sit secutura? Sed ecce, cogitanti, animumque in omnes partes versanti, pulcherrimum scilicet suboritur consilium (v. 117—121)[1]. Quæ sequuntur de Cerere et Proserpina (v. 122—140) satis bona sunt, quibus indicat poeta, unicam Cereris filiam Proserpinam esse, matrique carissimam, jam ab Apolline et Marte in matrimonium

1. Operæ pretium est legere, quæ Walchius (l. c. p. 45) protulit: « Actionis vero ingressus jamjam magni et gravis aliquid habet, rationi, omnem rem inveniendo ac disponendo ita convertendi, ut non modo lectoris animus, sed poetæ quoque spiritus in elaborando argumento excitetur atque inflammetur, profecto accommodatissimus. Pluto non amoris dulcedine captus, sed invidia erga fratrem suum excitatus, conjugem desiderat, quæ ei solatium quasi in tenebris suis esse, mœstamque ipsius sortem tolerabilem reddere possit. Eo minus igitur desiderium, quo ille flagrat, iniquum videtur, ex quo justioribus causis adjungere sibi velit uxorem. Quid mirum igitur, ut iracundia ille exardescat et severe minetur, nisi Jupiter voluntati ipsius satisfaciat. Quid mirum, ut tota inferorum cohors principis ipsius causam suscipere ac defendere velit? Quum igitur Plutonis iram ex iis causis deduceret poeta, quæ et alios cum eo conjunctos ad ultionem sui commoveant; eo effecit, ut ejusmodi res et casus et pigmenta sese ei offerrent, quæ animum excitare

petitam, quos tamen mater repudiaverit, illamque puellam, quum raptus ejus tum maxime timeretur, in Sicilia, loco aliquo ante præparato, a matre fuisse absconditam. Sequitur locus communis de Sicilia ejusque insulæ natura, cujus descriptione, velut gemmula, carmen poeta distinguere studuit, non quidem omnino aliena, sed tamen frigidiuscula (v. 140—157). Ætnæ montis descriptio (v. 158—168) alienior est, aptiorique fortasse loco (III, 330 sq.) potuisset inseri, sed sequentes versus, quibus physices doctrinam ostentare videtur, mihi quidem non solum frigidissimi, sed plane absurdi videntur. Cæterum vix attinuit, Siciliæ nobilitatem tantopere celebrare, quum obscurus aliquis angulus Cereris consilio accommodatior fuisset, id quod Ceres ipsa sentit seroque profitetur (III, 120, sqq.).

Filia, ut putabat Ceres illa quidem, bene abscondita, iter facit per aerem ad Cybelen in Phrygiam (v. 170—211). Quod quum Jupiter vidisset, Venerem arcessit, eamque jubet postero die Proserpinam, dolis circumventam, in campum deducere; simulque hortatur, ut fines imperii sui etiam apud inferos proferat, ita ut vel Furiæ amoris vim sentiant (v. 212—226). Mirationem quidem, verum minime

et capere possent. Itaque puto Claudianum in instituendo carminis ingressu optime versatum esse, quippe qui eo rem tractandam inde ab initio statim ad eam sublimitatem et dignitatem extulit, quæ actioni, poemati heroico subjectæ, propria sit, necesse est, et poetam ad eas res deducit, in quibus pulchre adumbrandis ingenium illius excellere optime potest. Sed

Parcæ vetuere minas —

Quam apte, ut Parcas ad leniendum et flectendum Plutonis animum adhibuerit poeta! Quum enim Parcæ nihil aliud quam ordinem, in rerum natura legibus sanctissimis semel constitutum, significarent, legesque illæ, superorum, qui eas tulerant, discordia ac bello tolli atque everti possent, quis alius majori cum dignitate et feliciori successu rem illam suscipere poterat, quam Parcæ? Quæ quidem erant, quarum precibus obsequi et obsequendo omnem dignitatem et majestatem obtinere Pluto poterat, quum summis maximi momenti argumentis revocare eum illæ studerent.

Ne pete firmatas pacis dissolvere leges,
Quas dedimus nevitque colus .... »

epicam, hoc loco facit consilium a Jove initum, quod a Venere perficitur ita, ut Pluto, in cujus gratiam omnia fiebant, ne minima quidem significatione certior fieret, quodque ille iter statim ad illum locum molitur, in quem Proserpinam Venus erat deductura; quem ut scire posset tantum aberat, ut plane etiam ignoraret, quid Jupiter statuisset. Qui potest poeta epicus illa prætermittere, quibus omissis vel vulgaris narratio manca fiat!

Venus in Siciliam properans, adjunxerat sibi comites Minervam et Dianam totius consilii ignaras. Cur hoc factum sit, docemur infra (III, 209) ex mente nutricis (v. 229—236)[1]. Exspectari poterat, poetam descriptionem ædium, in quibus Proserpina delitescebat, non esse omissurum, idque potissimum commemoraturum, quantopere latuerint consilio Cereris accommodatæ; sed palatium a Cyclopibus structum finxit quum opere firmissimum, tum materia magnificentissimum (v. 237—245). In illis Proserpina telam texebat, in cujus artificio describendo Claudianus Ovidii more luxuriatur (v. 246—265). Lacrymæ subito obortæ faciunt omen (v. 266—268). Deæ cardine verso intrant, subitusque rubor, in quo describendo quatuor versus impenduntur, Proserpinæ faciem tingit (v. 269—278). Jam aures cupide arrigimus, ut percipiamus, quomodo Proserpina deas exceperit, quam fraudem Venus molita sit, ut miseram illam et comites falleret; sed frustra, reticentur hæc, et ruboris descriptioni hoc tan-

1. Walchius (l. c. p. 47) ait, Proserpinam eo facilius decipi potuisse, quod Venus cum Diana et Minerva, et virginibus et armatis, ad illam venisse inducantur. Bene hoc. Sed idem multi jam ante Claudianum finxerant. Inde, pergit, Claudiani Proserpinam magis deplorandam nobis videri, quam Proserpinam Ovidii. Hanc enim sponte sua ex claustris, in quibus condita a matre fuisset, in apertum campum se conferentem omnibus, quæ evitare ex matris consilio ea debuisset, periculis sese objecisse (Quid hoc est! Apud Ovidium non abdita a matre est Proserpina, nec eam vetuit mater domo exire, sed ipsa voluit virgo manere [cf. Ovid. Met. V, 376 sq.]); illam vero non nisi dearum, in quarum societate tutam sese putaret, quarumque precibus resistere non posset, consilium esse secutam.

tum adjungitur, noctem venisse. Quæ hoc loco desideres, infra (III, 207, sqq.) Electra ex parte narrat. Contra miraberis, Plutonem, qui de Jovis consilio nondum erat edoctus, nec sciebat, Proserpinam sibi destinatam, nec ubi gentium illa moraretur, nihilominus tamen iter ad superos parare, equosque curru junctos jam paratos ante fores habere.

Sequitur liber secundus. Luce nondum orta, Proserpina cum deabus Hennam petit, monstris nequidquam monita (v. 1—10). Frustra quæris, qua re sit adducta, ut matris præcepta negligeret. Quo divinationi lectorum relicto, in cultu, quo Proserpina et deæ fuerint ornatæ, describendo non invenuste Claudianus occupatus fuit (v. 11—54). Euntibus additur nympharum agmen, inter quas Cyane eminet (v. 55—70). Henna, quum vidisset illas adventantes, Zephyrum rogat, ut vallem, per se jam amœnam, arboribus, herbis, floribus exornet exquisitissimis (v. 71—117). Satis bene hunc locum tractavit Claudianus, sed singulis ex seculi ingenio nimis operose persequendis simplicitatem neglexit. Dum virgines in floribus legendis sunt occupatæ (v. 118—150), subito fragore terrentur. Pluto nempe, cujus currus misero Encelado, vix Ætnæ molem sustinenti, altos sulcos imprimit (quale phantasma!), exitum quum quærit nec invenit, trabali sceptro terram ferit, omniaque gravi motu concutiuntur (v. 151—185). Terror occupat supera (v. 186—192). Equi primum in sole caligant, mox lucis patientes et verbere incitati iter celeriter perficiunt (v. 192—203). Proserpina in currum rapta, Minerva et Diana raptorem invadunt; illa minaciter eum increpat, jamque missura erat hastam, sed fulmine a Jove misso deterretur (v. 204—233). Quidnam Veneri acciderit, utrum cum reliquis aufugerit, an partes mutas egerit, in dubio est relictum. Oratio, qua Proserpinæ valedicit Minerva, dolores habet nullos sed multum artis (v. 234—246). Sic quoque docte lamentari vicemque suam lugere Proserpina didicit (v. 247—272). Tandem Pluto, nunc quidem primum amoris accessum sentiens, lacrymisque Proserpinæ commotus, eam solatur et elysii descriptione,

et spe potestatis futuræ (v. 273 — 306). Tandem nuptiæ apud inferos omni, qua par est, lætitia et festivitate celebrantur (v. 307 — 366); nec pronuba deest, cujus vices Nox suscepit, nec epithalamium.

Librum tertium deorum concilio Claudianus orditur, quod frequenter occurrit apud poetas. Jupiter convocaverat deos, ut eos vetaret minis gravissimis adjectis, raptorem Proserpinæ matri filiam quærenti indicare, ut coacta omnes terras peragraret, votique compos tandem facta, indicioque læta, hominibus fruges impertiret: se nempe olim auream ætatem sustulisse, ne homines otio et torpore conficerentur, corporisque et animi vires in quærendis vitæ necessitatibus exercerentur: nunc autem naturæ almæ precibus, ut sibi liceret, egestati humanæ opibus suis subvenire, sese cedere (v. 1 — 65). Comminatione igitur Plutonis, Jupiter cogitur suam ipsius filiam prodere, hancque rem malam in bonam vertit hominibus, Cereremque erroribus insuper fatigat, ut illis melius tandem sit. Jam quoque quæras, quorsum tandem tot tantique errores? Nonne et sine his, præmio judicii statim proposito, Ceres fruges terræ dare poterat? Equidem habeo, quod ex antiqua illa fabula respondeam, vellem tamen me a poeta vel verbo esse monitum. Sunt præterea plura, quibus elucet, poetam de consilii ratione non nimis fuisse sollicitum, et ingenio, quatenus in rebus inveniendis se exerat, acumen defuisse. Interim Ceres somnia videt complura ex ὀνειροπόλων disciplina quasi subnata, quorum alia aliis clariora et significantiora erant. Cæterum numen aliquod somnians ab aliquo poeta fuisse inductum, nunc quidem, quum hoc scribo, legere me non memini. Tandem ipsius filiæ imago oboritur cubanti, matrisque incuriam non quidem immerito, sed paullo tamen vehementius, quam filiæ par esset, incusans macie confecta catenisque onerata (v. 66—110). Quibus rebus excitata Ceres, ut, quemadmodum ipsa profitetur, securiorem filiæ locum prospiceret, animo calamitatem jam præsagiente, Cybelem matrem reliquit, et in Siciliam itinere per aerem facto festinat (v. 111—

136). Moræ omnis impatientia anxiusque matris animus bene est expressus (v. 137—145); nec minus ipsa attonita gravissimoque dolore subito oppressa, ubi ædes apertas et desolatas invenit (v. 146—164). Comparatio, quæ sequitur, minus est apta (v. 165—169). Incidit tandem in Electram, nescio cur, latentem, quæ lectori non nunc demum innotescere debuit; qua visa Cereris dolor in exclamationes et interrogatiunculas, ostentationi comparatas, erumpit (v. 170—192). Longam Electra narrationem incipit earum rerum, quæ partim in scena jam erant actæ, partim agendæ potius, quam narrandæ, fuissent, partim novæ sunt, ut Cyanes in fontem mutatio, fata Sirenum, quæ adeo obscura proferuntur, ut ex illo quidem loco vix possint intelligi (v. 193—253). Ceres, quæ cum tigride, cui catuli sunt erepti, comparatur, Olympum adit, primoque vehementer vociferando et increpando, deinde misericordia deos, inprimis Latonam, commovere studet, ut, ubi Proserpina sit, indicent. Qua re ubi nihil perfici vidit, omnes terras se pererraturam esse minatur (v. 260—329). Quo facto, vadit ad Ætnam, ejusque igne duas pinus excisas accendit, iterque meditatum ingreditur. Hæc ad alia, vel graviora, relata fusius tractata sunt. Reliqua desunt.

Ex hac brevi carminis totius descriptione, cuique erit perspicuum, multa esse, quæ ad narrationis perfectæ atque absolutæ facti cujusdam notionem, animo et mente conceptam, exacta reprehendi possint; non pauca enim adeo manca sunt, ut putes, quædam in duobus primis libris intercidisse, aut poetam, ut fieri solet, quasdam tantum partes prima statim cura, prout vel in hac, vel in illa re opus facilius succederet, perfecisse, cæteras secundis curis reliquisse, sed vel morte, vel aliis rebus præpeditum, ad incudem revocare opus non potuisse. Nec dispositio admodum placet, etiamsi id vitio verti non possit, quod præcepta, quæ ex rerum ordine et collocatione ab Homero et Virgilio adhibita, deducta sunt, Claudianus non sit secutus. Illa enim collocatio pro argumenti ratione varia esse potest,

semperque probatur, si virtutes habet illas, quibus expositio epica destituta esse omnino non debet, ut exspectationem et excitet, et augeat, et teneat. Ipsæ quoque personæ, quæ inducuntur, quanquam et indole et moribus diversæ sint, actionis varietatem nihil fere augent, prodeunt tantum, ut oratiunculas declamitent, quas nisi respicias, statuæ plerumque sunt inanimes in scena ornatus causa positæ, non actores fabulæ. Partes quoque, quas poeta illis tribuit, et mores, quos affinxit, dignitati, qualem quidem poetæ antiquiores singulis statuerunt, non satis convenire videntur. Jupiter ille pater deum, Plutonis minis anxius et confusus, displicet, multo magis timoris turpitudinem falsa oraculorum necessitate celans, et principio tertii libri Thrasonem in deorum concilio agens. Quid de Plutone dicam ira æstuante sine ulla causa idonea, bellumque non indictum et quasi ante res repetitas superis movente? Proserpina, pulchra quidem puella et simplex, sed nulla re, qua animos in se convertat atque aliqua ratione sibi conciliet, insignis, telam texit, flores legit et rapitur; verum nisi rapta clamasset, fidemque deorum et matris implorasset, vix tandem esset, quod vices ejus doleremus. Mater sola lectoris mentem occupat, proculque dubio primas actionis partes sustinet, variæque animi commotiones, quibus agitatur, convenienter sunt expressæ. Illa sola est, cujus caritate, qua ducitur in filiam, suaviter afficiamur, cujus conditio, etiamsi incogitantiam ejus culpamus, nobis curæ sit, quacum indignemur et irascamur, quamque libenter per orbem terrarum errantem secuti essemus, nisi illa carminis pars, quæ errores ejus continebat, intercidisset. Cæterum in toto carmine nulla inest animi magnitudo cum ipsius fati necessitate colluctans, qui animus justus et propositi tenax ne oppressus quidem flectatur, cujus vivo quasi exemplo discamus, quantum valeant vires humanæ; nullum certamen virtutum cum vitiis, quod vehementer ad nos pertinere arbitramur; nullæ insunt difficultates aliæ post alias continuo obortæ, quæ, quamvis putasses eas insuperabiles, tamen

ratione improvisa superantur; nulla deorum miracula et interventus, quibus res humanæ subito subvertuntur, exitusque novos et inexspectatos nanciscuntur; nulla denique oracula, quæ ambiguitate sua primum homines in fraudem agunt, deinde aliis ejusdem argumenti illustrata, rursus in rectam viam eos deducunt, tandemque rerum fide probantur. Hujus generis quidem aut plura aut omnia argumenti ratio, in quo dii tantum partes sustinent, non admittit[1]; nihilominus tamen inde non potest colligi, illud epicæ tractationi omnino fuisse ineptum, quum hoc tantum exploratum habeamus, finem epici carminis et admirationem esse et delectationem, parum autem intersit, quibus rebus ea efficiantur, nec, quia vulgaris ratio, in Homero et Virgilio adhibita, locum habeat nullum, sequetur, nulla omnino id fieri potuisse, nisi aliorum ingenia nostro modulo metiri sustineamus. Iniquius, mea quidem de sententia, comparationem Claudiani cum Ovidio instituit Walchius, quum hic diversum plane consilium sit secutus, ad quod si ea, quæ tradidit, exigas, totam Ovidii rationem optime constare mecum senties. Nihil sane in illa de Cereris et Proserpinæ fatis narratiuncula, cujus in summa facilitate, non in epica dignitate, laus consistit, occurrit, cujus causam non videas, adeo, ut non solum res gestæ legantur, verum etiam intelligan-

1. Hoc ex parte jam vidit Walchius (l. c. p. 49), qui existimat Claudianum hoc vitio laborare, quod omnem actionem, nullis pæne rebus impeditam, nimis celeriter peractam proposuerit. Pergit (p. 51): «Nisi Pluto ipse ex deorum et eorum quidem, penes quos summa potestas erat, numero fuisset, et nisi omnis res inter deos ipsos acta esset. Id quod vero poetæ eam, quam secutus est, rei tractandæ rationem tanquam legem imposuit, nisi quid, quod dignitati, sanctitati et majestati deorum non conveniat, committere ac tradere vellet. Dii enim in Claudiani carmine non eorum instar, quibus poeta modo ad involvendam et dirigendam actionem utitur, sed tanquam ipsa numina apparent, quæ, a communi hominum natura plane remota, summa pietate (!?) ab omnibus celebrantur. Omnis igitur a poeta cautio adhibenda erat, ne actionem sive rem aliquam iis adscribat, quæ a sancta atque augusta eorum natura plane abhorreret. Omnia porro, quæ agebant numina, eadem sanctitate et potestate ab eo erant repræsentanda.»

tur, nihil omissum deprehendes, quod ad rerum gestarum illustrationem pertineat [1]. Ingeniosa certe, ut hoc solo utar, et naturalis est illa ratio, qua Pluto apud Ovidium in amorem incidit; apud Claudianum cæcus ille est et subitus impetus, quo præceps agitur, cujus nec causa, nec ratio, nec incrementa cognita sunt. Frugum quoque repertio est illa quidem res maximi momenti, unde omnis ingeniorum cultus, omnes cœtus civiles, omnisque humanitas originem duxit. Sed gravitas ejus summaque dignitas non cuivis satis obvia est, sed perpendenti tantum et eorum, quæ inde secuta sunt, seriem animo consideranti. Quæ quum paullo remotiora sint, nec poeta id egerit, ut hæc lectori succurrerent, factum est, ut tota res minorem ad animum vim haberet. Omnino fabula est ejusmodi, ut tractantem copia

1. Apud Ovidium (Met. V, 341 sqq.) Calliope narrat Proserpinæ raptum. Ad gravitatem argumenti significandam, in principio narrationis eorum mentionem facit, quæ raptum secuta sunt, frugum repertionis et mitioris hominum cultus per illam facti (v. 341 - 5). Typhœo Ætnæ molem impositam urgente, Sicilia gravi terræ motu concutitur. Pluto manibus timens prodit, terræque fundamenta explorat. Hunc videt Venus Erycina, Cupidinemque incitat, ut imperium commune, quod jam a superis quibusdam spernetur, apud inferos proferat, Plutonemque amore incendat (v. 346-379). Vulneratus Pluto Proserpinam videt per prata ludentem, visamque rapit (v. 380-396). Brevitas narrationis ipsam amoris instillati vim exprimit. Æqualibus frustra clamantibus, Pluto cum præda avolat, inciditque in Cyanem, iter vi impedire tentantem; sed ictu sceptri terram aperit et in hiatum equos præcipitat; Cyane in aquam mutatur (v. 397-436). Interea Ceres, filiam quærens, omnes terras peragrat, et quum in Siciliam rediisset, Cyane, ad cujus aquam restitit, quia loqui non amplius poterat, zonam Persephones in summo gurgite ei ostendit. Quo facto irata, Siciliam sterilitate damnat (v. 437-486). Tandem ab Arethusa docetur, terram esse insontem, se, dum per loca inferna laberetur, vidisse Proserpinam Plutoni matrimonio junctam (v. 487 - 508). His auditis, Ceres in Olympum tendit, Jovemque etiam atque etiam rogat, ut filia sibi restituatur. Ille dignitate, quam filia nacta sit, matrem solatur, fatique necessitatem excusat, qua redire ipsi non liceat, si apud inferos jejuna non mansisset. Jejunium autem illam non servasse proditur ab Ascalapho. Jove tandem se interponente Pluto passus est, ut Proserpina per vices, anni dimidium a se abesset. Conf. Ovid. Fast. IV, 401 sqq.

rerum magis quam inopia urgeat; est enim multorum poetarum perpolitione trita atque decantata, variique mythi cum illa conjuncti sunt, qui non solum ad argumenti dilationem atque amplificationem, sed etiam ad ornatum et varietatem pertinere possint. His Claudianus quidem usus est, minus tamen ad actionem variandam et multiplicandam, quam ad rerum descriptiones facultatisque oratoriæ ostentationem. Quod enim ex omnibus carminibus, paucis tantum exceptis, constat, etiam ex hoc elucet, Claudianum neutiquam ingenio destitutum, sed totum illud consumptum esse in elocutione, ita ut inventioni vacare non posset.

EPISTOLÆ.

Sequuntur epistolæ, quarum dignitatem reliquis carminibus inferiorem putat Gesnerus adeo, ut existimet, sibi rogandum esse lectorem, ne ex illis virtutes Claudiani ponderet, seu ne arbitretur, quoniam superiora egregia fuerint, etiam has sibi esse imitandas. Moverunt illum virum doctissimum ea, quæ olim solebant quum de universo epistolarum genere, tum de epistolis poeticis disputari, omnibus ad Ciceronis et Horatii epistolas relatis. Sed nec Cicero tenui et incompto scribendi genere semper usus est, verum ad res, personas et tempora accommodato; neque Ovidius, qui illud genus præcipue exornavit, nusquam exsurgit sermoneque utitur exquisitiore. Quæ quum ita sint, Gesnero assentiri non possum, quanquam non is sum, qui putem, in illis epistolis poeticis luculenta facultatis poeticæ specimina Claudianum edidisse. Si a scribendi genere recedas, quod nimis quæsitum interdum adeo tumet, illa carmina minime in postremis ejus sunt habenda, et illud ad Olybrium, in quod inprimis censoris severitatem destringit Gesnerus, mihi quidem non admodum displicet, quum reputem, epistolam esse ad poetam et oratorem copiosum et grandiloquum (v. 3 sqq.), cujus judicio et voluntati vel in literis conscribendis esset serviendum. De prima epistola,

seu carmine XXXIX, jam supra locutus sum; quæ restant, ad dicendi genus Claudiani universum pertinent, de quo infra sermo erit.

EIDYLLIA.

Veniamus jam ad illa carmina, quæ *Eidyllia*, nomine satis indefinito, vocantur, narrationes et descriptiones similes quibusdam, quæ Statii silvis continentur, illisque Ausonii carminibus, quæ sub eodem nomine venduntur, continentia. Habent hoc peculiare, quod rem aliquam, vel minus notam, vel memorabilem, exponunt, aut aliquid vel a natura, vel ab arte profectum describunt. In toto hoc genere sæpius accidit, ut poetæ pictorum officia et munus occupent, in eoque nequidquam laborent, quod poeseos ratio non possit efficere. Descriptio enim alicujus rei verbis instituta, quæ necessario fit partibus aliis post alias descriptis, quarum priorum imagines vel deletæ sunt, vel obscuriores factæ prius, quam ordine ad posteriores veneris, tam vivida et luculenta esse nullo modo potest, quam ejusdem imago, lineamentis et coloribus in tabula aliqua expressa, oculisque exposita. Imaginandi vis in ordinem quasi coacta et coercita, facultate libere agendi exclusa, incassum laborat ea repetere, seu retinere, quæ jam exstincta sunt, seu evanescunt, atque inde frigus animis oboritur, quod vel splendidissimæ dictiones non possunt defendere. Videntur hæc carmina ad ea pertinere, in quibus plerumque ingenii periculum facerent, qui versibus scribendis operam dare instituerent, aut jam exercitati, in hac re otium fallerent. Fortasse etiam hoc genus in grammaticorum scholis natum est, quum magistri discipulis rem aliquam, a vetere aliquo poeta paucis tantum versibus tractatam, imitandam, variandam, omnique ratione locupletandam proponerent. Hinc a poetis recentioribus, ingenio non admodum abundantibus, sed sermonis poetici artem probe edoctis, retentum est, studioque singulari excultum. Narrationem continet primum carmen, quod inscriptum est *Phœnix*, et septimum, in quo exponitur pium

facinus duorum fratrum, qui parentes suos senes, in Ætnæ montis eruptione, humeris sublatos servarunt. Reliqua vel rem aliquam describunt, vel narratiunculam descriptioni adjunctam habent. Quanquam acumen quæsitum, doctrinæ ostentatio, et miraculorum studium in omnibus se exserat, tamen, si verum fatendum est, hæc parva carmina illis longioribus, in quibus rhetor se jactat, longe præstare videntur. Colorem, quo scholæ infecerunt poetam, etiam in his videas, præcipue in secundo et quinto, quibus principia obtigerunt magis ab oratoris, quam a poetæ facultate profecta; sed in hoc, Martis et Veneris, quorum ille ex ferro, hæc ex magnete erat facta, connubium eleganter est descriptum, nec sine voluptatis sensu legetur. Quartum carmen in fine mancum est, pannumque, ni fallor, stulte assutum habet. Pars ultima, quæ periit, descriptionem Nili exundantis, faciemque Ægypti inferioris in mare, insulis innumeris consitum, mutatæ, continuisse videtur. In descriptione Aponi fontis, quod argumentum est sexti carminis, passim virtutes et vitia Ovidii agnoscuntur; est tamen ex omnibus thermarum descriptionibus, quæcunque apud veteres leguntur, et multæ ad nos pervenere, longe optima. In ultimo, quod ex piorum fratrum, quorum statuæ apud Catinam fuisse dicuntur, contemplatione natum est, Claudianus poetis recentioribus exemplum proposuit, quomodo pulchrum artis statuariæ opus pulchre possit describi. Sed de hoc carminum genere hactenus; properemus ad reliqua.

EPIGRAMMATA.

Carmina minora varii argumenti variæque dignitatis, quæ communi epigrammatum nomine vulgo complectuntur, adhuc restant. Ex his salem habent et urbanitatem XXIV in Alethium quæstorem, et XXVII in Jacobum Magistrum equitum. Illius versus Claudianus riserat, rationeque ironica iram ejus deprecatur; hunc per omnes sanctos, Religionem forsan Christianorum ridens, rogat, ne criti-

cum agere velit versuum suorum. Item XXIX satis lepidum est, ex ambiguitate vocis *pedis*, in podagricum de versibus claudicantibus judicantem. Aculeum quoque habet XXX in Theodorum et Hadrianum. Mordacia sunt, sed lasciva obscœnitate, XXV et XXVI in Curetium. Ex his omnibus, et Alexandrinum Nostrum fuisse, et dicacem tuto colligas, quæ sane Martialis carminibus non sunt inferiora. Huc pertinet quoque XLII nimis obscurum. Brevem sententiam continent et acutam XXXIX, XL et XLI.

Ex illo genere, quod rei naturam lepide exprimit, sunt VI, VII, VIII, IX, X, XI, XII latina, et XIII, XIV græca de Crystallo inscripta, a diversis forsan auctoribus profecta. In quibusdam acumen nimis quæsitum est, et XVIII in sphæram Archimedis. Inventio est venustissima. Jupiter sphæram illam admirans inducitur.

Elegans sententia continetur carmine V in concham, e qua Serena lavatur. Huc pertinet quoque XXXIV de balneis Quintianis.

Pro epigrammatum natura, nimis forsan longum est I et II, quorum primum mulas Gallicas describit; barbaræ voci Galli actoris obtemperantes, ut mirum non amplius sit, Orpheum cantu pecudes demulsisse; alterum in senem Veronensem, qui suburbium nunquam egressus est, in quo natura ejusmodi hominis, rerum cognitione, quam peregrinationes afferre solent, plane destituti, summaque vitæ simplicitas vigorque corporis nullis vitiis imminutus, quæ in magno hominum cœtu et nasci et disci solent, egregie describitur. Acumen latet in duobus versibus supremis, ubi ille cum peregrinatore comparatur.

Armentum describit IV, in tabula forsan pictum, et XXXVII quadrigam marmoream, acumine operose quæsito.

Carminibus XX, XXI, XXII, XXIII munera Serenæ ad Honorium missa prosecutus est; non invenusta illa quidem, muneribus tamen ipsis commendanda.

Frigida sunt III, XXXI, XXVIII, et XLIII; nec non græca XVI et XVII.

Fragmenta sunt XXXII, XXXV, XXXVIII, XLIV, L, et XV græcum, seu non satis liquet, quid sibi voluerit poeta. Forsan amore correptus, Apollinem, qui ipse quoque amoris vim senserat, rogat, ut sibi canturo adsit.

A pia quidem mente, sed ab omni gratia poetica destituta, XLV, XLVIII, XLIX latina, et XLVI, XLVII græca sunt profecta, ut mireris fuisse, qui arbitrarentur, illa Claudiani ingenio deberi.

Plane obscurum est XIX, *de Polycaste et Perdice* inscriptum. Spectat enim rem aliquam, quæ nobis plane est incognita.

DE SCRIBENDI GENERE QUO USUS EST CLAUDIANUS.

Demonstratis iis, quæ Claudianus in inveniendo, quæ primaria poeseos virtus est, et in disponendo præstiterit, veniamus tandem ad enuntiationem, seu ad indolem sermonis, quo est usus. Scripta ejus vel obiter perlustranti statim apparet, illum adhibuisse dicendi genus copiosissimum. Ornatum petivit quum ex rebus, tum ex sententiis. Ad rerum copiam, qua semper, vel in argumento maxime tenui et exili, solet abundare, pertinet doctrinæ ostentatio, qua nemo fere poetarum Latinorum ante eum tantopere sibi placuisse videtur, quanquam jampridem eam adhibere cœperant, eoque majori semper studio, quo magis ingenii defectum, cujus sibi conscii essent, illis subsidiis cuperent supplere. Quod quidem studium, cujus fons in natura animi humani, non veræ utilitati, sed famæ inani, servientis partim, partim in ipsa imitandi ratione situs est, nulla alia civitas magis alere atque excitare poterat, quam Alexandria, et virorum omni literarum genere doctorum copia, et monumentorum scriptorum multitudine, ubi summa omnium artium ac disciplinarum, quas quidem tunc hominum solertia excogitaverat, brevi et nullo fere negotio poterat colligi. Quo amplior autem et diffusior erat rerum cognitio, qua memoriam locupletabant, eo minor suberat facultas mente et

cogitatione eam digerendi, ejusque acumini subjiciendi. Qua utilitate, quæ ad subigendum formandumque ingenium unica est, plane tandem neglecta, illa sola est relicta, per se nullius pretii, quam in ostentatione scientiæ collocabant. Hac quoque usi sunt poetæ, nec in postremis Claudianus. Solent quidem vulgo, in quibus poetis illud studium se exserit, eos doctos vocare, eorumque doctrinam magnopere admirari: verum, etiamsi sumas, non omnia, quæ scirent, eos effudisse, sed longe plura retinuisse, solidæ tamen eruditionis gloriam hujusmodi poetæ nequaquam merentur; quandoquidem omnia, quæ venditant, puerili studio in scholis erant comparata, aut aliunde facili negotio quæsita, ut memoria tantum opus esset mediocri ad ea complectenda, nullaque fere mentis contentione ad ea intelligenda. Quam ob rem nescio, an vanitas illorum potius ridenda, quam doctrinæ ubertas suspicienda sit[1]. Claudianus in iis rebus, quæ ad philosophicas disciplinas pertinent, quum Mallii prudentiam laudaret[2], suam ipsius lectoribus jactitasse videri potest; nam omnis divinarum humanarumque rerum scientiæ potiora capita, diversasque de iis philosophorum opiniones maxime memorabiles exposuit. Etiam astronomiæ exquisitioris, non poeticæ, cognitionem ostendit multis in locis, quæ tamen ex Claudii Ptolemæi inde tempore Alexandrinos, qui quidem doctrina vel leviter essent imbuti, fugere non poterant[3]. Quæ etsi sint per se egregia, tamen poeseos

1. In his rebus laudandis cauti debent esse veterum scriptorum enarratores, ne juvenibus persuadeatur, in doctrinæ ostentatione nescio quid elegantiæ esse; nihil enim nec libentius facere solent homines, nec facilius possunt, quam singula verba et locutiones aucupando, omnium artium et scientiarum cognitionem venditare. Quæ insania nostris temporibus vel libros vulgares occupavit, dum more quasi receptum esse videtur, populariter neminem scribere debere, nisi qui cum puerulis garrire instituerit, nec trita et in medio posita eleganter posse doceri, nisi verborum obscuritate involuta, rerum maxime abditarum speciem præbeant.

2. XVII, 61 sqq.

3. Quod autem Gesnerus vel Philolaicam rationem a Claudiano

naturæ parum accommodata esse dici possunt; etenim illa res tantum ita prosequitur, ut in sensus incurrunt, respuitque subtiles illas rationes, quæ calculo tantum posito, aut mente et ratiocinatione colliguntur. Nemo sane frequentior fuit Claudiano in fabulis antiquis proferendis et coacervandis, quæ mutare solet interdum, et variare, et rationi philosophicæ accommodare Stoicorum, qui hoc in primis instituerunt, et popularium suorum exemplo; ita, ut non necesse sit in iis, in quibus a vulgari consuetudine recedit, ad obscuram Heraclidis disciplinam confugere, aut alios auctores circumspicere, quos secutus sit. Terrarum quoque et regionum descriptionibus abundat, quod mirum esse nequit, quum Alexandriæ studia geographiæ florerent. Qua in re simul apparet, eum illorum, quæ versus septentrionem sita sunt, vel imperfectam, vel nullam habuisse cognitionem; et in quibusdam aliis, quorum verum situm ignoraret, ut passim alii quoque fecerunt, ingenio indulsisse. Præcipue splendidissimorum urbium, montium et fluminum, vel mythis celebratorum, vel rerum annalibus memorabilium, frequens fit ubique mentio, nulla fere habita in urbibus ratione, utrum exstarent adhuc, an ruinæ tantum superessent. In exponendis quoque rebus suo tempore gestis, colores solet petere ex antiquorum, et Græcorum, et Romanorum moribus atque institutis, id quod in promptu debet esse carmina ejus legenti, ne ea, quæ diu jam in desuetudinem venerint, Claudiani adhuc temporibus obtinuisse existimentur. Qua re hoc est consecutus, ut iis dicendi formulis posset uti, quas prisci poetæ adhibuerant, suæque orationi antiquitatis dignitatem conciliaret. Sed inde interpreti difficultates ortæ sunt, ad dissolvendum plerumque difficillimæ. Ritus enim, instituta, religiones Græcorum, Romanorum, aliarumque gentium ita erant ea tempestate confusa, ut ex illa colluvie nova plane rerum facies exorta

adoptatam fuisse disputat, egregie fallitur. Cf. I, 1; III. 11; VIII, 286; XXVI, 236.

esset, quæ rursus subinde variis ex causis mutabatur, aliamque speciem quotidie pæne induebat. In his et publicæ et privatæ vitæ vicissitudinibus, tantum abest, ut definire possimus, quæ cuique tempori fuerint propria, quidque postea vel demptum, vel additum, vel immutatum sit, ut ne eam quidem rerum formam, qualis Claudiani ævo fuerit, cognitam perspectamque habeamus [1]. Ita fit, ut in ejus carminibus, voces quidem audiamus et legamus, in priorum poetarum monumentis satis obvias, rerum autem ratio per illas expressarum interdum nos fugiat, quando ex adjunctis cognoscimus, eam ab antiqua illa et vulgari diversam fuisse. Admirabilis porro erat morum Romanorum in homine Alexandrino cognitio, eorum præsertim, qui locum habuerant in libera republica; hanc quoque quavis pagina ostentat, exemplaque et comparationes inde alias super alias repetit, quasi id egerit, ut dominatum inanibus libertatis verbis commendaret; nec in omni historia romana, vix factum aliquod seu res accidit memoratu digna, cujus ille loco plerumque apto mentionem non faciat, passimque rebus præsentibus ingeniose accommodet.

1. Mores et instituta ejus ætatis, qua Honorius vixit, melius procul dubio cognosceremus, si ad nos pervenissent carmina Lucilli, nobilis satirarum scriptoris, ut Rutilius quidem judicat, in Itiner. I, 599 sq.

Qualis nunc Decius, Lucilli nobile pignus,
 Per Corythi populos arva beata regit.
Nec mirum, magni si redditus indole nati
 Felix tam simili posteritate pater.
Hujus vulnificis, satira ludente, Camenis
 Nec Turnus potior, nec Juvenalis erit.
Restituit veterem censoria lima pudorem;
 Dumque malos carpit, præcipit esse bonos.

De eo vid. Wernsdorf. Poet. lat. min. t. III, p. 22 sq. t. IV, p. 824 sq. Multum lucis ex iis carminibus, si superessent, temporum historiæ posset adfundi, et non pauca, quæ Claudianus celebravit, aliter se habere cognosceremus. Cæterum, num epigrammata, quæ sub illius nomine Anthologia Græca complectitur, ejusdem auctoris sint, quum salem pleraque non habeant, dubitari saltem potest.

Præterea dicendi genus, quo Claudianus usus est, similitudinum, comparationum, figurarum, troporum est refertum, quorum in iis carminibus, quæ in laudem, vel in vituperationem alicujus scripta sunt, iis plerumque gaudet, quibus res supra modum vel augentur, vel deprimuntur [1]. Oratio non ex mentis conditione sponte nata, ita ut ex ejus colore suum colorem traheret, sed arte quæsita est, singulaque ad præceptiones quasi composita sunt. Unde factum est, ut illa imaginis sit instar, ad picturæ quidem leges delineatæ, pigmentis non naturalibus, sed exquisitissimis quibusque, obductæ, vitam stolide ludentis, non oculos

1. In comparationum delectu plerumque satis felix est Claudianus, sed iis passim nimis indulsit, in quibusdam etiam judicium poetæ requiras. Eos, qui laudantur, semper fere cum diis conferri et æquari, exspectare possis in poeta, qui se totum ad adulationem composuit. Sic Theodosius comparatur cum Marte quiescente I, 119 sqq.; idem, qui turbatas imperii res sustinuerat, cum Sole, post Phaethontis ruinam, universitatem ab interitu vindicante, moderamen currus solaris rursus suscipiendo VIII, 62 sqq.; eodem carmine v. 416 sqq. filium monens, cum gubernatore multo rerum usu subacto. Cf. etiam 206 sqq. et XV, 219 sqq. Splendida sane est Honorii, qui puer adhuc Augustus erat factus, comparatio cum Jove, imperium cæli primum obtinente VIII, 197 sqq. Pari modo, mater Probini et Olybrii cum Latona contenditur, Apollinem et Dianam comente I, 183 sqq. et paullo inferius v. 194 sqq. cum Pudicitia et Junone. Maria cum matre, cum rosis Pæstanis X, 247 sqq.; viri insignes cum luna stellas obscurante I, 22 sqq. Vere sublimis est illa contentio viri constantis cum Olympo monte XVII, 206 sqq. Minus apta videtur esse illa Stilichonis, re infecta se recipientis, cum leone, quem pastores a grege depulerunt V, 252 sqq. In re turpi etiam turpes imagines adhibentur. Sic Rufinus cum bellua comparatur in arena; Eutropius spado, domo ejectus, cum cane obeso XVIII, 102 sqq. In nullo quoque veterum poetarum tanta est descriptionum copia, sed non omnes sunt ejusdem dignitatis et pretii. Sic in primo carmine, gloriæ v. 31 sqq. liberalitatis v. 43 sqq. ambitionis v. 64 sqq. juventæ v. 68 sqq. Romæ deæ v. 85 sqq. clipei v. 96 sqq. Tiberini v. 214 sqq. anni felicis v. 266 sqq. In tertio, concilii monstrorum infernorum v. 28 sqq. Alectus v. 41 sqq. Megæræ v. 75 sqq. Hunnorum v. 323 sqq. Felicitatis temporum v. 380 sqq. Porro sedis Veneris in Cypro X, 49 sqq. Veneris se comentis v. 90 sqq. ejus cesti v. 124 sqq. pulchritudinis Mariæ et matris v. 264 sqq. Romæ deæ fame consumptæ XV, 19 sqq. Sed hæc jam sufficiunt ad indolem poetæ cognoscendam.

animosque contemplantium, sibique imponi libenter patientium, fascinatione suavissima perstringentis. Quemadmodum omnes res ad ostentationem comparatæ sunt et congestæ, non ut admirationem moveant, quippe in quo declamator raro soleat acquiescere, sed ut attonitos homines reddant, miraculoque stupentes; ita etiam in illius elocutione nullæ sunt luminum et umbrarum gratæ vices, suavesque misturæ, colores non ad veritatem temperati rerumque naturæ convenientes; nullæ partes sapienter neglectæ recedunt, ut, quæ potiores sint, sponte emineant, sed ad modum picturarum Sinensium, magna est rerum varietas sine ulla copulatione et consilio, lumina ardent tenebris adjectis, pigmentorum fulgor oculos graviter ferit, omniaque plana et in eadem superficie jacentia deprehenduntur. Quum animus poetæ rebus ipsis non magnopere moveretur, nihilominus tamen affectus vehementes essent simulandi: ad eas confugit rationes, quas veræ mentis commotiones anti quioribus poetis et oratoribus suggesserant, iisque pro instrumentis usus est ad sensus simulandos, quos ipse habere non posset. Neque sane mirum est, illum inflatum passim et tumidum esse factum, ubi grandis et sublimis videri vellet, quum ipsa ostentandi ratio ita sit comparata, ut, quæ in medio posita sunt, transeat, et extrema semper sectetur. Quando enim veri sensus desunt, ideoque nihil est, ad quod verba et dictiones referas; fieri non potest, quin tumida fiant, quæ sublimia velles, improba, quæ audentia, et nimia, quæ plena. Omnes præterea, qui ingenio, vel natura, vel consuetudine circumscripto, utuntur, ut totum mente complecti, partesque inter se ad convenientiam totius accommodate disponere non valeant, in singulis membris, iis præsertim, quæ amplissimas descriptiones admittant, ornandis occupati esse solent. Cujus rei exempla quum plurima apud recentioris temporis poetas, tum etiam apud Nostrum occurrunt; adeo, ut interdum videantur illis locis non pro luminibus esse usi, quibus totum distinguerent, sed carmina sua scripsisse, ut fila haberent, quibus gemmu-

las istas, ante comparatas et politas, ordine quasi continuarent. Illæ descriptiones etiam hoc habent proprium, quod omnis fere cura consumpta est in materiis exquisitissimis et pretiosissimis undique colligendis, ratio autem, qua composita sunt omnia, vel omnino interdum neglecta est, vel tam insulse designata, ut statim videas, pulchri et venusti sensum, qui ordine rerum aptaque illarum copulatione cernitur, ineptæ et puerili cessisse magnificentiæ, quæ imperitorum tantum oculos pascat, nauseam vero moveat genuinæ elegantiæ assuefactis. Ne tamen iniquam de Claudiano sententiam feramus, hoc tenendum est, in illo carminum genere, ad quod necessitas magis illum compulit, quam animi voluntas adduxit, et in quo, quod profecto dolendum est, ingenium suum haud mediocre consumpsit, plurimum illorum judicio erat dandum, quorum laudes essent sibi celebrandæ. In his enim, non quod tibi magnificum et præclarum videatur, dicendum est, non eo modo, qui solus recto rerum judicio possit probari; sed ea, quorum causa maxime sibi plaudant, eaque ratione, qua obtusus eorum sensus et judicium, nulla fere politiori humanitate excultum, lætetur. Barbarorum autem oculos venusta rerum forma raro in se solet convertere; aut, etiamsi naturæ beneficio molliores sensus nacti sint, tamen materia ipsa formam commendet necesse est, quam sint admiraturi. In iisdem carminibus, nimio artis ostentandæ studio laborant etiam omnes fere comparationes et similitudines, quæ, quum ad ornatum, cui in illo scribendi genere maxime inservitur, pertineant, frequentius occurrunt. Plane nova invenire in tanta poetarum, qui præcesserant, multitudine, difficile erat et omnino arduum ei, qui a pueris ad imitationem aliorum ingenium suum composuerat; decantata autem repetere non erat poetæ, ingeniosi nomen sibi vindicantis : omnis igitur opera in variandis, exornandis et dilatandis erat impendenda, in quo etiam omnem dicendi copiam exposuisse Claudianus videri potest. Quanquam enim sæpius eamdem rem profert, tamen semper fere tanto

verborum delectu, tam nova sententiarum conversione utitur, ut, nisi penitius attendas, vix repetita te legere sentias; atque id non solum fecit in iis, quæ hoc natura habent, ut variandi copiam ultro præbeant, verum etiam in vulgaribus atque tritis, quæ minus in exornandi studio exercitatus, aut minori ingenii ubertate instructus, vix semel splendide extulisset, sine tædio iterare se posse desperasset. Atque, quod difficillimum in hoc genere est, ut et satietatem lectorum evites, et in puerorum ludibria non incidas, hoc fere semper providit, inexhausta ingenii sui copia. Mihi quidem, carminum lectionem per intervalla repetenti, oborta semper est ea cogitatio, ut statuerem, Claudianum non tam sententiarum copiæ studuisse, etiamsi et his abundat, quam singulis novo semper modo variandis, atque in hac re summam elocutionis collocasse. In verbis semper summus adhibitus est delectus, ita ut in rebus laudandis gravissima quæque, et ornatissima, et maximam vim habentia delegerit; in vituperandis haud raro quidem ad turpia descendit, in quibus tamen vel acumen, vel elegantiam, siquidem illa in istiusmodi rebus possit locum habere, agnosces, neque unquam ornatum poeticum desiderabis. In primis ad indolem Claudiani sermonis pertinet gravissimorum epithetorum copia, nusquam fere temere, sed magna cum diligentia positorum, quæ quidem interdum nimio studio quæsita paulloque altius petita sunt, ut vix possis dispicere, quid poeta sit secutus. Illis potissimum usus est pro gemmulis, quibus orationem distingueret, et splendorem, non tam grato lumine fulgentem, quam scintillantem, per totum ejus decursum diffunderet, qui quoque eam vim habuit, ut vel doctissimorum et elegantissimorum virorum oculos adeo deliniret, ut in reliquis sermonis vitiis cæcutirent, aut judices essent nimis dissoluti. Omnes enim propemodum ita existimaverunt, Claudianum poetam esse inter Latinos Virgilio tantum postponendum, ejusque lectione vehementer delectati sunt. Nec, si sermonis cultum et splendorem, verborum suavem collocationem, versuum numerum et diligentiam consideres, habes sane, quod illorum judicium

magnopere deprehendas, quippe qui in illis, quæ ad instrumenta tantum artis poeticæ rectius referenda sunt, quam ad veram ejus indolem et naturam, omnem illius facultatis vim sitam esse arbitrarentur. Sunt tamen verborum et enuntiationum complexiones, quanquam suam suavitatem habent, auribusque concentu suo blandiuntur, oratoriæ magis quam poeticæ. Modo sententiæ per plurium membrorum, numerose et concinne inter se copulatorum, continuationem devolvuntur; modo eadem res bis, ter, interdum quater alia sententiarum conversione aliisque verbis iteratur, sed membris concisis, nullaque copulatione junctis, ut in summa dicendi copia species aliqua brevitatis ostendatur. Interdum non membra solum membris, sed verba etiam verbis respondent, concinnitasque non sponte oblata, sed curiose quæsita, apparet. Id quod omnino indolem sermonis panegyrici ostendit, quæ non solum in Plinio juniore, sed etiam in illis, qui eum secuti sunt, deprehenditur, et remansit in carminibus panegyricis, ut vel ex hoc fontem agnoscas, unde illa sunt derivata. Frequentissime occurrunt duæ enuntiationes, eamdem sententiam complectentes, quarum, quod altera per affirmationem expressit, altera per negationem effert, numeris priori respondens. Ad communem versuum, quibus Claudianus utitur, indolem referas, quod graves sunt, et sonori et splendidi, non semper quidem tanta arte inter se contexti, quantam in Virgilio admiramur, cujus rhythmicæ versuum continuationes jure putandæ sunt attigisse summa, ad quæ in illo artificio possit perveniri. Huic autem rei Claudianus, temporis angustiis exclusus, non eam poterat curam impendere, qua Virgilius carmina sua perpolivit. Quam limatæ autem aures nostri poetæ fuerint, et quam elegans ipse in versuum constructione, multa loca ostendunt, imprimis ea, ubi versuum numerus ad sensuum et rerum rationem attemperatus deprehenditur[1]. Non est igitur, quod negemus, in artificio poetico

1. Habent hoc græcorum et romanorum linguæ, ut ipsa verborum ratio et syllabarum quantitate, et consonantium vel asperitate vel molli-

Claudianum fuisse maxime exercitatum; sed, si ille nihil præter panegyrica et epicum illud carmen, quod de raptu Proserpinæ est inscriptum, reliquisset, nihilominus tamen non magis genuinus Calliopes alumnus esset habendus, quam Seneca tragicus Thaliæ, etiamsi in dialogis hujus spiritum tragicum, et in choris lyricam majestatem non magnopere desideres. Ex parvis autem quibusdam carminibus, ut supra monuimus, tuto possumus colligere, Clau-

tie, vocalium vel gravitate vel lenitate, earum rerum, quarum notæ verba illa sunt, naturam ex parte exprimant. Inde fit, ut numeri non solum grati sint et suaves, verum etiam picturam quasi exhibeant auribus percipiendam, quæ res meditanti poetæ, verbaque ad sensum apte eligenti, sponte solet occurrere. In hoc genere notando maxime cavendum est, ne in acumine aurium nostrarum ostentando, dum in minimis et obscœnis adeo rebus poetæ studium agnovisse nobis persuadeamus, inepti fiamus et putidi. Pauca exempla ex Claudiano proferamus, ut pateat, eum etiam in illa elegantia non fuisse indiligentem. III, 132 versus exprimit terræ motum, et sequens Rheni torporem. Numerus quem percipimus III, 218 sqq. ita rem verbis significatam exprimit, ut Homeri et Virgilii diligentia dignus possit censeri. Porro III, 269 sqq. primo versu, numeri fluvium significant intumescentem, sequente rapidum, tertio scopuli obstaculo cohibitum, quarto contra molem illam furentem. Concinnitatem agnoscimus in V, 50 sqq. et VIII, 401 sqq. Pari ratione VIII, 87 sqq. summum dignitatis locum duo priores versus declarant, tertius ruinam, qua Maximus et Eugenius in humilem rursus conditionem sunt delati. Inter alia, carmen IX hoc nomine est commendandum, ubi a v. 17 sqq. omnia nobilitatem carminis Apollinei spirant. Sic quoque XXXII, ubi a v. 5 timiditas in primo conatu paullatim in summam securitatem et audaciam versa, numeris egregie exprimitur. Audiamus Crusium de versibus Claudiani disputantem in libro, cujus est titulus: *The lives of the Roman Poets*, Vol. II. London. 1773. *They are, as usual, divided in their opinions of him; some think his stile too florid, and are offended with the flowing ease and harmoniousness of his numbers. But this is what Claudian seems to have aimed at as a beauty, and in which he has succeeded beyond all the Latin poets. But as true harmony of numbers does not barely consist in tunable and pleasing sounds, but requires a due mixture of gravity and elevation as well as smoothness and fluency to compleat it, and all of them justly adopted to the caracter of the subject to be described, whereby the numbers become in some sort significant as well as the expression; therefore that equability and constant fluency of Claudian's numbers has been justly objected against, as wanting both variety and strength in many places to support the dignity of the expression.*

diani ingenium meliori tempore fuisse dignum, gloriæque suæ apud posteros eum melius consuluisse, si vacuus a curis et vulgi securus, in antris et umbraculis Musarum esset versatus, nec invitas eas in domum Honorii et Stilichonis, tanquam in pistrinum, compegisset. In omnibus autem vitiis, quæ illi jure exprobrari possunt, talis tamen est, qualem illa tempestate nequaquam exspectasses; tantam in quibusdam carminibus parvis, et in singulis reliquorum locis ostendit ingenii elegantiam, tanta est sermonis, quem adhibuit, puritas, ut raro sæculi in barbariem inclinantis vestigia occurrant. Quæ quum ita sint, recte dixeris, errorem quemdam naturæ Claudiani ingenium, tanquam semen aliquod, non veris tempore apto, sed æstate jam inclinata, terris intulisse, quæ herbam quidem luxuriantem produxerint et flores fructus ostendentes uberrimos, qui tamen ad maturitatem pervenire non potuerint. Accedit quoque, quod carmina ejus pleraque sunt ejusmodi, quæ non liber animi impetus fudit, sed quæ debent originem occasioni subito obortæ, non satis opportunæ ad mentem magnitudinis et admirationis sensu inflammandam; nec, etiamsi eum ab aliis negotiis plane vacuum cogitamus fuisse, satis mirari possumus, quod tot sæpe carmina, tam prolixa, in tanta rerum jejunitate, uno eodemque anno conficere potuit [1].

1. Sic, ut hoc tantum utar, A. C. 399 et scripsit et recitavit carmen de bello Gildonico, panegyricum in Mallium Theodorum, duo illa carmina in Eutropium spadonem, et tria in consulatum Stilichonis, quæ sequentis anni principio erant recitanda. Omnia hæc tribus millibus versuum et trecentis triginta tribus constant. Atque de illis tantum loquimur, quæ ad nos pervenerunt; fortasse plura etiam illo anno scripsit. In tanta autem festinatione, qua versus erant effundendi, quis cum ingenii illius ubertate non illud jure admiretur, quod, quum tot res essent, quæ eum ab exacta veterum poetarum diligentia avocarent, tamen non longius ab illa aberraverit. Hoc luculentius apparebit, si eum cum Sidonio Apollinari comparaveris. Et, ne longi simus, indicemus tantum loca quædam, in quibus illa contentio cum fructu institui possit. Conf. Claud. VII, 18 sq. et VIII, 141 sqq. cum Sidon. Apoll. II, 105 sqq.; Claud. VII, 22 sqq. cum Sidon. Apoll. II, 133 sqq.; Claud. XVII, 67 sqq. cum Sidon. Apoll. II, 155 sqq.; Claud III,

Quum quoque, quæ scripsisset, statim recitanda et in patronorum honorem evulganda essent, Horatiano præcepto, ut scripta nonum in annum premantur, non poterat uti, illaque opportunitate, quam optimis quibusque poetis fortuna non negavit, carmina sua retractandi et male cusa ad incudem revocandi, erat destitutus. Etiam post Stilichonis necem, si modo illi viro superstes, nec calamitate ejus fuerit implicatus, tanta rerum commutatio facta est, ut, quæ laudibus ante celebrata fuerant, nunc maximo odio premerentur[1]; quo tempore igitur de iis limandis non poterat cogi-

323 sq. cum Sid. Apoll. II, 244 sqq. Quantopere autem studuerit imitator ornatu certare cum Nostro, sequentia indicabunt. Cf. Claud. XXII, 262 sqq. cum Sidon. Apoll. II, 317 sqq.; Claud. I, 214, cum Sidon. Apoll. II, 332 sqq.; Claud. I, 83, cum Sid. Apoll. II, 389 sqq. et V, 13 sqq.; Claud. XX, 528, cum Sid. Apoll. II, 420 sqq.; Claud. XV, 31 sqq. cum Sidon. Apoll. II, 440 sqq.; Claud. VII, 210 sqq. cum Sid. Apoll. V, 41 sqq., Claud. XV, 134 sqq. cum Sidon. Apoll. V, 53 sqq.; Claud. XXXVI, 1 sqq. cum Sidon. Apoll. VII, 20 sqq.; Claud. XV, 17 sqq. cum Sidon. Apoll. VII, 45 sqq. Sobrius sane et quantivis pretii Claudianus tibi videbitur, si legeris illa ludibria Sidon. Apoll. II, 411 sqq. V, 474 sqq. VII, 80 sqq. XV, 141 sqq. XXIII, 39 sqq.

1. Olympius quidam, cujus mores accurate describit Zosimus (V, 32) docuerat Honorium, in cujus se benevolentiam, hominem frugi et modestum se simulando, insinuaverat, eum speciem tantum Imperatoris præ se ferre, totumque esse in potestate Stilichonis, qui id ageret, ut ipso interfecto, imperium Eucherio filio traderet. Hic jam paullo ante primum expertus erat, patrum consilia suæ voluntati contraria esse, quum illis persuadere vellet, ut pacem ab Alarico quatuor millibus auri emerent, bellumque ab illo intentatum evitarent (Zosim. V, 29). Ubi vidit, se in suspicionem Honorio adductum esse, atque segregari ab interioribus consiliis, jam tum calamitatem sibi imminentem prævidens, Imperatorem ab itinere in castra ad Paviam destinato, ut se militibus ostenderet, retinere studuit. Quod quum frustra tentasset, in itinere, seditione Prætorianorum Bononiæ mota, et Honorium terrere, et milites clementia sibi adjungere conatus est. Sed Honorius, ubi in castra venit, ad milites, jam consilio Olympii præparatos, et a Stilichone, qui barbaris nimium tribueret, alienatos, verba fecit. Oratione finita, illi repente consurgunt, omnesque Stilichonis amicos trucidant. Quibus nunciatis, Stilicho dum Bononiæ trepidaret, quodnam consilium caperet incertus, (Zosim. V, 34) nocte insequente ex ecclesia, in quam territus confugerat, fide data extractus, et ab Heracleano Comite, Olympii jussu, interfectus est,

tare, quæ, si sibi consulere vellet, penitus essent abolenda. Quæ quum considerem, mihi persuadere non possum, ut

magnaque crudelitate in uxorem, filium, eosque, quos pristina fortuna cum illo conjunxerat, sævitum est. Zosim. V, 35. Oros. VII, 38. Cod. Theodos. lib. VII, tit. XIV, l. 1; lib. IX, tit. XLII, l. 22, vocatur *prædo publicus*, insimulaturque opes suas *ad omnem ditandam inquietandamque barbariem* contulisse. Quanto in odio etiam aliquot annis post memoria ejus fuerit, docent versus Rutiliani, qui floruit A. C. 416. Itiner. II, 41 sqq.:

Quo magis est facinus diri Stilichonis acerbum,
 Proditor arcani qui fuit imperii.
Romano generi dum nititur esse superstes,
 Crudelis summis miscuit ima furor:
Dumque timet, quicquid se fecerat ipse timeri,
 Immisit Latiæ barbara tela neci.
Visceribus nudis armatum condidit hostem,
 Illatæ cladis liberiore dolo.
Ipsa satellitibus pellitis Roma petebat,
 Et captiva prius, quam caperetur, erat,
Nec tantum Geticis grassatus proditor armis;
 Ante Sibyllinæ fata cremavit opis.
Odimus Althæam consumpti funere torris:
 Niseum crimen flere putantur aves.
At Stilicho æterni fatalis pignora regni,
 Et plenas voluit præcipitare colus.
Omnia Tartarei cessent tormenta Neronis,
 Consumat Stygias tristior umbra faces:
Hic immortalem, mortalem perculit ille;
 Hic mundi matrem perculit, ille suam.

Etiam Sidonius Apollinaris, qui floruit circa A. C. 460, mentionem quidem facit nostri poetæ, sed nomine omisso, et per illud carmen eum significans, quod ut invidiæ minus erat expositum, ita minus aptum ad memoriam ejus posteris commendandam. Forsan illo tempore carmina Claudiani nondum erant collecta. Subjungamus inscriptiones duas honori Stilichonis positas, quarum altera reperta Romæ, in basi marmorea prægrandi, altera ibidem inventa, in basi marmorea superne defractâ. Exhibentur apud Gruterum Inscript. p. 412, n. 3 et 4.

I.

FL. STILICHONI. V. C.
FL. STILICHONI. ILLVSTRISSIMO. VIRO. MAGISTRO. EQVITVM. PEDITVMQVE. COMITI. DOMESTICORVM. TRIBVNO. PRAETORIANO.

statuam, Claudianum unquam carmina sua colligendi et secunda cura edendi consilium agitasse. Ex carminum etiam, quæ supersunt, ratione et ordine diverso, quo in MSS. juncta deprehenduntur, nec non singulorum mutilatione et defectu, verisimile est, ea post illius mortem, quæ quidem adhuc deprehendi possent, esse collecta, quum jam temporum lapsu non pauca essent vel deperdita, vel suppressa. Forsan inde quoque explicari possunt interpolationes haud paucæ, aut, si mavis, loca plane inepta et frigida,

ET. AB. INEVNTE. AETATE. PER. GRADVS. CLARISSIMAE. MILITIAE. AD. COLVMEN. GLORIAE. SEMPITERNAE. ET. REGIAE. ADFINITATIS. EVECTO. PROGENERO. DIVI. THEODOSI. AVGVSTI. IN. OMNIBVS. BELLIS. ATQVE. VICTORIIS. ET. AB. EO. IN. ADFINITATEM. REGIAM. COOPTATO. ITEMQVE. SOCERO. D. N. HONORI. AVGVSTI. AFRICA. CONSILIIS. EIVS. ET. PROVISIONE. LIBERATA. EX. S. C.

II.

— — — — — —
VIRO. BIS. CONSVLI. ORDINARIO.
MAGISTRO. VTRIVSQVE. MILITIAE.
COMITI. DOMESTICORVM.
ET. STABVLI. SACRI. ATQVE.
AB. INEVNTE. AETATE. PER.
GRADVS. CLARISSIMAE.
MILITIAE. AD. COLVMEN. REGIAE.
ADFINITATIS. EVECTO. SOCIO.
BELLORVM. OMNIVM.
ET. VICTORIARVM. ADFINI.
ETIAM. DIVI. THEODOSI. AVGVSTI.
ITEMQVE. SOCERO.
DOMINI. NOSTRI. HONORI. AVGVSTI. POPVLVS. ROMANVS.
PRO. SINGVLARI. EIVS.
CIRCA. SE. AMORE.
ATQVE. PROVIDENTIA.
STATVAM. EX. AERE. ARGENTOQVE.
IN. ROSTRIS. AD. MEMORIAM.
GLORIAE. SEMPITERNAE.
CONLOCANDAM. DECREVIT.
EXEQVENTE. FL. PISIDIO. ROMVLO.
V. C. PRAEF. VRBIS.

quorum culpam poetæ manes immerito sustinent, et nimia brevitate perplexa, quæ ex lacunis male consutis possunt orta esse. Præcipue in iis carminibus, quæ epigrammatum nomine circumferuntur, difficile est judicatu, quænam Claudiani sint, quæque alium auctorem habeant: in hoc certe mecum consentient omnes, ea, in quibus res religionis Christianæ celebrantur, ad illum non pertinere, sed lusus esse pii cujusdam ingenii, bene quidem de republica Christiana sentientis, sed ab omni facultate poetica adeo abhorrentis, ut ne oscitanti quidem Claudiano in mentem venire potuerint; etiamsi sumas, illum vel ad Christianam sectam se convertisse, vel semper fuisse ejus asseclam, cujus tamen rei in reliquis carminibus nullum exstat vestigium. Inter reliqua quoque, nonnulla sunt dubii auctoris, et hujusmodi, ut operæ non sit, de iis longam disputationem instituere.

Restat, ut consilium, quod in nostra editione secuti simus, paucis exponamus. Quum re sæpius tentata, mihi persuaserim, in textu ex illo apparatu critico, quo Heinsius usus est, quemque Burmannus etiam auxit, restituendo, omnia ab illis duumviris esse facta, quæ a tantis ingeniis exspectari poterant; de nova recensione non poteram cogitare, nisi temeritatis et arrogantiæ crimen incurrere vellem. Sed quum ille videreturrarioribus lectionibus et græcismis, vel præter codd. MSS. auctoritatem, inducendis nimis indulsisse; hic interdum in grammatica ratione retinenda, poetam nimis in ordinem coegisse; non est, puto, quod verear, ne quis me audaciæ insimulet, si in paucis quibusdam locis ab utriusque auctoritate discesserim. Quandocumque autem hoc factum est, in annotationibus semper id monui, rationesque, quas secutus sim, indicavi. Supersunt plura loca, quæ, etiamsi omnes libri scripti, quotquot collati sunt, in iis consentiunt, tamen corrupta esse videntur; id quod, si quidem MSS. inspectio accurate sit instituta, ulcera indicat illorum ætatem superantia, et, donec nova subsidia accedant, vel non tangenda, vel interim conjecturis sananda. In quibus etiam hoc mihi sumpsi, ut illorum conjecturis,

si mihi minus probarentur, meas subjicerem; in textum autem, præter Heinsii et Burmanni unam et alteram, nullas recepi. Locorum enim ex ingenio restituendorum licentia, quæ nunc rursus increbrescere videtur, passimque laudibus ferri cœpta est, cautionibus nimis severis nunquam coercebitur, quum majorem plerumque habere soleat ingenii ostentationem, quam utilitatis ad rempublicam literariam pertinentis veram promotionem. Aliter se res habet in annotationibus, in quibus concedendum est interpreti, ut libere sententiam proferat, eamque medicinam proponat, quæ sibi probetur, modo lectoribus potestatem secus statuendi relinqnat. In interpunctione, quæ vel in Burmanniana, vitio operarum, ut arbitror, male se habet, mutanda, ea libertate usus sum, qua unusquisque editor gaudet, ut, quum ea diversa sit apud diversos, suam ipsius rationem sequatur, donec leges fuerint institutæ, quibus omnes teneantur. Cæterum in annotationibus ausus sum, loca quædam interpolata judicare, versusque totos insititios, quos viri docti, qui in textu emendando operam suam ante me collocarunt, pro genuinis silentio saltem probaverant, atque hoc etiam tum feci, quum MSS. consensus nullum interpolationis vestigium ostenderet. Nihilominus tamen spero atque confido, æquos rerum æstimatores, rationibus, quibus opinionem meam confirmare studui, perpensis, hoc saltem esse judicaturos, me non temere egisse, sed habuisse, quod sequerer. In carminibus etiam, quæ auctor, ut ex supra dictis probabile est, non ipse collegit, sed quæ post mortem ejus, quum jam quædam non amplius integra exstarent, alia essent plane deperdita, a declamatoriæ poëseos amatoribus sunt undique conquisita, suppleta, sæpius descripta, explicata deinde, glossis instructa, locorum similium annotatione adornata, frequentes interpolationes locum habere potuisse, unusquisque facile mihi largietur, etiamsi ex librorum scriptorum, qui nunc quidem reperti atque collati sunt, consensu, nulla intrusorum versuum suspicio suboriri posse videatur. Utrum vero in hac re recte statuerim, an

sensus me meus fefellerit, lectorum sit judicium, quibus etiam, quum ea, quæ suspecta mihi videbantur, ne uncis quidem incluserim, tota res integra est relicta, ut vel religiosissimi non habeant, quod mihi succenseant. Ne a Claudiani manibus mihi timendum sit, in hoc quidem genere sedulo a me provisum est. Hæc fere sunt, quæ ad textum pertinent; nunc pauca de commentandi genere sunt dicenda, quo usus sum. Ex iis, quæ supra in oratione mea posui, apparet, Claudianum in eo poetarum numero esse habendum, qui, quauquam naturæ dotibus non essent destituti, tamen arte mallent et præceptis, quam natura et ingenio niti, magisque copiæ et ornatui in dicendo, quam simplicitati et ubertati in inveniendo studerent. Nemo itaque potest esse, qui existimet, illum a bonarum artium studiosis idcirco esse legendum, ut sensum et judicium pulchri exacuant, facultatemque poeticam, illum imitando atque exprimendo, sibi comparent. Non enim rivuli sectandi sunt, quando licet ad ipsos fontes limpidissimos accedere. Ab ætate autem maturiori, quæ jam assidua optimorum poetarum lectione confirmata est, ut fucum a colore nativo, luxuriem ab ubertate castigata dignoscere possit, non sine fructu perlustrabitur. Ad sensum enim veri et pulchri excitandum et conformandum, non solum utile est, ut imitanda proponas, sed etiam ea, quæ fugienda sint, exemplis demonstres; præterea autem multa occurrent, quæ non solum sine fastidio, verum etiam cum voluptate legentur. Hanc si ætatem solam, a bonis magistris institutam et adhuc in antiquorum scriptis se continentem, respexissem; non commentarium conscripsissem, sed paucis tantum annotationibus defungendum esse putassem. Sed Claudianus ad eos quoque scriptores pertinet, qui etiam propter res, quas exposuerunt, leguntur; præsertim iis non est negligendus, qui res gestas sub Theodosio M. ejusque filiis, moresque et instituta illius temporis velint cognoscere. Multi propterea ex ejus lectoribus erunt, qui ex Horatio, Virgilio, Ovidio aliisque poetis Latinis, non tantam sermonis poetici cogni-

tionem sibi comparaverint, ut omnia, quæ in illis occurrant, animo teneant, atque, quæ ibi a viris doctis annotata vel audierunt, vel legerunt, in promptu habeant; multi etiam, qui disciplina juvenili peracta, aliis vitæ negotiis et publicis et privatis implicati, ad Latii Camenas redire non potuerint, multorumque obliti sint, quæ olim in numerato habebant.

Quum igitur lectores mihi essent fingendi, non plane rudes illi quidem, sed non adeo recentes a lectione poetarum præstantissimorum, qui in scholis prælegi solent; haud pauca erant monenda, quæ exercitatis, ut crambe pluries recocta, nauseam fortasse moveant. Verum enim vero, si sunt, qui disputent, quæ semel atque iterum sint monita, omnino repetenda non esse, illi videant, ne non solum nimis severas scriptoribus leges irrogent, quibus ipsi forsan non libenter se obstringant, verum etiam in discendi cupidos iniqui sint, quorum facultates non semper patiuntur, ut librorum copiam domi sibi struant. Etiam in illa rerum mole, quæ iis, qui eruditorum nomen affectant, aut muneribus publicis idoneos se reddere cupiunt, scientia complectenda est, sæpius magis conducit, tempori consulere, quam perituræ parcere chartæ, ut illa horæ pars, quæ libris evolvendis interdum nequidquam erat consumenda, vel ipsi, quæ in manibus est, lectioni, vel aliis rebus possit impendi, unde major utilitas exspectetur. Ne autem hæc, quæ posui, secus accipiantur, ac volui, tenendum est, me non de iis loqui, qui assuefaciendi sunt, ut vires ingenii intendant, mentisque facultates exercendo augeant atque confirment; nam stupori et secordiæ subvenire velle a mea persona est alienissimum. Quum itaque *Persium non curem legere, Lælium Decimum velim* (Cic. de Orat. II, 6), omnes res et loquendi formulas, quæ lectorem, quem animo mihi proposui, morari possint, breviter explicui, ipsamque interpretationem, ubi hoc factu opus mihi videretur esse, ex verborum ratione ante definita deducere studui, viris doctis, qui alibi eadem fusius illustraverant, laudatis. Si nova ratio erat ineunda, eam idoneis argumentis confirmare tentavi.

Si dubiam vel res, vel dicendi genus habere visa est explicationem, aliorum opinionibus, quæ quidem memoratu dignæ essent, prolatis, meam qualemcumque subjunxi, ut vel sequerentur lectores, quamcumque probarent, aut amplius sibi quærendum esse scirent. In hujusmodi etiam locis, lectionis varietatem, si qua erat, judicio interposito adscripsi, præsertim si verbum aliquod videretur esse corruptum. Hoc quidem pro certo possum affirmare, scientem prudentemque me nullum interpretandi nodum prætermisisse, cujus solutionem non pro virili parte tentaverim, vel cujus desperationem non candide professus sim; hac enim ratione putavi, me esse consecuturum, ut aliorum virorum, et feliciori ingenio, et majore sermonis et rerum cognitione præditorum, studia forsan excitata in poetam per plures annos neglectum, conferrentur, ad ea rectius explicanda, quæ perperam expediverim, et ad ea illustranda, quorum tenebras ego dispellere non valuerim. Cæterum ad rationem dicendi, qua Claudianus usus est, recte intelligendam, non inutilis quidem est illa quæstio, quem potissimum ex antiquioribus poetis sit imitatus. Vulgo existimant, eum se præcipue ad Statium accommodasse, quam sententiam inprimis Barthius defendit. Non potest negari, inter utriusque sermonis genus rationemque rerum tractandarum, aliquam intercedere similitudinem, et occurrere quædam loca, quæ ostendant, Statium a Claudiano esse lectum et expressum; verum inde non potest colligi, Claudianum ex omnibus Statium sibi proposuisse, quem imitaretur. Etenim etiamsi se vel maxime ad illos poetas composuisset, quos Augusti ætas protulit, non poterat fieri, quin, quum omnium judicio tunc id tantum suspiceretur, quod falsa aliqua sublimitate, luxurie et tumore se commendaret, communi hoc ætatis æstu abreptus, ad Statium propius accederet. Multa ex hoc, ubi idem orationis est color, eadem rerum tractatio, Barthius jam protulit, plura a me adjecta sunt; inprimis operam dedi, ut Claudianum cum antiquioribus poetis conferrem, saltem ea loca notarem, in quibus cum illis quasi

contendisse visus est, aut quæ ante oculos habere potuit. Ex recentioribus, Sidonium Apollinarem et Corippum cum illo, a quo toti fere pendent, maxime contuli, atque id faciendum putavi, ut perspicerent juvenes, illum imitatores suos tantum superasse, quantum ipsum a tergo Virgilius reliquerit. Quum plurima Claudiani carmina, circa res versentur, quas vel laudibus effert, vel vituperat, multaque apud illum occurrant, quorum nec Zosimus, nec alii, quicumque illa tempora attigerunt, mentionem faciunt, illaque interdum proferantur, nullo temporum ordine servato, ad nonnulla tantum alludatur, quæ alibi fusius exponuntur, quædam etiam diversa ab aliis ratione commemorentur: ad ea accuratius intelligenda vulgaris temporum cognitio sufficere nequit, quæ ex compendio aliquo possit comparari. Ad quas res quum non diligenter attendissent interpretes, multa miscuerunt, quæ discernenda erant, multa perperam explicuerunt, quum ea significare poetam existimassent, de quibus tum quidem cogitare non posset. Ad illos errores fugiendos, atque etiam ab hac parte lectionem Claudiani faciliorem reddendam, omnes res gestas, de quibus apud illum sermo est, et collegi, et quantum illud fieri potuit, per annos digessi, ut hac ratione rerum ordo, qualis apud poetam est, vel uno oculorum obtutu possit cognosci. Quomodo autem ille cum narrationibus aliorum scriptorum, a quibus in quibusdam recedere videtur, possit conciliari, historicorum curæ relinquendum est, nisi arbitrentur, a Gibbone, Anglo illustri, qui nimium interdum patribus ecclesiæ tribuit, otium plane sibi esse factum.

SERIES
RERUM GESTARUM
A VALENTE

USQUE AD

ARCADIUM ET HONORIUM.

ADJECTUM EST

STEMMA DOMUS THEODOSIANÆ.

SERIES
RERUM GESTARUM
A VALENTE
USQUE AD
ARCADIUM ET HONORIUM
EX
CL. CLAUDIANI CARMINIBUS
ADORNATA
ET PER ANNOS DIGESTA.

Quum Claudiani carmina majorem quidem partem in laudandis vituperandisque Imperatorum virorumque summorum, vel virtutibus, vel vitiis insignium, versentur, ipseque poetarum more, rerum ab illis gestarum mentionem faciat, sine temporis ratione et ordine, modoque fusius res levioris momenti prosequatur, modo graviores aut verbo tantum significet, aut plane negligat, prout consilio suo accommodatum fuerit ; non abs re mihi videtur esse, quæ ille poeta commemorarit, per annos digerere, et ad certum temporum ordinem revocare, ut eo facilius intelligi atque cum aliis scriptoribus comparari possit.

Joviano mortuo, quod accidit A. C. 364, milites *Valentinianum* eligunt Imperatorem, eumque statim cogunt imperii socium constituere. Qui quoque, quum Constantinopolim pervenisset, *Valentem* fratrem assumpsit. Ammian. Marcell. XXVI, 2 et 4. Illi imperium, ut barbaris, illud undique infestantibus, melius resisteretur, Naesi, quae urbs erat Mœsiae superioris, ita partiti sunt, ut *Valens* Orientem, id est, Asiam, Ægyptum, Thraciam, *Valentinianus* Occidentem, id est, Illyricum, Italiam, Galliam, Hispaniam, Britanniam et Africam, tueretur. Ammian. Marcell. l. c. 5. Zosim. IV, 5. Philostorg. VIII, 8. Sozom. VI, 6. Quo facto, ille Constanstinopolim, hic Mediolanum discesserunt.

Valentinianus quum in morbum incidisset, jamque de successore constituendo variis studiis esset agitatum, valetudini restitutus, ne ex eadem re similes olim tumultus orirentur, *Gratianum* filiolum, octo annos natum, Augustum fecit A. C. 367, Lupicino Jovinoque coss. Ammian. Marcell. XXVII, 6. Zosim. IV, 12. Eodem anno Picti et Scoti, qui in Britanniam incursiones fecerant, pulsi ac fugati sunt a Theodosio Comite, Theodosii M. patre, quem *officiis Martiis felicissime cognitum* vocat Ammian. Marcell. XXVII, 8; cf. Pacat. in Panegyr. Vet. XII, 5, 2. Hanc rem quoque perstringit Claudian. VII, 54 sqq. VIII, 24 sqq.

A. C. 371. *Firmus*, Afrorum regulus, *Romani*, Comitis Africae provinciae, crudelitate excitatus, Mauros contra Romanos sollicitat, collectisque undique copiis, quum agros vastasset, Caesaream vi capit, magnaque ibi pecunia, ad fiscum pertinente, potitur. Zosim. IV, 16. Symmach. epist. I, 64. Ad quem op-

primendum missus est *Theodosius* Comes. Is fraude quidem ab illo sæpe tentatus, ita tamen prudenter et strenue rem gessit, ut *Firmum* tandem cogeret, exercitu relicto, ad Isaflenses confugere. Qui, quum Romani jam in eorum fines irrupissent, *Firmum* tradere cogebantur; sed antequam id fieri posset, ad evitandam Romanorum vindictam, manus sibi ipse intulit. Totum bellum ordine exponit Ammian. Marcell. XXIX, 5; cf. Symmach. epist. X, 1, et Claudian. VII, 52 sqq. VIII, 24 sqq. et XV, 330 sqq. Eodem anno, *Theodosius*, filius ejus, nunc dux Mœsiæ, *prima et jam tunc lanugine juvenis*, *Princeps postea perspectissimus*, Sarmatas, qui provinciam suam aggressi erant, magna clade illata, repulit. Ammian. Marcell. XXIX, 6.

A. C. 375.

Valentinianus Sabariæ (*Stein am Anger*) moritur, Ammian. Marcell. XXIX, 5 et 6. Socrat. IV, 31. Zosim. IV, 17. Duces militesque *Gratiano Valentinianum* fratrem, quinque annos natum, imperii socium addunt. Hic Illyricum, Italiam et Africam accipit, ille sibi Galliam, Hispaniam et Britanniam servat. Ammian Marcell. XXX, 10. Zosim. IV, 19. Philostorg. IX, 16. In illa imperii novitate, *Theodosius* Comes, falsis criminibus inimicorum in invidiam adductus, *Gratiani* jussu, non diu post illum de *Firmo* triumphum, Carthagine securi percussus est. Cujus rei, ut exspectari etiam poterat, nullam mentionem facit Claudianus. Nuncio de patris cæde accepto, *Theodosius* filius in Hispaniam, patriam suam concessit. Cf. Vales. ad Ammian. Marcell. XXIX, 5. Theodoret. V, 5. Oros. VII, 33. Ambr. orat. funebr. in Theodos.

A. C. 376.

Valente Augusto V et *Valentiniano jun.* coss.

Valens ad bis centena millia Gothorum, quos Hunni sedibus ipsorum expulerant, imprudenti consilio, Danubium transire, domiciliaque in Thracia ponere passus est. Ammian. Marcell. XXXI, 2 sqq. Zosim. IV, 20. Socrat. IV, 34. Sozomen. VI, 37. Oros. VII, 33. Jornand. de rebus Get. c. 24 sq. De Getis in imperii fines receptis loquitur quoque Claudian. XXVI, 166 sqq. et 488 sqq. ex quo tamen, nisi sumas, eum in definiendo tempore non satis fuisse accuratum, illa Gothorum migratio quatuor annis ante accidit. Cæterum sub *Valente*, Stilichonis pater alæ barbarorum præerat. Claudian. XXI, 35 sqq.

A. C. 377.

Gratiano Augusto et *Flavio Merobaude* coss.

Quum Gothi recepti annonæ caritate cogerentur, frumenti comparandi causa, vel liberos suos in servitutem dare, arma capiunt, totamque Thraciam devastant. Ammian. Marcell. XXXI, 5-8.

A. C. 378.

Valente Augusto VI, et *Valentiniano jun.* II, coss.

Deinde in Thessaliam transgressi sunt et in Macedoniam, igni ferroque omnia populantes, ipsamque Constantinopolim obsidere cœperunt. *Valens Gratianum*

per literas de misera rerum conditione certiorem facit, rogatque, ut in auxilium sibi propere veniat. Quum interim vastationibus barbarorum finem imponere vellet prælio, quanquam monitus esset a *Gratiano*, ne ante adventum suum cum hoste confligeret, adverso Marte pugnavit, ipseque cæsus est. Ammian. Marcell. XXXI, 13. Zosim. IV, 24. Victor in Epit. 46. Socrat. IV, 38. Theodoret. IV, 36. Philostorg. IX, 17. Cujus morte audita, *Gratianus*, qui jam in itinere erat, recessit, et, ut suis rebus provideret, Theodosium ex Hispania arcessivit, eumque

A. C. 379.

D. Ausonio et *Hermogeniano Olybrio* coss.

socium regni assumpsit, qui statim Sarmatas, quum jam in eo essent, ut cum Gothis se conjungerent, ingenti clade devicit. Quo in statu tum res essent, exponit Claudian. VIII, 45 sqq. cf. Pacat. in Panegyr. Vet. XII, 11. *Theodosius*, Imperator constitutus, eas provincias obtinuit, quas *Valens* habuerat, a barbarorum incursionibus nunc vastatas et oppressas. Themist. orat. XVI. pag. 207, ed. Harduin. et Gregor. Nazianz. orat. XIV, pag. 214 ed. Lips. Exercitu statim collecto, Gothos palantes, oppressos, partim in deditionem accepit, partim ex Thracia pepulit. Zosim. IV, 30, 31. Eodem fortasse anno, aut sequenti, *Stilicho* a *Theodosio* M. Babylonem missus est, ad regem Persarum legatus, ut fœdus cum eo feriret. Claudian. XXI, 51 sqq. Reduci *Serena*, *Honorii*, fratris *Theodosii* M. filia, in matrimonium datur. Claudian. l. c. 69 sqq.

A. C. 380.

Gratiano Augusto V et *Theodosio Augusto* coss.

A. C. 381.

Eucherio et *Evagrio* coss. ex Chronico Marcellini, seu *Syagrio* et *Eucherio* coss. ex Idacii Chronico.

Theodosius iterum Gothos devicit, duce *Arbogaste* Franco, quem a *Gratiano* ei in auxilium missum esse narrat Zosim. IV, 33 sqq. Fortasse huc respicit Claudian. VII, 147 sqq. *Stilichonis* operam in eo bello navatam prædicans.

A. C. 382.

Antonio et *Afranio Syagrio* coss.

Arcadius Augustus declaratur, anno ejus ætatis sexto.

A. C. 383.

Merobaude II et *Saturnino* coss.

Magnus Clemens Maximus, de cujus genere et patria inter scriptores non constat, vel imperii cupiditate, vel a militibus coactus, qui eum invitum Imperatorem salutasse dicuntur, bellum in Britannia contra *Gratianum* movit. Qui quum exercitum in Galliam trajecisset, *Gratianus* a militibus suis, quos contra illum duxerat, deseritur, ipseque in fuga, non procul a Lugduno, insidiis periit, quæ, ut vulgo credunt, a *Maximo* paratæ fuerant. Zosim. IV, 35. Socrat. V, 11.

Sozomen. VII, 13. Oros. VII, 34. Victor Epit. 43. Sepultus est Mediolani. Nuncio de *Gratiani* morte accepto, *Maximus Flavium Victorem* filium, imperii socium assumpsit. Quo facto, ad *Theodosium* M. bellum jam parantem, legatos mittit, qui nunciarent, ipsum contentum fore *Gratiani* provinciis, quæque *Valentiniani* essent, eas non turbaturum. Quo audito, non solum a bello abstinuisse *Theodosius*, verum etiam imperii socium illum agnovisse a quibusdam dicitur: prius commemorat Themist. orat. XVIII; posterius Zosim. IV, 37.

A. C. 384.

Ricimere seu *Ricomero* et *Clearcho* coss.

Secundum Chronicorum scriptores, natus est *Honorius:* cf. Claud. VII, 19 sqq. VIII, 121 sqq. Eodem tempore, legati *Saporis*, Persarum regis, Constantinopolim veniunt, pacem, ut vulgo aiunt, petitum. Pacat. in Panegyr. Vet. XII, 22, 4 sqq. Oros. VII. 34. Sarmatæ etiam, qui in *Valentiniani* provincias irruperant, a duce, quem *Theodosius* M. in ejus auxilium miserat, vincuntur. Symmach. epist. X, 68. *Honorium*, primo ætatis anno consulem esse factum, disertis verbis declarat Claudianus (VIII, 154 sqq. et 627 sqq.), quo etiam contra Gruthungos prospere pugnatum sit. Quod si verum est, natales ejus in sequentem annum incidunt, contra Socratem (V, 12.), Idacium et Marcellinum in Chronicis.

A. C. 385.

Arcadio Augusto et *Bautone* seu *Baudone* coss.

Flaccilla, uxor *Theodosii* M., mater *Honorii*, et *Pul-*

cheria, ejus filia, moriuntur. Gregor. Nyss. orat. funeb. in Flaccill. et Pulcher.

A. C. 386.

Honorio Cæsare et *Evodio* coss.

Theodosius et *Arcadius* contra Gruthungos proficiscuntur, qui cum rege suo *Odotheo* Danubium transire parabant, eosque repellunt. Zosim. IV, 35. Claudian. VIII, 623 sqq.

A. C. 387.

Valentiniano Augusto VI et *Eutropio* coss.

Hoc anno, *Maximus*, paratis clam copiis, subito per Alpes in Italiam descendit, et *Valentinianus* cum *Irene* matre, quum in civibus suis, quos, Arianæ disciplinæ favendo, a se alienaverat, nihil spei positum haberet, nave conscensa, Thessalonicam confugit. Quo etiam *Theodosius* M. venit; quumque illis Arianos errores exprobrasset, unde illa calamitas fuisset orta, mittit legatos ad *Maximum*, ut provincias occupatas *Valentiniano* restitueret, bellumque summa vi parat. Pacat. in Panegyr. V et. XII, 32. Zosim. IV, 42. Sozomen. VII, 14. Theodoret. V, 14.

A. C. 388.

Theodosio Augusto II et *Cynegio* coss.

Quod quum *Maximus* recusasset, æstate cum exercitu contra eum proficiscitur. In hanc expeditionem,

Honorium quoque abduxit, seu eum postea, parta victoria, Constantinopoli in Italiam arcessivit: utrum verum sit, parum constat. Claudian. XXVIII, 111 sqq. Primo prælio ad Savum, haud procul a Siscia, ducem *Maximi* fundit fugatque. Pacat. l. c. 34; secundo ad Dravum, prope Petavium, *Marcellinum Maximi* fratrem in fugam vertit. Pacat. l. c. 35. *Theodosius* fugientem *Maximum* strenue insequitur, Aquileiamque, quo ille confugerat, vi capit, tyrannusque ei catenis oneratus traditur. Pacat. l. c. 44. Oros. VII, 35. Socrat. V, 14. *Arbogastes*, cujus opera in hac expeditione magna fuerat, *Victorem* Maximi filium, contra quem in Galliam missus erat, capit atque interficit. Victor. Epit. 48. Ceterum devictis *Theodosius* pepercit, clemensque fuit in *Maximi* uxorem et filios. Claudianus (VIII, 111 sqq.) de clementia ejus universe loquitur.

A. C 389.

Timasio et *Promoto coss.*

Valentiniano in regnum restituto, *Theodosius*, qui hiemem Mediolani egerat, Romam cum *Honorio* proficiscitur. Eo quoque Persarum legati venisse dicuntur. Claudian. VIII, 70 sqq. et XXVIII, 69 sqq. Triumphasse *Theodosium* colligi potest ex Claudian. XXVIII, 67. Pacat. l. c. 47; sed v. Gothofred. in Chronic. h. a. Pacatus panegyricum suum recitavit. Eodem, aut sequentis anni principio, *Eucherius Stilichoni* ex *Serena* videtur natus esse. Claudian. XXIV, 176 sqq.

A. C. 390.

Valentiano Augusto IV, et *Neote* coss.

Ubi *Theodosius* Romæ tres menses commoratus est, Mediolanum rediit, hiememque ibi peregit.

A. C. 391.

Tatiano et *Symmacho*, vel *Lucio Aureliano Aniano Symmacho*, et *Tito Fabio Titiano* coss.

Vere primo, *Theodosius* Constantinopolim cum exercitu rediit. Hoc anno *Rufinus*, qui virum bonum se simulando, benevolentiam *Theodosii* sibi conciliaverat, cujusque mores et res gestæ accerrime perstringuntur a Claudiano (III, 176 sqq.), *Promotum* per insidias interficit, barbaris eum objiciendo. Zosim. IV, 51. Ad cujus cædem vindicandam *Stilicho*, missus a *Theodosio*, ab eodem, instinctu *Rufini*, qui Hunnos concitaverat, ut Thraciam invaderent, jussus est pacem facere cum illis, quos delere potuisset. Claudian. III, 316 sq. 331 sq. XXI, 112 sqq.

A. C. 392.

Arcadio Augusto II et *Flavio Rufino* coss.

Valentinianum Arbogastes clam interficit. Ambros. orat. funebr. in Valentin. et epist. 57. Zosim. IV, 54. Socrat. V, 25. Sozomen. VII, 22. Philostorg. XI, 1. Oros. VII, 35. *Eugenio*que Augusto constituto, legatos mittit ad *Theodosium*, qui rogarent, ut Imperatorem agnosceret eum, quem exercitus et cives ad hanc di-

gnitatem evexissent. Benigne quidem legati accipiuntur, nihilominus tamen bellum summa vi paratur. Eodem anno, *Rufinus Tatianum*, Præfectum Orientis, et *Proclum* illius filium, Præfectum urbis, criminationibus suis in invidiam adduxit, atque perfecit, ut hic interficeretur, ille in exilium ageretur. Hoc facinus respexit Claudian. III, 246 sq. idem v. 249 sqq. refert, *Stilichonem* solum *Rufini* sceleribus, per quæ opes suas firmare studeret, restitisse, communeque perfugium miserorum fuisse. Egregie illi duumviri inter se comparantur. l. c. 297 sqq.

A. C. 393.

Theodosio Augusto III et *Abundantio* coss.
in Occidente *Eugenio* tyranno cos.

Totus hic annus in belli apparatu a *Theodosio* consumitur, qui etiam de expeditionis eventu sollicitus, *Eutropium* spadonem in Ægyptum (ad *Joannem* monachum in Thebaide, haud procul a Lycopoli, versantem, ut commemorat Sozomenus VII, 22.) misisse dicitur. Claudianus (XVIII, 312 sqq. et XIX, 37 sqq.) de oraculo tantum loquitur per somnium capto. Quum *Honorium* Augustum appellasset *Theodosius*, (Claudian. VII, 83 sqq. VIII, 196 sqq.)

A. C. 394.

Arcadio Augusto III et *Honorio Augusto* II, vel *Arbogaste* et *Flaviano*, coss.

Constantinopoli cum exercitu, magnam partem ex barbaris conscripto (Claudian. VII, 68 sqq. XXI, 154 sqq.) inter quorum duces etiam *Alaricus* fuisse per-

hibetur (Zosim. V, 4.), profectus est. Pugnam non procul ab Aquileia, cupidius magis quam verius describit Claudianus, VII, 89 sqq. cf. Zosim. IV, 58: Victus *Arbogastes* sibi ipse manus infert. Claudian. l. c. 102 sqq. *Eugenius* captus, ante pedes victoris a suis ipsius militibus interficitur. Ceterum clementiam *Theodosii* in victos celebrat idem VIII, 111 sqq. Ambros. epist. 16. Augustin. de Civit. D. V, 26. Parta victoria, legati a senatu Romano missi ad *Theodosium* veniunt, ut *Olybrio* et *Probino* consulatum impetrent. Claudian. I, 113 sqq. *Honorius* (quem comitem itineris a patre statim fuisse abductum narrat Zosimus IV, 58.) Constantinopoli cum *Serena* arcessitur. Claudian. VII, 111 sqq. VIII, 390 sqq. XXVIII, 90 sqq. atque cum patre triumphat. Claudian. VII, 126 sqq.

A. C. 395.

Sex. Anicio Olybrio et *Sex. Anicio Probino* coss.

Theodosius, quum jam reditum pararet Constantinopolim, in morbum incidit, ex subita commutatione otii cum longi itineris et belli laboribus contractum, finemque vitæ adesse sentiens, *Stilichoni*, remotis (ut Claudianus, VII, 142 sq. ipse fatetur, et quod historico minime est prætereundum) arbitris, utriusque filii curam et tutelam demandat. Claudian. V, 5 sq. VII, 151 sqq. VIII, 432 sqq. XXI, 140 sqq. XXII, 53 sqq. Hujus rei quoque testis est Olympiodorus historicus, cujus historiæ summam servavit Photius in biblioth. pag. 178. ed. Rothomagi 1653. Nec diu post moritur, XVI ant. cal. februar. Ambros. orat. funebr. in Theodos. Zosim. IV, fin. Claudian.

VII, 163 sqq. Ad imperii fines tutandos, *Stilicho* fœdera renovat cum Francis, Alemannis reliquisque Germaniæ populis ad Rhenum. Claudian. VIII, 439 sqq. XXI, 188 sqq. Itaque sapienter milites diversarum partium tractavit, ut animis rursus coalescerent, *Theodosiique* filiis imperium conservaretur. Claudian. V, 115 sqq. XV, 292 sqq. XXI, 148 sqq. *Rufinus* interim suis rebus prospiciens, filiam suam *Arcadio* matrimonio jungere cogitabat. Sed dum iræ, quam in *Lucianum*, Comitem Orientis, conceperat, satisfaceret, paucisque diebus Constantinopoli Antiochiam contenderet, ut ab inimico ipse supplicium caperet, *Eutropius* spado et Præfectus sacri cubiculi, *Arcadio* persuasit, ut *Eudoxiam*, *Botonis* ducis, qui Francus erat, consulque (385) fuerat, filiam in matrimonium duceret. Quum igitur *Rufinus* rediisset, dieque nuptiis præstituta exspectaret, suam filiam ab *Arcadio* deductum iri, præter opinionem, *Eudoxia* solemni pompa arcessitur. Zosim. V, 3. Hujus rei Claudianus nullam mentionem facit. Ad *Luciani* supplicium alludere illum putant III, 240 sqq. cf. Zosim. V, 2. Jam vero *Rufinus* auctoritati suæ timens, excitandis undique barbaris, ut provincias imperii invaderent, omniaque rursus suis consiliis regerentur, ipseque in tanta rerum confusione socius imperii assumeretur, perficere studuit. Claudian. V, 22 sqq. 297 sqq. Gothi, *Alarico* duce, Macedoniam invadunt et Thessaliam, ipsaque Constantinopolis a barbaris obsidetur. Claudian. V, 54 sqq. *Stilicho*, nam de omnibus jam olim, quæ Constantinopoli agebantur, certior factus erat a Serena conjuge ibi relicta, (Claudian. XXIX, 237 sqq. vel suis rebus consulturus, imperiique totius administrationem sibi vindicaturus, vel, ut præ se fereba

Arcadio auxilium laturus, toto cum exercitu contra barbaros proficiscitur. Claudian. V. 101 sqq. Cujus itineris nuncio Constantinopolin perlato, *Rufinus* ab æmulo potestatis timens, edictum extorquet ab *Arcadio*, quo ille, qui jam signa illaturus erat barbaris, jussus est, parte exercitus remissa, ipse in Occidentem reverti. Claudian. V, 141 sqq. Quod consilium *Rufino* parum prospere cessit, nam *Stilicho* invidiam timens, ni paruisset (poterat etiam de filiabus et filio, qui Constantinopoli versabantur, sollicitus hoc facere. Claudian. V, 95 sq. ab eodem XXII, 95 sqq. inducitur maluisse *hostem muniri robore, quam peccare fidem*), milites Orientis remittit, quos suis partibus addictos jam reddiderat, orationeque satis instigatos. Claudian. V, 219 sqq. et 250 sqq. a quibus *Rufinus*, quum frustra eos sibi conciliare studuisset, crudeli exemplo interficitur. Claudian. V, 348 sqq. XXII, 95 sqq. Symmach. epist. IV, 14. Philostorg. XI, 3. Socrat. VI, 1. Vel a Claudiano ipso (V, 266 sq.), *Stilicho* in suspicionem adductus videri potest, eum cædis conscium fuisse. Cæterum, principio ejus anni, Claudianus panegyricum suum in *Probum* et *Olybrium* coss. recitavit.

A. C. 396.

Arcadio Augusto IV, *Honorio Augusto* III, coss.

Claudianus, quum panegyricum, in tertium *Honorii* consulatum scriptum, recitaret, parum cogitasse videtur, *Rufino* sublato alterum *Rufinum* oriturum, et *Arcadium* ab *Honorio*, qui fratres concordes facti videbantur, orbemque terrarum communi consilio, *Stilichone* moderante, recturi (Claudian. XV, 4 sq.

XX, 545 sqq.), iterum alienaturum esse. Claudian. VII, 189 sqq. neque magis de nuptiis *Honorii* et *Mariæ*, quod liquet ex Claud. VIII, 642 sqq. Sed Gothi, qui jam Thessaliam invaserant, quum *Antiochus* proconsul, et *Gerontius*, Thermopylarum custodiæ præfectus, militibus per proditionem abductis, claustra barbaris aperuissent, Græciam invadunt et Peloponnesum, omniaque igni et ferro vastant. Hoc autem accidit, antequam Claudianus secundum librum in Rufinum scripsisset. Claud. V, 186 sqq. Quibus auditis, *Stilicho* e mari Adriatico classe profectus (hoc innuit Claudian. X, 178 sq.), ad Peloponnesum appellit, secundisque aliquot præliis usus, Getas in monte quodam Arcadiæ, Pholoen, ad fontem Penei putant, obsedit. Huc pertinet carmen Claudiani, quod quarto loco positum est, proculque dubio carmen ipsum, quo Stilichonis res gestas in Græcia celebravit, cuique illa præfatio fuerat præfixa, vel temporum, vel inimicorum injuria interceptum est. Eadem expeditio intelligenda est Claudian. VIII, 460 sqq. XXI, 181 sqq. Verum barbari, vel ipsius *Stilichonis* negligentia (Oros. VII, 37. Zosim. V. 6.), vel quia *Arcadius*, *Stilichonem* magis quam barbaros timens, *Eutropio* auctore pacem cum Getis fecerat (Claudian. XXVI, 513 sqq.), evasere in Epirum, eorumque dux *Alaricus*, Magister militum, in Illyrico occidentali constituitur. Claudian. XX, 214 sqq. Quam provinciam illum tanquam suum regnum obtinuisse, significat Claudianus (XXII, 104 sqq.); fore enim tempus, poeta dicit, ubi tributa Illyrica aulam occidentalem rursus ditent. Idem *Honorium* querentem inducit (XV, 453 sq.), ob Illyricum amissum. Alii dicunt, fraude hoc factum esse *Stilichonis*, ut illæ terræ *Ho-*

norio custodirentur. Olympiodor. ap. Photium l. supra l. Ibi quoque barbari armis ferreis instruuntur, quibus antea caruerant, Claudian. XXVI, 566 sqq. ipseque *Alaricus* ab illis rex declaratur, clipeo de more sublatus. (Jornand. de reb. Get. 29), fidemque suam modo *Honorio*, modo *Arcadio*, plus semper licitanti, addicit. Claudian. XXVI, 566 sqq. Quanquam autem *Stilicho Arcadio* paruisset, tamen Constantinopoli hostis publicus declaratur. Zozim. V. 11. Forsan hoc respicit Claudianus, XXII, 81 sqq. Eodem anno, *Abundantius* qui *Eutropium* ad dignitatem tantam provexerat, ab eodem relegatur. Claudian. XVIII, 154 sqq. Zozim. V, 10.

A. C. 397.

Fl. Cæsario et *Nonio Attico* coss.

Gildo, qui jam sub *Theodosio* in bellis contra *Maximum* et *Eugenium*, dubiæ fuerat fidei (Claudian. XV, 241 sqq.), ab *Eutropio* nunc sollicitatur, ut ab *Honorio* aperte desciscat. Multas saltem urbes Africæ a *Gildone* traditas, *Arcadius* accepisse dicitur (Claud. XV, 259 sqq. cf. XXI, 271 sqq.), ducesque *Honorii* complures muneribus corrupisse. Claud. XXI, 277 sq. Instinctu autem *Eutropii* hoc factum esse, ut *Stilichonis* animus a rerum orientalium cura averteretur, auctor est Zozimus, V, 11. Qua de re *Stilicho* quum ad senatum, more majorum, retulisset (Cl. XXI, 325 sqq.), *Eutropius* hostis publicus declaratur, bellumque contra illum decernitur. Cf. Claudian. XV, 163 sqq. XXI, 246 sqq. XXIV, 85 sqq. Ammian. Marcellin. XXIX, 5. Zozim. V, 11. Hieronym. epist.

9 et 11. Augustin. epist. 64. Oros. VII, 36. Navibus frumentariis a *Gildone* retentis, Romæ fames esset orta, nisi *Stilicho* ex Gallia in Italiam frumentum deducendum curasset. Claud. XVIII, XXII, 402 sqq. 393 sqq. XXIV, 91 sqq.

A. C. 398.

Honorio Augusto IV et *Eutychiano* coss.

Claudianus panegyricum in quartum consulatum *Honorii* recitat, pompamque consularem Mediolani actam describit VIII, 565 sqq. Mirum sane est quod, in illo carmine, *Gildonis* nulla mentio fit; fortasse hoc inde prætermissum est, quia de hujus belli exitu, quem timuisse ipse *Stilicho* videbatur, quum adversæ fortunæ subsidia jam parata haberet (Claud. XXI, 364 sqq.), nuncius nondum Mediolanum erat perlatus. Sed in spem victoriæ poeta auditores videtur, non disertis quidem verbis, erexisse. Claud. l. c. 619 sqq. Hoc quoque anno, *Honorius Mariam*, *Stilichonis* et *Serenæ* filiam, in matrimonium duxit, dum ipse *Stilicho* in apparandis belli subsidiis esset occupatus. Claudian. X, 190 sqq. XXI, 2 sqq. XXII, 74 sqq. XXIII, 91 sqq. Cujus rei consilium *Stilicho* vel subito cepisse, vel hactenus occuluisse putandus est, quum anni hujus principio de certis *Honorii* nuptiis nondum cogitaretur (Claudian. VIII, 642 sqq.), quas ut olim sibi celebrare contingat, poeta exoptat. Eas autem æstate esse factas, plura epithalamii loca significare videntur. Interim *Maszezel*, qui contra *Gildonem* fratrem, ob liberorum suorum necem iratus, cum copiis in Africam missus erat (Claudian. XV, 389 sqq. 504 sqq. XXI, 325 sqq.), illum prælio vicit. *Gildo*, nave

conscensa, fugam tentat, sed tempestate in portum Tabraca relatus, capitur, ludibrioque et vexationibus plebis exponitur. Quo facto, in custodiam conjectus, vitam laqueo finit. Claudian. XXI, 358 sqq. Zosim. V, 11. Ex illa licentia in captum *Gildonem*, plebi concessa, id forsan natum est, quod poeta gloriatur (XXI, 362 sqq. XXIV, 99 sqq.), populum judicem constitutum esse in causis magistratuum provincialium. Eodem anno, Asia minor a barbaris vastatur, quos Armenios fuisse liquet ex Claudian. XIX, 55 sq. Contra hos mittitur *Eutropius* spado, qui redux victorem agit, et ob res quasi bene gestas, consulatum petit. Claudian. XVIII, 243 sqq.

A. C. 399.

Mallio Theodoro et *Eutropio* spadone coss.

Claudianus panegyricum in *Mallii* consulatum, non principio anni, sed eo tempore recitasse videtur, quum remoto jam *Eutropio*, Augusti fratres in gratiam rediissent. Claudian. XVII, 166 sqq. *Sapor* rex Persarum a suis interficitur. Claudian. XX, 474 sqq. *Varanem* seu *Vararanem* eum fuisse alii dicunt. Abulfarag. pag. 91. Eutych. tom. I. pag. 584. Agath. Scholast. IV. pag. 96. ed. Venet. Script. Byzant. Primo vere, aula constantinopolitana Ancyram proficiscitur. Claudian. XX, 95 sqq. Quum inde rediisset, nuncius affertur, *Targibilum* Geticæ alæ ducem, quem *Eutropius* offenderat, Phrygiam igni ferroque vastare. Claudian. l. c., 274 sqq. Illum donis eunuchus frustra tentat mitigare: l. c., 314 sqq. Tandem *Leo* contra illum mittitur, quem belli rudem *Targibilus*, fuga si-

mulata, in insidias perductum repente opprimit: l. c., 432 sqq. *Leo*, limo mersus, sola formidine perit: l. c. 441 sqq. Quid *Eutropio* post acciderit, innuit tantum Claudianus carmine XIX. Posterioris in *Eutropium* carminis pars extrema, quæ fata ejus continuisse videtur, casu periit, et, ni fallor, prius quoque in eumdem fine est truncatum. Cf. Zozim. V., 13 sqq. Chrysostom. Homil. in Eutrop. Socrat. H. E. VI. 6. Sozomen. VIII, 7. Philostorg. XI, 16. Probabile autem est, *Stilichonem*, auditis turbis, quibus res Orientis premerentur, bellum *Arcadio* ostendisse, ni *Eutropius*, consulatu abrogato, in exilium mitteretur. XVIII, 500 sqq. Hoc autem factum esse videtur per literas, l. c. XIX, 19 sq. Sensus enim languet, si intelligis epistolam *Arcadii* ad Præfectum Prætorio missam. Atque, nisi hujusmodi quid accidisset, non sane ausus fuisset dicere l. c. XXI, 8, *Oriente subacto*, h. e. remoto *Eutropio*, instigatore Arcadii, qui in causa fuerat, quominus Occidens cum Oriente communi consilio, i. e. auctoritate *Stilichonis*, regeretur. Verum, quamdiu illa rerum concordia manserit, hoc loco non quæritur; sufficit ita rem sibi finxisse Claudianum: cf. etiam l. c. XXI, 295 sqq. Cæterum *Stilicho* cavit, ne Romam senatui nunciaretur, *Eutropium* spadonem consulem esse factum, ejusque nomen in fastos recipi vetat. Claud. XX, 123 sqq. XXII, 301 sqq. Hoc anno, scripsit et recitavit Claudianus carmen in *Gildonem*, cujus altera pars periit, panegyricum in *Mallium Theodorum*, duo carmina in *Eutropium*, et tria in *Stilichonem*, quæ principio sequentis anni statim erant recitanda.

A. C. 400.

Fl. Stilichone V. C. et *Aureliano* coss.

Claudianus recitat carmina XXI, XXII, XXIII, XXIV, quorum causa, decreto senatus et jussu Principis, statuarum honore afficitur. Claudian. XXV, 7 seq.

A. C. 401.

Vincentio Celso et *Fl. Fravita* seu *Fravito* coss.

A. C. 402.

Arcadio Augusto V et *Honorio Augusto* V coss.

Versus finem prioris anni, ut mihi quidem videtur, quo tempore exercitus Romanus in Rhætia occupabatur, *Alaricus* subito Alpes transcenderat, Italiam expilaturus. Claudian. XXVI, 205 sq. 278 sq. XXVIII, 440 sqq. *Stilicho* hieme per Alpes in Rhætiam contendit, l. c. XXVI, 314 sqq. ibique labantem jam barbarorum militum fidem confirmat, l. c. 380sqq. atque undique copias contrahit, l. c. 404 sqq. Interim *Honorius*, relicto Mediolano, quam urbem parum tutam esse existimaverat, Astam, ut vulgo putant, se contulit, obsessusque ibi, pacis conditiones sibi oblatas, *Stilichonis* fiducia, constanter rejecit. Claud. XXVIII, 443 sq. Stilicho in Italiam cum exercitu properat, et *Honorium* ab obsidione liberat, l. c. 453 sqq. Sequitur pugna ad Pollentiam, IV ant. cal. april. Alanis, quorum fides dubia habebatur, primus in hostem impetus committitur, sed cæso duce, magna clade repelluntur, l. c. 567 sqq. Tunc pedite admoto, hostes

Stilicho in fugam vertit. Ex studio Claudiani ipso, quo *Stilichonis* prudentiam celebrat, qua Getas ex Italia incolumes dimiserit, apparet, victoriam illam non admodum amplam fuisse, quam tantopere verbis extollit. conf. Claudian, XXVI. 90 sqq. 589 sqq. Prudent. c. Symmach. II, 692 sqq. Fuerunt quoque, qui contenderent, Italiam a *Stilichone* fuisse proditam. Rutil. Itiner. II, 41 sqq. Æquo marte pugnatum esse perhibent Oros. VII, 37, Prosper in Chron. Romanos victos fuisse narrat Jornandes de reb. Get. 30. Claudianus tradit l. c. 204 sqq. et 303 sqq. *Alaricum* fœdere dimissum esse, ex quo Italia decederet, sed illud fœdus esse ab eo violatum, belloque inde renovato, prope abfuisse, quin a Stilichone caperetur, l. c. 223 sqq. Ceterum, quæ de clade ad Veronam Claudianus narrat, obscura sunt, et forsan ad annum sequentem pertinent.

A. C. 403.

Theodosio Jun. Augusto et *Rumorido* coss.

Alaricus, reliquiis exercitus in monte collectis, a *Stilichone* obsidetur, Claudian. XXVIII, 238 sqq. subitoque, quum jam a majore militum parte desertus esset, evasit, l. c. 320 sqq.

A. C. 404.

Honorio Augusto VI et *Aristenæto* coss.

Claudianus recitat panegyricum in VI consulatum *Honorii Augusti*.

GENUS
THEODOSII M. AUGUSTI.

Theodosius, *Comes* Africæ, ex Hispania et gente Ulpia Trajani oriundus, rem gessit in Britannia et Africa, mortuus A. C. 377. Uxor ejus *Thermantia.*

Fl. Theodosius M. n. 346. Cæs. August. ab 379. mort. 395. Uxores 1. *Ælia Flaccilla*, mort. 385, 2. *Galla Placidia*, mort. 390.

Honorius mature obiit in Hispania. Uxor *Maria*, ex nobili apud Hispanos gente orta.

Arcadius n. 377. Augustus a patre dictus 383. Imperator Orientis ab A. 395. mort. 408.

Honorius n. 384. Cæs. 393. Imper. Occid. ab A. 395. mort. 423. uxores 1. *Maria*, 398, 2. *Thermantia* filiæ Stilichonis.

Thermantia Duci alicui nupta.

Serena adoptata a patruo. Laqueo necata jussu Honorii, cujus ob adoptionem soror, et per duas filias socrus erat. Maritus *Fl. Stilicho*, Vandalus, Comes et Magister utriusque militiæ. Periit jussu Honorii Ravennæ A. 408.

Eucherius interfectus jussu Honorii A. 408.

Maria uxor Honorii.

Thermantia, post sororis obitum, uxor Honorii.

I.

CL. CLAUDIANI

PANEGYRIS,

IN CONSULATUM

PROBINI ET OLYBRII

FRATRUM.

ARGUMENTUM.

Poeta invocat Solem, ut diem, quo Probinus et Olybrius fratres consulatum ineant, illustriorem faciat, quum plurimi ex illa familia consules fuerint; 1—10. Nobilitatem deinde totius gentis celebrat, ordine non interrupto per filios semper auctam, reliquasque gentes facile superantem; 10—28. Jam ad parentes duumvirorum ipsos procedit, quorum gloria per omnem terrarum orbem propagata sit; 29—38. Laudat constantiam Probi, liberalitatem et res publice gestas; 39—60. A filiis modo victus est, qui nulla ambitione et statim consules facti sunt, idque ipsum ante ætatem juvenilem; 61—70. Invocata de more Musa, tantæ fortunæ causa per fictionem exponitur. Ad gratiam Probo solvendam Roma dea currum parari jubet; 71—82. Ipsa cultu Minervæ, qui describitur fusius, insilit, et ad Alpes properat hostium strage a Theodosio M. patefactas; 83—112. Imperator, qui cum Marte comparatur a bellico labore fesso, humi residens causam itineris ex illa quærit, et cur Italiam reliquerit, simulque testatur, se imperata ejus semper facturum, eique obtemperaturum esse; 113—135. Ad hæc illa, se neutiquam, inquit, ignorare, quæ gesserit pro se; precari

autem, ut reliquis officiis unum addat; 136—141: se fovisse semper Probi filios, quibuscum nemo veterum Romanorum possit comparari; eos literis operam dare, eloquentes esse, moribus incorruptis et graves; 142—155: illis se consulatum petere; 156—163. Imperator respondet, quum Probi merita nunquam obliturus sit, precibus ad hæc nihil opus fuisse; 164—173. Quo Romam nunciato omnes lætantur; materque fratrum, cujus laudes inseruntur, vestimenta parat consularia, quemadmodum Latona olim Apollini et Dianæ festos cultus; 174-204. Filii bonis ominibus munus adeunt; 205—208. Quibus auditis pater Tiberinus, cujus habitus accurate describitur, urna Nymphis commendata, sedes suas relinquit; 209—225. In insula Tiberis consistens prospicit pompam consularem, atque mirabundus, vel Ledæ filios, inquit, nihil esse ad illos fratres, qui mox illorum vices in cælo sustenturi sint; 226—246. Quo facto omnes fluvios excitat, ut istum diem festum concelebrent, Nymphasque jubet epulas parare; 247—265. Tandem poeta optat, ut felix hic annus consulibus sit; 266—279.

Sol, qui flammigeris mundum complexus habenis
Volvis inexhausto redeuntia sæcula motu,

Sextus Anicius Probinus, et *Sextus Anicius Hermogenianus Olybrius*, et *Anicius Probus* fuere filii *Aniciæ Faltoniæ Probæ* ex *Sexto Anicio Petronio Probo*. Patris *Probi* res gestas narrat *La Carry* in hist. Gallor. sub Præf. Prætorio p. 47 seq. Aniciorum stemma exhibet Reines. epist. LXIX, ad Rupert. pag. 633. Inscriptio hujus carminis incerta est. Ii autem, qui tres fratres consules in inscriptione ponunt, et a Fastis refelluntur, et ab ipso poeta v. 72. Barthio hoc carmen reliquis minus probatur, et videtur sane non uno in loco vel mutilatum esse, vel alia ratione corruptum. Ab hoc carmine se esse exorsum testatur Claudianus XLII, 13 sq. Ex hoc autem colligi nequaquam potest, eum ante nunquam Musis litasse.

1, sq. *Solem* adhortando, ut illustrioribus radiis hunc diem celebret, Noster carmen hoc auspicatur. Comparetur Auson. Eidyll. IX, 3 sqq.—*habenis* pro curru: Virgil. Æn. XII, 471. Valer. Flacc. VI, 303.—*Flammigeris* Ovid. Met. II, 388. *Portantes lumina currus*.—*Mundum complexus*, id est, qui orbem terrarum ambis. Stat. Theb. III, 503 sq. Rutil. Itin. I, 77 sq. nam *mundus* sæpe pro terra ponitur. Sil. Ital. III, 611, et Nost. infra XVII, 51. De motu telluris a sole pendente, non est cogitandum, ut facit Gesner.

2. *Volvis redeuntia sæcula*. Tem-

Sparge diem meliore coma; crinemque repexi
Blandius elato surgant temone jugales,
Efflantes roseum frænis spumantibus ignem.
Jam nova germanis vestigia torqueat annus
Consulibus, lætique petant exordia menses.

porum spatia, quæ certis intervallis iterum incipiunt, orbis re ipsa se circumagentis instar cogitantur. Sol autem dici potest tempora *volvere*, quandoquidem ille cursu suo annuo spatia temporis sine fine labentis distinguit. — *Sæcula redeuntia* sunt tempora, quæ semper de novo incipiunt, et in orbem quasi redeunt. Virgil. Georg. II, 401 sq. « redit agricolis labor actus in orbem, Atque in se sua per vestigia volvitur annus. » Cf. et Eclog. IV, v. 4. — *Inexhausto*, indefesso.

3, 4. *Sparge diem.* Cf. infra XXII, 422 sqq. Quint. Calab. VIII, 1. Sic quoque Sil. Ital. V, 96; idem IX, 34, Phœbum dicit *spargere radiis gargana cacumina*: cf. eumdem XV, 223, et Val. Flacc. III, 257. — *Diem*, lucem. — *Meliore coma* radiis illustrioribus. Cf. Stat. Theb. III, 409, et Ruperti ad Sil. Ital. I, 358. — *Crinem repexi* pro: crine compto, infra XXII, 240; XLVIII, 10. — *Blandius* quidem, ut Gesnerus bene animadvertit, neque ad *elato*, neque ad *surgant* accommodatum est; spectat tamen ad festiviorem equorum habitum; neque inde sequitur, ut *rubeant* pro *surgant* legendum sit, præsertim quum versus sequens ruboris notionem exprimat. Heinsio quidem *rubeant* placuit, eamque lectionem multis exemplis ex Statio firmare studet. Hoc certum est, *surgant* eadem ratione jam in *elato temone* latere, qua *rubeant* in versu sequenti. Verum *eloto temone* illud *surgant* veluti depingit, et *rubeant* auribus tantum blanditur. Occurrunt tamen infra XXXVII, 9 seq. *rubentes equi Solis*. Cæterum cf. Ovid. Met. II, 63 sqq. Idem (Metam. XI, 257 sq) in occasu describendo habet *inclinato temone*. Infra XXXV, 196, est *obliquo temone reverti*.

5. *Efflantes roseum... ignem*. Ovid. loc. cit. 154 sq. Virgil. Æn. XII, 114 sq. Sil. Ital. XII, 508 sq. Ducta idea ab equis generosis calidum vaporem ex naribus crebro spirantibus: Sil. Ital. VI, 230 sqq. et infra VIII, 546 sq. — *Roseum ignem* a colore lucis matutinæ sumptum. Ad spumam sanguine mixtam hoc loco saltem poeta non respexit, ut existimat Gesnerus auctoritate Servii et *La Cerdo* (ad Virgil. Georg. III, 203) nitens. Longe alia res est infra VIII, 547, et XXXV, 203; quo pertinent etiam Sil. Ital. XII, 254, et XVI, 357 sq. — *Frænis spumantibus* animos equorum exprimit.

6, 7. *Annus*. De anno ad solis cursum temperato, qui rursus incipit, quando sol ad tropicum Capricorni delatus est, non agitur, sed de anno consulari. — *Annus nova vestigia torqueat*, pro: annus novus redeat, incipiat. Detracto ornatu sensus est: consules novi munus suum adeant. *Vestigia torquere* habet quoque Virgil. Æn. III, 668. Vul-

Scis genus Auchenium, nec te latuere potentes
Anniadæ : nam sæpe soles ductoribus illis
Instaurare vias, et cursibus addere nomen.
His neque per dubium pendet Fortuna favorem,
Nec novit mutare vices : sed fixus in omnes
Cognatos procedit honos. Quemcumque requires
Hac de stirpe virum, certum est de consule nasci.
Per fasces numerantur avi, semperque renata

garius est *flectere vestigia*, ut apud Ovid. Met. I, 372. — *Petant exordia*, incipiant, ut ap. Virg. Ecl. IV, 12. In priori versu dixerat Noster: novus annus incipiat; et in hoc dicit: lætus annus sit. Burmann. conj. *læti repetant*.

8, 10. *Scis*, sc. o Sol. *Genus Auchenium*. Nomen *Auchenium* Aniciæ genti Heinsius vindicat ex vetere inscriptione. Burmann. laudat Reines. Inscr. cl. VI, 2. Fabrett. Inscr. II, 225. Gudian. Inscr. p. CXIV, 1, et ibi notas. — *Anniadæ* cum Ancheniis vel sanguine vel affinitate conjuncti erant : *potentes* ob fortunæ favorem et perpetuum fere in illa familia consulatum. Cf. Auson. epist. XVI, 27 sqq. *ductoribus illis*. Consules dicebantur *ducere* annum, seu incipere, quia nomina eorum in fastis prima legebantur. Sil. Ital. II, 10. Eadem fere ratione Janum *ducentem tempora* vocat Lucan. V, 6. — 10. *Instaurare vias*, de novo incipere, Stat. Silv. IV, 1, 17 sq. *Cursibus* sc. annuis, pro : annis. *Addere* pro : dare, ut sæpe occurrit. Conf. Vulp. ad Tibull. I, 2, 1.

11, et sq. De nobilitate totius gentis agitur. *His* Ancheniis et Anniadis. *Pendet*. *Pendere* is dicitur, qui nondum apud se statuit, quid faciat, transferturque ad fortunam, eventum c. Sil. Italic. IX. 356; Lucan. V, 602; X, 542. *Per dubium favorem*. Heinsius positum arbitratur pro : a dubio favore; et Burmannus explicandi gratia adjicit : Principum, seu imperatorum. Possunt autem illa ad Fortunam trahi, ut *per dubium favorem* sit simpliciter positum pro : dubia, incerta. Cæterum similem hujus præpositionis usum explicant et illustrant Heyne ad Virgil. IX, 31; Drakenborch. et Heins. ad Sil. Ital. XV, 145; Burmann. ad Valer. Flacc. I, 767.

12. *Mutare vices*, quod de terra usurpat novam speciem induente Horatius Od. lib. IV, 7, 3, oppositum est τῷ *servare vices*, quo utitur Virg. Æn. IX, 222. Sub *vices* autem intelligitur ordo, quo dignitas consularis a patribus ad filios semper transfertur : cf. 14 sqq. v. 13. *Honos fixus*, a fato quasi in perpetuum assignatus, constans. V. 14. *Hac de stirpe*. Hieronym. ad Demetriad. apud Delrium : *Scilicet nunc mihi Proborum et Olybriorum repetenda sunt nomina, et illustre Anicii sanguinis genus, in quo aut nullus est, aut rarus, qui non meruerit consulatum.*

15. Claverius notat : Ab initio

Nobilitate virent; et prolem fata sequuntur,
Continuum simili servantia lege tenorem.
Nec quisquam procerum tentat, licet ære vetusto
Floreat, et claro cingatur Roma senatu,
Se jactare parem : sed, prima sede relicta

principatus Constantini M. Probi stemma effloruit, eoque quartum consule fuit Probianus, vel Probinus proconsul Africæ, dein Crispo consule Probianus, sub Constantio Olybrius proconsul Africæ, dein præfectus Urbi, exiu Probus præfectus Prætorio, postea consul cum Gratiano, postea Olybrius consul cum Ausonio. Ipse vero Probus longo tempore domum sua luce claravit, donec Olybrius et Probinus fierent consules. Hactenus ille: *Per fasces numerantur* cum delectu pro : omnes consulari gaudebant dignitate. Eodem sensu et colore dixit Virgil. Æn. XII, 530 :
Per regesque actum genus omne Latinos.
— *Renata nobilitate*, id est, quum nepotes nobilitatem avitam consulatu parto semper renovarent. — *Et prolem fata s.* Filios fortuna patrum non deserit, ita ut dignitas consularis nascentibus jam sit certa et explorata.

17. *Continuum tenorem servantia.* Fata dicuntur *in cursu esse* et *currere*, Sil. Ital. VII, 307. Burm. ad Ov. Met. X, 401; dum igitur eumdem cursum tenent, nec remittunt, *servant continuum tenorem.* Idem de hasta dicit Virg. Æn. X, 340. *Simili lege*, ut nepotibus consulatum tribuant.

18. *Tentat.* Heins. conj. *tentet*, quod mihi quidem aptius videtur. *Ære vetusto*, id est, æneis statuis in nobilium atriis locisque publicis, pro : nobilibus. Stat. Theb. II, 214 sqq. VI, 268 sqq. Silv. II, 2, 63 sq. Burmannus hoc durum putat.

19. *Floreat*, hoc cum *Roma* jungas. *Cingatur. Roma* non urbs intelligenda est, sed dea, in cujus, quasi reginæ urbis, comitatu sunt senatores, iique dicuntur eam *cingere.* Ovid. ex Ponto IV, 9, 17 sq. Noster infra XXXIII, 108: *Te felix natorum turba coronat.* Nec obstat, quod præcessit *floreat*, quandoquidem poeta, quæ urbi propria sunt, ad deam transtulit, atque dea nobilitate *florere* dici potest, quum urbs ipsius nobilium copia insignis sit. Cf. Rutil. Itiner. I, 7 sqq. Heins. et Burmann. urbem intellexisse videntur, quorum hic cum Barthio *cingatur* cepit pro : *impleatur*, sed ipse exempla desiderat, itaque proponit : *et claro pingatur stemma senatu.* Gesnerus de corona sumptum existimat. Viri enim illustres, inquit, sunt velut gemmæ in corona Romæ deæ.

20, 21. *Prima sede relicta Anicheniis* etc. *Sedes* hoc loco pro dignitate positum est; cf. inf. XXXVI, 9 sq. Sensus : de primo loco nemo cum Ancheniis certabit, qui illis est proprius, et ab omnibus concessus; sed *de jure licet certare secundo*, sed reliquis licet inter se certare, quis secundum dignitatis locum ab Ancheniis obtineat. Qui-

Aucheniis, de jure licet certare secundo.
Haud secus ac tacitam Luna regnante per Arcton
Sidereæ cedunt acies, quum fratre recusso
Æmulus adversis flagraverit ignibus orbis:
Tunc jubar Arcturi languet; tunc fulva Leonis

dam distinguunt post *relicta*, ut sensus sit : primo loco imperatori relicto, de secundo ab imperatore loco Aucheniis certare licet. Burmannus utramque distinguendi rationem probare videtur; verum posterior commodum sensum vix præbet. Etenim si *liceat* Aucheniis de secundo loco *certare;* sequitur, ne secundum quidem locum illis concessum et proprium esse, sed alios etiam illum sibi vindicare. Non igitur inde sensus eruitur, quem tamen contextus postulat: Auchenii solis imperatoribus cedunt.

22. *Luna regnante*. Horat. Od. I, 12, 47. Quint. Calab. I, 37 sqq. — *Tacitam per Arcton*, id est, noctis silentio in septentrionali plaga. — *Arcton* hoc loco noctem significare, sunt qui disputent. Heinsius quidem comparat Stat. Theb. III (480), ubi tamen *Lycaonia umbra* non per *nocte*, explicaverim. Multo minus illi rationi suffragatur Propert. II, 18, 25, ubi *geminas Arctos* pro duabus noctibus dictum nonnulli credunt. Ibi enim noctis cursus ab Ursarum cursu et conversione exprimitur, ut apud Anacreont. III, 1 sq. et Theocrit. XXIV, 11 sqq. atque Ursarum conversionem *requievisse*, id est, cohibuisse, Jupiter dicitur, pro: noctis cursum subsistere jussisse. Apud Nostrum *Arctos* posita est pro ea hemisphæræ borealis parte, quæ noctu conspicitur, in qua lunam plenam versantem ille fingit, suisque radiis astra, alias clarissima, obscurantem.

23. *Sidereæ cedunt acies*, id est, stellæ obscurantur, earum acies obtunditur. Virgil. Georg. I, 395. —*Fratre recusso*, id est, radiis solis exceptis et repercussis. Virgil. loc. cit. Sil. Ital. IV, 480 sq. VIII, 174. Heinsius multis locis firmare studet *retuso*, quod Burmannus jure rejicit, et *retruso*, id est, abdito, probat. Verum quamquam *retrusum* a Cicerone cum *abditum* conjungatur, tamen non puto illud apte de sole dici, qui occidit.

24. *Adversis ignibus* pro: adversa, seu opposita soli. Hoc plenam lunam notat. Cf. Lucret. V, 703 sqq.

25. Quod universe jam dixerat v. 23, *Sidereæ cedunt acies*, nunc per partes ornatus causa exprimit. — *Arcturi. Arcturus* stella primæ magnitudinis et rutilo splendore in Boote. *Jubar*, de radiis stellarum et solis, Ovid. Fast. II, 149 sq. Virg. Æn. IV, 130. *Fulva Leonis ira*. In hoc quoque signo duæ stellæ sunt primæ magnitudinis: altera, quam *Regulum* vocant; altera, quam *Denebolam*. Iram Leoni tribuit, quia Sol æstate in hoc signo versatur, quando æstus maximus est. Cf. Arat. Phænom. 149 sqq. — *Fulva. Fulvus* epith. leonis est proprium; sed etiam ad sidera transfertur, Tibull.

Ira perit; Plaustro jam rara intermicat Arctos
Indignata tegi; jam caligantibus armis
Debilis Orion dextram miratur inermem.
Quem prius aggrediar? veteris quis facta Probini
Nesciat, aut nimias laudes ignoret Olybri?

II, 1, 88; et ad ignes, Virgil. Æn. VII, 76: potest itaque, ut Gesnerus quoque vidit, *fulva ira* de igneo fulgore stellarum accipi, quibus sidus hoc continetur. Cæterum cf. Senec. Hercul. Fur. 944 sq.

26. *Plaustro jam rara intermicat Arctos.* Gesnerus existimat, poetam utramque hujus sideris appellationem, Ursam (*Arcton*) et Plaustrum, conjunxisse (Hom. Il. E. 272), finxisseque geminam figuram, Ursam inter Plaustri rotas emicantem. Quam fictionem doctam equidem non dixerim. Ex aliis, quæ occurrunt apud Nostrum, locis nihil certi ad illa verba expedienda sumi potest: cf. XV, 501; XVII, 299; XXVI, 246; XXXVII, 11; unde tamen apparebit, Nostrum vulgarem opinionem non esse sequutum, sed vel suo ingenio indulsisse, vel aliorum commenta expressisse, quorum memoria non amplius exstat. Dubitari possit, num *Arctos* hoc loco Ursa intelligi debeat, et non potius plaga septentrionalis, ut passim, nisi sequatur *indignata*, et sermo sit de signis cælestibus. Occurrunt quoque loca apud poetas, ubi Ursa a Plaustro distinguitur. Lucan. II, 237:

Parrhasis obliquos Helice quum verteret axes;

et V, 23, habes *Plaustrum hyperboreæ Ursæ*; et IV, 523, legimus *flexoque Ursæ temone paverent*. Sid. Apoll. carm. V, 282:

... duplex ponto si Plaustra novatur
Parrhasis.

Nonn. Dionys. II, 33 sq.

...... καὶ ὕδατι διψὰς ἀλάσθω
Ἄρκτος ἁμαξαίοιο δεδυκότος ἱστοβοῆος.

Quibus adde Stat. Theb. VIII, 368 sqq. et Senec. Herc. Fur. 129 sqq. Inde fit verisimile, et Nostrum a vulgari persuasione recessisse, Ursamque et Plaustrum signo continuo conjunxisse; ita tamen, ut Ursa non post Plaustrum lateat, sed juncta Plaustro sit; et *intermicat* (nisi simpliciter pro: micat, positum sit), ad reliqua signa pertineat, inter quæ Ursa cum Plaustro suo *rara*, id est, paucis tantum stellis, minoribus lunæ splendore obscuratis, micet. Huc spectat quoque forsan Stat. Theb. III, 684 sq.

....ubi sola superstite Plaustro
Arctos ad oceanum fugientibus invidet astris.

Cæterum cf. Schol. ad Arati Phæn. 27 sq.

27, 28. *Orion caligantibus armis.* Orionem armatum fingi notum est. Ovid. Metam. VIII, 207; XIII, 294. Stat. Silv. I, 1, 44 sq. Arati Ph. 588. — *Dextram inermem.* Quum stellæ, quæ ensem designant, non appareant. *Debilis*, non integer, stellis, quæ singula membra exprimunt, minus apparentibus. *Miratur* cum delectu pro: sentit.

29, 30. *Quem*, sc. de majoribus Probini et Olybrii, e quibus

Vivit adhuc, completque vagis sermonibus aures
Gloria fusa Probi, quem nec ventura silebunt
Lustra, nec ignota rapiet sub nube vetustas.
Illum fama vehit trans æquora, transque remotas
Tethyos ambages, atlanteosque recessus.
Audiit et, gelido si quem Mæotica pascit

Probini veteris et Olybrii (cf. supra ad v. 15) laudes leviter tantum perstringit, Probi patris gloriam diutius celebraturus. *Nimias*, immensas, summas, ut passim apud Nostrum occurrit.

31, 32. *Complet aures gloria Probi.* Id est, nihil pæne hominum aures percipiunt, quam sermones de Probi rebus gestis. Δι' ὤτων φρενός τε δαμίας περαίνει Æschyl. Choeph. 54 sq. — *Vagi* sermones vocantur, qui de illo viro per totum terrarum orbem vagantur. Eadem fere ratione Alexander M. *vagus victor* vocatur apud Sil. Ital. XIII, 763 sq. *Quem* vulgo *quam*. Cf. Horat. Od. II, 2, 7 sq.

33. *Nec ignota rapiet sub nube vetustas. Vetustas* h. l. de tempore insequente, ut apud Lucan. VIII, 867, et Senec. Hercul. Œt. 1580. — *Rapiet sub nube*, id est, obnubilabit, obscurabit (cf. Pind. Olymp. VII, 82 sqq.); *ignota* vel quia ipsa nubes ignota est, vel quia ignota sunt, quæ illa involvit. Ductum hoc inde forsan, quod, ex antiquitatis persuasione, dii et se et illos, quos videri nolebant, nube condebant, quæ ipsa animadverti nequibat. V. Heyne ad Virgil. Æn. I, 411 sq. Barthius hanc repetitionem *odiosam* vocat; eadem enim fere sunt, quæ superiori versu poeta dixerat, sed aliter expressa. Hujusmodi autem repetitiones crebro apud Nostrum occurrunt, nec optimus quisque poeta ab iis plane liber est. Legi jubet *rapuit*, ita ut *vetustas* de præterito tempore intelligatur. Verum nonne putidum est, iis, quibus expresseris, laudem mansuram esse, adjicere, nec majores illam in oblivionem rapuisse? Hoc enim ex illis jam per se patet; nam qui possunt posteri memoriam ejus custodire, cujus jam majores obliti sunt, nisi de laude alicujus sermo est e vetustis monumentis in lucem rursus extracta?

34. *Illum*, illius gloriam. *Fama vehit.* Fama allata est, et fert ea, quæ nunciat. Cf. Stat. Silv. V, 1, 105 sqq. Sic *fama gestat* Sil. Italic. XVI, 608.

35. *Tethyos trans ambages*, per omnes oras. — *Atlanteosque recessus.* Barthius intelligit solitudines immanes Africæ, quæ recesserunt velut a locis habitabilibus. Equidem idem puto designari, quod per præcedens *Tethyos ambages*. Infra X, 280 sq. legitur *atlanteosque recessus Oceani*, ubi v. not. Heinsius conj. *atlantiacosque*. Euripid. Hippol. 1053.

Πέραν γε πόντου καὶ τόπων ἀτλαντικῶν.

36. *Mæotica* infra ad VIII, 180, terra vicina paludi Mæotidi.

Sub Jove, vel calido si quis conjunctus in axe
Nascentem te, Nile, bibit. Virtutibus ille
Fortunam domuit; nunquamque levantibus alte
Intumuit rebus : sed mens circumflua luxu
Noverat intactum vitio servare rigorem.
Hic non divitias nigrantibus abdidit antris,
Nec tenebris damnavit opes ; sed largior imbre
Sueverat innumeras hominum ditare catervas.

37, 38. *Gelido sub Jove*, id est, sub aere frigido. Horat. od. I, 1, 25, et 22, 19 sq. Martial. VII, 35. *Conjunctus*. Burmannus dubitat, an *conjunctus* satis latine dicatur pro : vicinus, quod Gronovius probare sustinet ad Liv. XXII, 20, in Gustu ad Stat. Theb. VI, 250, et in Diatrib. ad Stat. c. 43, quæ jam Ruperti laudavit ad Sil. Italic. V, 302. Qui loco conjuncti sunt, hi procul dubio vicini sunt ; nescio itaque, cur de hac vi omnino dubitetur. Sed *conjunctus in axe* nullo modo potest poni pro *conjunctus axi*, quare *in axe* cum *nascentem* jungendum est, ut *conjunctus* hoc loco absolute positum sit pro : vicinus tibi nascenti. Omnia essent expeditiora, si per codd. liceret legere : *conjunctior axi*. Cæterum *axe* pro cælo positum esse, vix verbo quidem opus est monere. *Nascentem*; cf. Lucan. Pharsal. lib. I, 20.

39-41. *Fortunam*, proprie superbiam ex rebus nimis prospere fluentibus sæpe numero nascentem. Sensus : in rebus secundis non erat superbus. Ovid. A. A. II, 437 sq. De fortuna adversa cf. Lucan. IX, 570. *Levantibus alte rebus*, sc. se, aut eum. Cf. infra III, 20 sq. pro: rebus secundis. Eamdem sententiam aliter extulit Stat. Silv. V, 1, 117 sqq. v. 40. *Circumflua*, id est, circumdata, sed illud luxui aptior. Cf. infra VIII, 139. Cæterum *luxus* hoc loco est magnificentia et rerum pompa, quæ principes viros ambire solet. Virgil. Æn. I, 637, v. 41. *Rigorem*, severos castosque mores, qui omnem mollitiem respuunt, ad quam luxuries homines solet deducere. Cf. Wernsdorf. ad Patric. epith. v. 82, in Poet. lat. m. T. IV, P. II. Sæpius *rigor* pro virtute ipsa ponitur Lucan. II, 389. Nost. infra VIII, 403, et XXI, 32.

42. *Hic*. Probus. *Nigrantibus antris*. Hoc firmare potest Morelli lectio in Dion. Chrysost. orat. IV, pag. 172, ed. Reisk. ἀνέδοξον δὲ καὶ ἀχρεῖον φυλάττοντα τὸν πλοῦτον, τῷ ὄντι κατάκλειστον ἔν τισι κρυπτοῖς καὶ ἀφέγγεσι βαράθροις. Ubi in nonnullis legitur θαλάμοις, ut in uno Heinsii libro scr. *umbris*, et in quatuor ejusdem *addidit*. Cæterum cf. Aristoph. Plut. 237 sq.

43. *Tenebris damnavit*, abscondidit. Hæc iis quæ superiori versu dicta sunt, adjecta, seu potius assuta pæne frigent. *Imbre*. Putant hoc a sparsionibus theatralibus sumptum esse. Vid. interpp. ad Stat. Silv. I, 6, 21 sqq. et Martial. VIII, 28.

Quippe velut densos currentia munera nimbos
Cernere semper erat, populis undare Penates,
Assiduos intrare inopes, remeare beatos.
Præceps illa manus fluvios superabat Iberos,
Aurea dona vomens: sic quis tellure revulsa
Sollicitis fodiens rimatur collibus aurum;

Sed quidni etiam ab imbre ipso? Virgil. Georg. II, 325 sqq.

45. Omnes intp. quos equidem inspicere potui, exponunt versum hunc de theatralibus sparsionibus, præter Burmannum, qui dubitat, an possint *nimbi* diei *currere*, quod de aqua quidem recte dicatur, sed tamen concedit, Claudianum hoc verbo potuisse abuti, ut Statius Theb. V, 361, fecerit. (Cf. etiam Tibull. III, 1, 3 sq.) Quumque existimet, de donis et muneribus hoc loco non agi, sed per *munera* intelligendos esse ludos et theatra, ad quæ populus denso agmine, quod nimbum Noster vocet, currat; huic rationi accommodatam proponit conjecturam:

Quippe velut denso currunt ad munera nimbo,
Cernere semper erat, etc.

Locus ille totus, si quid video, interpolstione corruptus est. Versus 45, procul dubio, ex interpretatione verborum *largior imbre* natus, quæ grammaticus, nescio quis, de missilibus et sparsionibus in theatro fieri solitis explicaverat, et ad metri rationem utcumque compositus, intrusus est. Hoc saltem unusquisque fatebitur, illo versu rejecto, et distinctione paullulum mutata, omnes non solum difficultates evanescere, sed sensum etiam concinniorem fieri.

....sed largior imbre
Sueverat innumeras hominum ditare catervas.
Cernere semper erat populis undare penates;
Assiduos, etc.

46. *Undare* ingentem salutantium et auxilium poscentium copiam exprimit. Cf. Virgil. Georg. II, 461 sq. ibi v. Heyne et Stat. Theb. II, 223 sqq.

47. *Beatos*, felices, μάκαρας Hesiod. Op. 549, vel μακαρίους et εὐδαίμονας. Cuper. obss. III, 1; Heins. ad Ovid. Amor. I, 15, 34. Cf. Saleii Bassi carm. ad Pison. 97 sqq. Poet. lat. m. t. IV. p. I.

48. *Præceps*, prona, parata ad effundendum; sic bene Burmannus. Aptum est hoc fluviis, quibuscum illa manus comparatur. *Iberos*, Tagum puta.

49, 50. *Vomens*, ineptum verbum manui jure Burm. existimat, melius fortasse cum respectu ad fluvios esset *vehens*. — *Sic quis tellure revulsa*, etc. Heinsius corruptum locum judicat; pro *auro*, quod jejuna repetitio ipsi videtur, legit *Astur*, laudatque ad conjecturam firmandam Lucan. IV, 298 sqq. Sil. Italic. I, 133 sqq. Stat. Silv. IV, 7, 13 sqq. quibus addi potest Noster infra XXIX, 75. Pro *Sollicitis* proponit *Callaicis*; cf. Pacat. in Panegyr. vet. XII, 28; Martial. X, 16, 3; Oros. VI, 21. Locus igitur secundum Heins. sic legendus est:

Quantum stagna Tagi rudibus stillantia venis
Effluxere decus; quanto pretiosa metallo
Hermi ripa micat; quantas per Lydia culta
Despumat rutilas dives Pactolus arenas.
Non, mihi centenis resonent si vocibus ora,

....quidquid tellure revulsa
Callaicis fodiens rimatur collibus Astur.

Retinendum tamen esse *sollicitis*, quod explicat de molestiis, quæ auri fossoribus devorandæ sunt, partim ob gravissimos et continuos labores, partim ob aerem pestilentem. Lucret. VI, 806 sqq. Verum *sollicitatur* terra, quæ foditur, seu aratur, Virgil. Georg. II, 418; *sollicitatur* mare, quod remis frangitur, Virgil. I, c. 502; beneque Gesnerus dicit, *sollicitos* colles esse motos fossionibus. Comparat Heins. Lucan. VII, 755 sq. Meo quidem sensu versus a 49 - 54, aliunde inserti videntur, quos, nescio quis comparandi et illustrandi causa margini adscripserat.

51. *Tagi. Tagus* auriferis arenis olim clarissimus, ut multi alii fluvii, quorum recensum agit Plin. H. N. XXXIII, sect. 21; cf. Sil. Italic. I, 155 sqq. *Stillantia* vix potest explicari. Prim. Vatican. a manu sec. habet *pallentia.*—*Rudibus venis*, id est, auri granulis, ut natura est aurum, ei oppositum, quod ex metallis effossum arte excoquitur.—*Stagna* posita sunt pro locis vadosis, ubi aqua stagnans granula aurea, quæ ex montibus devexerat, demittit. Pro *stillantia* possis legere *splendentia;* conf. infra XVII, 286:

.........qui splendida potat
Stagna Tagi.

Possis quoque eam rationem inire, ut fontes Tagi respiciantur. *Stagna*, id est, aqua *Tagi*, quæ *stillat*, defluit (de) *venis rudibus*, id est, metallis, quæ rudes auri venas continent, unde aqua prorumpens auri grana secum aufert. Conf. Lucan. III, 209.

52. *Effluxere* hoc loco transitive. Interpp. ad Petron. 71; Observat. Miscell. t. IX, p. 404. Cf. infra XXII, 263. *Decus*, aurum.

53. *Hermi. Hermus* fl. Lydiæ cum *Pactolo* eodem alveo in Ægæum mare defluit. *Culta*, Ἔργα. Homer. Odyss. ξ. 344. Uterque fluvius terras quoque irrigat, et fertilissimas reddit. Lucan. III, 210. Virgil. Æn. X, 141 sq. Propert. I, 6, 31 sq. Senec. Phœniss. 604 sq.

54. *Despumat. Despumare* res fluidæ dicuntur, quæ spumando omnem spurcitiem ejiciunt; hoc loco translatum est ad flumen auriferum, quod se quasi purgat, auri grana, quibus antea turbidum erat, demittendo. Martial. VIII, 78, 5 sqq. Heins. conj.

.......quantum per Lydia culta
Despumat rutilas dives Pactolus arenas.

55. *Non mihi* e. Cf. notas ad Pers. V, 1 sq. quibus adde Licent. carm. ad August. V. 132 sqq. Poet. lat. m. t. IV, p. II. Unusquisque facile videt, poetas recentiores, qui iis dictionibus et sententiis, quibus vetustiores quasi jure suo usi sunt, ad res transferant, ex anna-

Multifidusque ruat centum per pectora Phœbus,
Acta Probi numerare queam, quot in ordine gentes
Rexerit, ad summi quoties fastigia juris
Venerit, Italiæ late quum fræna teneret,
Illyricosque sinus, et quos arat Africa campos.
Sed nati vicere patrem, solique merentur
Victores audire Probi. Non contigit illi
Talis honor, prima quum parte viresceret ævi;

lium fide cognitas, quibus phantasia ceu finibus certis contineatur et circumscribatur, vix risum effugere posse. In nonnullis, quæ apud Claudianum occurrunt, si cum nudis scriptorum monumentis comparentur, dictionem epicam, vel adeo lyricam agnoscet lector ad risum movendum quasi data opera concinnatam; ita pleraque, quæ quam jejuna et vana sint aliunde satis constat, verborum pompa exaggerautur.—*Resonent;* alii *pateant.* *Centenis* pro: si centena, seu centum ora haberem. Virgil. Georg. II; ibi v. Heyne.

56. *Multifidus Phœbus.* Optat nempe sibi centum pectora, et unumquodque Phœbi plenum. *Multifidus Phœbus:* sunt igitur Phœbi vires divisæ, et quasi dispensatæ per centum pectora. — *Ruat* ad impetum pertinet, quo furor ille animos occupat. Horat. od. I, 19, 9. Lucan. V, 118 sqq.

57. *Numerare* cum delectu pro: narrare. Conferat infra VII, 52. Ovid. ad Liv. Aug. 448. *In ordine* i. q. ordine. Virgil. eclog. VII, 20. *Acta Probi.* Cf. Ammian. Marcell. XXVII, p. 377, 387, 8, 438, 447, 453, ed. Lindenbr.

58. *Summi fastigia juris.* Præfecturam Urbis et Prætorii per Italiam, Illyricum et Africam intelligit Burmannus. Cf. Gothofredian. notit. Præfect. Præt. in Cod. Theod. et in Prosopograph. de nostro Probo.— *Quoties.* Ex inscript. vet. apud Gruter. pag. CDL. patet, quater.

Præfectus quartum toto dilectus in orbe,
Sed fama emensus quidquid in orbe hominum est.

59. *Italiæ fræna,* ut *rerum fræni* apud Sil. Ital. I, 240.

60. *Arat.* Erat enim Africa quasi granarium Italiæ; inde nata est expressionis ratio. Cf. infra XV, 52 sqq.

62. *Victores audire Probi.* Procul dubio *Probi* casus secundus est, hoc sensu: Soli filii consequuti sunt (*merentur*), ut patrem vincerent. Amat Noster eadem alia ratione elata repetere, ut ex sexcentis locis constat. Subjungitur etiam statim, in quo patrem vicerint, quod pueri et quod ambo simul fratres consules facti sint.

63. *Quum viresceret prima parte ævi,* id est, quum puer adhuc esset. Nota metaphora ab herbis stirpibusque petita. Prima ætas dicitur viridis, instar arborum aut fructuum; altera deinde ætas dicitur matura.

Non consul cum fratre fuit. Vos nulla fatigat
Cura, diu majora petens; non anxia mentem
Spes agit, et longo tendit præcordia voto.
Cœpistis, qua finis erat. Primordia vestra
Vix pauci meruere senes, metasque tenetis,
Ante genas dulces quam flos juvenilis inumbret,
Oraque ridenti lanugine vestiat ætas.
Tu, precor, ignarum doceas, Parnassia, vatem,
Quis deus ambobus tanti sit muneris auctor.

64, 66. *Vos nulla fatigat* etc. Ambitionis tædium a fratribus removetur. *Cura, diu majora petens*, ipsa ambitio est magistratum alium post alium ordine petens, donec summum, consulatum, obtinuerit. —*Anxia* metu repulsæ. *Agit*, agitat, vexat; cf. Burmann. ad Val. Flacc. V, 15. — *Tendit præcordia*, id est, extendit cupiditatem. Cic. Tusc. Q. I. 10, memorat, Platonem iram in corde, cupiditatem sub præcordia posuisse. Locus Platonis, quem Cicero innuit, est in Timæo t. IX, pag. 389, ed. Bipont. Forsan etiam ea vis exprimitur, qua spes, cum cupiditate conjuncta, in eam corporis partem præcipue agit. Ovid. Heroid. XVI, 133 sq.

Ut vidi, obstupui; præcordiaque intima sensi
Attonitus curis intumuisse novis.

Infra III, 243. Ἐκτέταμαι φοβερὰν φρένα, Sophocl. Œdip. Tyrann. 153; ibi v. Brunk. Ab arcu sumptum hoc Gesnerus putat, qui non semper feriat, quod minetur.

67. *Cœpistis, qua f. e.* Cœpistis a consulatu, quo honorum decursus alias finiri solet. *Primordia vestra*, id est, consulatum, quo cœpistis. Quid Barthium hoc loco transversum egerit, equidem vix divinare possum. De ingenio et virtutibus, quibus pueri præditi fuerint, tantis, ut in senibus raro reperiantur, locum intelligit.

68. *Meruere*, consecuti sunt. *Metasque*. Magistratus enim alius post alium, certo ordine lege annali in libera republica constituto, petebantur. Hoc sæpe cum curriculo, seu spatio comparatum est. Locus memorabilis et notissimus est Cic. de Orat. I, 1. Inde quoque hoc loco *meta* posita est pro consulatu.

69. *Flos juvenilis*. Pind. Olymp. I, 109 sq. πρὸς εὐάνθεμον δ' ὅτε φυὰν λάχναι νιν μέλαν γένειον ἔρεφον. Cf. Homer. Odyss. λ. 318 sq. Apollon. Rhod. II, 93; Virg. Æn. VIII, 160. Barba incipiens crescere cum juventa. Lucret. V, 886 sq. Nost. XXII, 351.

70. *Ridenti*, ab ætate sumptum, quæ maxime est capax lætitiæ.

71, et sqq. Jam docet Noster, unde acciderit, ut fratres, pueri adhuc, consules facti sint. Poetarum more, figmento utitur. Roma dea fratribus consulatum ab imperatore impetrat, ut Probo patri pro meritis gratia referatur. *Tu, precor* etc. Cf. Virg. Æn. VII, 41. *Parnassia*, id est, Musa Parnassi.

Postquam fulmineis impellens viribus hostem
Belliger Augustus trepidas laxaverat Alpes,
Roma Probo cupiens dignas persolvere grates,
Sedula pro natis dominum flexura rogando
Ire parat. Famuli currum junxere volantem
Impetus, horribilisque Metus, qui semper agentes
Prælia, cum fremitu Romam comitantur anhelo,
Sive petat Parthos, seu cuspide turbet Hydaspen.
Hic ligat axe rotas, hic sub juga ferrea nectit
Cornipedes, rigidisque docet servire lupatis.
Ipsa, triumphatis qua possidet æthera regnis,
Assilit, innuptæ ritus imitata Minervæ.
Nam neque cæsariem crinali stringere cultu,

73. *Fulmineis viribus.* Conf. infra XXI, 200; XXVIII, 469. Exprimit et celeritatem et impetum, quo Theodosius M. Eugenium aggressus est et oppressit. Cf. Zosim. IV, 58; Ambros. epist. 62, div. 3; Oros. VII, 35; Sozom. VII, 24; Socrat. V, 25; Theodoret. V, 24; Rufin. II, 33.

74. *Laxaverat*, reseraverat ab hoste occupatas. V. infra 107 sq.

76. *Natis* Probi. — *Dominum* Theodosium M.

77. *Famuli* etc. Curru Martis patris utitur Roma, iisdemque ministris, *impetu* et *metu*. Cf. Stat. Theb. VII, 47 sqq.

80. *Cuspide turbet Hydaspen. Hydaspes* Indiæ fl. in Indum effunditur. Schol. ad Lucan. III, 236. Cf. Heyne ad Virg. Georg. IV, 211. More suo poeta pro populo fluvium posuit, et ad Indos referendum est *turbet*. De rebus gestis adversus Indos non cogitandum est, sed hujusmodi commentis imperatorum vanitati inservire studebant recentiores poetæ, antiquiorum sequuti exempla.

81. *Ligat* pro : aptat. *Nectit.* Sic quoque voluit Burmann. edere, sed operariorum vitio *mittit* in textu retentum est. De præpositione *sub* copiose disputat idem ad Ovid. Met. I, 689.

82. *Rigidis lupatis*; v. ad V. 354. *Docet servire*, dum lupata ori indit, et equi vim eorum sentiunt.

83. *Qua.* Eo loco, ubi. — *Possidet æthera*, id est, cæli partem possidet *triumphatis..... regnis*, ob, seu propter orbem terrarum devictum.

84. *Ritus*, cultus, habitus: Romam deam eodem fere cultu, quo Minervam, plastici et pictores repræsentabant.

85. *Cæsariem*, comam. Virg. Georg. IV, 337. Catull. LXVII, 8. *Crinali cultu.* Non satis definite, ut apud Virgil. Æn. XI, 576, *crinale aurum*; potest enim acus crinalis ex auro seu argento intelligi, qua

Colla nec ornatu patitur mollire retorto;
Dextrum nuda latus, niveos exserta lacertos,
Audacem retegit mammam, laxumque coercens
Mordet gemma sinum. Nodus qui sublevat ensem,
Album puniceo pectus discriminat ostro.
Miscetur decori virtus, pulcherque severo

capilli discriminati, et in plures nexus formati, atque in vertice circumvoluti continebantur, Martial. II, 66; seu, quod magis mihi hoc loco arridet, aurea fascia, seu aureum retiolum, quo crines colligebantur. Indicare hoc videtur τὸ *stringere*. V. interpp. ad Virg. Æn. IV, 138, ubi legitur: *crines nodantur in aurum*. Sidon. Apollin. carm. II, 390 seq.

... .Laxatos torva capillos
Stringit, et inclusas latuerunt casside turres.

Æmilii Mag. Arb. ad Nymph. n. c. Poet. latin. minor. tom. III, v. 7, p. 218, ed. Wernsd.

Ne stringant rutilos tibi serica vincla capillos,
Quam vincant rutilæ serica vincla comæ.

Cf. Burm. ad Valer. Fl. II, 103 sq.

86. *Ornatu retorto*, torque, monili. — *Mollire*. Hoc gestamen erat mollium feminarum. Sensus: Non passa est, ut mollis videretur monili.

87. *Dextrum nuda latus*. Conf. Sidon. Apollin. carm. V, 1 sqq. qui cultum Romæ deæ quoque describit. Heyne animadvertit ad Virgil. Æn. X, 649, in venatricibus et bellatricibus, ut in Diana et Nymphis, et hoc loco Roma, dextrum pectus, dextrum humerum nudatum videri in numis ac statuis, laudatque Callim. in Dian. 213 sq. Cf. Wernsdorf. ad Rutil. Itin. I, 146. Poet. lat. min. t. V. p. I.

88, 89. *Audacem retegit mammam*. Sidon. Apoll. l. c. 18 sqq.

Ostricolor pepli textus, quem fibula torto
Mordax dente vorat. Tum quidquid mamma refundit
Tegminis, hoc patulo concludit gemma recessu.

— *Audacem*, quia retecta est. — *Laxumque sinum*. Peplum intelligo in pectore collectum gemma, id est, fibula gemmis distincta. Inf. XXXV, 16 sq.

....sudata marito
Fibula purpureus gemma suspendit amictus.

Intelligo autem fibulam in cingulo. Cf. Wernsdorf. in Excurs. IX, ad Nemes. cyn. V, 91; Poet. lat. m. t. I, p. 256. — *Nodus* balteus. Humero antiqui ensem suspendebant. Virgil. Æn. VIII, 459.

90. *Discriminat pectus p. ostro*. Balteus purpureus, a quo pendebat ensis, inter utramque mammam descendebat.

91. *Miscetur decori virtus*. Habitu illo corporis pulcbritudini et formæ provisum fuerat, idemque habitus ostendebat deam bellicam. Virtus enim hoc loco species externa est, qua virtus bellica proditur. — *Pulcherque pudor* pulchritudo corporis pudore etiam aucta, *armatur severo terrore*, ea severitate vultus eoque cultu, qui proprius est deæ belligeræ. Infra X, 323 sqq. Sidon. Apull. I, c. 16 sq.

Lætitiam censura manet, terrorque pudore
Crescit, et invita superat virtute venustas.

Armatur terrore pudor, galeæque minaci
Flava cruentarum prætenditur umbra jubarum,
Et formidato clipeus Titana lacessit
Lumine, quem tota variarat Mulciber arte.
Hic, patrius Mavortis amor, fœtusque notantur
Romulei. Pius amnis inest, et bellua nutrix.
Electro Tiberis, pueri formantur in auro.

Quint. Calab. I, 55 seqq. Penthesilea,

.........καὶ ἀγλαὸν εἶδος ὀρώρει
Μειδιόων ἐρατεινὸν, ὑπ' ὀφρύσι δ' ἱμερόεντες
Ὀφθαλμοὶ μάρμαιρον ἐλίγκιον ἀκτίνεσσιν,
Αἰδὼς δ' ἀμφερύθηνε, παρειάδων δ' ἐφ' ὕπερθεν
Θεσπεσίη ἐπέκειτο χάρις, καταειμένη ἀλκήν.

92. *Galeæque minaci*, nutanti crista, seu juba. Virgil. Æneid. libro VIII, 620.

93. *Flava umbra*, id est, rutila umbra, quam rutilæ cristæ faciunt, ut *viridis umbra* (Virg. Cir. 4.) quam frondes virides. Flavus color ad rutilum prope accedit; inde *flavus rubor* Senec. Hippol. 652. *Cruentarum jubarum*. Jubæ plerumque rubro erant colore. Cf. interpp. ad Sil. Ital. V, 165, et XVII, 279. *Flava umbra cruent. jubarum* pro: cruenta juba.

94. *Clipeus Titana lacessit*. Possit esse: provocat Titana, certat splendore cum sole. Sed ex locis infra laudandis, quæ Noster ante oculos habuit, apparet, eum hoc voluisse, vel solem, luminis fontem, illo splendore fatigari et terreri. Stat. Theb. III, 225 sq.

...................clipeique cruenta
Lux rubet, et solem longo ferit annulus orbis.

Idem IV, 665 sq.

Qualis Bistoniis clipeus Mavortis in arvis
Luce mala Pangæa ferit, solemque refulgens
Territat, incussaque dei grave mugit ab hasta.

Cf. nostrum infra XXIV, 66. Apud Virgil. Æn. VII, 526 sq. sol *lacessit*, ferit *aera*. Cf. Schutz ad Æschyl. S. C. Theb. V, 90 et 491.

95. *Tota arte*, id est, tam artificiose, quam poterat; omnem artem in eo clipeo consumpserat. *Omni nunc arte magistra*, Virgil. Æn. VIII, 442.

96. *Mavortis patrius amor*, amores Martis et Rheæ Silviæ. Cf. Sidon. Apoll. l. c. 22 sqq. *Fœtus Romulei*, ita poterant dici, secundum Burmannum, Romulus et Remus, quia *Remus* quoque *Romus* dictus sit, et ambo infantes essent. Apud Juvenal. XI, 104 sq. lupa vocatur *fera Romulea*, et sub *geminis Quirinis* Romulus et Remus intelliguntur. *Pius amnis*, Tiberis, quia leniter stagnans vitam servaverat pueris. Ovidii Fast. III, 51 sq. *bellua nutrix* lupa est. Sidon. Apoll. carm. II, 394 sq. Cf. Virgil. Æn. VIII, 630 sqq.

98. *Electro*. Nobile metalli genus, cujus quatuor partes auro constabant, quinta argento. Homer. Odyss. δ, 73; ο, 459; σ, 295; Plin.

Fingunt æra lupam, Mavors adamante coruscat.
Jam simul emissis rapido velocior Euro
Fertur equis: stridunt Zephyri, cursuque rotarum
Saucia dividuis clarescunt nubila sulcis.
Nec traxere moras, sed lapsu protinus uno,
Quem poscunt, tetigere locum, qua fine sub imo
Angustant aditum curvis anfractibus Alpes,
Claustraque congestis scopulis durissima tendunt,
Non alia reseranda manu, sed pervia tantum
Augusto, geminisque fidem mentita tyrannis.
Semirutæ turres, avulsaque mœnia fumant.
Crescunt in cumulum strages, vallemque profundam

II. N. XXXIII, sect. 23; Heyne ad Virgil. Georg. III, 522. Hoc metallo Tiberis expressus fingitur propter colorem, unde etiam perpetuum suum epithethon traxit Horat. od. I, 2, 12, et II, 3, 18. —*Formantur in auro* pro: formati, cælati sunt auro; Virgil. Æn. I, 640.

99. *Fingunt æra lupam*; exquisite pro: ficta ære lupa. —*Adamante*. Ferro, seu chalybe, ut notum est. Cæterum cf. Horat. od. I, 6, 13 sq.

100. *Emissis*. Emittuntur equi, quando habenæ laxantur; Lucan. lib. IV, 765. Cf. Gronov. ad Liv. XXIV, 15; Xenoph. de Re equestri III, 5. Ἀφεθεὶς εἰς τάχος.

101. *Stridunt Zephyri*. Aer equorum impetu scissus sibilat.

102. *Saucia nubila*, scissa curru. *Dividuis sulcis*, duobus sulcis rotarum vestigiis. Sidon. Apoll. Carm. IX, 111, et sq.

Ergo iter aggressi, pendens rota sulcat inanem
Aera, et in liquido non solvitur orbita tractu.

Cf. Ovid. Met. II, 133.

104. *Poscunt*. Ut infra III, 120, ubi vid. not. —*Imo*, extremo. Stat. Silv. IV, 3, 114; cf. Oros. VII, 35.

106. *Claustraque*, πύλας. —*Congestis scopulis*. Conf. Burmannus ad Ovid. Amor. I, 9, 12. Alii *conjectis*, quod Gesnerus retinuit. —*Durissima* Virgil. Æn. III, 706. —*Tendunt*, extendunt, sic Burmann. qui laudat Heins. ad Ovid. Met. X, 506, et Oudend. ad Lucan. VI, 39.

108. *Geminis*. Maximo et deinde Eugenio, de quibus infra. —*Fidem mentita*. Uterque enim speraverat, his locorum angustiis se posse Theodosium arcere, sed spes utrumque fefellit. Quandoquidem igitur fiducia loci spem conceperant, ipse locus dici potest mentitus esse spem, seu fidem.

109. *Semirutæ turres*. Non ad urbes vastatas id pertinet, ut Barthius videtur existimare, sed ad munitiones, quibus Eugenius locum, natura jam impeditum, arte tutiorem etiam studuit facere. —*Avulsa mœnia* sc. saxis, quibus inædificata fuerant. Cf. infra VII, 90, et seq.

110. *Crescunt* (créverunt) *in*

Æquavere jugis: stagnant immersa cruore
Corpora; turbantur permixto funere manes.
Haud procul exacto lætus certamine victor
Cespite gramineo consederat, arbore fultus
Acclines humeros: dominum gavisa coronat

cumulum strages. Strages sunt cadavera. Alia super aliis jacentia faciunt cadaverum cumulum. Burmann. laudat Valer. Flacc. V, 695; Ovid. Met. V, 88.

111. *Æquavere jugis;* etc. Vallis tota cadaveribus repleta verticibus montis æquata est, ita ut nulla amplius appareat. — *Stagnant immersa cruore c.* potest esse inversio pro: cruor stagnat corporibus immersis. Videtur autem *stagnare* de omnibus posse dici, quæ submersa sunt: Sil. Italic. XII, 43; Stat. Theb. X, 297 sq. Nost. infra XLIV, 105 sqq. Gesnerus mutare vult *cruore* in *cruorem*, ut *stagnare* vim transitivam habeat. Locus quidem inde expeditior foret; verum an etiam poeticæ rationi melius consultum esset, dubito.

112. *Turbantur permixto funere manes. Permixto funere.* Id est, eo, quod promiscue humabantur, magnus eorum numerus in eamdem foveam dejiciebatur, ut in bello solet fieri. — *Turbantur manes. Manes* sunt in sepulcris, *umbræ* apud inferos. Inde explicatio haud est difficilis, quid sit *turbari manes? Manes* enim hoc loco ipsa cadavera sunt, quæ humabantur, eaque turbantur, seu miscentur, quia non suum cuique sepulcrum contingit, sed promiscue sepeliuntur. *Manes* pro cadavera, interdum poni, vidit Barth. ad Stat. Theb. IX, 96 sq. et 139. Cf. Silius Italicus, II, 681 sq.

Semiambusta jacet nullo discrimine passim
Infelix obitus, permixto funere, turba.

Stat. Theb. III, 168 seq.

Ite diu fratres, indiscretique supremis
Ignibus, et caros urna confundite manes.

Minus recte igitur Burmannus, *turbantur* verum est, inquit, ut nesciatur, quis sit, qui sepulcro condatur, quia *confusa corpora amisere notas* Lucan. II, 167 sq. Ut essent etiam cadavera adhuc integra, qui poterant agnosci ab adversariis sepulturam eorum curantibus, qui ne vivos quidem cognovissent? Apud Lucanum alia est ratio, ubi prælium commissum fuerat inter cives, ita ut cognati contra cognatos, amici contra amicos pugnarint. Si legas *truduntur*, ut edd. primæ, subintelligendum est: in unum sepulcrum.

113. Imperatorem invenit Roma recentem a pugna, humique non procul ab iis locis, ubi certatum fuerat, sedentem. — *Exacto certamine.* Peracto.

114, 115. *Arbore fultus Acclines humeros* pro: inclinatus dorso arbori. Virg. Æn. X, 834 sq. — *Coronat* non proprie sumendum, ut fecit Gesnerus, qui interpretatur: Terra fundit flores, quibus coronari possit; nec scio, qui ei corona obsidionalis in mentem venire potuerit. Terra agnoscit legitimum

Terra suum, surguntque toris majoribus herbæ.
Sudor adhuc per membra calet, creberque recurrit
Halitus, et placidi radiant in casside vultus.
Qualis letifera populatus cæde Gelonos,
Procubat horrendus Getico Gradivus in Hæmo:
Exuvias Bellona levat, bellique tepentes
Pulvere solvit equos; immensaque cornus in hastam
Porrigitur, tremulisque ferit splendoribus Hebrum.

dominum, funditque herbas et flores, ut mollius sedeat. Virg. Eclog. IV, 23. Valer. Flacc. III, 528.

116. *Toris majoribus* pro: in toros majores. *Torus* hoc loco sedile est. Virg. Æn. V, 388. Stat. Theb. I, 583; et Ovid. Met. X, 556: *Datque torum cespes.*

117, 118. *Sudor adhuc calet.* Recens enim erat a prælio. — *Creberque recurrit Halitus.* Æstuat adhuc a gravi labore, et anhelat. — *Placidi vultus* oppositi minacibus, torvis, quales in hostes fuerant. — *In casside*, adhuc casside tectus, ita tamen, ut vultus appareret.

119 sq. Comparatur Theodosius Marti a cæde Gelonorum reverso. *Populatus cæde*, ut *ferro* Virg. Æn. I, 527. *Gelonos;* v. ad III, 313. Thracia sedes erat Martis jam ap. Homerum, cf. Il. γ 301; Odyss. θ 361, vel quia ex Thracia Martis religio in Græciam venerat, vel quia illa regio a feris et immanibus populis habitabatur, qui perpetuis inter se bellis furerent.

120. *Procubat horrendus.* Merito rejecit Heinsii conjecturam Burmannus: *procubat horrendum*, quam multis locis confirmare studet. Hoc enim esset: horrorem incussit omnibus strepitu, quo se in terram abjiceret. Id quod est alienum ab hoc loco.

121. *Exuvias*, quibus hostes spoliaverat.—*Levat*, sc. e curru.—*Bellique tepentes pulvere;* vulg. *Bellona tepentes p.* Sed repetitionis vis hoc loco inanis et frigida videtur esse. Accedit quoque, quod facilius ex *bellique* nasci poterat *Bellona*, quum idem verbum præcedat, quam *bellique* ex *Bellona*, atque *pulvere tepere* per se vix explicari potest; verum *belli pulvere tepere*, elegantius videtur, quam *bello tepere*. Cf. Nostrum infra VII, 37; Valer. Flacc. II, 419; Stat. Theb. IV, 261 sq.

122, 123. *In hastam porrigitur cornus.* Per se quidem sensum commodum dat, verum ab hoc loco alienum. Hasta enim jam usus est Mars; itaque non potest nunc ex corno fieri. Heinsius hoc voluisse Nostrum putat: immensam illam cornum Marti pro hasta fuisse. Tunc præsenti poeta usus est pro præterito. Sed non hastam tantum immensam locus postulat, sed Marti quoque ablatam et erectam. Num *in hastam* potest esse: in hastæ locum, pro hasta; et *porrigitur:* erecta in terra figitur? Barthius legit *in astra* pro: *in hastam*, quod Burmannus probat, et Heinsius ipse pro-

Ut stetit ante ducem discussas Roma per auras,
Conscia ter sonuit rupes, et inhorruit atrum
Majestate nemus. Prior hic : « O numen amicum,
Dux ait, et legum genitrix, longeque regendo
Circumfusa polo, consors adjuncta Tonanti,
Dic agedum, quæ causa viæ? cur deseris arces
Ausonias, cælumque tuum? dic, maxima rerum.

basse videtur adscripto loco infra XXII, 372. *Hastam* forsan ex glossa natum est. Bene animadvertit Burmannus, arma deposita juxta cubantes jacere solere, hastamque figi ad caput. Laudat Ovid. Am. I, 9, 26. Cf. Sil. Ital. VII, 294 sq. — *Ferit splendoribus Hebrum.* Conf. Stat. Theb. XII, 730 sqq.

125. *Conscia*, quæ deam agnoverat, ejusque vim senserat. Conf. Harles. ad Valer. Flacc. II, 254. Pertinent hæc et quæ sequuntur ad ea, quæ præsentiam numinis alicujus arguunt. De his vid. Heyne in excursu XIII, ad Virgil. Æn. I. — *Et inhorruit*, sc. motis frontibus, concussa velut turbine, seu terræ motu. Jani ad Horat. od. I, 23, 5. Haud procul enim a faucibus, quas Alpes fecerant, inter colles arboribus consitos Theodosius consederat. V. supra 113. — *Atrum*. Rob. Steph. dat *acri;* sed male. Ed.

126. *Majestate*, sc. deæ.

127, 128. *Legum genitrix.* Conf. infra XXIV, 135 sqq. — *Longeque regendo circumfusa polo. Polus* cælum sæpe notat. Poeta nempe fingit, Romæ deæ certam cæli partem, supra Romam urbem, assignatam esse (hoc patet ex loco superiore v. 83, et sequenti v. 129 sq.), ejusque ditione inferiores cæli tractus, quibus subjacet, romanum imperium, contineri. Cf. Ovid. Fast. II, 683 sq. Lucan. VII, 421 sqq. Cæterum urbs Roma pro dea habita, templorumque honorem nacta est primum a provincialibus. Romæ deæ templum primos struxisse gloriantur Smyrnæi, A. U. 558. Tacit. Ann. IV, 56. Alabandenses viginti quatuor annis post exemplum secuti sunt; Liv. XLIII, 6. Adrianus Romæ hujus deæ templum ædificavit, Venerisque adjunxit; Dio Cass. LXIX, p. 789. Hoc templum inter pulcherrima Urbis monumenta refertur ab Ammian. Marcell. XVI, 10. Cf. Lips. de magnitud. Rom. III, 6; Torrent. et Casaub. ad Sueton. Aug. 52. — *Consors adjuncta Tonanti* vocatur secundum Barthium, quia Jovis et Romæ fana in Palatino juncta fuerint. Unde hoc constet, equidem nescio. Cf. infra XXII, 227 sqq. Melius subintelligas: imperii; nam, ut Gesnerus quoque innuit, divisum imperium cum Jove habere cogitatur. Cf. infra VIII, 204.

129, 130. *Ausonias arces.* Urbem intelligo, aut montem Palatinum. — *Cælumque tuum* supra v. 83, eam partem cæli, quæ tibi assignata est: vel templum, in quo ut numen cæleste habitas: vel tuam urbem, ex qua, velut ex cælo, regis orbem terrarum.

Non ego vel Libycos cessem tolerare vapores,
Sarmaticosve pati medio sub frigore Coros,
Si tu, Roma, velis. Pro te quascumque per oras
Ibimus, et nulla sub tempestate timentes
Solstitio Meroen, bruma tentabimus Istrum. »
Tum regina refert : « Non me latet, inclite rector,
Quam tua pro Latio victricia castra laborent;
Nec quod servitium rursus, Furiæque rebelles
Edomitæ paribus sub te cecidere triumphis.
Sed, precor, hoc donum cum libertate recenti
Adde, precor, si vera manet reverentia nostri.

131. *Cessem*, dubitem. — *Vapores*, calores. Heins. laudat Lucan. IV, 305 sq. IX, 588; Nostrum XXI, 180.

132. *Coros*, vel *Corus*, ἀργέστης, *Nordwest*, ventus vehemens. Plin. H. N. XVIII. Heyne ad Virgil. Georg. III, 278; interpp. ad Gell. II, 22. Cf. Sil. Ital. I, 496 seqq. Assignatur autem Sarmatiæ, quia Italiæ incolis inde flare videtur, ut putat Gesnerus, cui tamen rationi terræ illius situs repugnare videtur. Rectius forsan sub *Sarmaticos Coros* cæli sarmatici intemperies intelligitur hiemis tempore. — *Medio sub frigore*, media hieme.

133. *Oras*, regiones, ut sæpe.

134. *Sub tempestate*. Non cælum *tempestas* significat hoc loco, ut Barthius existimat, sed anni tempus, ut ex sequentibus apparet.

135. *Meroen*. Cf. Herodot. lib. II, 29; Lucan. X, 302 sqq. Meroe majorem partem regni, quod nunc vocatur *Sennaar*, constituit, parsque ejus australis ad Habessiniam nunc pertinet; incipiebat ubi flumen *Tacazze* in Nilum influit. Loca veterum de situ illius regionis collegit optimeque explicuit *Heeren* in *Ideen über d. Polit. d. Verkehr u. d. Handel der vornehmsten Völker der alten Welt*. t. II, pag. 391 sqq. Solstitio ibi æstus plane intolerabilis est. -- *Bruma Istrum*, tunc glacie rigentem. Licent. carm. ad August. t. IV, p. II. Poet. lat. m. v. 60 sq.

Solstitio Neuros, bruma sectabimur Istrum.

136 — 163. Roma dea respondet, meritorum Theodosii se memorem semper esse; rogare autem, ut reliquis in se officiis unum addat, Probique filiis, quorum curam ipsa semper gesserit, consulatum tribuat.

137. *Latio*, imperio romano.

138. *Servitium*. Eugenium, hominem humili genere natum. — *Furiæ rebelles*, Arbogastum. — *Paribus*, id est, eadem victoria, qua ante Maximus debellatus est. De his v. infra VIII, 70 sqq. et quæ ibi notata sunt.

140, 141. *Hoc donum cum libertate recenti Adde*. Non arbitror, *addere cum libertate* positum esse pro: addere libertati, ut Burman-

Sunt mihi pubentes alto de semine fratres,
Pignora cara Probi, festa quos luce creatos
Ipsa meo fovi gremio: cunabula parvis
Ipsa dedi, quum matris onus Lucina beatum
Solveret, et magnos proferrent sidera partus.
His ego nec Decios pulchros, fortesve Metellos
Prætulerim, non qui Pœnum domuere ferocem

nus. Sed *addere* hoc loco simpliciter esse pro, dare, positum. Vid. supra 10. Sensum hunc esse statuo: una *cum libertate*, quam gentibus reddidisti Eugenium tyrannum debellando, *hoc* (mihi) *donum da*. In repetitione τοῦ *precor* nulla est venustas, ut recte Burmann. judicat, cujus conjectura mihi arridet:

Adde, prior tibi si remanet reverentia nostri.

Olim tentaveram: *Adde, tibi si vera manet r. n.* In ed. Gesneri *Adjicias* editore invito, ut ex lectionis varietate subjecta apparet, remansit, indeque in Bipontinam irrepsit. Fortasse rectum est. Cf. Virg. Æn. XI, 353 sq.

142. *Alto de semine;* sic Virg. Æn. IV, 230: *Alto de sanguine.*

143. *Cara;* Heins. conj. *clara.*— *Festa luce.* Bene Gesnerus: auspicato ad felicitatem Romæ die. Inde tractum est, quod eventus omnium rerum a temporis, quo fierent, ratione pendere veteres credebant. Oppositum foret *nefasto die.* Horat. od. II, 13, 1 sq.—*Creatos*, genitos.

144. *Meo fovi gremio.* Id est, nutricis officia præstiti, tenerrimo amore complexus sum. Virg. Æn. I, 718, infra VIII, 21 sq. XV, 303 sq.—*Cunabula parvis dedi.* Quatenus nempe Romæ nati atque educati erant. Cf. infra VII, 17. *Cunabula* sæpe locum notant, quo quis natus et educatus est, Propert. III, 1, 27; etiam institutionem puerilem, Sil. Italic. III, 81.

145. *Lucina.* Horatius, Carm. sæc. 13 sqq. cognomen Junonis. Terent. Andr. III, 1, 15. Illa partui præerat: Ov. Fast. II, 449 sq. et III, 255 sq. Confunditur sæpe cum Ilithyia, seu Diana. Virg. Ecl. IV, 10. Spanh. ad Callim. H. in Dian. 20 sq. Cf. Ovid. Met. IX, 283 et 294, vbi Lucina quoque Ilithyia vocatur.

146. *Onus beatum...Solveret.* Ovid. Fast. III, 258. Cf. Sidon. Apoll. carm. VII, 164 sq.—*Sidera.* Quod in prioribus Lucinæ tribuerat, id nunc tribuit sideribus, id est, legitimo partus tempori, eamdem sententiam varians. Illic apte *onus beatum*, quandoquidem mater respicitur, quæ onere erat liberata; hic non minus apte *magnos partus* posuit, quia futura puerorum magnitudo a siderum positione pendebat.

147. *Decios* infra VIII, 404.— *Pulchros.* Non a forma petitum, sed a virtute. Cf. Ducker. ad Flor. IV, 4, 5.—*Metellos.* Metellorum familia viris illustribus et rerum gestarum gloria maxime conspicuis inclyta erat: hoc probant cognomina Cretici, Macedonici, Balearici, Numidici, etc. Cf. Burmann. ad Vellei. Paterc. II, 11, 3.

Scipiadas, Gallisque genus fatale Camillos.
Pieriis pollent studiis, multoque redundant
Eloquio : nec desidiis, dapibusve paratis
Indulgere juvat; nec tanta licentia vitæ
Abripit, aut mores ætas lasciva relaxat :
Sed gravibus curis animum sortita senilem,
Ignea longævo frænatur corde juventus.
Illis, quam propriam ducunt ab origine, sortem
Oramus præbere velis, annique futurum
Devoveas venientis iter. Non improba posco :

149. *Scipiadas.* Intelligit duos illos Scipiones Africauns, quorum major Hannibalem bello punico secundo apud Zamam fudit fugavitque, minor belln punico tertio Carthaginem cepit. — *Genus fatale Gallis*, id est, quod fatis destinatum erat ad Gallos subigendos. Cf. Liv. V, 34 sqq.

150, 151. *Pieriis studiis*, carminum faciendorum facultate. — *Redundant* diceudi copiam exprimit. — *Dapes paratæ* sunt ὀνείαθ' ἑτοῖμα Homer. Il. ι, 91, et sæpius.

152. *Licentia vitæ.* Quum magnis copiis instructi facultatem habeant cupiditatibns suis iuserviendi.

153. *Ætas lasciva*, etc. Ætatem juvenilem intelligit, maxime ad voluptates prouam. — *Mores relaxat.* Mores reguntur honestatis disciplina et legibus: Ovid. Met. XV, 834; cujus honestatis imperio si ætas juvenilis, vitiorum illecebris abrepta, minus obtemperat, ea potest dici *relaxare mores*, liberare eos ab honestatis legibus, quibus alias coercentur. Sensus: Nec quum tantis copiis gaudeant, ut nmnes voluptates sibi possint procurare, quibus juvenilis ætas indulgere solet, ea opportunitate abutuntur adeo, ut cupiditatibus inserviant.

154, 155. *Ignea juventus.* Couf. infra XXVI, 498, fervida juvenilis ætas, *sortita est animum senilem*, coustantem et gravem animum, qui senibus tantum esse solet. Epithal. Laur. et Mar. v. 21. Poet. lat. m. t. IV, p. II.

Quid memorem mores juvenili in corde seniles.

Spuriun. Od. I, 7: *Senium mentis compositæ.*—*Curis gravibus*, id est, iustitutioue et disciplina gravi et severa. —*Frænatur,* continetur, seu coercetur *longævo corde*, prudeutia et sapientia, quam multi auui dare alias solent.

156. *Sortem.* Consulatum intelligit, qui fato illi generi deberi videtur. Vid. supra v. 16.

157, 158. *Iter futurum venientis anni*, id est, proximi anni decursum. Consulia antem annus est, quia ejus nomine iu fastis designatur, omuiaque, quæ in eo fiunt, auspiciis ejns geruntur.—*Devoveas,* proprium illis addicas.—*Improba*, justo majora. Cf. Heyne ad Virgil. Georg. I, 119.

Non insueta dabis: domus hoc de more requirit.
Annue: sic nobis Scythicus famuletur Araxes;
Sic Rhenus per utrumque latus, Medisque subactis
Nostra Semiramiæ timeant insignia turres;
Sic fluat attonitus romana per oppida Ganges.»
  Ductor ad hæc: «Optata jubes, ultroque volentem,
Diva, rogas; non hæc precibus tentanda fuissent.
Usque adeone meam condunt oblivia mentem,
Ut pigeat meminisse Probi, quo vindice totam
Vidimus Hesperiam fessasque resurgere gentes?
Ante dabunt hiemes Nilum; per flumina damæ

159. *De more requirit hoc domus:* supra V, 11 sqq.

160. *Sic nobis*, etc. Solennis rogationum et precum formula. Tibull. I, 4, 1; II, 5, 121 sq. Ibi vid. Heyne et Jani ad Horat. od. I, 4, 1 sqq. Conf. Sil. Italic. V, 179. Sidon. Apollin. carm. V, 600 sqq. — *Sic*, sc. ut tu facis, quæ abs te petivi, sic, etc. — *Scythicus Araxes* ab Armenio diversus est secundum Vossium ad Melam, III, 5, 29. Sed v. Mannert. *Geographie der Griechen und Römer*. tom. V, sect. II, pag. 208 sqq.

162. *Semiramiæ turres*, Babylon. Ovid. Met. IV, 57 sq.

163. *Romana per oppida.* Hoc fieri poterat utraque ejus ripa in ditionem Romanorum redacta.

164. Imperator ostendit, precibus nihil opus fuisse, quum vel non rogatus consulatum fratribus daturus fuisset; nunquam enim se Probi esse obliturum. — *Volentem*, sc. fratribus consulatum dare.

166. *Condunt*, occultant, aut tenebris obruunt. — *Mentem*, hoc loco memoriam et quidem rerum a Probo gestarum. Heinsius mavult *condant*. Vulgare est: Usque adeone mentem cepit oblivio?

167. *Vindice quo*, tutore, defensore, judice. Quum esset Probus præfectus Prætorio. Aliter de eodem judicat Ammianus Marcellinus XXVII, 11, et XXX, 5.

168. *Fessas resurgere gentes.* Burmannus præfert *turres*, quia facilius librarii pro *turres* supponere potuissent *gentes*, et quia *resurgere* melius conveniat turribus et mœnibus, quam gentibus; laudat Horat. od. III, 3, 64. Posterior ratio pæne tollit priorem. Quum enim *resurgere* melius conveniat turribus, et plerumque de turribus et mœnibus adhibeatur; facilius librario, præsertim nasutulo, in mentem venire potuit, ut pro *gentes* rescriberet *turres*. Sed *resurgere* de gente dicitur infra XXI, 183 sq. et apud Virgil. Æn. I, 206. — *Fessas*, sc. a belli calamitatibus.

169. *Ante dabunt hiemes Nilum.* Cl. Barthius existimat, inversa ratione Claudianum usum esse pro: ante Nilus dabit hiemes. Burman-

Errabunt, glacieque niger damnabitur Indus;
Ante Thyesteis iterum conterrita mensis
Intercisa dies refugos vertetur in ortus,
Quam Probus a nostro possit discedere sensu.»
Dixerat, et velox jam nuntius advolat Urbem.

nus vel explieandum de exundatioue Nili, quæ æstate fieri soleat, non hieme (ef. infra III, 187.), vel latere putat vocem rei, quam prodncat æstas non hiems. Proponit itaque *hiems messem*, vel *fruges*, quorum posterius aurium judieio nunquam probabitur. Gesnerus *hiemes* septentrionalem regionem interpretatur, hoc sensu: Nilus non a meridionali plaga fluet, sed ab opposita. Arbitrabar olim in *dabunt* latere vitium, natum forsan ex *errabunt* in sequenti versu, ad quod facile aberrare potuissent describentis oculi, conjiciebamque: *Ante augebit hiems Nilum*. Verum nihil movendum esse patet ex Licent. carm. ad Augustin. v. 100; Poet. lat. m. t. IV. p. II. ed. Wernsd.

Ante dabunt imbres Nilum, super æthera damæ
Errabunt, etc.

Forsan *Nilus* hoc loco positus est pro ejus inundatioue, aut inerementis æstivis, quæ a nive soluta repetit Stat. Theb. VIII, 358 sq.

Qualis ubi adversi secretus pabula cæli
Nilus et eoas magno bibit ore pruinas,
Scindit fontis opes, septemque patentibus arvis
In mare fert hiemes.

Cæterum compareutur cum toto hoc loco Virg. ecl. I, 60 sqq. Ovid. Trist. I, 8, 1. sqq. Metam. XIV, 38 sq. XIII, 24 sq. Propert. II, 12, 31 sqq. Sidon. Apollin. carm. V, 28. sq. Caton. Dir. V, 4 sq. Imprimis multis est in hoc genere et varius Seneca, Oet. 335 sq. Hippol. 568 sqq. Hercul. Fur. 373 sqq. Thyest. 476 sqq. — *Damæ*. Horat. Od. I, 2, 11 sq.

170. *Niger...Indus*; ete. Non necesse esse *Indum* pro fluvio capere censet Burmannus; *Indum*, id est, Indiæ habitatorem sæpe nigrum et decolorem dici ex calore solis; id. Broukh. ad Propert. IV, 3, 10, indeque incredibile fieri, eum glacie iri damnatum. Quod si vero *Indus* fluvius intelligendus esset, posse eum nigrum dici, vel quia accolæ nigri sint, vel pro alto, profundo, ut Galesus apud Virg. Georg. IV, 126. Utrumque mihi displicet, valdeque probatur Heinsii conjectura *piger*, epith. sumptum ab eo, quod fieret, si glacie constrietus esset. Virg. Georg. IV, 136.

171. *Thyesteis mensis*; ete. Atreus Thyestæ fratris filios ipsi epulandos apposuit, quia frater cum Æropa conjuge ipsius rem habuerat, a quo atroci facinore sol se avertisse dicitur. Senec. Thyest. 815 sqq. Hygin. 86, 88.

172. *Intercisa dies*; interrupta. Stat. Theb. I, 325; II, 184.—*Refugos*. Diei seu soli proprium ad *ortus* translatum est; recesserat enim in ortum sol, et quum ibi occideret, unde oriri solebat, ortus ipse poterat *refugus* dici.

173. *Sensu*, mente, memoria.

174 - 204. *Nuntio* de impe-

Extemplo strepuere chori, collesque canoris
Plausibus impulsi septena voce resultant.
Lætatur veneranda parens, et pollice docto
Jam parat auratas trabeas, cinctusque micantes
Stamine, quod molli tondent de stipite Seres,
Frondea lanigeræ carpentes vellera silvæ;
Et longum tenues tractus producit in aurum,
Filaque concreto cogit squalere metallo.
Qualis purpureas præbebat candida vestes
Numinibus Latona suis, quum sacra redirent

trato fratribus consulatu in Urbem perlato, ingens civium gratulatio oritur, materque fratrum consularis parat insignia.

175. *Chori*, scilicet civium gratulantium.

176. *Plausibus*, studiis et lætis civium exclamationibus. — *Colles resultant* doctius est, quam plausus resiliunt a collibus. Virg. Æn. V, 130; VIII, 305. Stat. Theb. II, 714. Calpurn. Ecl. I, 29.—*Septena voce*, id est, voce, quæ allapsa repellitur a septem collibus.

177. *Parens*. Proba, mater Probi et Olybrii.—*Docto*. Notissimum est, et artificum instrumenta etiam *docta* vocari, quibus docti artifices utuntur. Burm. ad Valer. Flacc. I, 122.—*Pollice parat*, fuso ducit fila. Cf. infra XXXII, 52.

178. *Auratas trabeas*, vestem consularem. — *Cinctusque*. Semper fere *cinctus* cum *trabea* conjungitur. V. infra XXVIII, 561, quo ex loco *micantes* explicari potest.

179. *Quod molli tondent*, etc. Justiniani temporibus primum vermiculi, quos bombyces vocamus, ex Indis Constantinopolim allati dicuntur. Ante hoc tempus opinio erat vulgaris, Seres lanuginem ex certarum arborum foliis depectere, indeque parare sericum. V. Heyne ad Virg. Georg. II, 121, et loca laud. a Ruperti ad Sil. Ital. VI, 4, quibus adde et Ammian. Marcell. XXIII, 6, pag. 300, ed. Ernest.

181. Epitheta permutata sunt pro vulgari: et tenue aurum in longos tractus producit.

182. *Filaque concreto cogit*, etc. Filis lineis vel sericis subtilia fila metallica ita inducuntur, ut concreta illis videantur.—*Squalere* proprie de corpore illuvie obducto dicitur, deinde ad omnes res transfertur quæ illinuntur aut incrustantur alia materia. Vid. Heyne ad Virg. Georg. IV, 91. Cf. Æn. X, 314; XII, 87.

183 — 191. Proba comparatur cum Latona, splendidiore ornatu Apollinem et Dianam comente, quando ad Delum reditura est sacrorum causa, quæ in ipsius et liberorum honorem quotannis ibi celebrabantur. Conf. Hermann. *Handbuch d. Mythol.* t. III, p. 153 not. 123. Spanhem. ad Callim. H. in Dian. 226.

184. *Numinibus suis*, ex se natis.

Ad loca nutricis jam non errantia Deli :
Illa feros saltus et desolata relinquens
Mænala, lassato certis venatibus arcu;
Phœbus adhuc nigris rorantia tela venenis
Exstincto Pythone ferens. Tunc insula notos
Lambit amica pedes, ridetque Ægæus alumnis
Lenior, et blando testatur gaudia fluctu.
Sic Proba præcipuo natos exornat amictu,
Quæ decorat mundum, cujus romana potestas
Fœtibus augetur. Credas ex æthere lapsam
Stare Pudicitiam, vel sacro thure vocatam

185. *Ad loca nutricis jam n. e. D.* Vid. ad VIII, 133.

186. *Illa*, Diana. — *Feros.* Burm. ad Ov. Heroid. IV, 38. — *Desolata* sc. absentia Dianæ, ejusque comitibus; Virg. Æn. XI, 870.

187. *Mænala*, montem Arcadiæ. Multis locis allatia probat Heinsius, *certis* legendum esse ex libris script. plerisque. Proprie vero est arcus *certus*, tela *certa* et manus. Hoc loco igitur ab arcu epith. ad *venatus* translatum est, nisi dicas, *certos venatus* esse, in quibus nulla fera manus, seu tela venantium effugiat.

190. *Lambit pedes.* Parum insulæ convenit, ut Barthius recte judicat. Proprie hoc dicitur de flammis aut aqua. Vid. Heins. ad Ovid. Met. XIV, 633. — *Ægeus.* Ægeum mare atrox et procellosum nunc blandum et pacatum est in honorem Apollinis et Dianæ. Ad Valer. Flacc. IV, 715, ait Burmannus, male Barthium hoc loco numen quoddam peculiare mari *Ægeo* intellexisse. Non est quidem numen peculiare huic mari, verum ipsum mare in personam mutatum esse videtur. Cæterum ostenditur ibi ex Rutgers. c. X, Venusin. lect. *Ionius*, *Ægeus*, *Tyrrhenus*, etc. masculino genere poni pro mari Ionio, Ægeo, Tyrrheno, etc.

193, 194. *Romana potestas.* Barthius intelligit consulatum, et *augetur* explicat per, ornatur, ut sensus sit : quæ Proba per filios suos dignitatem consulatus auget. Verisimilius autem est, poetam respicere res gestas filiorum futuras, quæ a juvenibus tam præclaræ indolis exspectari possint, quibus olim *potestatem romanam*, id est, opes imperii romani aucturi sint.

195. *Stare lapsam* elegantius pro: adesse *lapsam*, seu *lapsam* esse. Heyne ad Virgil. Æn. I, 646; VII, 553; Burmann. de Jove Fulgur. cap. 14, pag. 322. Cæterum *Pudicitiæ* deæ sub imagine cultas olim Augustas fuisse, animadvertit Gesner. — *Vel sacro thure vocatam.* Burmann. existimat Nostrum imitatum esse Horat. od. I, 30, 3 sq. certe verbis ejus usus est : Et vocantis Thure te multo Glyceræ decoram Transfer in ædem. Ed.

Junonem Inachiis oculos advertere templis.
Talem nulla refert antiquis pagina libris,
Nec latiæ cecinere tubæ, nec græca vetustas.
Conjuge digna Probo; nam tantum cœtibus exstat
Femineis, quantum supereminet ille maritos:
Ceu sibi certantes sexus quid possit uterque,
Hunc legere torum. Taceat Nereida nuptam
Pelion. O duplici fecundam consule matrem,
Felicemque uterum, qui nomina parturit annis!
Ut sceptrum gessere manu, membrisque rigentes

196. *Oculos advertere.* Cum ipsa Junone comparat Probam Noster, ut oris ejus majestatem exprimat. Eam autem majestatem benevolentia et humanitate temperatam esse vult, quare non simpliciter Junonem inducit, sed sacrificiis vocatam, et Argos suum adspicientem, quod tantopere fovisse dicitur. — *Inachiis*, ab Inacho conditis. Conf. Homer. Iliad. δ, 51 seq.

197. *Antiquis pagina libris*, pro: libri antiqui, antiquitatis monumenta. Cf. infra XXIX, 162.

198. *Latiæ tubæ* non ruditatem agrestis Musæ in primis Romanorum poetis designant, ut cl. Barthius existimat, sed virilem et proprium eorum sonum in heroicis præcipue, seu epicis carminibus, quæ carmina sæpe sub hac voce intelliguntur. Martial. VIII, 3, 21 seq. et 56, 3 seq.

199, 200. Conf. Ovid. Metam. IV, 55 seq.

201 — 204. Desunt in plerisque MSS. et in primis edd. usque ad Basil. *Ceu sibi certantes*....... *Hunc legere torum*, genuina mihi videntur, reliqua vero spuria, quibus librarius male sedulus lacunam explevisse videtur. — *Sibi certantes*, i. e. inter se certantes Proba et ejus maritus. *Quid possit sexus uterque*, scilicet in conjugio dignissimo et felicissimo faciendo. — *Hunc legere torum.* Femina ornatissima et dignissimus vir inierunt hoc matrimonium. — *Nereida*, Thetin. — *Pelion*, mons in quo celebratæ sunt nuptiæ Thetidos et Pelei. — *Nomina annis*: consules, a quorum nomine anni possint designari.

205 — 265. Jam poeta inducit Tiberinum, qui tonitru, quo Jupiter faustum novis consulibus signum dederat, excitatus, urna sua Nymphis commendata, in insula Tiberis consistens, subito pompam consularem adspicit. Lætitia commotus gratulatur sibi tales cives, omnesque fluvios invitat ad diem hunc concelebrandum. — *Gessere.* Burm. conj. *pressere*. Vid. eum ad Lucan. VII, 562. *Gessere* quidem non admodum placet; verum dubito, an *pressere* elegantius sit. De ense, de capulo, de hasta *premi* frequenter apud poetas usurpatur pro *capi*; verum num etiam de sceptro? In *premere manu* etiam vis latet, qua aliquid arreptum firmiter tene-

Aptavere togas, signum dat summus hiulca
Nube pater, gratamque facem per inane rotantes
Prospera vibrati tonuerunt omina nimbi.
Accepit sonitus curvis Tiberinus in antris,
Ima valle sedens, arrectisque auribus hæsit,
Unde repentinus cæli fragor: ilicet herbis
Pallentes thalamos, et structa cubilia musco
Deserit, ac Nymphis urnam commendat herilem.

tur, id quod hoc loco alienum est. Si quid mutandum est, malo: *tenuere manu.*

206. *Rigentes togas aptav.* Occurrunt frequenter apud poetas seriores vestium nomina, quæ antiquioribus etiam temporibus in usu fuerunt. Fieri autem potest, ut retento nomine res ipsa varias mutationes subierit ita, ut illi rei, cui primæ nomen hoc impositum est, id, quod tam multis annis præterlapsis eodem nomine notatur, ne simile quidem aliqua ex parte fuerit. Quo non ita, ut par est, observato, ii, qui de re vestiaria scripserunt, in quibusdam errasse videntur, vel nimis secure a serioribus grammaticis notata pro iis vendidisse, quæ antiquioribus temporibus locum habuerint. Huc revocari potest controversia de variis togarum formis; vid. Octav. Ferrar. de Re vest. I, 1. —*Hiulca nube;* v. Heyne ad Virg. Æn. III, 199. Fulmina rumpunt, scindunt nubes. Cf. Homer. Il. θ, 554; π, 300. Lucan. VII, 154; et Drakenbr. ad Sil. Italic. III, 196.

207, 208. *Nimbi rotantes gratam facem per inane.* Fulmen, quod hoc loco *fax* est, ex nubibus (*nimbis*) erumpit; nubes igitur videntur fulmen, seu *facem rotare*, jaculari, *per inane*, par aerem vacuum. Illa *fax grata* est, quæ lætum augurium dat. *Vibrati* possunt esse nimbi, qui a ventis vibrantur, ut inter se collisi fragorem edant, quem tonitru vocamus. Cf. Lucret. VI, 120 sqq. vel quod ad *facem* proprie pertinet, ad nimbos poeta transtulit, ut sæpe fit. Posterius mihi magis arridet.—*Tonuerunt prospera omina.* Heins. laudat Sil. Italic. I, 435 sq. Propert. IV, 1, 134. Ovid. Amor. I, 7, 46, et alia præterea loca. *Tonuerunt*, eleganter pro: dederunt.

209. *Tiberinus*; Virgil. Georg. IV, 369. Cf. Servium ad eumdem Æn. VIII, 64. et Columnam ad Ennii fragm. pag. 43. ed. Hessel.

210. *Hæsit*, obstupuit.

212. *Pallentes.* Heinsius mavult *squallentes.* Conf. X, 150; et XX, 119; Burmann. ad Ovid. Met. I, 373; Lucan. V, 628. Gesnerus putat, *pallentes* pingere colorem herbarum nimio humore flavescentium.

213. *Nymphis*, filiabus suis: vide infra 263. *Urnam:* dii fluviorum aquam ex urna fundentes semper finguntur. Virgil. Æn. VII, 792; Stat. Theb. II, 218; V, 275; Nost. III, 134; XX, 172. Lectionem *domum* non ineptam esse docet Burmann. laudans Ovid. Amor.

Illi glauca nitent hirsuto lumina vultu,
Cæruleis infecta notis, reddentia patrem
Oceanum: crispo densatur gramine colla.
Vertice luxuriat toto crinalis arundo,
Quam neque fas Zephyris frangi, nec sole perustam
Æstivo candore mori; sed vivida frondet
Æquævum complexa caput: taurina levantur
Cornua temporibus raucos sudantia rivos;
Distillant per pectus aquæ, frons hispida manat
Imbribus; in liquidos fontes se barba repectit:
Palla graves humeros velat, quam neverat uxor

III, 3, 92; Met. I, 274, et 574; Virgil. Georg. IV, 363; Barth. ad Stat. Theb. IV, 581.

214. *Hirsuto vultu.* Cum hac imagine Tiberini compara Sidon. Apollin. carm. II, 332 sqq. nbi v. 335 sq.

..................licet hispida setis
Suppositis multum sedaret barba fragorem.

— *Glauca lumina. Glaucus* color incertus qualis fuerit. Flnviorum diis ac Nymphis semper fere adscribitur: Stat. Theb. IX, 351; Sidon. Apollin. carm. V, 27. Hoc loco illum colorem a cæruleo Noster distinguit ad tiberinæ forsan et marinæ aqnæ coloris discrimen notandum. Dicit antem glaucos ocnlos Tiberini cærnleis notis distinctos esse, ut probetur, illum ab Oceano ortum esse.

216, 217. *Crinalis arundo.* Sidon. Apollin. l. c.

................et arundinis altæ
Concolor in viridi fluitabat silva capillo.

Confer. Virgil. Æn. VIII, 31 sqq. quem Noster imitatus est, et infra XXVIII, 160 sqq.

220, 221. *Taurina levantur cornua.* Fluviorum nnminibus cornna tribuebantur ab antiqnis, ad vim majestatemqne designandam. *Tiberis* sic vocatur *corniger* Virgil. Æneid. VIII, 77. Cf. Valer. Flacc. I, 106; Ovid. Met. XIII, 893 sq. Sil. Italic. III, 405; Stat. Theb. II, 217; Spanhem. de U. et P. N. I. pag. 394. Alia Gierig. notat ad Ovid. Met. IX, 173. Adde schol. ad Sophocl. Trachin. 12. — *Raucos sudantia rivos.* Non bene poeta, meo qnidem sensu, quum semel nrnam tribuerit Tiberino, aquas ex corpore proflnere fingit. Sic fere Notum describit Ovid. Met. lib. I, 264 sqq.

223. *In liquidos fontes ..... repectit.* Hoc fortasse sensu dictum: Aquæ proflunnt ex barba, quando illa pectine reprimitur aut discriminatur. Conf. Sophocl. Trachin. 13 sq.

224. *Palla graves humeros velat.* Sidon. Apoll. carm. V, 28:

Pectus palla tegit, quam neverat Ilia conjux.

Ilia, Aniene vel Tiberi flum. mersa Amulii jussn, ab aliis illi, ab aliis huic nnpta fingitur. Jani ad Horat.

Ilia, percurrens vitreas sub gurgite telas.
Est in Romuleo procumbens insula Tibri,
Qua medius geminas interfluit alveus urbes
Discretas subeunte freto, pariterque minantes
Ardua turrigeræ surgunt in culmina ripæ.
Hic stetit, et subitum prospexit ab aggere votum,
Unanimes fratres, juncto stipante senatu,

Od. I, 2, 13 sq. Ovid. Amor. III, 6, 81 sq. Cæterum heroicis temporibus mulieres solebant maritis vestimenta conficere non solum vulgaria, sed illa etiam, quibus diebus festis uterentur, mirabili interdum arte confectis, quorum sæpe mentio fit apud Homerum. *Palla* proprie erat vestimentum muliebre; sed eodem et Apollo utitur Tibul. III, 4, 35: inde citharœdi et vates eodem induti erant. Valer. Flacc. I, 385. Palla indutus est Mercurius per aerem volans apud Stat. Theb. VII, 38 sq. Interdum hoc nomine abuti videntur poetæ, ut Stat. Theb. XI. 400; XII, 312. Sic quoque hoc loco arbitror vestimenti genus intelligendum esse, quo dii uterentur. Cf. infra XXVIII, 166 sq.

225. *Percurrens vitreas telas. Tela* stamen est, quod textrix percurrit radio, ἐποίχεται κερκίδι, Hom. Odyss. ε. 61 sq. Virgil. Æn. VII, 14.—*Vitreas* dixit telas, non quia virides, colore aqueo, sunt, ut cl. Gesnerus existimat, sed quia ipsam aquam respexit, ejusque pelluciditatem. Apud Theocritum XXVIII, 11, ὑδάτινα βράκη, ubi consule interpretes. Eadem ratione, ni fallor, Nymphæ Salmacis, Cariæ fontis, *perlucens amictus* tribuitur ab Ovid. Met. IV, 313. Apud eumdem IX, 32, Achelous habet *viridem vestem*. Aus. Mos. 418 sqq. Cæruleos nunc, Rhene, sinus, hyaloque virentem Pande peplum.

Cf. Servium ad Virgil. Georg. IV, 335; nisi malis *vitreas* esse splendidas. Pers. III, 8.

226. *Est in Romuleo*, etc. De ortu hujus insulæ vid. Liv. II, 5. Dion. Halicarn. V, 13. Æsculapio sacra erat. Ovid. Fast. I, 291 sqq. Met. XV, 739 sqq.—*Procumbens* eodem sensu positum est, quo *terræ jacentes* apud Virgil. Æneid. lib. I, 224.

228. *Freto*, aqua sua, *minantes*. Conf. Burm. ad Valer. Flacc. IV, 178.

229. *Turrigeræ ripæ*. Ex altera ripa mons Aventinus et Capitolinus, ex altera mons Janiculus cum ædificiis suis, quæ propter altitudinem hoc loco *turres* vocantur, *surgunt in culmina* propter montes illos.

230. *Hic*. In hac insula. — *Ab aggere* ripa insulæ.—*Subitum votum*. Id est, subito id prospexit, quod ipse cum civibus romanis voverat, fratres illos consules.

231. *Juncto*. Non satis placet, quamquam Heinsio probatur; vis enim hujus verbi jam latere videtur in *stipante*. Forsan *juncto* posuit poeta pro *cuncto*. Sic hanc vocem

Ire forum, strictasque procul radiare secures,
Atque uno bijuges tolli de limine fasces.
Obstupuit visu, suspensaque gaudia vocem
Oppressam tenuere diu; mox inchoat ore :
« Respice, si tales jactas aluisse fluentis,
Eurota Spartane, tuis. Quid protulit æquum
Falsus olor, valido quamvis decernere cestu
Norint, et ratibus sævas arcere procellas?
En nova Ledæis soboles fulgentior astris;
Ecce mei cives, quorum jam Signifer optat
Adventum, stellisque parat convexa futuris.

Gesnerus explicat infra XXI, 333. Barthii conjectura *cuncto* nimis vulgaris est; melius placet Burmanniana *sancto*. Cf. Ovid. ex Ponto IV, 9, 17; Virgil. Æn. I, 426.

232. *Forum.* Omisso : in.

233. *Uno de limine.* Consules fratres eadem domo habitantes primo initi magistratus die ex ædibus in capitolium deducebantur solenni pompa. Sil. Italic. VI, 442 sq.

.... Tua, respice, sedes
Hæc est, unde ingens humeris fulgentibus ostro
Vidisti Latios consul procedere fasces.

Cf. quæ laudat Ruperti in VV.LL. ad hunc locum — *Bijuges.* Duplicem lictorum ordinem notat. Utrique enim consuli duodecim lictores alius post alium uno ordine præcedebant. Consulibus fratribus simul procedentibus lictorum ordo erat duplex.

234. *Suspensa gaudia* sunt ea, quibus repente aliquis perfunditur, ut, stupenti similis, nesciat quid agat, nec ipsa gaudia profiteri possit. *Suppressa* unus Barth. *ostensa* alter.

235. *Oppressam ten.*, oppressere.

236 sqq. *Eurota.* Fluvius fluvium apte alloquitur, superbitque alumnis suis, et præfert eos Castori et Polluci alterius.

238. *Falsus olor.* Jupiter forma oloris assumpta Ledam compressit, inde Castor et Pollux nati. Apollod. III, 5, 6. Conf. Broukh. ad Propert. II, 7, 43. — *Cestu.* Quod Polluci proprium fuit, utrique adsignatur.

239. *Arcere ratibus. Arcere* non requirere præpositionem docet Burmann. ad Virgil. Georg. III, 155. Lucan. II, 495. Cæterum Castor et Pollux salutaria erant nautis numina, ἀργοναῦται δαίμονες. Jani ad Horat. od. I, 3, 2, et I, 12, 25 sqq. Broukh. ad Propert. I, 17, 18.

241. *Signifer.* Zodiacus, in quo locum accipere præcipuus erat honos novorum deorum. Virgil. Georg. I, 32 sq.

242. *Convexa*, id est, locum, seu sedem in cælo. Cf. Stat. Theb. I, 24 sq. Jam Signifer cælum parat, ut choris astrorum Probinus et Olybrius adscribantur.

Jam per noctivagos dominetur Olybrius axes
Pro Polluce rubens, pro Castore flamma Probini.
Ipsi vela regent; ipsis donantibus auras
Navita tranquillo moderabitur æquore pinum.
Nunc pateras libare deis, nunc solvere multo
Nectare corda libet. Niveos jam pandite cœtus,
Naides, et totum violis prætexite fontem.
Mella ferant silvæ; jam profluat ebrius amnis
Mutatis in vina vadis; jam sponte per agros
Sudent irriguæ spirantia balsama venæ.
Currat, qui sociæ roget in convivia mensæ
Indigenas fluvios, Italis quicumque suberrant
Montibus, Alpinasque bibunt de more pruinas;

243. *Per noctivagos axes*, etc. Gesnerus male *axes* per currus stellarum interpretatur, quum natura fixarum, qualem veteres sibi fingebant, ne patiebatur quidem, ut illis currus tribuerentur. Sunt *axes* circuli planetarum, quod liquet ex Ovid. Trist. IV, 4, 62, quem locum Gesnerus ipse laudat. Conf. Schol. et Oudendorp. ad Lucan. IX, 5. H. l. Zodiacus intelligitur, in quo planetæ volvuntur, et in quo Castori quoque et Polluci locus est assignatus. *Astra noctivaga* legimus in fragmento Egnatii ex lib. I, de rerum natura, apud Macrob. Sat. VI, 5.

244. *Rubens*, est hoc loco pro: splendens.

245. *Auras*, ventos secundos. Ovidius Heroid. XVI, 23. Pro *donantibus* conjecit Heinsius: *domantibus*. Verum num *auræ* pro ventis vehementioribus, seu tempestate poni possunt? cf. Horat. od. III, 29, 62 sqq.

247. *Nunc pateras libare*, pro: libare vinum pateris. Virg. G. II, 192. Sed illud magis poeticum, quod habet idem Virgil. Æn. VII, 133: cf. Broukhusius et Heyne ad Tibull. I, 1, 37 sqq.

248. *Corda solvere*, idem est quod solvere curas. Virgil. Æn. IX, 225:

Laxabant curas et corda oblita laborum.

—*Pandite cœtus*, id est, explicate, ducite chorum. — *Niveos* ad candida vestimenta pertinet festo die et choris apta.

250, 251. *Mella ferant silvæ*, etc. Confer. quæ laudat Heyne ad Tibull. I, 3, 45. Toti naturæ hic dies celebrandus est, statusque ejus in eum mutandus, qualis fingitur fuisse ætate aurea. —*Amnis*: summet fluvium intelligit. *Ebrium* autem vocat, non quia ebrios facere potest, ut Gesnerus explicat, sed quia totus vino constat. —*Vadis*, aquis: Gronov. observ. I, 19.

252. *Irriguæ* h. l, quæ irrigant.

254. *Indigenas*, in Italia natos. —*Suberrant Montibus*. Quia e radi-

Vulturnusque rapax, et Nar vitiatus odoro
Sulfure, tardatusque suis erroribus Ufens,
Et Phaethonteæ perpessus damna ruinæ
Eridanus, flavæque terens querceta Maricæ
Liris, et OEbaliæ qui temperat arva Galesus.
Semper honoratus nostris celebrabitur undis
Iste dies, semper dapibus recoletur opimis.»
Sic ait, et Nymphæ patris præcepta secutæ
Tecta parant epulis, ostroque infecta corusco
Humida gemmiferis illuxit regia mensis.

cibus montium flumina prodeunt. — *Alpinasque bibunt pruinas.* Forsan sensu generaliori hoc verbo usus est, ut etiam Apenninas intelligat. Cæterum ex nive in montibus soluta plures fluvios originem capere, nota res est. — *De more*, quia id semper factum est.

256. *Vulturnusque rapax.* Est Campaniæ fluvius. Sil. Italic. XII, 521 sq. — *Nar vitiatus odoro sulfure.* *Nar* inter Sabinos et Umbros in Tiberim profluit, sulfureis aquis notus, hodie *Nera.* Virgilius, Æn. VII, 517; vid. ibi Cerda.

257. *Ufens* (hodie *il Porattore*) Terracinæ proximus per paludes Pomptinas repens in mare inferum fluit. Sil. Italicus vid. libro VIII, 380 sq.

258, 259. *Et Phaethonteæ*, etc. Rem narrant Apollon. Rhod. IV, 597 sq. Ovid. Met. II, 324. *Damna* explicatur a Lucan. II, 408 sq. Eridanus restitit solus Phœbeis ignibus, neque exsiccatus est, et in illum Phaethon fulmine percussus et ambustus delapsus est. — *Terens*, radens, stringens ripas, Sil. Italic. XIII, 4; cf. Horat. od. I, 31, 7 sqq. — *Querceta Maricæ*, lucum consecratum *Maricæ* Nymphæ Latii, cujus religio apud Minturnenses servata est. Confer. Jani ad Horat. od. III, 17, 7. *Flavæ*, ξανθῆς, pulchræ. *Liris*, olim *Clanis*, seu *Glanis*, Plin. H. N. III, 5, hodie *Garigliano*, ex Apennino ortus, Latium a Campano dividit. Cf. Sil. Italic. IV, 348 sqq.

260. *Galesus*, hodie *Galaso*, parvum flumen Tarentinum agrum irrigans. Imitatus est Noster Virgil. Georg. IV, 125 sq. conf. Jani ad Horat. od. II, 6, 10. *OEbaliæ*, Tarenti, ab OEbalo, antiquo Lacedæmoniorum rege, Tyndarei patre, nominati et a Partheniis Spartanis conditi. Justin. III, 4. *Temperat*, sc. uligine sua. Burmanno placet altera lectio *reparat.* Syllabam *re* sæpe produci docuit ad Ovid. Amor. I, 7, 62; quod quum fugisset librarios, eos *reparat* in notiorem vocem *temperat* mutasse arbitratur. Cf. Virgil. Georg. I, 110.

264. *Tecta parant epulis.* Lucan. VII, 792 sq. — *Infecta*, colorata, *corusco.* Valer. Flacc. II, 342. Cæterum cf. Ovid. Met. VIII, 570 sq.

265. *Gemmiferis.* Mensas ornatas intelligit vasis atque poculis

O bene signatum fraterno nomine tempus!
O consanguineis felix auctoribus anne,
Incipe quadrifidum Phœbi torquere laborem.
Prima tibi procedat hiems, non frigore torpens,
Non canas vestita nives, non aspera ventis,
Sed tepido calefacta Noto: ver inde serenum
Protinus, et liquidi clementior aura Favoni
Pratis te croceis pingat: te messibus æstas
Induat; autumnusque madentibus ambiat uvis.
Omni nobilior lustro, tibi gloria soli
Contigit, exactum nunquam memorata per ævum,
Germanos habuisse duces: te cuncta loquetur
Tellus: te variis scribent in floribus Horæ;

gemmeis. — *Illuxit*, refulsit regia.

266 sqq. Jam ex sua persona Noster fratribus illis faustissimum consulatum adprecatur. — *Signatum;* vid. supra 157, 8.

268. *Torquere*, circumagere. Cæterum *Phœbi labor* est annus, qui solis cursu temperatur et determinatur; ille *labor* vocatur *quadrifidus* propter quatuor anni tempora. Cum sequentibus cf. Ausoo. Idyll. VIII, 7 sqq.

272. *Favoni clementior aura*. Lene enim solet spirare. Ovidius Met. IX, 660. *Liquidus* vocatur, quia cælum serenat.

273. *Croceis*, omnino pro: floridis.

274. *Madentibus*, succulentis.

275, 276. Sensus: tibi gloria contigit ea, quæ *nobilior*, memorabilior, est quacumque re, quæ ullo tempore usu venit. — *Exactum*, præteritum.

277. *Germanos habuisse duces*. Barthius ex fastis docet, ab U. c. 959 Marcum Antonium Caracallam et Antoninum Getam fratres etiam sequenti anno consules fuisse; anno 1072 ab U. c. Constantinum et Constantem; anno 1148 ab U. c. Arcadium et Honorium. Non probabile est, tam immemorem Nostrum fuisse, ut illorum oblitus sit, neque tam audacem in laudando, ut sciens prudensque rem aliquam contra fastorum fidem contenderit; sed eos tantum intelligit, qui privati ad consularem dignitatem provecti sunt, e quibus nunquam duo fratres simul consules fuerunt.

278. *Variis scribent in floribus*. Heinsius mavult: *inscribent floribus*. Nota res est de Ajace, ex cujus cruore hyacinthus flos ortus, et primis literis ejus nominis, ut memorant veteres, inscriptus est. Virgil. eclog. III, 106; cf. Ovid. Met. XIII, 398 sq. Auson. Idyll. VI, 9 sqq.—*Horæ* rerum vicissitudinem et ordinem exprimebant, qui cernitur maxime in consecutione temporum fixa, et stat, quo

Longaque perpetui ducent in sæcula fasti.

ab alio semper illud excipitur. Quæ Horis tribuuntur, magnam partem a vere, optimo anni tempore, desumpta sunt, quæque nascuntur, ea ab illis produci dicuntur; præcipue, quæ vere fiunt et gignuntur, ut flores.

279. *Perpetui fasti*. Quandoquidem consulum nomina annos designabant, ea nunquam in oblivionem venire poterant, sed cum rebus gestis posteritati tradebantur.—*Perpetui*. Horat. Od. IV, 14, 4, et ibi Iani.—*In secula*. Sil. Ital. II, 511; VII, 371; cf. Burmann. ad Valer. Flacc. II, 245.

II.

CL. CLAUDIANI
IN RUFINUM
LIBER I.

PRÆFATIO.

ARGUMENTUM.

Huic præfationi perpetua inest comparatio Pythonis serpentis cum Rufino. Ut Pythone perempto, Parnassus liberatus est; sic Rufino occiso, pax orbi terrarum est restituta.

PHOEBEO domitus Python quum decidit arcu,

Carmen hoc interpunctione perperam instituta huc usque laboravit, nec forsan ab interpolatione liberum esse videtur; versus quidem tertius et quartus, præter hyperbolen satis ineptam subjunctivi, usum adeo alienum a latini sermonis ingenio continet, ut vix enallages audacioris patrocinio excusari possit. Sed bono poetæ sustinenda est hæc macula, quandoquidem nihil in libris scriptis est, quod alienam manum male sedulam arguat, abstergendique potestatem critico faciat. Vulgo ita hoc erat distinctum, ut versu 5 apodosis inciperet; quo facto *jam* commodum sensum retinere non poterat. Melius consuli posse vi totius carminis existimavi, si protasis usque ad versum decimum extenderetur, versuque sequenti apodosis inciperet; id quod suadere etiam videntur diversa verborum tempora, quibus poeta usus est, et comparationis ratio, quæ inde concinnior fit. Versu igitur 5 mente repetendum est ex superioribus *quum;* aut omnino, si malis, *quum* pro *jam* legendum.

1\. De Pythone ejusque fabula

Membraque Cirrhæo fudit anhela jugo;
Qui spiris tegeret montes, hauriret hiatu
Flumina, sanguineis tangeret astra jubis;
Jam liber Parnassus erat, nexuque soluto
Cœperat erecta surgere fronde nemus,
Concussæque diu spatiosis tractibus orni
Securas ventis explicuere comas;
Et qui vipereo spumavit sæpe veneno
Cephisos liquidis purior ibat aquis :

cf. Apollod. I, 4, 1, ibique Heyne, et Spanhem. ad Callim. Hymn. in Apollin. 100 sq.—*Decidit* pertinet ad caput serpentis sublatum, quum pugnaret contra Apollinem. — *Arcu*. Stat. Theb. I, 567 : *Absumptis numerosa in vulnera telis*.

2. *Fudit*, explicuit ; porrexit. Stat. Theb. l. c.

Cyrrhæique dedit centum per jugera campi
Vix tandem explicitum.

— *Anhela*, id est, quæ creber anhelitus adhuc quatiebat, dum animam traheret serpens. Cf. Sil. Italic. IV, 179 sq.—*Cirrhæo jugo*. Parnasso, a Cirrha, Phocidis oppido. Sil. Ital. XII, 320.

3. *Spiris tegeret montes*. Novem spiris Pythonem Parnassum occupasse finxit Callimach. H. in Del. 93 ; Stat. Theb. l. c.

. . . . . . Septem orbibus atris
Amplexum Delphos

cecinit.—*Hiatu* ad magnitudinem rictus spectat, qui flumina tota capiebat. Conf. Anthol. Græc. ed. Jacobs. t. IV, p. 114, ep. XX.

4. *Sanguineis tangeret astra jubis*. Conf. infra XXII, 272. Heinsius mavult *tergeret*, quod multis exemplis confirmare studet. *Jubas sanguineas* anguibus attribuit quoque Virgil. Æn. II, 206 sq. sequutus Homer. Il. β, 308. Cæterum cf. Orph. Argonaut. 991 sqq. Apollon. Rhod. IV, 143 sq.

5. *Nexuque soluto*, sc. anguis, quo nemus seu arbores implicatæ erant. Stat. Theb. l. c.

. . . . . . Squamisque annosa terentem
Robora.

7. *Concussæque diu*. Conf. Silius Italicus, III, 189 sqq. — *Spatiosis tractibus*. *Tractus* proprius est serpentum motus. Calpurn. Eclog. XI, 40 sq.

9, 10. *Cephisos*. Plures fuisse fluvios hoc nomine insignes constat ex Strabone (IX. pag. 424), qui septem numerat. H. l. intelligitur fluvius Phocidis, ad Lilæam, quæ urbs a Delphis centum octoginta stadia abest, fontes suos habens (Homer. Il. β, 522 sq.), unde sub meridiem unda erumpens bovis mugitum edere narratur. Pausan. in Phoc. X, 33, 2. Castaliam ex illius undis ortam esse, fuerunt qui perhiberent. Pausan. X, 8, 5. Ejus aqua fatidica vocatur a Lucano (III, 175, ubi v. Schol.). Cæterum Gratiis erat sacer. Pindar. Olymp. XIV, 1, ibi Schol. cf. Stat. Theb. VII, 348 sqq.

Omnis, Io Pæan, regio sonat; omnia Phœbum
Rura canunt; tripodas plenior aura rotat;
Auditoque procul Musarum carmine ducti,
Ad Themidis coeunt antra severa dei.
Nunc alio Domini telis Pythone perempto
Convenit ad nostram sacra caterva lyram,
Qui stabilem servant Augustis fratribus orbem,
Justitia pacem, viribus arma regunt.

. . . . . . propellentemque Lilæam
Cephisi glaciale caput, quo suetus anhelam
Ferre sitim Python, amnemque avertere ponto.

—*Spumavit* Sil. Italic. VI, 677 sq. Hoc sæpe de venenis dicitur. Cf. infra XV, 172 sq.

11. *Io Pæan.* Originem hujus acclamationis narrat Callim. H. in Apoll. 97 seqq.

12. *Tripodas plenior aura rotat.* Hæc, et quæ præcedunt, Apollinis præsentiam et vim arguunt. Conf. Virgil. Æneid. III, 90 seq. Claverius nescire profitetur, qua vi, nisi magica, tripodes moti sint. Equidem inde tractum hoc puto, quod Pythia, quum tripodi insideret, halitusque ex cavernis vim suam in eam exsereret, vertigine corriperetur, sic ut ipsa cum tripode circumagi sibi videretur. De tripode Apollinis copiose disputat Spanhem. H. in Del. 90. *Plenior aura;* vaporem intelligo largius ex cavernis exsuperantem.

14. *Themidis antra.* Ante Apollinem Themis oracula edebat, ut notum est ex Ovid. Metam. I, 369 seq. — *Severa* locorum religionem indicat. Ipsi dii Musarum cantu audito convenerunt victoriam Apollini quasi gratulaturi. Sic convenere proceres victoriam, quam Stilicho de Rufino reportaverat, concelebraturi, canente Claudiano. Modestiæ parum consulens expressis verbis fabulam ad rem præsentem ita Noster accommodat.

15. *Domini*, Stilichonis. Vox *dominus* illa tempestate invidiam nemini concitabat, sed erat titulus vulgaris, ut disci potest ex Symmachi epistolis. — *Alio Pythone*, Rufino.

16. *Sacra caterva.* Intelligendi sunt pacis et armorum præsides, quibus præsentibus carmen recitavit Noster.

17. *Augustis fratribus*, Arcadio et Honorio.

III.

CL. CLAUDIANI
IN RUFINUM
LIBER I.

ARGUMENTUM.

Orditur poeta carmen suum, ut declamator orationem, exordio. Sæpe se dubitasse inquit, utrum dii regerent res humanas, an cæco casu omnia fierent. Quum enim inspexisset rerum naturam, ordinem et constantiam ubique gubernatorem aliquem sapientem indicasse; ubi vero vitam humanam spectasset, omnia fortuna regi sibi esse visa; 1—19. Jam vero pœnam Rufino inflictam sibi probasse, res humanas a diis curari. Invocat deinde Musas, ut totam rem, quemadmodum gesta sit, ordine sibi exponant; 20—24. Rem autem ita proponit. Alecto rerum felicitatem ubique cernens summumque otium, invidia correpta, in concilium vocat inferna monstra; 25—38. Silentio omnibus imposito, ita incipit: Nos patimur gentes felices esse, quas vexare possimus! Nos exulamus cælo et terra, quum virtutes ubique imperium exerceant! Capite tandem consilium Furiis dignum, omniaque turbate et miscete; 39—65. Dum vulgus dubitat, quid faciendum sit, surgit Megæra, cujus furialis habitus describitur, resque gestæ exponuntur; 66 — 84. Illa, rejecto prius aliorum consilio, se hominem inquit nosse, Rufinum moribus deterrimis a se ipsa institutum, malisque artibus instructissimum: hunc se producturum esse ad Principis aulam, qui eum in fraudem agat; 85—115. Quo consilio probato, semetipsam itineri accingit, atque inferis relictis

indutaque senis forma, ad Rufinum tendit; 116—139. Excitat eum spe futuri, docetque se magicas artes callere, futurique scientia esse præditam, omnemque rerum naturam cognitam habere. Ut dictis fidem faciat, domicilium subito aureum reddit; 140—163. Rufinus rei miraculo aurique cupidine motus, proficiscitur Constautinopolim; quo inter aulicos recepto confestim omnia in pejus mutantur. Avaro præcipue animo omnia ad se rapere cupit; 164—195. Sequitur declamatio, qua ostenditur, avaritiam non posse expleri, honestamque paupertatem longe esse præstantiorem; mala innumera ignorari, si naturam omnes sequerentur; 196—219. Pergit Noster narrare, quibus malis artibus Rufinus opes suas augere studuerit, quot quantaque crimina et scelera commiserit, ut voti compos fieret; 220—258. His Rufini sceleribus Stilicho solus imperterritus restitit, aliisque auxilio fuit, finemque tandem imposuit crudelitati; 259—272. Post apostrophen ad Stilichonem, quem cum Perseo et Hercule comparat, 273—300, redit poeta ad Rufinum vires imperii frangentem, ut rerum summa potiatur. In hunc finem barbaros excitat, prohibetque, quominus funditus a Stilichone exstirpentur; 301—322. Hunni describuntur; 323—331; quibus Stilicho, Marte prius invocato, obviam proficiscitur. Mars ipse precibus exanditis pugnæ se accingit, barbarique funduntur; 332—353. Quo facto Megæra malis, quæ ipsa fecerat, gaudens increpat Justitiæ, eamque terris facessere jubet; 354—367. Ad quæ Justitia subjicit, illa gaudia non fore diuturna, brevique affore Honorium rerum sospitatorem, Megæraque in barathrum detrusa, auream ætatem esse redituram.

SÆPE mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent Superi terras, an nullus inesset
Rector, et incerto fluerent mortalia casu.

1. *Sententia* hoc loco est cogitatio, seu quæstio illa animo proposita, utrum dii curent res humanas, nec ne, ex iis, quæ gerantur et quæ accidant, oborta. Conf. infra V, 199 seq.

.... Dubios anceps sententia volvit Eventus.

Huc quodammodo referas Virgil. Æn. I, 237, et 260, et II, 35, etc.

2. Conf. Lucan. VII, 445 seqq. — *Terras*, res humanas.

3. *Fluerent*. Translatio ab aqua ad ea omnia, quæ ordine non interrupto procedunt. Confer. infra XXXVI, 65:

Nam quum dispositi quæsissem fœdera mundi,
Præscriptosque mari fines, annisque meatus,
Et lucis noctisque vices, tunc omnia rebar
Consilio firmata Dei, qui lege moveri
Sidera, qui fruges diverso tempore nasci,
Qui variam Phœben alieno jusserit igni
Compleri, Solemque suo; porrexerit undis
Littora; tellurem medio libraverit axe.
Sed quum res hominum tanta caligine volvi
Adspicerem, lætosque diu florere nocentes,
Vexarique pios, rursus labefacta cadebat

. . . . Mansura fluant hoc ordine fata;
et Lucan. VIII, 625. *Incerto casu*, fortuito, nullo stabili rerum ordine. Comparat Senec. Hippolyt. 977 sq.

4. *Quæsissem*. Contemplatus essem, indagassem.—*Fœdera*, leges, causarum nexus, quibus omnia continentur. Manil. III, 55. Conf. Burmann. ad Val. Flacc. I, 213.—*Dispositi mundi* descripti et ordinati totius universi. Ovid. Met. I, 32.

5. *Annisque meatus*. Proprie: meatus soli præscriptos, quibus anni conficiuntur. Apud Virg. Æn. VI, 850, est *cæli meatus*.

6. *Lucis noctisque:* Heinsius conj. *luci noctique*.

7. *Consilio firmata Dei*, id est, administrata Dei providentia, ut firma et stabilia sint.

9. *Variam Phœben*, lunam singulis momentis phases mutantem. —*Alieno igni*. Solis nempe.

11. *Tellurem medio libraverit axe*. Ex eo, quod observaverant homines, cælum circa terram ita moveri, ut certum cæli punctum semper immobile videretur, stellasque eo majores circulos circum illud cursu suo describere, quo remotiores ab eo essent, nata est vulgaris persuasio, sæpius, quum sensibus accommodata esset, a poetis frequentata; esse axem aliquem, sub quo terra, quam orbem planum sibi cogitabant prius, deinde sphæram, ponderibus suis librata esset, ita ut in nullum locum deprimeretur, et circa quem cælum quoque circumageretur. Huc respicit etiam Ovid. Met. I, 12 seq.

12. *Res hominum*, homines ipsos, et quæcumque ad illos pertinent. *Volvi* sumptum ab iis, quæ tempestate et undis auferuntur et conturbantur, quæque sic ventis et undis ludibrio sunt.—*Caligine;* subintellige in; ut Pindar. Nem. IV, 65: σκότῳ κυλίνδει. Conf. infra XVIII, 23, et XXXVI, 410 seq. Sensus: quum viderem, causas rerum, quæque hominibus accidere soleant, in occulto esse, nec posse ulla ratione indagari.

14. *Vexari*, in ærumnis et miseriis vivere. David, Psalm. LXXII; Zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns. Ed.

Relligio, causæque viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo quæ currere semina motu
Affirmat; magnumque novas per inane figuras
Fortuna, non arte, regi; quæ numina sensu
Ambiguo vel nulla putat, vel nescia nostri.
Abstulit hunc tandem Rufini pœna tumultum,
Absolvitque deos. Jam non ad culmina rerum
Injustos crevisse queror: tolluntur in altum,

15. *Relligio*, hoc loco, persuasio de diis res humanas curantibus. — *Causæque viam non sponte sequebar Alterius.* Ea res est *causa altera*, quæ ab altera parte defenditur. *Viam causæ alterius sequi* est itaque rationem probare, qua altera pars sententiam suam defendere, aut aliquam rem obscuram explicare solet; est igitur idem, quod vulgo dicunt: calculum adjicere alterius opinioni. Hoc autem facit *non sponte*, quia sensus aliquis internus impietati repugnat, etiamsi eam videat ratione confirmatam. Cæterum Epicureorum opinionem hoc loco intelligi, sequentia docent.

16. *Semina*, ἄτομοι. Lucret. I, 5o sqq.

. . . . Et rerum primordia pandam;
Quæ nos materiem et genitalia corpora rebus
Reddunda in ratione vocare et semina rerum
Appellare suemus, et hæc eadem usurpare
Corpora prima, quod ex illis sunt omnia primis.

Vacuo motu. Inani motu sine ratione et prudentia. Sic Burmannus verba interpretatur, laudatque Wopk. lect. Tullian. II, 6, et Gesnerus, qui subintelligit: rationis. Ellipsis tamen dura est, nec mihi quidem exemplo ullo confirmata. Vacuus motus mihi videtur liber esse et solutus, non certo consilio ad certam rem efficiendam adstrictus, sed fortunæ et casui permissus. Lucretius (II, 96.) habet *vario motu*.

17. *Novas figuras*, quæ semper novæ oriuntur ex principiis, in quæ veteres dissolutæ sunt.

18. *Fortuna, non arte*, id est, cæco casu, non sapienti providentia. *Regi* dicuntur res ab iis, a quibus earum ratio, motus et vicissitudines pendent.

19. *Sensu Ambiguo.* Ambigebatur enim jam ab antiquis, utrum Epicurus tales deos, quales eos descripsit, crediderit, an re sustulerit, verbo tantum reliquerit. Cic. de Nat. D. I, 44. — *Vel nulla putat, vel nescia nostri.* Sensus: quæ Epicuri ratio vel nullos deos esse defendit, vel deos quidem esse, qui tamen res humanas non curent.

20. *Abstulit*, exemit. — *Tumultum*, sententiarum quasi in mente seditionem, animi dubitationem.

21. *Absolvitque deos*, id est, ab injustitiæ crimine liberavit, probavit, deos esse, eosque justos, qui pœnas iniquis infligant. — *Culmina rerum*, magistratus summos, rerum potentiam; cf. infra X, 316; Maximiani eleg. I, 292; Poet. lat. m. t. VI, pag. 319. ed. Wernsd.

22, 23. *Tolluntur* etc. cf. Horat. od. II, 10, 9 sqq. Juvenal. X,

Ut lapsu graviore ruant. Vos pandite vati,
Pierides, quo tanta lues eruperit ortu.
Invidiæ quondam stimulis incanduit atrox
Alecto, placidas late quum cerneret urbes.
Protinus infernas ad limina tetra sorores,
Concilium deforme, vocat: glomerantur in unum
Innumeræ pestes Erebi, quascumque sinistro
Nox genuit fœtu, nutrix Discordia belli,
Imperiosa Fames, leto vicina Senectus,
Impatiensque sui Morbus, Livorque secundis
Anxius, et scisso mœrens velamine Luctus,
Et Timor, et cæco præceps Audacia vultu,

1014 sq. — Ἐν τοσούτῳ δὲ ἐπαιρέσθων, ὡς ἂν ἀφ' ὑψηλοτέρου ἀλγεινότερον καταπεσούμενοι. Sic Charon rogat, vel potius hortatur Clotho apud Lucian. Contempl. 14, pag. 510, tom. I, ed. Reiz.

24. *Lues*, pestis, homini mali morbi instar sæviens, Rufinus.

25 — 38. Jam narrationem ipsam orditur poeta. Alecto invidia graviter correpta, quod florentem gentium conditionem sub Theodosio videt, in concilium vocat monstra inferna.

25. *Incanduit* ad perturbationis vehementiam accommodate positum pro: compuncta, acta est. Cæterum illud *quondam* principium narrationis languidum facit, ut infra XXXIII, 32.

26. *Placidas*, in otio viventes.

27. *Infernas sorores*. Non reliquas tantum Furias, sed monstra quoque illa intelligenda sunt, quæ in sequentibus recensentur.

28. *Deforme*. Constabat enim monstris.

29, 30. *Quascumque sinistro Nox genuit fœtu*. Exprimit hoc loco Noster Hesiodum, Theog. 125:

Νὺξ τέκε κυσσαμένη, Ἐρέβει φιλότητι
μιγεῖσα,

secundum Barthii distinctionem, qui post *pestes* interpungit, et Erebi ad sequentia trahit. Sed tunc, ut Burmannus bene monet, legendum esset *Erebo*. *Sinistro fœtu* de omnibus dicitur, quæ in suam ipsorum, omniumque perniciem nascuntur. Cum sequentibus comparari possunt Virgil. Æn. VI, 273 sqq. Ovid. Met. IV, 480 sqq. Sil. Italic. II, 543 sqq. et VIII, 562 sqq. quæ loca ex parte Heinsius jam laudavit, et Senec. Herc. Fur. 689 sqq. Œdip. 592 sqq.

31. *Imperiosa Fames*. Apud Virgil. lib. c. 276, *malesuada*.

32. *Impatiensque sui Morbus*. Desperationem, ἀνέλπιαν, hic explicat Dempst. Sed morbi cujusvis natura exprimitur, qui sibi ipse displicet. Nemo enim valetudinem male adfectam amat.

34. *Cæco præceps Audacia vultu*. Nihil audacia consulto et cogitato

Et Luxus populator opum, quem semper adhærens
Infelix humili gressu comitatur Egestas;
Fœdaque Avaritiæ complexæ pectora matris,
Insomnes longo veniunt examine Curæ.
Complentur vario ferrata sedilia cœtu,
Torvaque collectis stipatur curia monstris.
Alecto stetit in mediis, vulgusque tacere
Jussit, et obstantes in tergum reppulit hydros,
Perque humeros errare dedit; tum corde sub imo
Inclusam rabidis patefecit vocibus iram :
« Siccine tranquillo produci sæcula cursu,
Sic fortunatas patiemur vivere gentes?
Quæ nova corrupit nostros clementia mores?
Quo rabies innata perit? quid inania prosunt
Verbera? quid facibus nequidquam cingimur atris?

agit, ideoque est *præceps*, illiusque vis aucta est adjecto, *cœco vultu*, quandoquidem audacia præceps non videt, in quæ pericula irruat.

35, 36. *Quem semper adhærens Infelix* etc. Indissolubile societatis vinculum exprimit, nexumque, quo luxum rerumque profusionem egestas sequi semper solet. — *Humili gressu.* Ad imaginem egestatis absolvendam pertinet.

37, 38. Ordo verborum : « Curæ insomnes veniunt longo examine complexæ pectora fœda Avaritiæ matris. » *Curæ*, quæ homines dormire non sinunt (*insomnes*), innumerabiles ab avaritia proficiscuntur, quæ *fœda* vocatur, quia homines ad turpia quæque suscipienda impellit.

39. *Ferrata sedilia.* Apud Virgil. libro cit. 282, sunt *ferrei Eumenidum thalami.* — *Vario cœtu*, id est, variis monstris.

41. *In mediis*, ἐν μέσσοισι, ut sæpius apud Homerum occurrit. Cf. Virgil. Æn. V, 303.

42, 43. Bene depingit Noster Furiam ad orationem habendam se accingentem. Cf. Ovidius Met. IV, 473 sq.

45—65. Sequitur nunc oratio Furiæ, moribus ejus accommodata, cujus summa hæc est : Cur patimur gentes felices esse, quum penes nos sit, eas infelices reddere?

45. *Produci*, prodire, procedere, continuari. Cf. Broukh. ad Propert. I, 3, 39. — *Tranquillo cursu.* Sæpe vita cum itinere maritimo comparatur.

47. *Nova.* Hactenus inaudita, et abhorrens a nostris moribus. Virgil. Æn. V, 670, et infra IX, 391.

48, 49. *Verbera*, flagra. Heyne ad Æn. VII, 336. — *Inania*, quæ nullam vim habent, non adhibentur ad vexandos homines, eosque

Heu nimis ignavæ, quas cælo Jupiter arcet,
Theudosius terris! En aurea nascitur ætas;
En proles antiqua redit. Concordia, Virtus,
Cumque Fide Pietas alta cervice vagantur,
Insignemque canunt nostra de plebe triumphum.
Proh dolor! ipsa mihi liquidas delapsa per auras
Justitia insultat, vitiisque a stirpe recisis
Elicit oppressas tenebroso carcere leges.
At nos indecores longo torpebimus ævo,
Omnibus ejectæ regnis? Agnoscite tandem
Quid Furias deceat; consuetas sumite vires,
Conventuque nefas tanto decernite dignum.
Jam cupio Stygiis invadere nubibus astra,

in fraudem et scelera impingendos. Conf. Virg. Æn. VII, 445 sqq. et 335 sqq. — *Cingimur* h. l. pro: armatæ, instructæ sumus. Ad faces, quæ tela sunt Furiarum, illa vox translata est, quæ proprie de ferro usurpatur. Virgil. Æn. II, 742. Burmannus mavult *incingimur;* sed aliena videntur, quæ laudat. — *Atris*, nigro ac denso fumo involutis. Valer. Flacc. III, 96. Sed vid. Broukh. ad Propert. IV, 3, 13.

50, 51. *Quas Jupiter arcet Olympo, Theudosius terris.* Insignis et splendida adulatio, quæ sententiam versiculi illius involvit, qui Virgilio adscribitur in vita ejus a Donato, ut putant, concinnata:

Divisum imperium cum Jove Cæsar habet.

En aurea nascitur ætas. Cf. Virgil. Eclog. IV, 5 sqq. Æn. I, 291 sqq. Bene utitur poeta his ad felicem statum depingendum, quo gentes sub Theodosio gaudebant.

52. *Proles antiqua*, aurea proles. Ovid. Met. I, 114.

53. *Alta cervice.* Bene Gesnerus: erectæ, nihil metuentes, despicientes malos. Sic quoque infra X, 84; XXVI, 628. — *Vagantur* cum delectu positum securitatem innuit. — *Canunt triumphum.* Ovid. Met. I, 160; infra XXI, 4.

55, 57. *Ipsa mihi liquidas... Justitia.* Est Astræa, quæ homines reliquerat sub ætatem æneam. Arati Phæn. 96 sqq. Ovid. Met. I, 149 s. Senec. in Octav. 422 sqq. Hanc quoque *Justitiam* vocat Virgilius Georg. II, 474. Redeunte nunc sæculo aureo hæc quoque redire debet, vitiisque et sceleribus bellum indicere: qua de re Furia apte queritur. *Justitia* quoque facit, ut leges ante neglectæ,

....oppressæ tenebroso carcere,

dum vis et arma valerent, pristinam auctoritatem recuperent.

58. *Indecores*, abjectæ, contemtæ.

62. *Stygiis invadere nubibus astra.* Hoc est, atra et pestilenti nube cælum obducere.

Jam flatu violare diem, laxare profundo
Frena mari, ruptis fluvios immittere ripis,
Et rerum vexare fidem.» Sic fata cruentum
Mugiit, et totos serpentum erexit hiatus,
Noxiaque effudit concusso crine venena.
  Anceps motus erat vulgi; pars maxima bellum
Indicit Superis, pars Ditis jura tuentur;
Dissensuque alitur rumor: ceu murmurat alti

63. *Flatu violare diem*, afflatu tenebroso et male olenti inficere.

64. *Frena laxare mari.* Ab equis transfertur ad omnia, quæ moventur, aut in cursu sunt. Virgilius Georg. IV, 136; Ovid. Met. I, 280 sq. H. l. frena pro iis posita sunt, quibus mare coercetur, et *frena laxare mari* idem est, quod: sinere, seu facere, ut mare vehementia sua utatur, terrasque fluctibus obruat. Cf. infra XV, 140 sq.

65, 66. *Et rerum vexare fidem. Fides rerum* idem est quod *fœdera rerum* (v. supra 4.), *mundi* leges, ad quas res adstrictæ sunt, et ita inter se copulatæ, ut et perdurent, et certo ordine aliæ ab aliis producantur, ut perpetuus causarum et consequentium nexus constet. Hæc autem *vexare*, turbare, idem est, quod totam rerum naturam evertere. — *Cruentum Mugiit*, id est, mugiit ore cruento. Virgil. Æn. I, 296:

. . . . . fremet horridus ore cruento.

Os cruentum Furiæ tribuitur, quum ad terrorem augendum, tum quia Furiæ cæsorum cruore gaudent. Apud Petron. 120, Ditis pater ait:

Jam pridem nullo perfundimus ora cruore,
Nec mea Tisiphone sitientes perluit artus.

Cf. infra 77 sq. Minus bene, ut opinor certe, Gesnerus: rasit mugitu guttur, ut sanguis sequeretur.—*Et totos serpentum erexit hiatus.* Difficultas in interpretando nulla est, quamquam plures interpretes ita statuerunt. *Totos hiatus* positum est pro: omnes hiatus; nam *toti* pro *omnes* haud raro occurrit. Stat. Theb. I, 81; Serv. ad Virgil. Æn. I, 189. Pedestri sermone dicendum fuisset: erexit omnes serpentes hiantes. *Tortos hiatus* vix locum potest habere, nec Burmannus placet, qui mavult *notos*.

67. Crines anguibus erant complicati, aut pro crinibus erant angues, ex quorum ore, quum concuterentur, venena spargebantur. Cf. Ovid. Met. IV, 492 sq.

68, 69. Aliis bellum diis inferre placet, alii se tantum et sua jura defendere volunt. *Ditis jura* videntur omnino jura esse deorum inferorum, quæ quasi ex fœdere obtinuerant, quibusque potestas eorum continebatur; hæc imminuta sive fracta nolunt; ad hæc defendenda pars monstrorum paratam se esse profitetur, dum diis superis bellum inferendum esse negat. Conf. Burmann. ad Valer. Flacc. I, 213.

70, 73. *Rumor*, murmur, fremitus.—*Imparata quies* est incerta,

Impacata quies pelagi, quum flamine fracto
Durat adhuc sævitque tumor, dubiumque per æstum
Lassa recedentis fluitant vestigia venti.
 Improba mox surgit tristi de sede Megæra,
Quam penes insani fremitus, animique profanus
Error, et undantes spumis furialibus iræ.

quæ omni momento potest disturbari. H. l. mare intelligitur, non quidem ventorum vehementia commotum, sed tempestate sedata adhuc turbidum, quod nescias utrum tranquillum sit futurum, an rursus sæviturum. Stat. Theb. VII, 86:

Ut si quando ruit, debellatusque reliquit
Eurus aquas, pax ipsa tumet, pontumque jacentem
Exanimis jam solvit hiems; nondum arma carinis
Omnia, nec toto respirant pectore nautæ

Sic fere apud nostratem Voltaire, Henriade, chant 6:

«Semblable à l'Océan qui s'apaise et qui gronde.»

Cæterum *quies impacata* eadem figuræ audacia dictum est, qua *ardentes tenebræ* apud Valer. Flacc. VII, 566, ubi vid. Burmann.

72. *Tumor*, sc. maris. — *Dubium per æstum* per dubios fluctus, seu incertos, quales solent esse undæ pondere tantum suo laborantes, nullo vento impulsæ, dum mare commotum quasi studet ad statum suum tranquillum redire.

73. *Lassa recedentis fluitant vestigia venti.* Tempestate fracta per aliquod temporis spatium ventus solet incertus esse, et quasi per fluctus errare. Flumina illius incerta h. l. vocantur *vestigia lassa recedentis venti*, eademque bene dicuntur *fluitare*, quandoquidem modo hinc, modo illinc flare videntur. — *Recedentis.* Aliter, sed æque bene idem expressit Stat. Theb. I, 479 sq.

. . . . ventis ut decertata residunt
Æquora, laxatisque diu tamen aura superstes
Immoritur velis.

Heinsius mavult *residentis*, naturæ accomodatius, quam rationi poeticæ, de qua voce v. Buenemann. ad Lactant. de Ira XVIII, 7. Ad Æoli claustra recedunt venti tempestate finita. Cum toto hoc loco comparari possunt Lucan. V, 218 sq. Senec. Herc. Fur. 1088 sqq. Herc. Œt. 710 sqq.

74 — 84. Nunc Megæra surgit, cujus habitus, mores resque gestæ describuntur. — *Tristi de sede*; vide supra v. 39.

75, 76. Huic Megæræ insania et furor tribuitur, qui morbi signis, quibus se exserere solent, declarantur. — *Insani fremitus*, clamores insani. — *Animi profanus error.* *Profanus* est impius: *error animi* est insania ipsa, qua quis in fraudem agitur; Virgil. Georg. III, 511 sqq. Hæc insania cum furore conjuncta est et ira, cujus vehementia spumam ex ore elicit, eamque ob caussam iræ dicuntur *undantes spumis*, et terribilis illa imago augetur adjecto *furialibus*, id est, furibundis. Nonn. Dionys. X:

Ἀφρὸν ἀκοντίζων χιονώδεα μάρτυρα λύσσης.

Quint. Calab. V, 390 sqq.

Non nisi quæsitum cognata cæde cruorem,
Illicitumque bibit, patrius quem fuderit ensis,
Quem dederint fratres. Hæc terruit Herculis ora,
Et defensores terrarum polluit arcus;
Hæc Athamanteæ direxit spicula dextræ;
Hæc Agamemnonios inter bacchata penates
Alternis lusit jugulis; hac auspice, tædæ
Œdipoden matri, natæ junxere Thyesten.
Quæ tunc horrisonis effatur talia dictis:
«Signa quidem, o sociæ, Divos attollere contra

Ὡς Αἴας Ὀδυσῆϊ πεπαρμένος ὄμβριμον ἦτορ,
Μαίνετο λευγαλέως· ἄπλετος δὲ οἱ ἔρρεεν ἀφρὸς
Ἐκ στόματος.
Euripid. Phœniss. 1389 sq. Cæterum ante oculos Noster fortasse habuit Virgil. Æn. VII, 325 sqq. et 335 sqq.

77. *Cognata cæde.* Hoc explicatur versibus sequentibus. Simpliciter dictum est pro: cruorem cognatorum.

78. *Illicitum*: non hostium bibit cruorem, sed amicorum sese invicem occidentium.

79, 80. *Hæc terruit Herculis ora.* In furorem egit Herculem, ut uxorem et liberos interficeret. Euripid. Hercul. Fur. 922 sqq. Senec. Hercul. Fur. 976 sqq. Hygin. fab. 241. — *Defensores terrarum.* Illis enim sagittis Hercules monstra interfecerat, orbemque terrarum pacaverat. Ruperti ad Sil. Italic. II, 483.

81. Athamas, Thebarum rex, ex Nephele susceperat Phryxum et Hellen. Repudiata Nephele, Ino uxorem cepit, quæ illi peperit Learchum et Palæmonem, quorum priorem interfecit. Rem narrat Ovid. Met. IV, 511 sqq. Nonnulli dicunt Athamantem, quum venaretur, telis confecisse Learchum. Tzetz. ad Lycophr. 22. Hoc secutus est Stat. Silv. II, 1, 143, et Theb. I, 11 sqq.

83. *Alternis lusit jugulis.* Fecit, ut Clytæmnestra interficeret Agamemnonem, ipsa rursus ab Oreste interficeretur.—*Hac auspice.* Matrimonia romana auspicato contrahebantur; auspex aderat, per quem sponsus et sponsa auspicia capiebant. Tacit. Ann. XI, 27; XIII, 37; Interpp. ad Juvenal. X, 336, et ad Luc. II, 371. Sed illi nuptiarum auspices, jam Ciceronis ætate, re omissa, nomen tantum tenebant. Cic. de Divinat. I, 16. *Auspex* igitur positus est pro eo, qui duos matrimonio junxit, auctore matrimonii. — *Tædæ* pro: nuptiæ poni notum est.

84. *Matri*, Jocastæ Apollod. III, 5, 7.—*Natæ* Pelopiæ, ex quo incesto concubitu natus est Ægisthus. Senec. Agam. 292 sqq.

86—115. Bellum Superis inferendum Megæra non censet, sed mittendum in Principis aulam Rufinum; cujus consiliis deceptus ille

Nec fas est, nec posse reor; sed lædere mundum
Si libet, et populis commune intendere letum,
Est mihi prodigium cunctis immanius hydris,
Tigride mobilius fœta, violentius Austris
Acribus, Euripi refluis incertius undis,
Rufinus, quem prima meo de matre cadentem
Suscepi gremio. Reptavit parvus in isto
Sæpe sinu, teneroque per ardua colla volutus
Ubera quæsivit fletu, linguisque trisulcis
Mollia lambentes finxerunt ora cerastæ.

in fraudem et scelera præceps agatur.

87. *Nec fas est, nec posse reor;* id est, nec fato nobis concessum est, nec, si vel maxime per fata liceret, vires nobis ad hanc rem suppeterent. —*Mundum,* genus humanum.

88. *Intendere* ab arcu translatum, quasi mors esset telum. Ed.

89. *Cunctis hydris.* Hydram Lernæam et alias fortasse respicit, de quibus v. Jani ad Horat. Od. IV, 4, 61. Heinsius *hydros* videtur intellexisse, qui crinium loco Furiis sunt. Cf. supra 43. Sed v. infra v. 111.

90. *Tigride mobilius fœta.* Ex Lucano V, 405. *Tigris* celeritate inter omnes quadrupedes insignis, tum est rapidissima, quum catulos lactat. Vid. Nostr. infra XXXVI, 363 sqq. Oppian. Cyneg. III, 353 sqq. Plin. H. N. VIII, sect. 25; Sil. Italic. XII, 458 sqq. — *Mobilius,* celerius.—*Austris;* cf. infra XXXV, 308 sqq.

91. *Euripi refluis undis.* Pompon. Mel. II, 7: « Cæterum longa, totique Bœotiæ opposita, angusto freto distat a littore. Euripon vocant rapidum mare, et alterno cursu septies die ac septies nocte, fluctibus invicem versis, adeo immodice fluens, ut ventos etiam ac plena ventis navigia frustretur. » Cf. Senec. Hercul. OEt. 778 seqq.

92. *Quem prima meo,* etc. Ex antiquo hominum sermone et persuasione ductum, ut si quis arte aliqua insignis esset, is deus præcipue ejus curam egisse ab incunabulis diceretur, qui huic arti præesse fingatur. *Prima de m. cadentem;* cf. Valer. Flacc. I, 355 sq.; Stat. Silv. I, 2, 109 sq.; Theb. I, 60 sq.; Callimach. Hymn. in Del. 255, de Apolline lucem adspiciente ὁ δ' ἔκθορεν. Cf. Homer. H. in Apollin. 119.

93. *Suscepi gremio,* ut nutrix. Cf. supra I, 144.

95. *Ubera quæsivit.* Sunt qui legunt *oscula*, nec male.

96. *Finxerunt ora.* Cerastæ, seu angues, qui Furiis pro crinibus sunt, ubera petentem Rufinum lambebant. Sumptum videtur hoc de ursis, de quibus lege Ovid. Met. XV, 379 sqq.; Plin. Hist. Natur. VIII, sect. 54; ibi vid. Harduin. Oppian. Cyneg. III, 159 sqq.; Gell. VII, 10, et Ælian. Hist. Anim. II, 19.

Meque etiam tradente dolos, artemque nocendi,
Et didicit simulare fidem, sensusque minaces
Protegere, et blando fraudem prætexere risu,
Plenus sævitiæ, lucrique cupidine fervens.
Non Tartessiacis illum satiarit arenis
Tempestas pretiosa Tagi, non stagna rubentis
Aurea Pactoli; totumque exhauserit Hermum:
Ardebit majore siti. Quam fallere mentes
Doctus, et unanimos odiis turbare sodales!
Talem progenies hominum si prisca tulisset,
Pirithoum fugeret Theseus, offensus Orestem
Desereret Pylades, odisset Castora Pollux.
Ipsa quidem fateor vinci, rapidoque magistram
Prævenit ingenio; nec plus sermone morabor,
Solus habet quidquid scelerum possedimus omnes.
Hunc ego, si vestræ res est accommoda turbæ,
Regalem ad summi producam principis aulam.
Sit licet ille Numa gravior, sit denique Minos,

97, 98. *Tradente*, magistra. Burmann. pro *Meque etiam*, conj. *Meque viam*, quod multis locc. laud. firmare conatur.

99. *Protegere*, celare

101. *Tartessiacis*, Hispanicis, a Tartesso portu Hispaniæ inter duo Bætis ostia. Vid. Ruperti ad Sil. Italic. III, 399.

102. *Tempestas pretiosa Tagi.* Vid. supra I, 51. Tempestate motus inundat ripas, ubi dimittere dicitur auri micas, quas secum fert. Eamque ob rem illa tempestas *pretiosa* vocatur.

106—108. Sensus: amicos fidelissimos potest alienare. Pro amicis fidelissimis, illa amicorum paria posuit, quibus omnis antiquitas semper gloriata est. Comparandus cum hoc loco est Martial. VII, 23. De Pirithoo vid. Plutarch. in Thes. 35; de Oreste et Pylade Cic. Amic. 7; de Castore et Polluce Apollod. III, 10, 6. Similis orationis color est apud Propert. IV, 5, 5 sqq.

109. *Rapido*, celeri.

110. *Prævenit*, superavit.

112. *Res est accommoda*, res placet tanquam utilissima.

113. *Principis* Theodosii M. — *Producam*, proveham, faciam, ut inter aulicos recipiatur. De hoc verbo vid. Græv. ad Cic. pro Domo, 9.

114, 115. Venit Rufinus Constantinopolim A. C. 386, ibique inter aulicos receptus, ingenio et officiis suis, præcipue autem eloquentia (Philostorg. XI, 3, et Gothofr. Dissert. pag. 446) benevolen-

Cedet, et insidiis nostri flectetur alumni. »
Orantem sequitur clamor, cunctæque profanas
Porrexere manus, inventaque tristia laudant.
Illa, ubi cæruleo vestes connexuit angue,
Nodavitque adamante comas, Phlegethonta sonorum
Poscit, et ambusto flagrantis ab aggere ripæ,
Ingentem piceo succendit gurgite pinum,
Pigraque veloces per Tartara concutit alas.
Est locus, extremum qua pandit Gallia littus,

tiam Imperatoris sibi conciliavit, eamque, quum arrogantiam, improbitatem et avaritiam, quibus vitiis præcipue laborabat, callide posset dissimulare, usque ad illius obitum, qui accidit A. C. 395, semper retinuit. Forsan hoc loco Claudianus instigationes Rufini respicit, quibus Theodosium, jam sua ipsius natura iracundum, ad multa crudelia facinora impulit, inter quæ maxime memorabile fuit Thessalonicæ excidium A. C. 389, de quo non satis distincte Ambrosius (Opp. tom. II, epist. 51), Augustinus de Civ. Dei, V, 26, Paulinus (in vita Ambr. 24); apertius Sozom. H. E. VII, 25; Theodoret. H. E. V, 17; Zonaras, tom. II, XIII, pag. 34, scripserunt. Cæterum *Numa* et *Minos* (II rex Cretæ) prudentia et gravitate insignes fuerunt. Bene Noster totam rem silentio præterit, cujus commemoratio Theodosii memoriam violasset, ipsique significationi, quam necessariam existimavit esse ad Rufini indolem indicandam, excusationem adjungit ex calliditate illius veteratoris desumptam, cui nullius sapientia et gravitas restitisset.

116, 117. Laudant omnes consilium. *Clamor*, scil. acclamantium, consiliumque probantium. — *Porrexere manus*. Hoc signum favoris et acceptæ sententiæ, præcipue apud Græcos. Xenoph. Anabas. III, 2, 9: Ἀνατείνειν τὴν χεῖρα, χειροτονεῖν.

118. *Illa*, Megæra. — *Ubi cærulea vestes*, etc. Furias pro cingulo angue uti, neminem præterit. Ovid. Metam. IV, 481.

119. *Adamante*, ferro. Acus comatoria, seu discriminalis intelligenda est, qua capilli in verticem a fronte reducebantur, plerumque ex auro vel argento; in Furia fingebatur ferrea. Conf. Ruperti ad Sil. Italic. XV, 26.

120. *Poscit*, adit. I, 104, infra XXXVI, 388.

121. Cf. infra XXXVI, 386 sq.; Sil. Italic. II, 610, et XII, 714.

122. *Pigra*, ubi omnia motu carent. Apud Lucan. VI, 89, *cælum iners*.

123 sqq. Megæram poeta ad superos escendere facit, ubi Homericus ille aditus ad inferos est. Locum autem Homerus intelligit non procul inde, ubi recentiores columnas Herculis esse crediderunt. Ibi idem, Oceanum, qui omnes terras ambit, et oriri et in mare medi-

Oceani prætentus aquis, ubi fertur Ulysses,
Sanguine libato, populum movisse silentem.
Illic umbrarum tenui stridore volantum
Flebilis auditur questus; simulacra coloni
Pallida defunctasque vident migrare figuras.
Hinc Dea prosiluit, Phœbique egressa serenos
Infecit radios, ululatuque æthera rupit
Terrifico: sensit ferale Britannia murmur,
Et Senonum quatit arva fragor, revolutaque Tethys
Substitit, et Rhenus projecta torpuit urna.
Tunc in canitiem mutatis sponte colubris,
Longævum mentita senem, rugisque severas
Persulcata genas, et ficto languida passu,

terraneum influere finxit. Cf. Homer. Odyss. λ, 13 sqq. Hunc locum non Noster in Galliam transtulisse, qua Britanniam spectat (in. 131 sq.), sed aliorum, de fabulosis Ulyssis erroribus, commenta secutus esse videtur, (conf. Tacit. German. 3, et ibi Lips.) eam fortasse ob rem, ut non procul ab Elusa, Rufini patria, iter ex Orco ad superos esset, quo consnetudinem Rufini cum monstris inferuis probabiliorem redderet. Est autem Elusa urbs Galliæ Aquitanæ, inter Garumnam et Aturum fluvios sita. Vix puto Nostrum respexisse, quod narrat Procop. IV, 20, unde Gesnerus existimat Scholiasten ad Lycophr. 1200, quæ affert, hausisse.

125. *Sanguine libato;* cf. infra, v. 154.—*Populum silentem*, umbras Stat. Theb. IV, 528 sq.; infra, XXXV, 237. Apud Virgil. Æneid. VI, 264, sunt *umbræ silentes.*

126. *Tenui stridore.* Τρίζουσαι πετέονται. Homer. Odyss. ω, 7. Cæternm, quales umbras veteres sibi finxerint, disci potest ex Lucian. Ver. Hist. II, 12, pag. 111, t. II, ed. Reiz.

128. *Defunctas figuras* pro: defunctorum figuras, εἴδωλα. Conf. Virgil. Æneid. X, 641.

129. *Hinc.* Ex terræ cavernis. Compara Stat. Theb. I, 89 sqq.

130. *Infecit radios.* Conf. infra, XXXIII, 1 sqq. et XXXV, 188 sqq. Stat. loco cit. 97: *Piceo nox obvia nimbo Lucentes turbavit equos.* — *Rupit*, Nostrates, *durchschmettern.*

132. *Senonum. Senones* ad Sequanam habitantes, pro Gallia universa dictos arbitror; nam ex Galliæ populis, Romanis erant maxime memorabiles. — *Revoluta Tethys*, æstus maris.

133. *Rhenus projecta torpuit urna* pro: Rheno attonito elapsa est urna.

134. *Canitiem*, canos. Formam senis indnit.

135, 136. *Mentita senem*, id est, speciem mutnata est senis. Conf.

Invadit muros Elusæ, notissima dudum
Tecta petens, oculisque diu liventibus hæsit,
Pejorem mirata virum. Tunc talia fatur:
« Otia te, Rufine, juvant? frustraque juventæ
Consumis florem patriis inglorius arvis?
Heu! nescis quid fata tibi, quid sidera donent,
Quid fortuna paret. Toti dominabere mundo,
Si parere velis: artus ne sperne seniles.
Namque mihi magicæ vires, ævique futuri
Præscius ardor inest: novi, quo Thessala cantu

Heins. ad Valer. Flacc. VII, 155, et 211, et Nostr. VII, 141; XXII, 249; XXVI, 320; XXXIII, 255. — *Persulcata:* conf. Virgil. VII, 416 sq.; Propert. II, 14, 8; Ovid. Metam. III, 276; idem, loc. cit. XIV, 96, *peraravit* habet, ut Horat. Epod. VIII, 4, *exaret*. — *Severas genas*, quia senilis sunt ætatis, cui severitas propria est. — *Ficto languida passu*. Languorem senilis ætatis in incessu imitatur.

137. *Elusæ*, supra ad 123, nunc *Euse en Gascogne*.—*Notissima*. Nutrix Rufini fuerat, ideoque tecta illa diu frequentaverat.

138, 139. Scelestiorem hominem nemo animo potest fingere, quam cum, cui Furia invideat, pejoremque se fateatur. Qua ratione h. l. summa hominis improbitas indicatur, eadem fere usus est infra X, 241 sqq. ad summam pulchritudinem et venustatem indicandam. — *Liventibus*, invidis.—*Hæsit*, obstupuit, diu oculos in eo fixit, invidia muta.

140 sqq. Megæra Rufinum, cujus ingenium probe novit, potentiæ et divitiarum spe commovet.

141. *Florem*, ἀκμήν.

142, 143. Eadem res notatur diverso respectu. *Fata*, ut erat opinio communis, per siderum positionem indicantur, et *fata*, quæ possunt esse vel bona vel mala, explicantur per: *fortuna*, quæ secunda h. l. intelligenda est.—Pro *donent*, Burm. videtur malle *spondent;* v. eum ad Ovid. Heroid. XVI, 114. Sed quum astra quasi decernentia cogites, quod homini eventurum sit, fortunam vero res ita temperantem et connectentem, ut id eveniat, quod ab astris decretum sit, his *donent* aptius videtur esse, illi *paret*.

144. *Seniles artus*, corpus senile, cui vires deesse solent, quod ideo poterat sperni, quia nemo inde magnum auxilium exspectare potest. Ovid. Met. VII, 250.

145. *Magicæ vires*, sc. insunt, pro: disciplinam magicam teneo. Sensus: vires corporis quidem deficiunt, sed magica disciplina, qua instructus sum, alias vires mihi suppeditat.

146. *Præscius ardor*, id est præscientia. Ardorem vero posuit, quia omnis vaticinatio impetu quodam animi et ardore conjuncta est. —

Eripiat lunare jubar, quid signa sagacis
Ægypti valeant, qua gens Chaldæa vocatis
Imperet arte deis; nec me latuere fluentes
Arboribus succi, funestarumque potestas
Herbarum, quidquid letali germine pollens
Caucasus, et Scythicæ vernant in carmina rupes,

Thessala. Magicis *Thessalia* studiis maxime dedita habebatur, eademque venenis in hanc rem ditissima erat; Valer. Flacc. VII, 198 sqq. infra XXVI, 236 sqq. et *Thessala* pro quavis venefica seu saga ponitur; Valer. Flacc. I, 736 sqq. — *Cantu*, sc. magico.

147. *Eripiat lunare jubar. Jubar lunare* est splendor lunæ; Ovid., Met. VII, 208. Non puto diversum esse *eripere jubar* et *deducere cælo lunam*, quod fiebat cantibus magicis, Ovid. Amor. II, 5, 38; Horat. epod. V, 45; Lucan. VI, 500 sqq. et quæ laudavit Ruperti ad Sil. Ital. VIII, 500. Ne luna audiret incantamenta, ære concusso cavebatur, Ovid. Met. VII, 207; Juvenal. VI, 441; ibi v. Ruperti; Senec. Hippol. 790 sqq. Stat. Theb. VI, 685 sqq.—*Signa*, characteres magici ex hieroglyphicis forte orti. Sic Gesnerus, qui Barthium sequitur, *signa* h. l. explicat, et hanc vim sane contextus postulare videtur; quamquam mihi aliunde non constat, magicis characteribus veteres tunc usos fuisse.

148. *Sagacis Ægypti*, nempe in rebus superstitiosis, iis maxime quæ ad magicam pertinebant.

149. *Imperet*, verbis imperiosis et minacibus utuntur magici; Luc. VI, 497 sqq.

150. *Arboribus succi.* Ex succis et resinis arborum, suffimenta magica magnam partem constabant.

151, 152. *Letali germine pollens Caucasus*, sc. vernat, nempe *flore de sanguine fibræ Promethea* Valer. Flac. VII, 355 sqq.; aliisque graminibus ex illius sanguine natis, tonitruque nutritis, ut putabatur; Valer. Flac. l. c. ibique v. interpp. Apollonius Rhod. III, 851 sqq.; Senec. Med. 709. *Aconitum* præcipue intelligitur, Passerat. ad Propert. I, 12, 10. Sed idem dicitur ex spuma Cerberi ab Hercule ex Orco tracti ortum; Ov. Met. VII, 419.—*Et Scythicæ vernant in carmina rupes.* Repetendum ex prioribus; *et* quidquid letali germine pollentes *Scythicæ rupes vernant in carmina.* Lectionem *in gramina vernant* defendit Barthius magna exemplorum nube, quorum nullum, ut mihi quidem videtur, structionem illam potest tueri, quum *vernare* semper cum sexto casu construatur, ut etiam vis et potestas verbi videtur postulare. Nihilominus tamen Burm. Barthio accedit, lectionemque ejus multo elegantiorem vocat. Rupes enim, inquit, hiemis faciem referunt in Scythia, quum nudæ et nivibus obrutæ sint, sed jussu magorum (unde hoc?) induunt se in gramina magica, et ita veris speciem referunt. Laudat Flor. I, 16, *bis floribus vernat*, atque disputat, Florum æque bene

Quas legit Medea ferox, et callida Circe.
Sæpius horrendos Manes sacrisque citavi
Nocturnis Hecaten, et condita funera traxi
Carminibus victura meis, multosque canendo,
Quamvis Parcarum restarent fila, peremi.

latine scribere potuisse *in flores vernat*. Causa bonæ latinitatis, si quid video, non ita est agenda, ut dispicias, quid hic vel ille auctor scribere potuerit, sed quid a latinæ linguæ auctoribus usu sit receptum. Exemplis itaque agenda res est, et exempla desunt. Huc accedit, quod Claudianus, qui in verbis ubique varietatem studiose sequitur, vix *gramina* scripserit, si in versu præcedenti *germine* (ubi quoque quidam Mss. *gramine* habent) posuisset. Utrumque forsan sensit Nic. Heinsius, atque correxit *in carmina*. Emendatio hæc facilitate commendatur, quum in quibusdam scriptis legatur *carmine*, tum multis exemplis etiam iis, quæ Barthius protulit, quæque pro *vernant in gramina* nihil probare videntur, confirmatur. Adde quæ Markland. ad Stat. Silv. II, 1, 104; III, 5, 34, laudavit. Quæritur jam, quid sit *vernant in carmina*? Heinsius respondet : in usum carminum, in usum magicum, habetque Gesnerum sibi assentientem. Scimus etiam vires herbarum cum carminibus magicis semper fere conjunctas fuisse. Tibull. I, 8, 17 sqq. :

Num te carminibus, num te pollentibus herbis
Devovit tacito tempore noctis anus?

Lucan. VI, 492:

Quis labor hic superis, cantus herbasque sequendi.

De herbarum vi lege Plin. H. Nat. XXIV, cap. 2. Observatum quoque est, gramina montana ad toxica efficaciora esse; Turnebus, Advers. XVIII, 12: cf. Virg. Æn. VII, 758.

153. *Medea ferox, et callida Circe.* Epitheta mores exprimunt utriusque feminæ. Cæterum res Medeæ cum Jasone, et Circes cum Ulysse satis notæ sunt.

154. *Horrendos Manes. Manium* religio est et antiqua et obscura, nec videntur veteres certam de illis notionem animo concepisse. *Manes* et *Umbræ* interdum idem sunt, et in sepulcro habitant Lucan. IX, 1 sq. interdum *Manes* in tumulis, *Umbræ* apud inferos. H. l. *Manes* a *conditis funeribus* v. 155, diversi sunt. De Manium evocatione loca illustriora sunt apud Stat. Theb. IV, 443 sqq. Sil. Italic. XIII, 424 sqq. Plura notavit ad eumdem I, 95, Ruperti. Cæterum eadem fere de se profitetur Medea apud Sen. Med. 752 sqq.

155. *Nocturnis Hecaten.* Cum sequentibus comparari possunt Tib. I, 2, 43 sqq. Lucan. VI, 452 sq. Petron. 134. Sunt prodigiosæ hæ narrationes, ait Heyne ad Tibull. l. c., hactenus poeticæ tractationi accommodatæ, quod et miratione portentorum animum tenent, et poeticum ornatum admittunt.

156. *Victura*, nempe ut consuli possint.

157. *Quamvis Parcarum* etc. Cf. Juvenal. III, 27 sqq.

Ire vagas quercus, et fulmen stare coegi,
Versaque non prono curvavi flumina lapsu
In fontes reditura suos: neu vana locutum
Me fortasse putes, mutatos cerne Penates. »
Dixerat : et niveæ (mirum) cœpere columnæ
Ditari, subitoque trabes lucere metallo.
Illecebris capitur, nimiumque elatus, avaro
Pascitur intuitu: sic rex ad prima tumebat
Mæonius, pulchro quum verteret omnia tactu.
Sed postquam riguisse dapes, fulvamque revinctos
In glaciem vidit latices : tum munus acerbum
Sensit, et inviso votum damnavit in auro.
Ergo animi victus: « Sequimur quocumque vocaris,

158. *Fulmen sture coegi*; Ovid. Heroid. VI, 87. Ubi tamen nonnulli libri scripti habent *flumina*: Senec. Hercul. Œt. 455 et 470; Heins. ad Ovid. l. c.

159. *Non prono lapsu.* Ut sursum, non deorsum fluerent. Hoc auget rei miraculum. Jungenda enim sunt illa verba cum *in fontes reditura.* Apud Horatium autem (Od. I, 29, 10 sqq.) *pronos* non ad *relabi*, quo redditur languidum, sed ad *arduis montibus* pertinet, ut indicetur rivorum declivitas.

162. *Niveæ*, dealbatæ, non marmoreæ.

163. *Ditari*, intelligendum, metallo, seu auro. In aurum mutari; cf. infra XXIV, 230 sqq.—*Trabes* infra X, 88.

164, 165. *Illecebris*, auri cupiditate, ejusque adipiscendi spe, quam sibi factam et confirmatam vidit. Commentarii loco potest esse Soph. Antig. 295 sqq.—*Nimiumque elatus.* Cogitabat enim, quantas opes sit habiturus, quantusque futurus. — *Intuitu avaro pascitur.* Delectabatur spectaculo, oculis cupiditatem auri quasi profitentibus.—*Tumebat;* Ov. Met. XI, 118:

Vix spes ipse suas animo capit.

—*Ad prima*, primum, ὡς τὰ πρῶτα.

166. *Mæonius*, Phrygius. Fabula de Mida rege nota est ex Ov. l. c. 85 sqq. —*Pulchro tactu*, quo pulchra res sibi fiebat, aurea nempe. Non admodum placet *pulchro*, non magis autem Burmanni conjectura *stulto.*

167, 168. *Riguisse*; ed. Burm. *rapuisse*, vitio, ut puto, operarum. —*Revinctos* pro, vinctos, de gelu et frigore, quo aqua constricta est, usurpari, multis exemplis docuit Heins. ad Ovid. Trist. III, 10, 25. —*Acerbum*, perniciosum sibi, quum haud procul abesset, quin in auri abundantia fame necaretur.

169. *Inviso votum damnavit in auro.* Ovid. Met. XI, 130:

...Et inviso meritus torquetur in auro

170. *Animi victus*, impotens animi.

Seu tu vir, seu numen, ait »; patriaque relicta
Eoas jussu Furiæ tendebat ad arces,
Instabilesque olim Symplegadas, et freta remis
Inclita Thessalicis, qua celsa Bosporus urbe
Splendet, et Odrysiis Asiam disterminat oris.
Ut longum permensus iter, ductusque maligno
Stamine fatorum, claram subrepsit in aulam;
Ilicet ambitio nasci, discedere rectum,
Venum cuncta dari: profert arcana, clientes
Fallit, et ambitos a principe vendit honores;
Ingeminat crimen, commoti pectoris ignem
Nutrit, et exiguum stimulando vulnus acerbat.
Ac velut innumeros amnes accedere Nereus

172. *Eoas arces.* Constantinopolim.

173. *Instabiles Symplegadas*, ante navigationem Argonautarum scilicet. Apollod. I, 9, 22. Illæ rupes satis propinquæ sunt, ut Noster occasionem, specioso nomine versus ornandi, omittere non potuerit. — *Thessalicis remis.* Argonautarum nave. Cf. infra. XX, 30, et XXVI, 9 sqq.

174. *Bosporus* Thracius, qui sic dicitur a bovis meabili transitu, seu quod bos hoc fretum transnare possit: βοῦς, bos, et πόρος, transitus.

175. *Odrysiis* oris, Thracis, ab Odrysis; cf. Burmann. ad Valer. Flacc. I, 24.—*Disterminat*, discriminat, Lucan. I, 215.

176, 177. *Ductus maligno stamine fatorum.* Cum respectu ad Parcas doctius elatum est illud vulgare: fato aliis maligno seu pernicioso. Male Gesnerus illud ad filum Ariadnæum refert, quo ductus Theseus e Labyrintho evasit.—*Subrepsit* de homine astuto, qui malis artibus et dissimulata malitia animo Principis se insinuavit; cf. quæ dicta sunt supra ad v. 113.

178 sqq. Tangit vitia Noster, a quibus Theodosii regnum non plane immune fuit, etiamsi Zosimo in omnibus fides habenda non sit. Illa autem, clandestinis Rufini machinationibus adsignantur.

180. *Ambitos*, intellige: a se pro aliis, seu aliis ab Imperatore impetratos, ut iis illos honores venderet.

181. *Ingeminat*, auget calumniando.—*Commoti pectoris ignem*, id est, iram Theodosii; Valer. Flacc. I, 181: *Et sævos irarum concipit ignes.* Cæterum cf. not. ad v. 113.

182. Offensiunculam (*exiguum vulnus*) Principis irritando (*stimulando*) majorem facit.

183 sq. Quæ ab hoc versu ad 195, et a v. 220-258, narrantur, eadem fere, si ornatum poeticum detraxeris, a Zosimo V, 1, de utroque, Rufino et Stilichone, memoriæ produntur. Cf. Suidam in Ῥουφῖνος.

Nescit, et undantem quamvis hinc hauriat Istrum,
Hinc bibat æstivum septeno gurgite Nilum,
Par semper, similisque meat : sic fluctibus auri
Expleri calor ille nequit. Cuicumque monile
Contextum gemmis, aut prædia culta fuissent,
Rufino populandus erat; dominoque parabat
Exitium fecundus ager; metuenda colonis
Fertilitas. Laribus pellit, detrudit avitis
Finibus, aut aufert vivis, aut occupat heres.
Congestæ cumulantur opes, orbisque rapinas
Accipit una domus; populi servire coacti,
Plenaque privato succumbunt oppida regno.
Quo vesane ruis? teneas utrumque licebit
Oceanum, laxet rutilos tibi Lydia fontes,

184, 185. *Nescit.* Non auctum se sentit Nereus aquarum adfluentium abundantia. — *Undantem* aquarum molem exprimit, quam vehit Ister. — *Æstivum.* Æstate Nilus Ægyptum inundat. Tibull. I, 7, 21 sq. Ibi v. Heyne et Lucan. X, 210 sqq. Plin. H. N. XVIII, cap. 18. —*Septeno gurgite*, septem ostiis.

192. *Occupat heres.* Cogebat homines variis modis, ut se heredem scriberent.

193. *Orbisque rapinas.* V. Barth. ad Stat. Theb. I, 43. Burmannus mavult *ruinas*, illudque ita explicat: *ruinæ orbis* sunt opes, quibus ita spoliatur, ut inde domus et familiæ, quas ille exinanivit, cadant et pessumdentur. *Rapinas* magis placet; ea intelliguntur, quæ toto terrarum orbe ipse rapuerat, quibusque privatam domum instruxit. Nescio quid passus sit Burmannus, ut rejiceret hanc lectionem, addita hujusmodi ratione: si *rapinas* legis, ab injustis et rapacibus dominis, qui antea alios spoliaverant, ablata diceret.

196—219. Sequitur declamatio super locum communem de avaritia insatiabili et de felicitate ejus, qui paucis contentus sit, satis bona quidem per se, sed, ut equidem sentio, admodum frigida, ut illo episodio libenter carueris, quum sententiis constet vulgaribus, et sæpius inculcatis. Verum erat hoc declamatorii moris, ut nihil prætermitteretur, quo res dilatari posset, modo non eadem iterarentur, aut saltem alia ratione fuco oratorio cincinnisque poeticis exornarentur. Dixeris poetas illius ævi copiam sectatos esse, contempto lectorum fastidio. Compares Horat. Od. II, 2, 9 sqq. et III, 16, 17 sqq.

196, 197. *Teneas utrumque licebit Oceanum.* Vix alium sensum habere potest, quam hunc : Potestati

Jungantur solium Crœsi, Cyrique tiara :
Nunquam dives eris, nunquam satiabere quæstu.
Semper inops, quicumque cupit. Contentus honesto
Fabricius parvo spernebat munera regum,
Sudabatque gravi consul Serranus aratro,
Et casa pugnaces Curios angusta tegebat.
Hæc mihi paupertas opulentior, hæc mihi tecta
Culminibus majora tuis. Tibi quærit inanes
Luxuries nocitura cibos ; mihi donat inemptas

tuæ subjecta sint omnia inter oceanum Indicum et eum extra Herculis columnas. Verum; si hoc est, parum apte reliqua minora subjunxit Noster. Num forsan divitiæ, margaritæ etc. intelligendæ sunt, quæ oceano continentur? — *Rutilos fontes*, Pactolum et Hermum. Cæterum compara Senec. Hercul. OEt. 621 sqq.

198. *Solium Crœsi, Cyrique tiara. Tiaræ* figuram describit Burmannus ad Valer. Flacc. VI, 700. Laudatis ibidem adde Virgil. Æn. VII, 247; Juvenal. VI, 516. Cæterum, quia apud Horat. Od. II, 2, 17, est *Cyri solio*, et apud Virgil. l. c. *tiara* Phrygium gestamen vocatur, non debemus induci, ut scribamus *solium Cyri, Crœsique tiara*. Cf. infra XVIII, 213. Sensus: adjunge Crœsi divitias potentiæ Cyri.

200, 201. *Honesto parvo*, munda, honesta paupertate; tale aliquid, quod Horat. Od. II, 10, 5, *auream mediocritatem* vocat, diversum ab *importuna pauperie*, Od. III, 16, 37. *Parvo* de re modica, non lautissima, dici, monuerunt Broukh. et Heyne ad Tibull. I,1, 25.—*Regum* pro: regis Pyrrhi. Cf. Plutarch. in Pyrrho, 20, t. III. ed. Hutt.

202. *Serranus*. De Cn. Atilio Serrano loquuntur Cic. pro Rosc. Amer. 18; Valer. Max. IV, 4, 5. Etiam a poetis celebratus est: Virgil. Æn. VI, 845.

203. *Curios*. Vid. Valer. Max. IV, 3, 4. — *Pugnaces*. Exegit Curius Pyrrhum ex Italia; Plutarch. in Pyrrho, 25, t. III. ed. Hutt.

204. *Opulentior*. Defendi hoc potest Heinsio auctore contra Burmannum, qui disputat, *augustior* aptissimum epitheton esse, et sanctam paupertatem recte Nostrum potuisse dicere. Sed paupertas cum divitiis h. l. comparatur; desideratur itaque epitheton, quod utrisque conveniat. Divitiæ *opulentæ* sunt natura, paupertas *opulentior* dici potest, si contenta paucis plura non desiderat, quum divitiis, contra, cupiditas non satietur. Accedit, quod *angustior* ex præcedente *angusta* profectum esse potest, Nosterque oxymoron sectari solet. Compara Virgil. Georg. II, 461 sqq.

205, 206. *Culminibus*, turribus. Horat. Od. I, 4, 20 sq.—*Luxuries nocitura*. Cf. Lucan. IV, 373 sqq. Petron. 93, ibique interpp. unde disci potest, quo tandem progressa sit luxuries et gula Romanorum. —

Terra dapes : rapiunt Tyrios tibi vellera fucos,
Et picturatæ saturantur murice vestes ;
Hic radiant flores, et prati viva voluptas,
Ingenio variata suo : fulgentibus illic
Surgunt strata toris ; hic mollis panditur herba,
Sollicitum curis non abruptura soporem.
Turba salutantum latas ibi perstrepit ædes ;
Hic avium cantus, labentis murmura rivi.
Vivitur exiguo melius. Natura beatis

Inanes cibos eos puto, quibus prava et stulta hominum opinio pretium statuit, quamquam corpus non nutriant, nec vires ei suppeditent.

207. *Rapiunt Tyrios tibi vellera fucos. Rapiunt*, cupide et celeriter bibunt. — *Tyrios fucos*, purpuram. Burman. ad Valer. Flacc. I, 427; Gesnerus existimat, *fucum* non purpuram esse, sed δευσοποιὸν φάρμακον, quo imbuta primum lana profundius admittat et servet fidelius purpuram. Vide eum ad Quintil. XII, 10, 75. Locus e Platone, quem laudat, est de Republ. pag. 346, tom. VI, ed. Bipont. Cf. Lucan. XI, 123 sq.

208. *Et picturatæ vestes.* Sunt vestes vel acu, vel textili opere pictæ, Virgil. Æn. III, 483; Plin. Hist. Nat. VIII, sect. 74. Gesnerus arbitratur, Claudianum versum hunc incuriose pepigisse, atque ὕστερον πρότερον esse, quod hoc loco *picturatæ vestes* murice saturantur. Verum hoc fieri potuit, ut color alius alio operiretur, suaviorque et lenior aut asperior fieret, ut itaque tota vestis colore quidem esset purpureo, sed, propter varios ante tinctionem intextos colores, diverso et vario genere. Plin. Hist. Nat. IX, sect. 65. Cæterum colorem e murice diversum fuisse a Tyriis fucis constat.

209. *Viva.* Non tantum nativa, ut Barthius exponit; sed respexit poeta herbas et flores, qui suapte natura crescunt et continentur, et ob eam rem quasi vivunt.

210, 211. *Fulgentibus illic Surgunt strata toris. Fulgentes tori* sunt lectuli aurei et argentei culcitis tecti, quæ sternebantur pretiosissimis tapetibus. Virgil. Æneid. VI, 603 sq. — *Tapetes* hoc loco vocantur *strata*, et hæc dicuntur apte *surgunt*, quum culcitis mollibus suspendantur.

212. *Sollicitum curis*, etc. Herba mollis tam altum conciliat cubanti somnum, ut curæ ipsæ sopiantur, nec dormientem excitent. Melius tamen *Sollicitum curis* accipias pro: sollicitando curis, ut tori soleut purpurei incubantibus somnum excutere, quandoquidem divites avari quieto animi statu raro gaudent. Conf. Senec. Hippol. 520 sq.

213. *Turba salutantum*, etc. Salutatio Romæ mane fiebat convenientibus in atrio clientibus. Martial. IV, 8; Heyne ad Virg. Georg. II, 262.

215. Conf. Horat. Od. II, 16, 12 sq.; Lucan. IV, 373 sqq.

Omnibus esse dedit, si quis cognoverit uti.
Hæc si nota forent, frueremur simplice cultu,
Classica non fremerent, non stridula fraxinus iret,
Non ventus quateret puppes, non machina muros.
Crescebat scelerata sitis, prædæque recentis
Incestus flagrabat amor, nullusque petendi
Cogendive pudor: crebris perjuria nectit
Blanditiis, sociat perituro fœdere dextras.
Si semel e tantis poscenti quisque negasset,
Effera prætumido quatiebat corda furore.
Quæ sic Getuli jaculo percussa leæna,
Aut Hyrcana premens raptorem bellua Parthum,
Aut serpens calcata furit? Jurata deorum
Majestas teritur, nusquam reverentia mensæ;

218. *Classica non fremerent.* Tibull. I, 1, 4, pro: bella nulla essent. — *Stridula fraxinus* tormento, vel manu missa eum sibilo ac stridore aera findens.

219. *Machina*, aries. Cæterum hi duo versus, res, quas exprimunt, et numeris et sono pingere videntur.

220. *Crescebat.* Redit jam ex illo deverticulo ad Rufinum.

221—223. *Incestus*, impius sceleratus. — *Nectit*, πλέκει, adjunxit. Haud scio, an omnia exempla, quæ Heinsius hoc loco profert, aliena sint, vimque τοῦ *nectit* non accurate illustrent. — *Perituro fœdere*, quod vanum, irritum futurum est. Vid. Barth. ad Stat. Theb. VI, 932.

224. Hunc versum Gesnerus ita exponit: si vel semel *quisque*, hoc est, quisquam, vel quicunque (vid. Burmann. ad Sueton. in Tib. 65.) poscenti Rufino de tam magnis et multis rebus, quas quotidie petebat, quidquam negasset. Barthio versus corruptus videtur. Levi mutatione legerim: *Qui semel e tantis, poscenti quæque, negasset.*

225. *Quatiebat*, scilicet is, qui negasset, in furorem eum concitabat.

226. *Gætuli jaculo.* Conf. Horat. I, 22, 2; Sil. Italic. III, 339. In Gætulia nascebantur leones maximi et ferocissimi, inde epith. leonis Virgil. Æneid. V, 351. Talis leæna intelligenda est, quum *Gætuli jaculo* percussa dicatur. Heinsio perplacet *gentili*, quod multis exemplis probare conatur, sed recte illud rejicit Burmannus.

227. *Hyrcana bellua*, tigris. Virg. Æneid. IV, 367; Martial. Spect. 19, 2. — *Premens raptorem partus*, ubi incredibili velocitate ferri dicitur. Martial. III, 44, 6; Lucan. V, 485, et infra, XXXVI, 263 sqq.

228. *Serpens calcata*: Virg. Æn. V, 273 sqq. — *Jurata deorum Majestas.* Non cum Claverio violatam imperatorum, quibus sacramento obligatus esset Rufinus, intelligas majestatem, sed simpliciter de perjuro

Non conjux, non ipse simul, non pignora cæsa
Sufficiunt odiis; non exstinxisse propinquos,
Non notos egisse sat est: exscindere cives
Funditus, et nomen gentis delere laborat.
Nec celeri mittit leto: crudelibus ante
Suppliciis fruitur; cruciatus, vincla, tenebras,
Dilato mucrone, parat. Proh, sævior ense
Parcendi rabies, concessaque vita dolori!
Mors adeone parum? causis fallacibus instat;
Arguit attonitos se judice: cætera segnis,

accipias. — *Teritur*, quasi pedibus calcatur, contemnitur. — *Mensæ*, scilicet hospitalis, cujus magna erat religio apud veteres: Virg. Æneid. X, 460. Minus bene intelligit Claverius mensam imperialem.

230—233. *Non conjux, non ipse simul*, etc. Aliquid deesse suspicatur Heinsius. *Ipse* potest ad eum referri, qui Rufino petenti aliquid negasset. — *Cæsa* pertinet quoque et ad *conjux* et ad *ipse*. Sensus: Non satis habebat jurisjurandi et hospitii religione posthabita, illum, qui sibi aliquid negasset, cum conjuge et liberis, cum propinquis et amicis interficere, sed omnes cives, omnem denique gentem exstirpabat. — *Notos*, amicos. — *Egisse*. Barthius intelligi vult: exulatum, quod huic loco non videtur convenire, neque Græcanicum est ἄγειν καὶ φέρειν, ut idem putat, sed supplendum: ad supplicium. Tac. Annal. XIV, 2. — *Exscindere cives*, etc. Hoc ad Lyciam, Tatiani et Proculi patriam, spectare, quam Rufinus, cujus ira illorum duumvirorum morte et exilio non satiata fuisset, e numero provinciarum imperii eximendam curaverit, ejusque incolas indignos in perpetuum judicandos, qui munere aliquo publico fungerentur, existimavere quidam. Conf. Cod. Theodos. lib. IX, tit. XXXVIII, l. 9, ibique Gothofr. Sed quum de illis viris infra, 247 sqq. loquatur poeta, illa præmittere vix potuit, quæ supplicium eorum secuta sunt.

234. *Mittit*. Ovid. Fast. II, 664. Sic *dare, dimittere leto* sæpius.

235. *Dilato mucrone* pro: necem differens. — *Ense*, interfectione ipsa, supplicio.

237. *Parcendi rabies*. Dum vitæ parcit ad tempus, crudelior est ac furiosior, quam si vitam adimeret. — *Dolori*, cruciatui, vinclis, tenebris.

238. *Causis fallacibus*. Subornabat delatores, qui fictis causis et criminibus homines in judicium vocarent, ut jure spoliati fortunis viderentur.

239. *Attonitos*. Qui nihil aliud Rufino judice poterant exspectare, quam se iri damnatum. Etiam hæc ad Tatianum et Proculum trahunt quidam, inter quos et Burmannus est. — *Cætera segnis, Ad facinus velox*. Similis orationis color est apud Juvenalem, IV, 3.

Ad facinus velox; penitus regione remotas
Impiger ire vias. Non illum Sirius ardens,
Brumave Rhipæo stridens Aquilone retardat.
Effera torquebant avidæ præcordia curæ,
Effugeret ne quis gladios, neu perderet ullum,
Augusto miserante, nefas. Non flectitur annis,
Non ætate labat: juvenum rorantia colla
Ante patrum vultus stricta cecidere securi:
Ibat grandævus, nato moriente, superstes
Post trabeas exsul. Quis prodere tanta relatu
Funera, quis cædes possit deflere nefandas?
Quid tale immanes unquam gessisse feruntur
Vel Sinis Isthmiaca pinu, vel rupe profunda

240—245. *Regione* pro: longe.—*Rhipæo Aquilone*. Montes *Rhipæi* Thraciæ sunt. Per epith. plaga designatur, unde flat Aquilo.—*Ullum nefas*, ullam occasionem supplicii infligendi.—*Augusto miserante*, Theodosio in clementiam et misericordiam inclinante. Hæc vix possunt ad Lucani mortem pertinere, quam Rufinus itinere incredibili velocitate permenso maturavit. Zosim. V, 2, potest tamen illud facinus probare, imaginem Rufini, quam Claudianus, non adumbravit, sed studiose et diligenter expinxit, haud omnino falsam esse.

246. *Labat*, commovetur.—*Rorantia*, cruore stillantia.

248. *Ibat grandævus*, etc. Tatianum putant innui, et quidem recte. Fuit Tatianus consul cum Symm. A.C. 391, deinde præfectus Orientis, et Proculus, ejus filius, præfectus Constantinopolis. Ad potentiam suam augendam illos viros e medio tollendos esse statuit Rufinus. Insimulabantur itaque peculatus, accusabantur, et ipse Rufinus constituti judicii erat præses. Quum Proculus fuga se judicio subtraxisset, nec pater solus iræ Rufini sufficeret: per patris literas, cui Rufinus callide spem fecerat, fore ut uterque absolveretur, filius retrahitur. Reversus autem, in Constantinopolim suburbiis comprehenditur, et, maturato supplicio, ne Theodosii ira in misericordiam verteret, in conspectu patris securi percutitur, pater exilio multatur. Conf. Zosim. IV, 52.

249. *Post trabeas*, post consulatum: signum pro re signata. Cf. I, 178; VII, 3; XXII, 3.

252. *Vel Sinis Isthmiaca pinu*. Sinis πιτυοκάμπτης crudelissimus latro isthmum Peloponnesi incolens, arbores in terram depressas fixisse, iisque homines alligasse dicitur, ut, dum illæ sursum rursus tenderent, crudelissime discerperentur. Plutarch. Thes. 8; Ovid. Met. VII, 440 sqq.; Propert. III, 21, 37 sq. Cf. Schol. ad Euripid. Hippol. 977.

Sciron, vel Phalaris tauro, vel carcere Sulla?
O mites Diomedis equi! Busiridis aræ
Clementes! Jam Cinna pius; jam, Spartace, lenis
Rufino collatus eris. Dejecerat omnes
Occultis odiis terror, tacitique sepultos
Suspirant gemitus, indignarique verentur.
At non magnanimi virtus Stilichonis eadem
Fracta metu: medio solus sed turbine rerum,
Contra letiferos rictus, contraque rapacem
Movit tela feram, volucris non præpete cursu
Vectus equi, non Pegaseis adjutus habenis.

253. *Sciron;* latro saxa inter Megaram et Corinthum inhabitans, unde viatores in mare solebat dejicere, ipse a Theseo interfectus est. Plutarch. loc. cit.; Ovid. loc. cit. 443 sqq. — *Phalaris tauro.* Notus est ille tyrannus Agrigentinus, qui homines tauro æneo inclusos subjecto igne cremabat. Sil. Ital. XIV, 211 sqq. Sed conf. Lucianum in Phal. pr. 11, tom. II, p. 197 sqq. ed. Reiz. — *Sulla.* De *Sullæ* feritate vid. Senec. Benef. V, 14; de Clement. I, 12; Lucan. II, 139 sqq.

254. *Diomedis equi* carne humana a domino suo pascebantur, quem tandem illis ipsis Hercules devorandum objecit. Diod. Sicul. IV, 15; Ovid. Met. IX, 194 sqq.; Quint. Calab. VI, 245 sqq. — *Busiridis aræ.* Virg. Georg. III, 5; ibi Heyne.

255. *Cinna.* Vellei. Patercul. II, 22. — *Spartace. Spartacus* quadraginta millibus servorum adjutus terrorem et cladem Italiæ intulerat. Vellei. Patercul. II, 30.

256—258. *Occultis odiis*, ablat. absolut. Omnes dejecerat, invaserat terror, dum occultum esset, quos tandem odisset; itaque sibi quisque timebat. Pro *omnes* Heinsius mavult *amens.* — *Sepultos gemitus*, oppressos, neque prodeuntes. — *Suspirant*, hoc loco vim activam habere, Burmannus jam notavit. Conf. Brouk. ad Tibull. I, 7, 41. Omnes ingemiscebant, sed ita ut gemitus non exaudirentur. — *Verentur*, scilicet delatorum metu. Conf. Lucan. II, 257 sqq.

259 sqq. Cum Rufino, quem deterrimis vitiis inquinatum crudelissimumque tyrannum descripsit, comparat jam Stilichonem, qui omnibus metu dejectis, solus istius furori restitit, miserisque portus et ara fuit, ita, ut omnes antiquitatis heroas, quos fama tantopere celebravit, longe superaret. Illi enim deorum auxilio, tuti ab hoste plerumque erant; Stilicho sola virtute et constantia fretus, hostem excepit et profligavit, remque publicam servavit. Hæc omni arte adhibita, quam declamandi ratio suppeditare poterat, elata sunt, ipsaque dictio versuumque pompa indicat, quanto cum studio Stilichonis laudes poeta ornarit.

259—263. Stilicho metu non

Hic cunctis optata quies, hic sola pericli
Turris erat, clipeusque trucem porrectus in hostem.
Hic profugis sedes, adversaque signa furori,
Servandis hic castra bonis: huc usque minatus
Hærebat, retroque fuga cedebat inerti.
Haud secus hiberno tumidus quum vortice torrens
Saxa rotat, volvitque nemus, pontesque revellit,
Frangitur objectu scopuli, quærensque meatum
Spumat, et illisa montem circumtonat unda.
Qua dignum te laude feram, qui pæne ruenti
Lapsuroque tuos humeros objeceris orbi?

fractus, ut Bellerophon contra Chimæram, sic contra Rufinum, belluam ferocissimam, pugnavit, verum non ut ille Pegaso vectus, id est, ab hostili impetu tutus. Conf. Apollodor. II, 3, 1; ibi vid. Heyne — *Pegaseis habenis adjutus*, quibus flectere posset Pegasum, quo vellet, ad impetum Chimæræ declinandum, et ad eam invadendam.

265. *Turris erat.* Sic Græci passim. Euripid. Alcest. 312:
Καὶ παῖς μὲν ἄρσην πατέρ' ἔχει πύργον μέγαν.
Et pariter in Med. 390:
Ἢν μέν τις ἡμῖν πύργος ἀσφαλὴς φανῇ.
Ibi v. Schol. Sophocl. Œdip. Tyrann. 1200:
Θανάτων δ' ἐμᾷ χώρᾳ πύργος ἀνέστας.
—*Clipeus porrectus. Clipeus porrectus* dicitur, quum hosti objectus est. Liv. VII, 10, *projecto* scuto: apud Græcos προβάλλεσθαι absolute Xenoph. Cyrop. II, 3, 10.

266. *Sedes*, ubi domicilium ponere, atque in tuto esse poterant. — *Adversa signa.* Præsidium signa in hostem inferens, eique resistens.

267, 268. *Huc usque minatus Hærebat.* Usque ad Stilichonem insecutus est homines, quo viso hæsit, impetu ejus auctoritate hujus viri quasi retuso. — *Inerti*, ignava.

269 sq. Hac comparatione sæpe usi sunt poetæ. Cf. Lucret. I, 282 sqq. Valer. Flacc. VI, 632 sqq. Stat. Theb. III, 671 sqq. Sil. Italic. IV, 520 sqq. Quint. Calab. X, 171 sqq. et quæ præterea ad. Sil. laudat Ruperti.

270, 272. Versus ipsi exprimunt vim rapidi fluminis omnia secum abripientem, ejus adpulsum ad scopulos, tumultumque circa molem cursum morantem.

274. *Humeros objeceris.* Burmannus proponere videtur *subjeceris*. Virgil. Æn. II, 721. Prius h. l. præstat. Est enim sermo de *pæne ruenti lapsuroque orbe*, ni fulciatur. Petitum hoc a re jam inclinata, quæ humero objecto sustentatur, et in pristinam sedem reprimitur. *Subjiciuntur* autem humeri rebus, quæ portandæ sunt. Poeta alludit ad Atlantem cælum sustentantem humeris, quos si subtraheret, cælum ruere diceretur.

Te nobis trepidæ ceu sidus dulce carinæ
Ostendere dei, geminis quæ lassa procellis
Tunditur, et victo trahitur jam cæca magistro.
Inachius rubro perhibetur in æquore Perseus
Neptuni domuisse pecus, sed tutior alis;
Te non penna vehit: rigida cum Gorgone Perseus;
Tu non vipereæ defensus crine Medusæ.
Illum vilis amor suspensæ virginis egit;
Te Romana salus. Taceat superata vetustas;

275. *Sidus dulce* Castoris et Pollucis intelligo, quorum stellæ salutares erant nautis. Cf. Horat. Od. I, 12, 25 sqq. Nihil tamen impedit, quominus aliud intelligas. Cf. Quint. Calab. II, 102 sqq.

276. *Geminis procellis.* Delrius procellas undarum et venti intelligit, qnod Burmannus probat, laudatque Ovid. Heroid. II, 35; et ad Nostrum XXVIII, 140. Gesnerus fluctus intelligit per vices utrumque latus navis ferientes. Equidem procellas duorum ventorum sibi contrariorum intelligo, quas poetæ sæpe inducere solent secuti memorabilem locum Homer. Odyss. ε. 330 sqq. Cf. Valer. Flacc. I, 639 sqq. Sil. Italic. XXII, 268 sq.

Talia dum mœret, diversis flatibus acta
In geminum ruit unda latus, puppimque sub atris
Æquoris aggeribus tenuit ceu turbine mersam.

Adde Horat. Epod. X, 3 sq. Lucan. V, 570; Nostrum XXIX, 203 sq.

277. *Cæca,* nullius consilio recta. — *Victo magistro*, arte magistri seu gubernatoris vehementia tempestatis victa, qui navem undis et ventis reliquit.

278. *Inachius Perseus.* Princeps generis fuerat Inachus. — *Rubro in æquore.* Barthins, quem Gesnerus sequitur, ad naturalem maris in his locis colorem hoc videtur referre auctoritate nitens Manilii, V, 548, ubi tamen *infecti* legit pro *infesti*, quod verius est. *Rubro* h. l. est tincto cruore bellnæ. Rem narrat Ovid. Met. IV, 662 sqq. et Manil. V, 537 sqq. qui 602 sq. de bellua dicit:

Efflat et in cælum pelagus, mergitque volantem
Sanguineis undis, pontumque extollit in astra

Cf. Valer. Flacc. II, 540 sq.

279. *Neptuni pecus*, pistricem, seu cetum. Sic Horat. Od. I, 2, 7. Ibi v. Jani. — *Alis*, Mercurii talaribns.

280. *Rigida*, cujus aspectu homines in lapides mutabantur.

282. *Vilis*, si enm cum salute Romana compares. — *Virginis*, Andromachæ. Alii legnnt *conjugis*, quod æque locum potest habere. Cf. Broukh. ad Tibull. III, 11, 4. — *Suspensæ*, ad rnpes alligatæ. — *Egit*, addnxit, nt liberationem virginis susciperet.

283. sqq. Jam Herculis labores cum rebus gestis Stilichonis comparat ita, ut hunc illo superiorem fuisse demonstret. In illis laboribus recensendis poetæ recentiores sæpe luxuriati sunt, sæpe inepti et fri-

Herculeos conferre tuis jam desinat actus.
Una Cleonæum pascebat silva leonem;
Arcadiæ saltum vastabat dentibus unum
Sævus aper; tuque o compressa matre rebellis,
Non ultra Libyæ fines, Antæe, nocebas;
Solaque fulmineo resonabat Creta juvenco,
Lernæamque virens obsederat hydra paludem:
Hoc monstrum non una palus, non una tremebat
Insula, sed Latia quidquid ditione subactum
Vivit, et a primis Ganges horrebat Iberis.
Hoc neque Geryones triplex, nec turbidus Orci
Janitor æquabunt, nec si concurrat in unum
Vis Hydræ, Scyllæque fames, et flamma Chimæræ.

gidi fuerunt, ut Sidon. Apollin. IX, 91 sqq.

284. *Actus*, labores, res gestas. Valer. Flacc. II, 5.

285. *Cleonæum leonem*, vulgo Νέμεον, seu Νεμεαῖον. Nam Cleone, seu Cleonæ oppidum Argol. non longe a silva Nemea. Fabulam narrat Apollod. II, 4, 10.

287. *Sævus aper*. Ἐρυμάνθιος κάπρος, Apollod. II, 5, 7. — *Compressa matre rebellis*. De pugna Herculis cum Antæo v. Apollod. II, 5, 11; Pindar. Pyth. IX, 185, et Lucanus IV, 598 sqq. *Rebellis* is est, qui victus arma rursum sumit. Hic Antæus humi dejectus (*compressa matre*) ab Hercule, *nova alimenta*, ut ait Ovid. Met. IX, 183, virium accipiebat a terra, pugnamque semper cum Hercule iterabat. Cf. Ovid. I, 81.

289. *Fulmineo juvenco*. Cretæ taurus intelligitur, Lucret. V, 26, quem Hercules interfecit Pausan. I, 27, 9; Quint. Calab. VI, 237 sqq. *Fulmineo*, πύρπνοῳ.

290. *Hydra* Apollod. II, 5, 2. — *Virens*, solemne venenatorum epith. Horat. Od. I, 17, 8.

291. *Hoc monstrum*, Rufinum.

293. *A primis Ganges Iberis* pro: quotquot eas terras incolunt, quæ ab Occidente ad Orientem porriguntur.

294. *Geryones triplex*. Apollodor. II, 5, 10 sqq. Cum toto hoc loco compara Horat. Od. IV, 4, 61 sqq.

295. *Orci janitor*, Cerberus. Apollod. II, 5, 12. — *Turbidus* explicatur a Sil. Italic. II, 551 sqq. v. ibi Ruperti.

296. *Scyllæ*. Filia Phorci, mutata in saxum, quod nautas absorbet, inter Siciliam et Italiam. — *Fames*, qua absorbet omnia. Cf. Brouk. ad Tibull. IV, 1, 74. *Vorax* dicitur a Catull. LXIV, 156, et ab Ovid. in Ib. 387. — *Flamma Chimæræ*; a Virgil. Æn. VI, 288, *flammis armata* vocatur. Vid. ibi Servium et Ovid. Met. IV, 646 sq. Cf. Homer. Il. ζ, 180 sqq. Hesiod. Gener. D. 319 sqq. Lucret. V, 902 sqq.

Certamen sublime diu, sed moribus impar
Virtutum scelerumque fuit. Jugulare minatur;
Tu prohibes: ditem spoliat; tu reddis egenti:
Eruit; instauras: accendit prælia; vincis.
Ac velut infecto morbus crudescere cælo
Incipiens primos pecudum depascitur artus;
Mox populos urbesque rapit, ventisque perustis
Corruptos Stygiam pestem desudat in amnes:
Sic avidus prædo jam non per singula sævit,
Sed sceptris inferre minas, omnique perempto
Milite, romanas ardet prosternere vires.
Jam gentes Istrumque movet, Scythiamque receptat
Auxilio, traditque suas hostilibus armis

297. *Certamen sublime diu.* Barthius ait, *certamen* hoc *sublime* diei, quod ad clavos reipnblicæ gestum sit omnium animis in eventum erectis. Loea, quæ laudat, huc parum faciunt. Gesnerus ita dici putat, quia tamdiu sublime fnerit, qnamdiu erigeret se uterque pugnantium ut galli gallinacei. Landat Virgil. Æn. V, 426 sq. Sed *sublime* sine dubio vocari potest *certamen*, quod gerunt virtutes omnes contra omnia vitia, quum ab utraque parte summis viribus summaque contentione pugnetur.—*Moribus impar* explicatur sequentibns, quatenus certamen erat inter homines moribus dispares, quorum alter omnia evertere, alter eversa restitnere studebat.

301 sq. De ortu et progressu pestis cf. Homer. Il. α, 43 sqq. Lucret. VI, 1136 sqq. Virgil. Georg. III, 474 sqq. Ovid. Met. VII, 528 sqq. Senec. Œdip. 133 sqq. Sil. Italic. XIV, 582 sqq. — *Infecto cælo*, aere corrupto.

302. *Depascitur pecudum artus*, pro: pecudes interimit; sed illud morbo tabido aptius.

303. *Ventisque perustis.* Austris calidis.

304. *Pestem desudat in amnes*, peste inficit amnes. Proprie æstus ipse corrumpit aquas stagnantes, earumque exhalationes aerem inficiunt, pestilentemque reddunt. Ovid. VII, Met. 533 sqq.

Constat et in fontes vitium venisse lacusque,
Milliaque incultos serpentum multa per agros
Errasse, atque suis fluvios temerasse venenis.

305. *Per singula*, in singulos homines.

306, 307. Excitat Barbaros Rufinus, ut provincias invadant. Persuaserat enim sibi, in illis turbis quum major exercitus cui non admodum gratus erat, pars periisset, facilius se rerum summa esse potiturum.— *Perempto milite*, Barbaris illum objiciendo.

308. *Gentes Istrumque*, pro gentes ad Istrum habitantes. — *Receptat*, quasi hospitio recipit. Cic. pro Milone. 19, *locus latronum*

Relliquias: mixtis descendit Sarmata Dacis,
Et qui cornipedes in pocula vulnerat audax
Massagetes, cæsamque bibens Mæotida Alanus,
Membraque qui ferro gaudet pinxisse Gelonus,
Rufino collecta manus: vetat ille domari,
Innectitque moras, et congrua tempora differt.

occultator et receptator. Liv. XXXIX, 17, *ne quis reciperet, celaret, ope ulla juvaret.* Hæc Burmannus laudat.

310. *Relliquias*, id est, ea, quæ ipse non spoliaverat, aut vastaverat, ea tradit perdenda hostibus barbaris. — *Dacis. Daci*, aspera ac dura gens trans Istrum habitans, semperque fines Romanos infestans, sub Augusto nondum debellata (Sueton. Aug. 8. Flor. IV, 12), tandem sub Trajano subacta est. V. infra XXVIII, 335. — *Sarmata. Sarmatæ* circa ea loca habitabant, quæ Polonia olim complectebatur.

311, 312. *Massagetes.* Cf. *La Cerda* ad Virgil. Georg. III, 463; Burmann. ad Valer. Flacc. II, 157. Massagetæ, inclyta Scythiæ orientalis gens, Parthis vicina. Herod. II, 201. Sanguinem equinum in deliciis habebant. — *In pocula*, id est, potandi causa. — *Alanus. Alani* etiam Scythiæ populus bellicosissimus circa Mæotim habitans. Interpp. ad Lucan. VIII, 223, ed. Oudendorp. — *Cæsam.* Glacies, qua Mæotis erat tecta, bipennibus erat cædenda et solvenda, ut potum sibi compararent. Ovid. Trist. III, 10, 21 sqq. Stat. Theb. XII, 525 sqq. Cf. infra XXXV, 65 sq.

313. *Membraque qui... Gelonus.* Colorem cuti ferrea acu punctæ vel inurebant, vel inungebant, ut multæ barbaræ gentes, vel pulchritudinis, ut putant, gratia, vel ad culices arcendos, vel ad corpus contra frigus muniendum, vel ad terribiliorem aspectum sibi conciliandum. Vid. Heyne ad Virgil. Georg. II, 115; Sext. Empiric. III, 24.

314, 315. In verbis nulla est difficultas; quæritur tamen, quorsum hæc spectent. Equidem iis accedo, qui ad Promotum a Rufino proditum hæc trahunt. Ille equestribus copiis præerat, ejusque maxime opera Barbari, qui provincias invaserant, erant repulsi. Quum igitur de Imperatore tam bene meritus esset, arrogantiam Rufini ferre non poterat, eique in concilio publico superbienti colaphum infregit. Quam contumeliam Rufinus ut vindicaret, impetravit a Theodosio, ut Promotus continuo ad exercitum proficisci juberetur, qui castra ad Danubium habebat. In illo itinere quum incidisset in Barbarorum insidias, quas Rufinus ei struxerat, occisus est. V. Zosim. IV, 51. Hac cæde ducis quum Barbari ferociores essent facti, insolentiusque se gererent, Stilicho missus est, qui animos illorum contunderet. Sed quum totam Bastarnarum gentem posset delere, Rufini fraude a Theodosio jussus est bellum omittere. Hæc colligi possunt ex XXI, 95 sq. Quemad-

Nam tua quum Geticas stravisset dextra catervas,
Ulta ducis socii letum, parsque una maneret
Debilior, facilisque capi; tunc impius ille
Proditor imperii, conjuratusque, Getarum
Distulit instantes, eluso principe, pugnas,
Hunnorum laturus opem, quos affore bello
Norat, et invisis mox se conjungere castris.

modum autem singula gesta sint, memoriæ non est proditum. — *Domari*, sc. Barbaros. — *Congrua tempora*, opportunitatem Barbaros debellandi. Hæc explicantur per sequentia.

316. *Nam tua quum Geticas* etc. Cf. XXI, 106 sqq. Quando hoc acciderit, non liquet; neque alii scriptores, quod equidem sciam, hujus cladis mentionem faciunt, quæ illata Getis debet esse, antequam ad bellum contra Eugenium Theodosius proficisceretur.

317, 319. *Ducis*, Promoti. Genitiv. — *Getarum* pendet a sequenti *pugnas*, et *conjuratus* absolute positum est, ut infra XXVI, 49.

320. *Distulit...pugnas*. Qua ratione hoc factum sit, ignoratur. Probabile est, de industria Claudianum hæc tantum significasse, non quidem propterea, quia æqualibus notissima deberent esse; nam quæ vel ad laudem Stilichonis, vel ad infamiam Rufini pertineant, ea solet copiosis verbis exponere, sive nota sint omnibus, necne. Verum ea, quæ nutu tantum indicat, Theodosii gloriæ vel eatenus poterant officere, quatenus sibi a Rufino imponi passus sit, id quod satis declarant verba *eluso Principe*.

321, 322. Distulit pugnas Getarum, quibus deleri potuissent, ut illis opportunitatem procuraret Hunnorum auxiliis se muniendi, quos sciebat opem laturos esse Getis adflictis. — *Laturus opem*, sc. Getis, id est, differenda clade facturus, ut auxilium illis ferri posset ab Hunnis. — *Conjungere* pro: conjuncturos esse. — Cæterum v. 321, 322, vel intempestive intrusi, vel inde nati esse videntur, quod, nescio quis, ad lacunam explendam, verba utcunque conjunxerit, quæ ante versibus interjectis distarent. Varietas temporum adeo dura est, ut non excusari, nedum confirmari possit exemplo, quod ex Nostro Burmannus profert (XXII, 7). Deinde sensus tolerabilis tantum ex illis verbis non elici, sed vi adhibita extorqueri potest, qui tamen, vel si sponte prodeat, parum hoc loco satisfacit. Caute quidem Claudianus loquitur, ut Theodosii memoriæ parcat, quemadmodum supra monuimus; sed satius fuisset, vel omnino tacere, quam ea proloqui, quæ, quorsum pertineant, quomodoque inter se cohæreant, nescias, etiamsi integram illius ævi historiam fortuna servasset. Quæ ego divinare possum, hæc sunt. Stilicho in eo erat, ut inclusos Getas occidione deleret. Hoc Rufinus metuens Hunnos excitat, qui ab alia parte provincias Romanas in-

Est genus extremos Scythiæ vergentis in ortus
Trans gelidum Tanain, quo non famosius ullum
Arctos alit : turpes habitus; obscœnaque visu
Corpora; mens duro nunquam cessura labori;
Præda cibus, vitanda Ceres, frontemque secari

vadant, ac Theodosio persuadet, ut pace cum Getis subito facta in hostem magis timendum arma convertat. Illico Stilicho jubetur fœdere cum Getis icto contra Hunnos proficisci, quos exercitui Romano magnam cladem illaturos esse Rufinus speraverat. Quæ res sane enm non magnopere fefellit, ut ex silentio Claudiani ipso colligere possis. Hic enim liber finitur, dum adhuc bello contra Hunnos Stilicho detinetur. Megæra jubet Justitiam ad provinciarum vastationem attendere. Illa contra prædicit, Rufinum olim daturum esse pœnam proditionis suæ, atque vel sepulcro cariturum. Mirum omnino est, nihil de exitu hujus expeditionis contra Hunnos memoratum esse, nisi quod colligi potest ex v. 349 sq. quamquam Stilichonis laudandi uberrimam materiam poeta inde arripere potuisset, etiamsi victoria non adeo splendida fuisset. Atque etiam est, quod magis mireris, nusquam alibi, si recte memini, ne in iis quidem libris, qui in consulatum Stilichonis inscripti sunt, Hunnorum mentionem fieri, nisi dicas, Chunos (XX, 338, et XXI, 110.) eosdem fuisse, quod tamen geographis non satis exploratum est (*Mannert Geograph. der Griech. und Röm.* tom. *IV*, *pag.* 364.) et XXI, 110. Chuni inter eos populos referuntur, quibuscum Stilicho, quamquam eos exstinguere potuisset inclusos, jussus pacem et fœdus fecit. Nominantur V, 270; sed magis in memoriam cladis acceptæ, quam victoriæ de illis reportatæ. Quæ quum ita sint, res contra Hunnos Stilichoni, quamquam Claudianus Martem socium ei adjunxit, non satis ex sententia cessisse videntur, sed pactione potius non admodum honorifica quam armis bellum esse finitum. Cæterum aliquo modo res a Rufino turbatas Stilichonis vel consilio vel armis pacatas fuisse, docet ipsa Theodosii contra Eugenium expeditio, quæ alioquin suscipi non potuisset, atque hæc ipsa forsan in causa fuit, ut Stilicho cum Hunnis quavis ratione deciderit.

323 seq. Sequitur Hunnorum descriptio, quacum comparandi sunt Ammian. Marcell. XXXI, 2; Sidon. Apollin. Carm. II, 244 sqq.; Zosim. IV, 20; Jornand. de Reb. Get. 24.

325, 326. *Obscœnaque visu Corpora.* Amm. Marc. loc. cit. « Prodigiosæ formæ, ut bipedes existimes bestias. »

327. *Præda cibus, vitanda Ceres.* Rapto vivebant; agrorum cultus non erat permissus. Ammian. Marc. loc. cit. « Nemo apud eos arat, nec stivam aliquando contingit. » — *Frontemque secari Ludus.* Hoc difficilem habet explicatum. Gesnerus existimat, *frontem* positum esse pro tota facie, imprimis pro genis et

Ludus, et occisos pulchrum jurare parentes.
Nec plus nubigenas duplex natura biformes
Cognatis aptavit equis: acerrima nullo
Ordine mobilitas, insperatique recursus.
Quos tamen impavidus contra spumantis ad Hebri
Tendis aquas, sic ante tubas ferrumque precatus:
«Mavors, nubifero seu tu procumbis in Hæmo,

meuto, interpretaturque illud ex Ammian. Marc. loc. cit. «Qnoniam ab ipsis nascendi principiis infantum ferro sulcantur altius genæ, nt pilorum vigor tempestivus emergens corrugatis cicatricibus hebetetur. Senescunt imberbes.» Verum hoc est extorquere sensum, non elicere. Burmanno altera lectio placere videtur *fratresque necare Ludus;* laudat Lucan. VII, 182, et Nostr. supra, 77; quibus tamen locis illa minime potest confirmari. Equidem puto pro *Ludus* scribendum esse *Luctus*, ut sensus sit: secando frontem luctum significant. Sidon. Apollin. Carm. VII, 238 sqq.

Vulnere vel si quis plangit, cui flesse perisse est,
Ac ferro perarasse genas, vultuque minaci
Rubra cicatricum vestigia defodisse.

Herodot. IV, 71, memorat, Scythas regem snum mortnum ita solere lugere: Τοῦ ὠτὸς ἀποτάμνονται, τρίχας περικείρονται, βραχίονας περιτάμνονται, μέτωπον καὶ ῥῖνα καταμύσσονται, διὰ τῆς τε ἀριστερῆς χερὸς ὀϊστοὺς διαβυνέονται.

328. *Et occisos pulchrum jurare parentes.* Patres senio affectos ac viribus defectos a liberis occisos esse notnm est ex Herodot. I, 216, de Massagetis. Conf. quæ Fabricius laudat ad Sext. Empiric. Pyrrh. Hyp. II, 24. Ex verbis ipsis duplex sensus oritur, vel: pulchrum ducunt jurare, parentes a se esse interfectos, beneficium hoc collatum esse a se in parentes; vel: pulchrum ducunt jurare per parentes interfectos. Posterius mihi magis placet. Conf. Valer. Flacc. VI, 122 sqq. qui idem de Iazygibus memorat, quorum dux Gesander manes interfecti a se parentis sic implorare inducitur v. 288 sqq.

Sancte mihi Vorapte pater, tua pectora nato
Suggere nunc animamque parem; si fata peroso
Tarda tibi turpesque moras non segnius ipsi
Paruimus.

Cæterum idem fere orationis color est apud Stat. Theb. II, 85 sqq.

329. *Nubigenas biformes*, Centauros. Conf. Virg. Æn. VII, 674 sqq. Eadem fere dicit Ammian. Marcell. loc. cit. «Verum equis prope affixi duris quidem, sed deformibus, et muliebriter iisdem nonnumquam insidentes, funguntur muneribus consuetis.»

332 sqq. Contra illos Hunuos, qui Thraciam invaserant, Marte prius in auxilium vocato, tendit Stilicho, iisque magnam cladem infert. Sed ne hæc quidem, quando et quemadmodum gesta sint, ex annalium monumentis, quibus quidem tempus pepercit, satis nota sunt.

333. *Ante tubas ferrumque*, ante pugnam.

334. *Seu...... seu;* εἴτε...... εἴτε, Theocrit. I, 123 sqq. infra, XXIV, 208 sqq. Stat. Silv. III, I, 23 sqq.

Seu te cana gelu Rhodope, seu remige Medo
Sollicitatus Athos, seu caligantia nigris
Ilicibus Pangæa tenent, accingere mecum,
Et Thracas defende tuos: si lætior adsit
Gloria, vestitâ spoliis donabere quercu.»
  Audiit illa pater, scopulisque nivalibus Hæmi
Surgit, et hortatur celeres clamore ministros:
«Fer galeam, Bellona, mihi, nexusque rotarum
Tende, Pavor; frena rapidos, Formido, jugales.
Festinas urgete manus: meus ecce paratur
Ad bellum Stilicho, qui me de more tropæis
Ditat, et hostiles suspendit in arbore cristas.
Communes semper litui, communia nobis
Signa canunt, junctoque sequor tentoria curru.»

—*Procumbis*, quietem et cessationem Martis designat. Conf. Nostr. I, 108; IV, 17 sqq. Stat. Theb. VII, 408 sqq. Vid. infra, 340 sq. ubi Mars *surgit* Hæmi scopulis.

335. *Cana gelu.* Theocrit. VII, 76 sq.:

Εὖτε χιὼν ὥς τις κατετάκετο μακρὸν ὑφ' Αἶμον
Ἢ Ἄθω ἢ Ῥοδόπαν ἢ Καύκασον ἐσχατόεντα.

336. *Sollicitatus Athos.* Rem narrat Herodot. VII, 21. Cf. Juvenal. X, 173 sqq.

337. *Pangæa. Pangæus*, Thraciæ mons.

338. *Thracas tuos.* Thracia sedes Martis propria. Homer. Odyss. θ, 361; Virgil. Æneid. III, 13; Sil. Italic. I, 433. Ejus domum describit Stat. Theb. VII, 40 sqq.

339. *Vestita spoliis quercu.* Tropæo. Conf. Virgil. Æneid. XI, 5 sqq. Stat. Theb. II, 704 sqq.

342 sq. *Fer galeam*, etc. De armis et insignibus Martis vid. Sil. Italic. IV, 430 sqq. Stat. Theb. III, 424 sqq. Callimach. Hymn. in Del. 64 et 136; ibi Spanh. — *Nexusque rotarum tende.* Barthii opinionem, nexus rotarum esse paraxonium vel embolodeten, de quo Scheff. de Re Veh. I, 5, reprobat Burmannus, quia de illo, quum clavus sit, qui extremitati axis injicitur, non possit dici *tendi.* Ipse quid sentiat, parum explicite exprimit. Gesnerus funes intelligit axibus illigatos; id sibi antiqua monumenta declarare videntur.

343. *Pavor. Formido*, δεῖμος et φόβος; alias Martis sunt equi: Homer. Il. δ, 439; Valer. Flacc. III, 89. Secundum alios ejus filii: Cf. Eust. ad Homer. loc. cit. et Burmann. ad Valer. Flacc. II, 204.

344. *Festinas urgete manus.* Simpliciter pro: properate. —*Paratur*, parat se.

346. Vid. supra ad 341.

348. *Junctoque sequor*, etc. Ejus sum commilito.

Sic fatus campo insiliit, lateque fugatas
Hinc Stilicho turmas, illinc Gradivus agebant,
Et clipeis et mole pares: stat cassis utrique
Sidereis hirsuta jubis, loricaque cursu
Æstuat, et largo satiatur vulnere cornus.
Acrior interea voto, multoque Megæra
Luxuriata malo, mæstam deprendit in arce
Justitiam, diroque prior sic ore lacessit:
« En tibi prisca quies, revocataque sæcula rursus,
Ut rebare, vigent; en nostra potentia cessit,
Nec locus est usquam Furiis: huc lumina flecte.
Aspice barbaricis jaceant quot mœnia flammis;
Quas mihi Rufinus strages, quantumque cruoris
Præbeat, et quantis epulentur cædibus hydri.
Linque homines, sortemque meam; pete sidera; notis
Autumni te redde plagis, qua vergit in Austrum

351. *Et clipeis et mole pares.* Iisdem armis indutus erat Stilicho, quibus Mars, eademque erat statura et corporis habitu. Virgil. Æneid. XII, 161. — *Stat* pro est, ut sæpius.

352. *Sidereis hirsuta comis.* Instar siderum fulgorem emittens. Sic Barth. qui laudat Virgil. Æneid. X, 278 sq. Potest quoque de niveis jubis, seu cristis intelligi: Sil. Italic. IV, 13 sq. Stat. Theb. IV, 129 sq. Gesnerus imaginem putat esse cristæ in altum et velut versus sidera erectæ. Minus bene.

353. *Æstuat*, sudore perfunditur. Heins. præfert *cursum æstuat*, quod procul dubio elegantius est. — *Satiatur.* Hasta sæpius dicitur *sitire* cruorem, *satiari* cruore, *libare*, *delibare* sanguinem, etc. Vid. Ruperti ad Sil. Italic. V, 274.

354 sqq. Megæra cædibus et incendiis, quæ per Rufinum ubique fecerat, insolentior facta Justitiæ insultat, ultroque eam lacessit. Vel ex hoc colligi posse videtur, victoriam a Stilichone de Hunnis reportatam adeo splendidam non fuisse. Neque Justitia in iis, quæ reponit, victoriæ magnitudine se solatur propter mala imperio a Barbaris illata, sed spe tantum Honorii, cujus imperio, fusis atque subactis hostibus, ætas aurea reditura sit. — *Voto*, rerum successu prospero.

355. *Luxuriata*, gavisa. Ovid. Trist. V, 1, 44; Art. Am. II, 437. — *Arce* aulæ imperatoriæ.

357. *Sæcula*, scilicet aurea.

360. *Jaceant*, vastata sunt.

363. *Sortem*, pro eo positum, quod sorte obtigit; hoc loco regnum, dominium, terras.

364, 365. Redde te sedi tuæ consuetæ, quæ est inter Libram et

Signifer, æstivo sedes vicina Leoni.
Jam pridem geminæque vacant confinia Libræ;
Atque utinam per magna sequi convexa liceret! »
  Diva refert : « Non ulterius bacchabere demens.
Jam pœnas tuus iste dabit; jam debitus ultor
Imminet, et terras qui nunc, ipsumque fatigat
Æthera, nec vili moriens condetur arena.
Jamque aderit læto promissus Honorius ævo,

Leonem, in quo Libræ signo sol versatur autumni tempore, quando in zodiaco procedens per æquatorem transit, australique plagæ appropinquare cœpit. Cæterum sponte apparet causa, cur in Libræ vicinia Justitiæ sedes sit collocata.

369. *Tuus iste*, ignominiose dictum, aut per contemptum. Vid. Ovid. Amor. I, 8, 47.—*Debitus*, a fatis et diis destinatus. Burmann. ad Valer. Flacc. V, 21.

370. *Fatigat*, hoc loco turbat.

371. *Nec vili moriens condetur arena.* Is ne vilissimo quidem terræ munere mortuus honorabitur.

372. *Promissus* tanquam oraculis et sorte deorum. Valer. Flacc. II, 486. Sed quid hoc sibi vult? Carmen hoc scriptum videtur non diu post Theodosii M. mortem, quum jam dissidium inter Stilichonem et Rufinum ortum esset, quod ille totius imperii curam et utriusque filii tutelam a Theodosio moribundo sibi demandatam esse contenderet, ille autem contra Arcadii et Orientis tutelam sibi vindicaret. Atque forsan tum scriptum est, quum pacatis Germanis gentibus Stilicho se accingeret ad ea sibi armis vindicanda, quæ, ut præ se ferebat, jure sibi negari non possent. Hoc elucere puto ex v. 371, ubi poeta Justitiam Rufino ea prædicentem inducit, quæ, ut legimus in sequenti libro, eventum quodammodo habuere, nisi existimes, et hunc librum exaratum esse post Rufini cædem. Cui tamen opinioni inter alia etiam hoc obstat, quod hic liber cum sequenti minime cohæret, sed ambo ita adornati sunt, ut uterque per se consistat, totumque efficiat, adeo, ut diversis temporibus et concinnati et oblati, seu recitati videantur, id quod jam Gesnerus animadvertit. An non autem postea præsertim in hoc libro quædam ab auctore addita, nonnullaque reficta sint, ut divinasse videretur in primo, quæ accidisse memorat in altero, ut ambo unum quasi opus continuum absolverent fata Rufini ordine complectens; alia est quæstio, cujus solutio meris tantum conjecturis niti potest, quæ nec loci hujus sunt, nec temporis. Nisi autem cogitas, poetam jam animo videre, Stilichonem cum Honorio Constantinopolim profectum, et totius imperii administrationem cæso Rufino vindicatam, reliqua intelligi nequeunt. Hoc autem ut statuere possis, necesse est simul ut statuas, hoc consilium a Stilichonis animo

Nec forti genitore minor, nec fratre corusco,
Qui subigat Medos, qui cuspide proterat Indos.
Sub juga venturi reges: calcabitur asper
Phasis equo, pontemque pati cogetur Araxes.
Tuque simul gravibus ferri religata catenis
Expellere die, debellatasque draconum
Tonsa jubas imo barathri condere recessu.
Tum tellus communis erit; tum limite nullo
Discernetur ager; nec vomere sulcus adunco
Findetur; subitis messor gaudebit aristis.

minime fuisse alienum, sed postea variis rebus, quæ vel provideri, vel caveri non potuerint, perturbatum. Summam rerum, seu totius imperii regimen Stilichonem affectasse, patet ex V, 5 sq. VII, 151 sqq. Atque, si Arcadio Orientis curam, Occidentis Honorio jam tum demandatam putasset, quid Honorio hoc loco cum Medis et Indis negotii futurum esse posset? Hoc igitur Claudianus cogitasse putandus est, Germanis gentibus pacatis Stilichonem cum Honorio in Orientem esse profecturum, fratresque, Rufino interfecto, communi consilio et Stilichone moderante, orbem terrarum recturos, atque sic, Persis quoque et Indis debellatis quum nullus hostis jam timendus sit, auream ætatem esse redituram. Hoc si statuas, v. 373, *fratre corusco* de Arcadio possis explicare.

373. *Forti genitore.* Theodosio. — *Fratre*, Arcadio. — *Corusco*, glorioso, illustri.

374. *Proterat*, subigat. — *Cuspide*, hasta.

375, 376. *Calcabitur*, scilicet ponte junctus, seu, quod melius videtur, gelu concretus. Lucan. II, 585, habet:

Gelidæ Phasidos undæ.

Huc quoque spectare videtur epithet. *asper*. Conf. Valer. Flacc. I, 512 sq. et VII, 230. — *Pontemque pati*, etc. Bene Gesnerus monet, hoc loco alludi ad Virgil. Æneid. VIII, 728:

.... pontem indignatus Araxes.

Conf. Stat. Silv. I, 4, 79.

377. *Ferri catenis* pro: ferreis catenis.

378. *Die*, e locis superis. Detruderis ad inferos. — *Tonsa jubas debellatas draconum*. Bello superati fingebantur semper comis tonsis, quia habitus hic servorum erat. Vid. Burmann. ad Propert. IV, 9, 38. — *Draconum jubæ* sunt hydri, cerastæ, serpentes in Furiæ capite. — *Barathri recessu*, id est, imo barathro.

380. Sequitur aureæ ætatis recurrentis descriptio. Comparentur Hesiod. Op. et D. 108 sqq. Ovid. Metam. I, 89 sqq. Tibull. I, 3; Senec. Hipp. 525 sqq. Octav. 397 sqq. *La Cerda* ad Virgil. Eclog. IV.

382. *Subitis*, subito, sponte natis.

Rorabunt querceta favis; stagnantia passim
Vina fluent, oleique lacus; nec murice tinctis
Velleribus quæretur honos, sed sponte rubebunt
Attonito pastore greges, pontumque per omnem
Ridebunt virides gemmis nascentibus algæ. »

383. *Rorabunt querceta favis.* Quercus stillabunt mel.

385. *Nec murice tinctis Velleribus quæretur honos.* Nec arte conciliabitur lanæ color purpureus. — *Murice tinctis* pro: tingendo vellera murice. Hunc sensum esse debere, ex opposito patere videtur. — *Sed sponte rubebunt.* Cf. Virgil. Eclog. IV, 45; Juvenal. XII, 48 sq.

387. *Ridebunt.* Propter aspectum lætum. — *Gemmis nascentibus*; Propert. I, 2, 13:

Littora nativos per se dant picta lapillos.

IV.

CL. CLAUDIANI
IN RUFINUM
LIBRI II
PRÆFATIO.

ARGUMENTUM.

Hortatur poeta in præfatione Musas et Apollinem, quum jam Helicon liber sit ab hostili strepitu, ad Stilichonem ornandum, a quo defensi sint; ipsumque Stilichonem excitat, ut, parto otio et tranquillitate, carminibus aures vacuas præbeat, exemplum Martis secutus.

PANDITE defensum reduces Helicona sorores,

Hanc præfationem alii bello Gildonico præfigendam censent. Quin Barthius existimat, eam ad aliquem ex libris deperditis pertinere. Quamquam hæc res, quum ordo carminum in libris scriptis diversus sit, neque ex ratione carminis ipsius, tam parum finita, quidquam colligas, ad liquidum perduci fortasse nequeat: hoc tamen facile evinci posse videtur, illud neque ad librum secundum in Rufinum, neque ad bellum Gildonicum pertinere.

1. *Pandite Helicona.* Poeta furore correptus videtur sibi in Musarum sedibus versari, earum choris interesse, cantusque audire, eaque, quæ sibi audivisse videtur, narrat seu repetit cæteris. Ut animo igitur videat Helicona, mente opus est ardore quodam agitata, qui non nisi Musarum afflatu seu instinctu con-

Pandite; permissis jam licet ire choris.
Nulla per Aonios hostilis buccina campos
Carmina mugitu deteriore vetat.
Tu quoque, securis pulsa formidine Delphis,
Floribus ultorem, Delie, cinge tuum.
Nullus Castalios latices et præscia fati
Flumina polluto Barbarus ore bibit.
Alpheus late rubuit, Siculumque per æquor
Sanguineas belli rettulit unda notas.
Agnovitque novos absens Arethusa triumphos,

tingere solet. Musæ itaque dici possunt *pandere Helicona*, quatenus ab iis mens poetæ ita exaltatur, ut sibi persuadeat, Heliconem oculis videre, atque in sacratis Musarum sedibus versari. Quapropter sæpius illa dictione poetæ utuntur pro: afflate me vestro divino numine; aut : adeste mihi, commemorate, ἔσπετε μοι. Cf. Heyne ad Virgilium Æneid. VII, 641. — *Reduces*, quæ nempe timore bellico sedibus suis fuerant pulsæ. — *Defensum*, hostibus fusis fugatisque.

2. *Permissis*, ab hostibus non perturbatis. Sed quum *permissis* jam lateat in *licet*, alterutrum mihi suspectum esset, nisi vel apud optimos quosque poetas hoc pleonasmi genus inveniretur. Cæterum antiquitus Musæ cogitabantur choros ducere in Helicone. Hesiod. Theog. 3, iisque poetæ interesse Propert. III, 1, 54, et 3, 41 sqq.

3. *Aonios campos.* Ab Aonibus, qui Heliconem primi incolebant. Inde Musæ quoque vocantur *Aoniæ sorores*. Cf. Heyne ad Virgil. Georg. III, 13; Ruperti ad Sil. Ital. VIII, 594.

4. *Mugitu.* Virgilius Æn. VIII, 526. Sensus: nulla buccina jam obstrepit cantui, nec vis bellica Musas expellit.

5. *Securis*, nunc et in posterum.

6. *Floribus ultorem... cinge tuum*, id est, victoris laudes cane, carmine eum celebra. Nam *flores*, *corona*, sæpe pro carmine ponuntur, Musæque dicuntur *nectere coronam alicui*, quando eum carmine celebrant. Pindar. Pyth. VIII, 27 sqq. Jani ad Horat. Od. I, 26, 7 sqq.

7, 8. *Castalios latices*, universe pro Musarum fontibus. — *Præscia fati*; v. ad Pers. prolog. Dicebantur illi fontes bibentibus futuri præsciendi vim præbere, præcipue Castalia. — *Polluto*, profano, contaminato.

9. *Alpheus.* Elidis in Peloponneso fluvius, cujus amores cum Arethusa, qui fons est Syracusis, noti sunt ex Mosch. Idyll. VII; Ovid. Met. V, 572 sqq. Stat. Silv. I, 2, 203 sq.

10. *Unda* sc. Alphei, *rettulit notas sanguineas belli per Siculum æquor*, quandoquidem hic fluvius per mare Siculum labi dicitur, ita ut aquis marinis non misceatur, atque sic Arethusæ infundi.

11. *Absens*, a sede belli remota, scilicet a Græcia.

Et Geticam sensit, teste cruore, necem.
Immensis, Stilicho, succedant otia curis,
Et nostræ patiens corda remitte lyræ.
Nec pudeat longos interrupisse labores,
Et tenuem Musis constituisse moram.
Fertur et indomitus tandem post prælia Mavors
Lassa per Odrysias fundere membra nives,
Oblitusque sui, posita clementior hasta,
Pieriis aures pacificare modis.

13. *Curis*, laboribus bellicis. Sensus: otio nunc te tradas post ingentes labores.

14. *Corda remitte*, laxa animum curis intentum, ut carmini possit vacare in tuum honorem composito.

16. *Tenuem moram*, parvum temporis spatium.

18. *Fundere membra*. De lasso, qui recumbit; vid. Burmann. ad Valer. Flacc. I, 252.—*Odrysias*; vid. supra ad III, 175.

19. *Oblitus sui*, id est, morum suorum; furere enim in armis fere semper solet.—*Clementiòr*, sc. solito.

20. *Pacificare*, mulcere, delinire. Usus autem est illa voce poeta, quia aures Martis assuetæ erant clamoribus bellicis, armorumque strepitu semper personabant.

V.

CL. CLAUDIANI
IN RUFINUM
LIBER II.

ARGUMENTUM.

Theodosio mortuo, tutela utriusque filii rerumque publicarum cura Stilichoni demandata est; 1—6. Rufinus, et scelerum conscientia et cupiditate motus, bellum rursus molitur, reputans secum, magna pericula, quum nullo præsidio munitus sit, ab omnium odio sibi impendere, statuitque in rerum eversione solatium sibi esse quærendum, potestatemque arreptam non nisi morte relinquendam; 7—21. Excitat rursus gentes barbaras, quarum incursionibus provinciæ vastantur; et imperium tot bellis quæsitum uno proditore pæne evertitur; 22—53. Dum Constantinopolis obsidetur, ipse crudelitatem hostium lætus prospectat, gaudetque sibi soli ad hostes commeandi potestatem esse datam. Exit igitur subinde, sociis clientibusque stipatus, habituque Getico insignis; 54—85. Cives interim ne hiscere quidem audent, calamitatem tamen tacite queruntur, omnibusque votis Stilichonem in auxilium arcessunt; 86-100. Stilicho, Occidente pacato, ineunte vere castra versus Orientem movet; 101—123. Barbari statim castris munitis se includunt; 124—129. Quibus auditis Rufinus, timore perculsus, nescit, quid consilii capiat, summaque in anxietate versatur; 130—140. Recepto tamen animo, Arcadium adit; docet Stilichonem summam rerum affectare, non sibi solum periculum creari, verum etiam Imperatori; quare jubeat illum Orientales copias remittere. Minis deinde additis edictum Arcadio extorquet; 141—170. Interim Stilicho, castris

hosti propius admotis, copias instruit; milites ejus omnes ardoris adeo pleni sunt, ut omni difficultate superata, quemcumque hostem fudissent, Græciamque ab igni ferroque defendissent; 171—193. Edicto allato Stilicho obtupescit, dubitatque, utrum mandatis pareat, an cœpta peragat; tandem modestia victus, convertit se ad deos, eosque rogat, si decrevissent genus humanum perdere, cur non maris fluctibus solisve radiis, sed Rufino utantur. Testatur se invitum arma deponere, militibusque mandata exponit; 194—219. Tunc milites tumultuantur, dividique exercitum nolunt; exclamant, se belli cupidissimos esse, neque passuros, ut divisione illa exercitus vires debilitentur; secuturos se esse Stilichonem, quocunque ab eo ducantur; 220—247. Verum Stilicho, ubi eos cohortatus est, ut mandatis pareant, castra cum suis relinquit; 248—256. Exercitus pars duce orbata desiderium ejus amoremque cum indignatione in Rufinum exprimit, cujus proditionem metuat, profiteturque, quamquam Stilichoni Occidentis provinciæ sint demandatæ, semper tamen se illum pro duce habiturum atque vindicaturum; 257—277. Quo facto miles tristis proficiscitur, clamque Rufino insidias parat. Consensus vero tantus fuit, ut nemo in itinere consilium initum proderet; 278—292. Rufinus, nuncio allato, Stilichonem cessisse mandatis gloriatur, incendit clientes, insultat Stilichoni absenti, et, quum jam tutum se ab illius impetu existimet, epulas parari jubet, legiones corrumpere tentat, partemque regni sibi conciliare studet; 293—316. Verbis magnificis conscios in spem erigit; 317—323. Somno deinde capto, videt per quietem cæsorum umbras, quarum una ipsum compellat, perque ambages interitum ejus canit; 324—334. Luce orta, Rufinus epulas parat, nummos sua imagine cudi jubet, cultuque molli legiones salutatum procedit; 335—347. Ad Constantinopolim exercitus consistit pulchre instructus; 348—365. Dum Rufinus, præeunte Arcadio, milites salutat, collaudat, et suos cuique salvos esse nunciat, cornua exercitus paullatim circumducta se jungunt; 366—380. Ille omnium ignarus, urget Arcadium, ut se socium imperii pro tribunali declaret. Sed statim auditur militum, qui gladios jam strinxerant, vox tyrannidem illi exprobrans, servitiumque detrectans; 381—390. Dum stupet Rufinus, rerum novitate attonitus, unus militum cum gladio transfigit; quo facto a multitudine laceratur; 391 — 420. Quin cives quoque ex urbe convolan-

tes laceratis membris insultant, caput hastæ suffigunt, truncumque omni ludibrio afficiunt; 421—439. Inseritur adhortatio, ne quis fortunæ adeo confidat, ut fiat insolens, sed Rufini exemplo sapere discat; 440—453. Rufini umbra ad inferos proficiscens, a cæsorum umbris ad judices adducitur; 454 — 466. Locus jam describitur, ubi Minos sontes ab insontibus dirimit, Rhadamanthusque noxiis pœnas infligit. Quibus rebus occupatus Rhadamanthus, quum umbram Rufini animadvertisset, graviter verbis eam corripit, et sceleribus exprobratis, gravissima supplicia ei dictat.

Jam post edomitas Alpes, defensaque regna
Hesperiæ, merita complexus sede parentem
Auctior adjecto fulgebat sidere mundus;
Jamque tuis, Stilicho, romana potentia curis,
Et rerum commissus apex: tibi credita fratrum
Utraque majestas, geminæque exercitus aulæ.

Hoc carmen a priori disjunctum esse adeo, ut totum per se conficiat, unusquisque, vel nemine monente, agnoscet. Videtur quoque diverso tempore et scriptum et recitatum esse.

1. *Post edomitas Alpes* etc. Pertinet hoc ad res gestas Theodosii, qui Eugenium superaverat, et ad ejusdem Imperatoris apotheosin. De victoria de Eugenio reportata cf. Zosimum, IV, 58.

2, 3. *Hesperiæ*, Italiæ, seu omnino Occidentis.—*Auctior adjecto fulgebat s. m.* sc. Theodosio post mortem in deos relato, quum mortui Imperatores romani in nova sidera transire crederentur, aut potius, adulandi eos eorumque posteros causa, dicerentur. Inter Romanos fabulam de Julio Cæsare in stellam crinitam mutato expolivit Ovid. Met. XV, 843 sqq. Alia exempla v. apud Virg. Georg. I, 24 sqq. de Augusto; Val. Flacc. I, 15 sqq. de Vespasiano; Lucan. I, 45, de Nerone; Stat. Theb. I, 22 sqq. de Domitiano, etc.—*Mundus* h. l. est cælum.—*Merita sede*, quam, ut aiebant, virtutibus sibi comparaverat. Est tamen a Patribus ecclesiæ magis quam ab aliis laudatus; v. Zosim. IV, 27, 28.—*Parentem.* In hoc verbo emphasis latet, patrisque patriæ vim h. l. habet. Cæterum Theodosii adscensus in cælum eleganter describitur a Nostro infra VII, 142 sqq.

4. *Romana potentia*, imperium romanum.

5. *Rerum apex*, summa rerum, ut passim; cf. Horat. Od. I, 34, 14.

6. *Utraque majestas.* Claudianus ita rem narrat, tamquam Stilichoni soli Arcadii et Honorii tutela de-

Rufinus (neque enim patiuntur sæva quietem
Crimina, pollutæque negant arescere fauces)
Infandis iterum terras accendere bellis
Inchoat, et solito pacem vexare tumultu.
Hæc etiam secum : « Quanam ratione tuebor
Spem vitæ fragilem? qua tot depellere fluctus
Arte queam? premor hinc odiis, hinc milite cingor.
Heu! quid agam? non arma mihi, non Principis ullus
Auxiliatur amor: matura pericula surgunt

mandata sit, quum contra Zosimus memoriæ prodiderit, ei Occidentis curam, Rufino Orientis esse traditam. Verum idem dicit (V. 4.) Stilichonem adfirmasse, sibi a Theodosio moribundo tutelam utriusque Imperatoris curamque totius imperii esse traditam. Interim ex Nostro ipso elucet, penes Rufinum curam Orientis fuisse, atque id saltem eum obtinuisse, ut Arcadii tutor haberetur. — *Geminaque exercitus aulæ.* Quum enim Theodosius non multo post Eugenium debellatum mortuus esset, Stilicho, tutor Honorii, exercitui præerat, quo Theodosius in bello contra Eugenium fuerat usus, quique constabat ex copiis Orientis, quas secum duxerat ille Imperator. His, bello civili confecto, additæ erant copiæ Occidentis, quæ magnam partem in castris Eugenii militaverant, ita ut totus exercitus nunc ex militibus Orientis et Occidentis constaret.

8. *Crimina*; vid. supra III, 220 sqq.—*Pollutæque negant arescere fauces; arescere,* sc. siti. Recusant fauces siccæ esse, sitim tolerare nolunt. Imago sumta est a fera bellua, Lucan. I, 331 sqq. IV, 239 sqq.

9. *Accendere bellis terras.* Virgil. Æneid. VII, 644: *Quibus* (Itala terra) *urserit armis.*—*Iterum*: nam semel jam barbaras gentes sollicitaverat, ut provincias ferro ignique invaderent. Tunc enim existimabat, copiis regni pugnando adtritis facilius, quæ sibi proposuisset, perfici posse; nam apud milites nunquam fuisse gratiosus videtur, propterea, quia artibus aulæ magis quam belli erat instructus. Nunc autem id agebat, ut Barbarorum incursionibus Arcadium timore perculsum cogeret, se in societatem regni adsumere.

10. *Pacem.* Ante oculos habuit Lucan. IV, 210.—*Solito tumultu.* Excitandis Barbaris, ut provincias invaderent.

12. *Spem vitæ fragilem,* vitæ partem futuram, tot periculis obnoxiam. — *Fluctus*, mala cumulo ingruentia.

13. *Premor hinc odiis.* Omnium Arcadii imperio subjectorum odio ob crudelitatem et avaritiam premebatur.—*Hinc milite cingor.* Respicit Stilichonem cum exercitu, quo se jam circumventum cogitat.

15. *Amor.* Ipsum Principem, secundum Claudianum, infensum habebat. — *Matura pericula*, jam

Undique, et impositi radiant cervicibus enses.
Quid restat, nisi cuncta novo confundere luctu,
Insontesque meæ populos miscere ruinæ?
Everso juvat orbe mori; solatia leto
Exitium commune dabit; nec territus ante
Descendam: cum luce simul linquenda potestas.»
Hæc fatus, ventis veluti si frena remittat
Æolus, abrupto gentes sic objice fudit,
Laxavitque viam bellis; et, ne qua maneret
Immunis regio, cladem divisit in orbem,
Disposuitque nefas: alii per terga ferocis

impendentia, casura jam jam in caput meum. Lucan. I, 645.

16. *Impositi radiant cervicibus enses.* Impositus cervici potest esse ensis ita positus, seu suspensus, ut cervicem seu collum tangat. — *Radiant*, quum motum ensis exprimat, quo filum, cui aptus est gladius, facile potest rumpi, periculum auget. Ipsum *impositi* cum delectu positum videtur; quum enim mucro collum pæne tangat, ensis, rupto filo delabens, a collo non aberrabit. Cæterum cogitandus est habitus accumbentis caputque inclinantis; nam sumptum hoc est a Damocle, cujus historia nota est. Cf. Horat. Od. III, 1, 17 sqq. et not. ad Pers. III, 40. Gesnero minus probatur Noster; nescire se ait, quomodo *impositi cervicibus enses* possint *radiare*, totumque languidum putat. Verum *infesti*, quod proponit, tantam vim mihi habere non videtur, quam *impositi*, quod rejicit.

17. *Luctu*, calamitate.

18. *Insontesque.* Invidiam Rufino concitat.

21. *Descendam* ex conject. Burmanni, quum *discendam* cod. Leid. habeat. Descendere ii dicuntur, qui fastigium, in quo collocati sunt, relinquunt. Cf. Lucan. I, 335 sq. Juvenal. X, 112 sqq. *Nec ante descendam* h. l. est: non ante linquam potestatem. Hoc adparet ex eo, quod sequitur. — *Cum luce simul l. p.* In ordinem me cogi non patiar; potestas, malis artibus quæsita et retenta, non nisi cum vita dimittenda est.

22, 23. *Ventis si frena remittat Æolus*, pro: carcerem aperiat ventorum, ventis impetum concedat; v. Heyne ad Virgil. Æn. I, 52 sqq. Valer. Flacc. I, 591 sqq. — *Abrupto obice*, laxatis claustris, id est, sublatis iis munimentis, quibus hostiles impetus antea reprimebantur. Idem dicitur de molibus, quibus aqua includitur. Virgil. Georg. II, 480. — *Gentes*, Barbaros. — *Fudit*, effudit. Ruperti ad Sil. Italic. II, 151. Insimulatur Rufinus removisse præsidia contra Barbarorum irruptiones collocata, ut facilius provincias invaderent.

25, 26. *Cladem divisit in orbem. Cladem* posuit pro: gentes barba-

Danubii solidata ruunt, expertaque remos
Frangunt stagna rotis; alii per Caspia claustra,
Armeniasque nives inopino tramite ducti,
Invadunt Orientis opes: jam pascua fumant
Cappadocum, volucrumque parens Argæus equorum:
Jam rubet altus Halys; nec se defendit iniquo
Monte Cilix. Syriæ tractus vastantur amœni;
Assuetumque choris, et læta plebe canorum
Proterit imbellem sonipes hostilis Orontem.

ras, quæ cladem inferrent. — *Divisit*, quod multis exemplis h. l. Burmannus illustravit, idem est, quod sequens *disposuit*. — *Orbem*, imperium romanum. Sic quoque *nefas* explicandum; est enim dictum pro bello, seu belli calamitate. Lucan. IV, 172; Sallust. Catil. XLIII, 2, habet *divisa negotia*; vid. ibi Cort. — *Disponere* verbum militare est. Lucan. VI, 289; VIII, 603. — *Ferocis*. A Barbaris sumptum, qui ad ripam Danubii habitabant. Vid. Nost. infra XVII, 53.

28. *Frangunt* non ad crepitum rotarum et impressas orbitas cum Gesnero retulerim, sed ad multitudinem hostium, qua glacies infringitur, ut rimas ducat. Sæpe utrumque innuitur. Cf. Valer. Flacc. VI, 154; Lucan. V, 439 sq. Sidon. Apollin. Carm. II, 268 sqq. Nost. infra VII, 150. — *Caspia claustra*, portæ, πύλαι, eadem sunt, quæ intelliguntur Lucan. VIII, 222; vid. ibi Oudend. Cf. Eustath. ad Dionys. Per. v. 1039. Priscian. Perieg. 949 sqq. et Avien. Descript. orb. terr. 1229 sqq. Per illa claustra, sita inter montes Caspios, qui nunc vocantur *Harka-Koh* et *Siah-Koh*, iter erat in Indiam. Mannert *Geograph. der Griechen und Römer*, tom. V, p. 175 sq.

29. *Armeniasque nives*. Per montes Armeniæ nive tectos. Inter quos montes fuit Niphates celeberrimus, unde sæpe Armenia dicta est. Horat. Od. II, 9, 20. — *Inopino tramite*, per quem nemo exercitum ductum iri exspectaverat.

30, 31. *Pascua Cappadocum*. Cappadocia proventui equino aptissima habebatur. Solin. 47. De equis Cappadocum v. Wernsdorf. in excursu X, ad Nemesian. Cyneg. Poet. Lat. m. tom. I, pag. 260 sqq. et Burmannus ad Gratii Cyneg. v. 507. — *Argæus*, mons Cappadociæ. Cf. infra XXIX, 191 sqq.

32, 33. *Halys*, Asiæ minoris fluvius notissimus. — *Iniquo monte*. Curt. III, 4, 6: «Namque perpetuo jugo montis asperi ac prærupti Cilicia includitur; quod quum a mari surgat, velut sinu quodam flexuque curvatum, rursus altero cornu in diversum litus excurrit. Per hoc dorsum, quo maxime introrsum mari cedit, asperi tres aditus et perangusti sunt, quorum uno Cilicia intranda est.»

34, 35. *Orontem*, Syriæ fl. Ille pro ipsa Syria sæpe ponitur, quæ

Hinc planctus Asiæ; Geticis Europa catervis
Ludibrio prædæque datur, frondentis adusque
Dalmatiæ fines; omnis qua mobile Ponti
Æquor, et Hadriacas tellus interjacet undas,
Squalet inops pecudum, nullis habitata colonis,
Instar anhelantis Libyæ, quæ torrida semper
Solibus humano nescit mansuescere cultu.
Thessalus ardet ager; reticet pastore fugato
Pelion; Emathias ignis populatur aristas.
Jam plaga Pannoniæ, miserandaque mœnia Thracum,
Arvaque Mysorum, jam nulli flebile damnum;
Sed cursus solennis erat, campusque furori
Expositus, sensumque malis detraxerat usus.

voluptatibus et mollitie fuit insignis Juvenal. III, 62 sqq. Respicere autem Noster potuit Antiochiam ad Orontem sitam cum fano Daphnæi Apollinis. Ammian. Marc. XXII, 13. Ipsam urbem ὀρχησιν μάλιστα πρεσβεύουσαν dicit Lucian. de Salt. LXXVI, tom. II, p. 208, ed. Reiz. De luxu incolarum passim legitur. Herodian. II, 7, 15. — *Canorum læta plebe*, quia cantibus ripæ personant. — *Proterit*. Cf. III, 364.

36. *Geticis*. Debebat sequi : hinc seu illinc planctus Europæ a Getis vexatæ sc. auditur.

37. *Frondentis*, silvosæ.

38, 39. *Omnis tellus, qua* (ea) *interjacet* etc. dictum pro : omnes terras intra Pontum et mare Adriaticum. — *Mobile*, tempestatibus frequentibus obnoxium. Pontus *trux* vocatur a Val. Fl. VIII, 180.

40. *Squalet*, tristis et inculta est. Ruperti ad Sil. Italic. I, 111.

41. *Anhelantis*, propter æstum. Lucan. IX, 431 sqq. Stat. Silv. III, 2, 102.

43, 44. *Pelion*, Thessaliæ mons. — *Reticet*, non amplius cantibus personat pastorum. — *Emathias*, Macedonicas.

45—48. *Jam plaga Pannoniæ... jam nulli flebile damnum*. Sensus : calamitates Pannoniæ Thraciæ et Mysiæ jam non amplius quemquam commovebant, quandoquidem earum assiduitas doloris sensum obtuderat. Rationem hanc exprimunt sequentia : *sed cursus solennis erat*; intelligo : *furoris* ex sequentibus. Lucan. I, 254 sqq.

Nos primi Senonum motus Cimbrumque ruentem
Vidimus, et Martem Libyes, cursumque furoris
Teutonici.

Sed *cursus* h. l. id quod *decursus* significat, qui quasi statis temporibus fit, cujus incommoda jam familiaria, ut ita dicam, hominibus facta sunt. Hoc probari videtur eo, quod adjicitur : *campusque furori expositus*, quasi area, in qua furor se soleret exercere aut decurrere. Gesneri mentem non capio : Pla-

Eheu! quam brevibus pereunt ingentia fatis!
Imperium tanto quæsitum sanguine, tanto
Servatum, quod mille ducum peperere labores,
Quod tantis romana manus contexuit annis,
Proditor unus iners angusto tempore vertit.
Urbs etiam, magnæ quæ dicitur æmula Romæ,
Et Chalcedonias contra despectat arenas,
Jam non finitimo Martis terrore movetur;
Sed propius lucere faces, et rauca sonare
Cornua, vibratisque peti fastigia telis
Adspicit: hi vigili muros statione tueri;
Hi junctis properant portus munire carinis.
Obsessa tamen ille ferus lætatur in urbe,
Exsultatque malis, summoque e culmine turris
Impia vicini cernit spectacula campi;
Vinctas ire nurus; hunc per vada proxima mergi
Seminecem; hunc subito percussum vulnere lahi,

cuit omni fere Europæ, inquit, *cursum* ita vocare hodie; sed an ita vetustiores, jam non possum constituere.

49. *Brevibus fatis*, quæ brevi tempore consumunt, interitum adferunt. Ita illud Barthius quoque intellexisse videtur.

52. *Romana manus.* Exercitus romanus.—*Contexuit*, ex provinciis seu terris domitis et in provinciarum formam redactis composuit.

53. Insignis gravitate versus; *unus* opponitur τῷ *mille ducum labores*, *iners* τῷ *tanto sanguine quæsitum*, et *angusto tempore* respicit *tantis annis*.

54. Propius jam accedit ad rem Noster; describit obsessam a Barbaris Constantinopolim, calamitates incolarum eorumque, qui in agris habitant; Rufini exsultationem derisionemque malorum, civium omnium desperationem, qui oculos et animum ad Stilichonem vindicem convertunt. — *Urbs*, Constantinopolis; Sid. Apollinaris Carm. II, 30 sqq.

55. E regione illius urbis sita est *Chalcedon*.

60. *Carinis.* Barbari navibus quidem non erant instructi; poterant tamen facile navigiis hinc inde arreptis portum intrare, urbemque ab ea parte invadere, qua minus erat munita.

62. *Summæ turris.* Utrum e turri, quæ in muris erat, an quæ in arce sua? Cf. infra 136.

64. *Per vada* Burmann. exponit: quantum patent vada, laudatque Bulæum ad Valer. Flacc. IV, 750; alii *in vada*.

Dum fugit; hunc animam portis efflare sub ipsis;
Nec canos prodesse seni, puerique cruore
Maternos undare sinus: immensa voluptas,
Et risus plerumque subit; dolor afficit unus,
Quod feriat non ipse manu: videt omnia late
Præceptis incensa suis, et crimine tanto
Luxuriat, carumque sibi non abnuit hostem:
Jactabatque ultro, quod soli castra paterent,
Sermonumque foret vicibus permissa potestas,
Egregii quoties exisset fœderis auctor.
Stipatur sociis, circumque armata clientum

70. *Quod feriat non ipse manu.* Magis ad invidiam imago Rufini non poterat adumbrari.

71. *Præceptis incensa suis.* Heinsius, quem omnes deinde secuti sunt, prætulit *exceptis*, ut sensus sit, agris proditoris pepercisse Barbaros. Etsi hoc quoque ad invidiam Rufino faciendam pertinet, tamen quæri potest, an hoc poeta debuerit uti, quum eo ipso proditio Rufini civibus et Imperatori aperta, consiliaque ejus irrita fieri necesse fuerit.—*Præceptis*, id est, jussu suo, ut eo majorem terrorem Arcadio reliquisque aulicis incuteret, ipseque majorem auctoritatem obtineret, quum solus esse videretur, qui in tanto terrore cum hoste crudelissimo agere auderet, eorumque castris se committere. Sequens *crimine tanto* receptæ lectioni favet, nec obstat versu sequenti *non abnuit*. Per se enim patet, præcepta illa non palam data esse, ut quoque non palam excitavit Barbaros, sed instigationibus clandestinis et per internuncios factis. Id quod Hannibal fecit ad Fabium in invidiam et suspicionem vocandum, huc non pertinet. Vid. Liv. lib. XXII, 23.

72. *Luxuriat;* supra III, 354 sq.

73. *Jactabat*, gloriabatur.

74. *Sermonum vicibus*, colloquiis. De *vicibus* disputat Burmannus ad Ovid. Met. I, 626.—*Potestas.* Heinsius rectius putavit *facultas*, atque hoc cepit. Burmannus existimat, parum referre, utrum eligas. Recte illud quidem h. l. et ubi proprie *potestas* scribendum fuisset, quia pro *potestas* vel probati auctores interdum ponunt *facultas*. Is enim, qui *potestate* uti vult, seu cui facere aliquid licet per alium, penes quem est concedere id aut negare, is necesse est *facultate* gaudeat, id est, iis viribus naturalibus ad id faciendum suppetentibus, quod facere ipsi liceat; alioqui potestate uti non possit. *Facultate* aliquid faciendi sæpissime præditus est is, cui *potestas* negatur. Unusquisque, ut hoc utar, *facultate* gaudet furandi; *potestas* autem furandi nemini datur aut permittitur. Dubitari quodammodo potest, utrum *potestas* legendum sit, an *facultas* infra XXXVI, 93; verum apud Ovid. Trist. IV, 9, 15, *facultas* utique legendum.

Agmina privatis ibant famulantia signis.
Ipse inter medios, ne qua de parte relinquat
Barbariem, revocat fulvas in pectore pelles,
Frenaque, et immanes pharetras, arcusque sonoros
Assimulat, mentemque palam testatur amictu.
Nec pudet Ausonios currus et jura regentem
Sumere deformes ritus, vestemque Getarum,
Insignemque habitum Latii mutare togæque.
Mœrent captivæ pellito judice leges.
Quis populi tunc vultus erat? quæ murmura furtim?

77. *Famulantia.* Hae voce sæpius utitur Noster. Cæterum *privata signa* potentiam Rufini et opes exprimunt.

78, 79. *Ne qua de parte relinquat Barbariem.* Ut moribus erat barbarus, Barbarisque addictus, sic voluit quoque in vestitu Barbarum se gerere, ut omni ex parte barbariem præ se ferret v. 81. — *Revocat fulvas in pectore pelles.* Barbaros, imprimis Getas, pellibus crebro usos fuisse satis constat. Cf. Ovid. ex Pont. IV, 10, 2; infra VIII, 466; XXVI, 48; interpp. ad Liv. XXIII, 19. Quibus ut se similem redderet, Rufinus quoque pellem induit. Pellis autem seu fibula seu nodo in pectore continebatur, ut palla apud Stat. Theb. I, 109 sq. — *Revocat pelles in pectore* potest ergo primum esse: induit se pellibus, ut pectus quoque pelle tegatur; deinde imaginem euntis potest exprimere, cui pellis, quæ in pectore continetur, circum humeros et a tergo pendet. Cf. Juvenal. I, 27. Is enim, dum progreditur, pellem quasi revocat, trahit post se, præcipue autem quum equo vehitur, ut sequenti versu *frena* indicant. Sidon. Apollin. Carm. II, 396 sq.:

Fibula mordaci refugas a pectore vestes
Dente capit ... .

Heinsius *in pectora* mavult: exempla autem, quibus utitur, nihil probare videntur.

82. *Ausonios currus.* De sella curuli consulum interpretantur. Verum intelligenda est eburnea illa sella et deaurata, currui quatuor rotarum imposita, quæ a quatuor albis equis trahebatur. Hoc erat insigne Præfecti prætorio. Imaginem hujus currus expressam vides in Notitia dignitatum imperii Orientis in Thesaur. Antiq. Rom. t. VII, pag. 1396 et 1772; cf. Symmach. Epist. X, 24. — *Ausonios.* Vel quia hoc insigne Italicæ originis, vel quod insigne est magistratus Romani. — *Jura regentem.* Præf. prætorio babebat jurisdictionem in causis exemtis, et si ab aliis magistratibus ad ipsum provocatum esset (in causis ex appellatione). Totum igitur est periphrasis Præfecti prætorio; cf. infra XVII, 198 sqq.

84. *Latii togæque* pro: Latialis, romanæ togæ.

85. *Captivæ leges,* quæ quasi in potestatem Barbari essent redactæ, quasque Barbarus pro ludibrio ha-

Nam miseris nec flere quidem, aut lenire dolorem
Colloquiis impune licet: «Quonam usque feremus
Exitiale jugum? diræ quis terminus unquam
Sortis erit? quis non funesto turbine rerum
Aut tantis solvet lacrimis, quos Barbarus illinc,
Hinc Rufinus agit, quibus arva fretumque negantur?
Magna quidem per rura lues; sed major oberrat
Intra tecta timor. Tandem succurre ruenti
Heu! patriæ, Stilicho: dilecta hic pignora certe,
Hic domus, hic thalamis primum genialibus omen,
Hic tibi felices erexit regia tædas.

beret, quum vindex illarum esse deberet.

89. *Exitiale jugum*, servitium, tyrannidem.

91. *Lacrimis*, calamitate. — *Barbarus*, Barbarorum exercitus.

92. *Agit*, vexat; Burmannus ad Valer. Flacc. V, 15. — *Arva negantur* propter Barbarorum crudelitatem; *fretum*, quia neque per mare effugere poterant obstructo navibus junctis portu, supra v. 60. *Arva* h. l. pro terra positum est. Sensus: qui neque mari neque terra effugere possumus Rufini crudelitatem; nam portas Barbari obsident, portus navibus clausus est.

95. *Patriæ;* sic Constantinopolis vocatur, ut Roma sæpe patria omnium civium. — *Dilecta hic pignora.* Serena, filia Honorii, fratris Theodosii M., nupta Stilichoni, et Maria ejus filia, quam deinde Honorius in matrimonium duxit, tunc Constantinopoli versabantur; cf. infra XXIX, 233 sqq. His pignoribus debebat cara esse Stilichoni Constantinopolis.

96. *Thalamis genialibus* pro: lecto geniali; Cicero pro Cluent. 5, qui nuptiis sternebatur in honorem Genii, quia vim habebat rerum omnium gignendarum. Cf. Cat. LXIV, 47 sq. hoc l. pro nuptiis, ut sæpe. — *Primum omen.* Nam non nisi auspicato nuptiæ apud antiquos celebrabantur. Inde etiam *omina* pro nuptiis ponuntur. Virgil. Æn. I, 345 sq. Propert. lib. III, 19, 14. Sensus: hic nuptiæ tuæ celebratæ sunt.

97. *Hic tibi felices* etc. De facibus sermo est, quæ in pompa nuptiali præferebantur. Cf. VII, 155; XXXI, 33; XXXVI, 407. — *Regia* autem *erexisse tædas* dici potest, quando uxor nova e regia facibus prælatis ad ædes mariti deducta est, aut quando Flaccilla ipsa, Theodosii uxor, mater adoptiva Serenæ, faces sustulit, aut prætulit. Cæterum non obliviscendum est, Nostrum sæpe a moribus antiquis dicendi rationem petere; ne temere colligas, ut multi antiquarum rerum consarcinatores fecerunt, eosdem ritus et mores usque ad Claudiani tempora viguisse.

Vel solus, sperate, veni : te prælia viso
Languescent, avidique cadet dementia monstri. »
Talibus urgetur discors Aurora procellis.
At Stilicho, Zephyris quum primum bruma remitti
Et juga diffusis nudari cœpta pruinis,
Partibus Italiæ tranquilla in pace locatis,
Utraque castra movens, Phœbi properabat ad ortus,
Gallica discretis Eoaque robora turmis
Complexus: nunquam tantæ ditione sub una
Convenere manus, nec tot discrimina vocum:
Illinc Armeniæ vibratis crinibus alæ,
Herbida collectæ facili velamina nodo;
Inde truces flavo comitantur vertice Galli,

98, 99. Auctoritatem Stilichonis exprimunt.

100. *Discors Aurora.* Imperium Orientis discordiis vexatum, aut dissidens ab Occidente, Schol. ad Lucan. I, 266.

101, 123. Stilicho ab Italia castra movet; exercitus ejus recensetur.—*Bruma remitti.* Bruma, seu hiems quasi intenditur aquilonibus et frigore, remittitur autem zephyris et calore: vid. Columell. X, 77 sq. Luc. I, 17 sq.—*Pruinis*, nive et glacie. — *Italiæ partibus.* Eas Occidentis regiones intelligit, quæ bello civili moto ab Eugenio fuerant turbatæ. —*Tranquilla in pace;* v. infra 159. *Tranquilla* ab intestinis et civilibus motibus; vdi. ad 117.

104. *Utraque castra;* v. quæ notata sunt supra ad v. 6. Exercitus Orientis et Occidentis conjunctos. —*Discretis turmis.* Ita ut copiæ Orientis discretæ essent ab Occidentis copiis.

106, 107. More poetarum et declamatorum ejus temporis omnia supra modum et fidem augentur. —*Ditione*, imperio; illud autem majorem vim habet. Videtur poeta innuere, exercitum proprium fuisse Stilichonis, non illius fidei commissum; conf. Lucan. III, 288 sqq.

108. *Vibratis crinibus.* Interpretatio petenda est ex Plin. H. N. II, sect. 8: « Namque Æthiopas vicini sideris vapore torreri, adustisque similes gigni, barba et capillo vibrato, non est dubium. » Cf. Luc. X, 131 sqq. Martial. Spect. 3, 9 sq. Heyne ad Tibull. II, 3, 56, et loca, quæ ibi laudantur. *Vibratis* igitur positum est, pro tortis, crispis. Virgil. Æn. XII, 100.

109. *Herbida velamina. Herbidus* coloris nomen est. Conf. Stat. Silv. II, 1, 132 sqq. et ibi Barth. Martial. V, 23, 1 sq. Herbidus color occurrit quoque apud Plin. Hist. Nat. X, 80. — *Facili nodo.* Virgil. Æneid. I, 320.

110. *Truces Galli*, ut Lucan. VII, 231. — *Flavo vertice.* Vid. not. ad Pers. V, 46; Lucan. X, 129 sqq.

Quos Rhodanus velox, Araris quos tardior ambit,
Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus,
Quosque rigat retro pernicior unda Garumnæ,
Oceani pleno quoties impellitur æstu.
Mens eadem cunctis, animique recentia ponunt
Vulnera: non odit victus, victorve superbit.
Et quamvis præsens tumor, et civilia nuper
Classica, bellatrixque etiam nunc ira caleret,
In ducis eximium conspiravere favorem.
Haud aliter Xerxen toto simul orbe sequutus
Narratur rapuisse vagos exercitus amnes,
Et telis umbrasse diem, quum classibus iret

111. Senec. in Apocolocynt. « Ubi Rhodanus ingens amne prærapido fluit, Ararque dubitans, quo suos cursus agat, Tacitus quietis alluit ripas undis. » Cf. infra XVII, 53; XX, 268; Sil. Ital. II, 449 sqq.

112. *Nascentes explorat.* Ritum peculiarem Germanis de exploratione liberorum Tacitus omisit. Prolem natam ad Rhenum deferebant, clipeoque impositam in fluvio ponebant; si undis abriperetur, notham censebant, si innataret, genuinam et suam. Julian. Imperat. epist. 16, orat. II, pag. 81; D. Anthologia Græca ed. Jacobs. tom. IV, p. 127, epigr. XXXII. Conf. Lips. ad Tacit. German. 19.

113, 114. Pompon. Mel. III, 2, 29. : « Garumna ex Pyrenæo monte delapsus, nisi cum hiberno imbre aut solutis nivibus intumuit, diu vadosus et vix navigabilis fertur. At ubi obvius oceani exæstuantis accessibus adauctus est, iisdemque retro remeantibus suas illiusque aquas agit, aliquantum plenior, et quanto magis procedit, eo latior fit; ad postremum magni freti similis, nec majora tantum navigia tolerat, verum etiam more pelagi sævientis exsurgens, jactat navigantes atrociter, utique si aliu ventus, alio unda præcipitat ». Cf. Sidon. Apollin. Carm. VII, 393 sqq. et XXII, 180 sqq.

115 — 119. *Recentia vulnera animi*, offensiones animi. — *Tumor*, ira. Sensus : quamquam discordiis intestinis antea agitati civilibus armis inter se pugnaverant, neque in præsentia satis compositæ res erant; tamen amor in ducem omnes conjunxerat. Exercitus enim occidentalis maximam partem compositus erat ex iis copiis, quæ sub Eugenio contra Theodosium et Stilichonem militaverant: infra v. 157. Milites Orientis pro victoribus se gerebant; milites Occidentis victos se esse ægre ferebant.

120. *Xerxen.* Cf. Luc. II, 672 sq.

121. *Rapuisse.* Aviditatem bibendi exprimit.

122. *Telis umbrasse diem.* Herod. VII, 226; Valer. Max. III, 2 et 7.

Per scopulos, tectumque pedes contemneret æquor.
Vix Alpes transgressus erat, nec jam amplius errat
Barbarus, adventumque tremens se cogit in unam
Planitiem, tutoque includit pascua gyro.
Tum duplicem fossam, non exsuperabile vallum,
Asperat alternis sudibus, murique locata
In speciem cæsis obtendit plaustra juvencis.
At procul exsanguis Rufinum perculit horror;
Infectæ pallore genæ: stetit ore gelato
Incertus peteretne fugam, veniamne subactus
Posceret, an fidos sese transferret in hostes.
Quid nunc divitiæ, quid fulvi vasta metalli
Congeries, quid purpureis effulta columnis
Atria, prolatæve juvant ad sidera moles?

123. *Per scopulos*, per Athon. — *Æquor tectum*, Hellespontum ponte junctum. Juvenal. X, 173 sqq.

124 sq. *Barbarus*. Geticæ catervæ intelliguntur, quæ terras inter mare Adriaticum et Pontum inundaverant. Cf. supra v. 36 sqq.

126. *Pascua*. In planitie locisque herbosis castra posuerant, ut pabulum equis et jumentis non deficeret. — *Tuto gyro*, duplici fossa et vallo.

128. *Alternis sudibus*, palis acutis per alternos seu geminos ordines dispositis, ut pali unius ordinis intervalla alterius tegerent.

129. *Cæsis juvencis*, coriis, quibus plaustra muniebant. Hanc plaustrorum dispositionem carraginem vocat Ammian. Marcell. XXXI, 7; et Trebell. Poll. in vita Galieni 13. Nostrates *Wagenburg*. Etiam Græci temporibus antiquissimis, castra curribus sepire solebant. Euripid. Phœniss. 740.

130 seqq. Nuncio de adventu Stilichonis cum utriusque imperii copiis adlato, Rufinus consilium, quo terroribus Arcadium compellere statuerat, ut se in societatem regni adsumeret, repente ita mutasse videtur, ut aut Stilichonem in invidiam vocaret, adrogatique imperii crimen ei intenderet, aut vires ejus ex parte frangeret. Extorquet igitur ab Arcadio edictum, quo Stilicho jubetur, exercitum orientalem remittere, seque finibus imperii Occidentis continere. Quod enim edictum si neglexisset, adfectati imperii poterat insimulari; si vero ei paruisset, dimidia exercitus parte erat debilior, eosque milites remissos quavis ratione ad suas partes trahere Rufinus statuebat.

131. *Ore gelato*. Stat. Theb. IV, 497: *Gelat ora pavor*.

135. *Purpureis*, e marmore porphyretico, seu purpureo; nisi splendorem hoc epitheto indicat, ut sæpius.

Audit iter, numeratque dies, spatioque viarum
Metitur vitam. Torquetur pace futura,
Nec recipit somnos, et sæpe cubilibus amens
Excutitur, pœnamque luit formidine pænæ.
Sed redit in rabiem, scelerumque immane resumit
Ingenium, sacrasque fores prædivitis aulæ
Intrat, et Arcadium mixto terrore precatur:
«Per fratris regale jubar, per facta parentis
Ætherii, floremque tui te deprecor ævi,
Eripe me gladiis: liceat Stilichonis iniquas
Evitare minas. In nostram Gallia cædem
Conjurata venit: quidquid ligat ultima Tethys,

137. *Spatio viarum*, Vitam suam existimabat non longiorem fore numero dierum quos in itinere consumpturus esset Stilicho.

138. *Pace futura*, sc. quam Stilicho Orienti esset redditurus, statimque perfidiæ et proditionis pœnas a Rufino sumpturus.

141. *Redit in rabiem*. Lucan. IV, 240: *Redeunt rabiesque furorque*.

142. *Prædivitis*. Barthius otiosum censet epithet. Burmannus ei adstipulatur, conjicitque *præfervidus*, sc. ira. Verum apud Claudianum otiosa non sunt, quæ splendorem et magnificentiam indicant.

143. *Mixto terrore*, precibus minas addens.

144. *Per fratris regale jubar*. Jubar regale non solum ad decus regium, quo quasi fulgore divinitus afflato ora eorum radiare dicebantur, verum etiam ad diadema spectat: vid. infra V, 347, et coronam radiatam commune imperialis fastigii regalisque dignitatis ornamentum, et tamquam divinitatis et sanctitatis insigne; cf. Schwarz ad Plin. Paneg. 52; Mamert. in Paneg. Vat. I, 3, 2; Barth, ad Stat. Theb. I, 28. Adde Martial. VIII, 65. 2 sq. Senec. Troad. 451. Stat. Stat. Silv. I, 1, 76 sq. et IV, 2, 40 sqq. Sed cur per fratris jubar Arcadium obsecrat? Rufinus Arcadio persuadere vult, Stilichonem non Honorio, sed sibi consulere, atque id agere, ut deleta Theodosii familia, sibi imperium vindicet.

145. *Ætherii* pro vulgari *divi*, positum.

147. *Minas*. Sic Lucan. VIII, 837 sqq.

148. *Conjurata*. Horat. Od. I, 15, 6 sqq. — *Ultima Tethys*, ut *extrema Tethys* apud. Sil. Ital. III, 411, pro Oceano occidentali positum. — *Ligat* recte Heinsius defendit; Avien. descr. orb. 49, pro: cingit. *Rigat* quod Gesnerus et Bipont. receperunt, de mari vix potest dici. Hoc loco autem, ut apparet ex sequentibus, de gentibus sermo est, qui in insulis degunt ultra Britanniam sitis. Illud mare quum plane ignotum esset vel hac tempestate Romanis,

Extremos ultra volitat gens si qua Britannos,
Mota mihi: tantis capiendi credimur armis?
Tot signis unum petitur caput? unde cruoris
Ista sitis? geminum cæli sibi vindicat axem,
Et nullum vult esse parem; succumbere poscit
Cuncta sibi; regit Italiam, Libyenque coercet;
Hispanis Gallisque jubet: non orbita solis,
Non illum natura capit: quascumque paravit
Hic Augustus opes, et quas post bella recepit,
Solus habet, possessa semel non reddere curat.
Scilicet ille quidem tranquilla pace fruatur;
Nos premat obsidio. Quid partem invadere tentat?

eo liberius poterat Claudianus augendi studio indulgere. Accedit, quod ipsa Claudiani scientia de situ terrarum et regionum non adeo magna fuisse videtur.

149. *Extremos Britannos.* Virgil. Eclog. I, 67. — *Volitat.* De vaga atque erratica gente hoc accipit Barthius; de gente, quæ sine metu hostium et secura vagetur, Burmannus, ablegans lectores ad ea loca, quæ laudavit ad Val. Fl. IV, 607.

150. *Tantis capiendi credimur armis.* Sensus est: putasne, me solum peti tanto bellico apparatu, tot millibus armatorum? Burmann. conjicit: *Tantis capiendi quærimur armis.* — *Unde cruoris Ista sitis?* Cur cruorem meum sitit? cur me vult interficere?

152. *Geminum cæli sibi vindicat axem*, id est, orientale et occidentale imperium vindicat sibi. Notum est, orbem terrarum totum romano imperio vulgo vindicari. Petron. vs. 1:

Orbem jam totum victor Romanus habebat,
Qua mare, qua terræ, qua sidus currit utrumque.

Virgil. Æn. VII, 100 sq. Lucan. VII, 421 sqq. Nost. infra XXII, 59. sq.

155. *Jubet*, imperat, infra XXV, 84. — *Non orbita solis*, id est, non omnes terræ, quæ inter orientem et occidentem solem sitæ sunt. Cf. Juvenal. X, 168 sq.

155, 158. *Augustus*, Theodosius. — *Quascunque paravit hic opes.* Exercitus orientalis intelligendus est Constantinopoli conscriptus et paratus. — *Quas recepit.* Milites, qui in Eugenii castris fuerant, et hoc interfecto ad Theodosium transierant. Supra v. 115 sqq. — *Curat* Broukh. ad Tibull. I, 1, 57; Ovid. Amor. II, 19, 7; A. A. III, 257. Ibi Burmann.

159, 160. *Scilicet ille quidem tranquilla pace fruatur, Nos premat obsidio.* Omnia ad invidiam faciendam enunciata sunt. Dixit *ille* Stilicho, *fruatur*, tanquam summa rerum non penes Honorium, sed penes Stilichonem esset, ut etiam revera erat. Post *obsidio* sustuli interrogandi signum, quod, ut mihi

Deserat Illyricos fines; Eoa remittat
Agmina; fraternas ex æquo dividat hastas:
Nec sceptri tantum fueris, sed militis, heres.
Quod si dissimulas nostræ succurrere morti,
Nec prohibere paras; Manes et sidera testor,
Hæc cervix non sola cadet: miscebitur alter
Sanguis, nec Stygias ferar incomitatus ad umbras,
Nec mea securus ridebit funera victor.»
  Hæc ubi; dictatur facinus, missusque repente
Qui ferat extortas invito principe voces.

quidem videtur, sensum turbat, quem puto esse eum: Fruatur pacato. Occidentis imperio et a Barbaris non perturbato, ibique se contineat, et nos sinat obsidione premi. Quid se immiscet rebus nostris, et sub auxilii prætextu tuam, Arcadi, sortem (*partem*), imperium Orientis, tibi assignatam invadere tentat? Gesnerus hunc sensum statuit: *Ille* cum suo Honorio *fruatur pace* adeo *tranquilla*, ut possit Occidentem suum relinquere, et Orientis se rebus immiscere: *nos* contra Barbarorum vicinorum *obsidio premat* atque urgeat: iniquum hoc, sed tamen tolerabile: *quid* vero etiam hanc tuam, Arcadi Auguste, *partem tentat invadere* et sibi vindicare? Heinsius versum unum aut alterum excidisse putat.

161, 162. *Deserat Illyricos fines.* Removeat exercitum e finibus. *Illyricum* tum comprehendebat Macedoniam et Daciam; inter provincias Macedoniæ censebatur etiam Achaia et Thessalia.— *Eoa agmina*, milites in Oriente conscriptos, quos Theodosius in expeditionem contra Eugenium abductos cum copiis deinde Occidentis conjunxerat, totique exercitui moribundus Stilichonem præfecerat. — *Fraternas hastas.* Male Dempsterus existimat, ad tempora prisca adlusum esse, *hastasque* sceptra esse. Sunt exercitus potius, et *fraternæ* vocantur, quia exercitus non Honorii tantum, sed et Arcadii erant. Hoc docet versus sequens. Cf. Euripid. Phœniss. v. 444 sq. Ἀ 'γὼ μέθ' ἥκω δεῦρο, μυρίαν ἄγων λόγχην; et Bacch. v. 1357: Ἡγούμενος λόγχαισιν.

163. Sensus: ut non tantum imperium inter vos divisum sit, verum etiam ut exercitus quoque ex æquo dividatur.

164. *Dissimulas*, tergiversaris, dubitas.

166, 168. *Miscebitur alter sanguis.* Sensus: ea ante necem meam perpetrabo, ut victorem ipsum (Stilichonem) victoriæ pœniteat. Obscure significat cædem eorum, ut opinor, qui cari debebant esse victori, Serenæ et Eucherii, qui tunc Constantinopoli versabantur. Supra v. 95, et XXIX, 239 sqq. — *Securus* h. l. nullo mœrore adfectus.

169. *Dictatur facinus.* Epistola dictatur, qua jubeatur Stilicho, milites Orientis remittere, atque

Interea Stilicho, jam lætior hoste propinquo,
Nec multo spatii distantibus æquore vallis,
Pugnandi cupidas accendit voce cohortes.
Armeniis frons læva datur; per cornua Gallos
Dexteriora locat: spumis ignescere frena,
Pulveris extolli nimbos, lateque videres
Surgere purpureis undantes anguibus hastas,
Serpentumque vago cælum sævire volatu.
Implet Thessaliam ferri nitor, antraque docti

cum reliquis recedere. Ergo ille non tantum Honorii, verum etiam Arcadii imperio subjectus fuerit necesse est. Cf. infra 202. Secundum Claudianum, imperium romanum divisum quidem erat inter filios Theodosii, ita tamen, ut communi consilio regeretur.

171 sqq. Epistola illa ad Stilichonem perfertur, quum jam hoste propinquo aciem instrueret, pugnæque se accingeret.

172. *Æquore*. *Æquor* pro planitie sæpe poni notum est; sed structura verborum *multo æquore spatii* dura videtur esse, versumque ipsum Barthius suspectum putat. — *Vallis*, castris.

175. *Spumis ignescere frena*. Virgil. Æn. IV, 135. Sil. Italic. XII, 254 sqq. — *Ignescere*, calescere, non rubescere admisto cruore.

176. *Lateque videres*; v. loca a Ruperti laudata in VV. LL. ad Sil. Italic. V, 279.

177, 178. *Surgere purpureis undantes anguibus*, etc. Signa cohortium tunc temporis erant dracones, Veget. II, 13, id est, draconum simulacra arte expressa, ore argenteo, e pannis coriisque confecta ad terrorem hostibus inferendum. Romani signorum istud genus a Parthis acceperunt. Vid. Casaub. ad Flav. Vopisc. Aurel. 28. Conf. Lucian. Quomodo histor. conscr. I, 29, tom. II, pag. 39, edit. Reiz. Qui ea signa portabant, *draconarii* vocabantur. Sidon. Apoll. carm. V, 402 sqq.:

.... Jam textilis anguis
Discurrit per utramque aciem, cui guttur adactis
Turgescit zephyris, patulo mentitur hiatu,
Iratam pictura famem pannoque furorem
Aura facit, quoties crassatur vertile tergum
Flatibus, et nimium jam non capit alvus inane.

Graphicas præterea descriptiones illorum signorum vid. infra, v. 364 sq.; VII, 138 sqq.; VIII, 545; XXVIII, 566 sqq. Conf. Ammian. Marcell. XVI, 10. Cæterum neque *undantes* proprie ad hastas, neque *sævire* proprie ad cælum spectare, unusquisque sponte videt. Cælum quidem, id est, aer, dici potest *sævire*, quandoquidem in eo draconum simulacra volitant, qui motu suo vehementi *sævire* videntur. Ad locum igitur translatum est epithet. quod proprie ad ea pertinet, quæ in eo loco versantur.

179. *Implet*. Quint. Calab. IX, 68 sqq. — *Thessaliam*, in qua antrum erat Chironis.

Cornipedis, teneroque amnis reptatus Achilli,
Et nemus OEtæum radiat, clamore nivalis
Ossa tonat, pulsoque fragor geminatur Olympo.
Intumuit virtus, et lucis prodigus arsit
Impetus: haud illos rupes, haud alta vetarent
Flumina; præcipiti stravissent omnia cursu.
His si tunc animis acies collata fuisset,
Prodita non tantas vidisset Græcia clades;
Oppida semoto Pelopeia Marte vigerent;
Starent Arcadiæ, starent Lacedæmonis arces;
Non mare fumasset geminum flagrante Corintho,
Nec fera Cecropias traxissent vincula matres.
Illa dies potuit nostris imponere finem
Cladibus, et sceleris causas auferre futuri.
Invida, proh, quantum rapuit Fortuna triumphum!
Inter equos, interque tubas mandata feruntur
Regia, et armati veniunt ductoris ad aures.
Obstupuit: simul ira virum, simul obruit ingens
Mœror, et ignavo tantum licuisse nocenti

180. *Cornipedis*, Chironis. Ov. Met. II, 630. — *Amnis*, Sperchius. Cf. Stat. Achill. I, 239. — *Reptatus*, in quo natandi periculum fecit.

182. *Geminatur*, repercutitur, iteratur.

183. *Intumuit virtus.* Fortitudo militum augetur. Stat. Theb. III, 333. — *Lucis prodigus.* Ruperti ad Sil. Ital. I, 225. De toto loco compara Sil. Italic. XV, 40 sqq.

185. *Stravissent*, impedimenta superassent. Sil. Italic. XII, 513.

186—191. Si talis dux cum illo exercitu barbaris signa intulisset, debellatum continuo fuisset, nec tantas clades Græcia anno sequenti sensisset. Illas clades recenset Zozim. V, 5.

189. *Starent.* Virg. Æn. II, 56.

190. *Mare geminum.* Unde *Corinthus* bimaris vocatur. Horat. Od. I, 7, 2. Cf. Stat. Theb. VII, 105 sqq.

191. *Cecropias matres.* Atheniensium matres. Zosimus narrat quidem, Athenas fuisse obsessas; verum expugnatas esse non dicit. Mulieres intelligi possunt non Athenis, sed in agro atheniensi, seu in Attica captæ.

193. *Sceleris*, belli a Rufino excitati.

198. *Ignavo nocenti*, opponitur τῷ *armati*, v. 196, id est, parati jam ad confligendum cum hostibus, eorumque clade totum bellum finiendum, qui etiam mandata illa potuisset negligere.

Miratur: dubios anceps sententia volvit
Eventus; peragat pugnas, an fortia cœpta
Deserat? Illyricis ardet succurrere damnis:
Præceptis obstare timet; reverentia frangit
Virtutis stimulos: hinc publica commoda suadent,
Hinc metus invidiæ: tandem indignatus ad astra
Extollit palmas, et ab imo pectore fatur:
«Numina Romanis necdum satiata ruinis,
Si juvat imperium penitus de stirpe revelli,
Uno si placuit deleri sæcula lapsu,
Si piget humani generis; prorumpat in arva
Libertas effrena maris, vel limite justo
Devius errantes Phaethon confundat habenas.
Cur per Rufinum geritur? procumbere mundum
Hoc auctore pudet: mediis revocamur ab armis,
Proh dolor! et strictos deponere cogimur enses.
Vos arsuræ urbes, perituraque mœnia testor;
Cedo equidem, et miserum permitto casibus orbem.

199. *Sententia;* v. sup. ad III, 1.

201. *Deserat*, cum delectu, quasi contra officium fuerit, illa cœpta relinquere, quum prævideret, quantæ calamitates inde essent orturæ. Vid. infra 215 sq.

204. *Metus invidiæ*, si ulterius pergendo ostendisset, se Arcadii imperium mandataque neglexisse. Conf. supra ad v. 130.

205. *Extollit palmas.* De more deos precantium aut testantium, ut ad cælum tenderent manus expansas, et ita inclinatas, ut palma sursum spectaret. Virgil. Æneid. III, 176; Lambin. ad Horat. Od. III, 23, 1. — *Et ab imo pectore fatur*, id est, fatur cum gemitu imo a pectore ducto. Virg. Æn. I, 485, et II, 288.

207. *Penitus de stirpe*, funditus.

208. *Uno lapsu*, una ruina. — *Sæcula.* Sæpius et a Nostro ponitur pro omnibus, quæ gesta sunt per *sæcula*. Conf. supra v. 50 — 52.

210. *Limite nullo*, non continens se limite ordinario. Ovid. Metam. II, 130 sqq. — *Confundat.* Ovid. loc. cit. 200 sq.

212. *Geritur*, scilicet illa res. Cur Rufini opera dii utuntur? — *Procumbere*, a bestiis sumptum, quæ ictæ concidunt, ad res transfertur, quæ ruinam trahunt. Virg. Æneid. II, 505; IX, 541; XI, 394 sq.

213. *Mediis ab armis*, e medio bello.

216. *Cedo equidem*, Virgil. Æn. II, 704. — *Casibus*, fortunæ ludibrio. Barthius legit *cladibus*, quod

Flectite signa, duces: redeat jam miles Eois.
Parendum: taceant litui: prohibete sagittas;
Parcite contiguo, Rufinus præcipit, hosti.»
His dictis, omnes una fremuere manipli,
Quantum non Italo percussa Ceraunia fluctu,
Quantum non madidis elisa tonitrua Coris;
Secernique negant, ereptaque prælia poscunt,
Insignemque ducem populus defendit uterque,
Et sibi quisque trahit: magno certatur amore,
Alternamque fidem non illaudata lacessit
Seditio, talique simul clamore queruntur:
«Quis mihi nudatos enses, quis tela lacertis

interpretamentum prioris esse videtur.

217. *Miles*, copiæ Orientia. Vid. supra v. 161.

219. *Rufinus præcipit.* Cum indignatione hoc dictum, et ad Rufinum in invidiam vocandum.

220 sq. Illa oratione milites, et studio in Stilichonem, et in Rufinum invidia, accendi necesse erat. Fit fremitus indignantium; dirimi exercitum nolunt, paratos se esse profitentur ad omnia pro duce dilecto audenda.

221. *Ceraunia* (nunc *il monte della Chimera*), in Epiri littore inter Adriaticum et Ionicum mare eminebant, infames periculis et naufragiis. Cæs. de Bell. Gall. III, 6; Horat. Od. I, 3, 20.

222. *Coris.* Vid. not. ad I, 132. *Corus* magnas sæpe tempestates ciebat. Sil. Italic. I, 469 sqq.; XV, 154 sqq. — *Elisa tonitrua.* Existimabant veteres, tonitrua a ventis effici nubes collidentibus. Lucret. VI, 120 sqq. Inde quoque Lucan. VI, 692, habet *fractæque tonitrua nubis*, quem locum Burmannus putat Nostrum ante oculos habuisse. Conf. Quint. Calab. VII, 530 sqq. *Elidi* quoque *fulmen* dicitur, et *nubes* fulmine. Valer. Flacc. IV, 663 sq. Stat. Theb. V, 394 sq. Senec. Agam. 494 sq.

223. *Secernique*, scilicet milites Orientis a commilitonibus Occidentis. Supra 161.

225. *Et sibi quisque trahit.* Uterque exercitus Stilichonem ducem sibi vindicat.

226, 227. *Seditio non illaudata*, id est, certamen honestum inter utrumque exercitum, quo uterque Stilichonem ducem sibi vindicabat, ab amore et caritate illius profectum, *lacessit*, id est, incitat, irritat, eoque ipso auget *fidem*, studium, *alternam*, utriusque exercitus.

Laudo equidem, egregii juvenes, pulchraque meorum
Seditione fruor.

Stat. Theb. X, 240 sq. — *Alterni* pro duo passim apud Nostrum legitur, ut infra, XVI, 16.

Excutit, et solvi curvatos imperat arcus?
Quisnam audet leges vibrato imponere ferro?
Inflammata semel nescit mitescere virtus.
Jam mihi barbaricos sitientia pila cruores
Sponte volant, ultrixque manus mucrone furenti
Ducitur, et siccum gladium vagina recusat.
Num patiar? semperne Getis discordia nostra
Proderit? En iterum belli civilis imago!
Quid consanguineas acies, quid dividis olim
Concordes aquilas? Non dissociabile corpus,
Conjunctumque sumus: te, quo libet ire, sequemur;
Te vel Hyperboreo damnatam sidere Thulen
Te vel ad incensas Libyæ comitabor arenas;
Indorum si stagna petas, rubrique recessus
Æquoris, auriferum veniam poturus Hydaspen;
Si calcare Notum, secretaque littora Nili
Nascentis jubeas, mundum post terga relinquam.

230. *Vibrato.* Lucan. VII, 82 sq.

231. *Virtus*, ardor bellicus.

232. *Sitientia.* Ruperti ad Sil. Italic. XII, 264.

233, 234. *Ultrix manus ducitur.* Heins. ad Val. Flacc. V, 541. Ipsum ferrum manus meas ad cædendum incitat. Notissimum est Homericum illud, Odyss. π, 294, Αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος. Idem versus repetitur τ, 13.

236. *Belli civilis imago.* Quum exercitus separentur, qui ante conjuncti fuerant.

237. *Consanguineas.* Lucan. I, 4, habet *cognatas.*—*Olim*, jamdudum. Studium militum majorem facit concordiam, quam revera erat.

239. *Te, quo libet ire, sequemur.* Cum hoc et sequentibus comparetur Lucan. I, 367 sqq. Ita solent poetæ amorem insolubilem sæpe exprimere. Vid. Jani ad Horat. Od. II, 6, 1 sqq.

240. *Thulen*, extremi Septentrionis insulam, fama magis quam situ notam. Putant alii Schetlandiam, alii Islandiam, alii Scandinaviam fuisse. Cf. Ruperti ad Sil. Ital. III, 597. Adde Voss. in *Untersuchungen über einzelne Gegenstände der alten Geschichte*, auctore Bredow, p. 122. —*Hyperboreo sidere*, id est, cælo et aeris intemperie adeo immiti, qualis in iis regionibus esse cogitatur.

242, 243. *Stagna*, mare, ut apud Virgil. Æn. X, 765, *Nerei stagna.* —*Rubri recessus æquoris*, idem quod remotum mare Indicum.

244, 245. *Secreta littora Nili nascentis.* Lucret. VI, 712 sqq. Horat.

Et quocunque loco Stilicho tentoria figet,
Hic patria est.» — Dux inde vetat: «Desistite, quæso,
Atque avidam differte manum: cadat iste minacis
Invidiæ cumulus: non est victoria tanti,
Ut videar vicisse mihi: vos, fida juventus,
Ite mei quondam socii.» Nec plura locutus,
Flectit iter; vacuo qualis discedit hiatu
Impatiens remeare leo, quem plurima cuspis,

Od. IV, 14, 45 sq. Heyne ad Tibull. I, 7, 27; Ovid. Met. II, 229. Nilus in monumentis urnam veste tegit capite velato; vid. Spenc. Polym. D.XIV, pag. 229. — *Mundum post terga relinquam.* Hyperbole sane maxima. Conf. Senec. Herc. OEt. 44 sqq. et Pedon. Albinovan. fragm. Poet. Lat. m. tom. IV, P. I, pag. 229, princ.

247. *Dux*, Stilicho.

248. *Differte.* Quasi moram tantum petit. — *Manum avidam*, scilicet cædis. Sic *mens avida belli* Lucan. VI, 29. — *Cadat iste minacis Invidiæ cumulus.* Quæritur: cujus invidia? Barthius Rufini intelligit; explicat enim: parcant manu rem exsequi, scilicet milites, invidiam istius minacis balatronis sua sponte concisuram. Equidem sensum hunc statuo: irritus cadat invidiæ cumulus, qui me obruturum esse minatur. Quod si enim Arcadii mandato non paruisset, non potuisset invidiam effugere, quæ eum in vitæ discrimen fuisset ductura. Forsan autem simplicius est, invidiam militum intelligere, qua inflammati erant in Rufinum, quamque tam aperte profitebantur. *Cadat iste cumulus invidiæ*, id est, placetur illa invidia, deponite illam invidiam; nolite perficere, quod ira in Rufinum suggesserit. Conf. Burmann. ad Ovid. Heroid. XVIII, 2; infra XVII, 258 sq. Dicendi ratio a fluctibus petita esse videtur. Ovid. Metam. XV, 508 sq.; Virgil. Æn. I, 154.

250. *Mihi.* Ut videar in rem meam egisse, aut commodis meis inservisse, non saluti communi prospexisse. Venerat enim ad Orientem a Barbaris liberandum; jam vero ab imperatore, cujus res maxime agebatur, jussus erat domum redire, parte exercitus dimissa atque remissa. Quod si non paruisset, videri poterat venisse non in auxilium Orientis imperii, sed ad illud occupandum, cujus rei invidia multorum animos et voluntates a se alienasset; ipseque in discrimen vitæ venire potuisset, quum caritas Theodosii patris etiam filiis civium amorem conservaret.

252. *Vacuo hiatu.* Conf. Sil. Ital. VII, 717 sqq. et Burmann. ad Ovid. Metam. VII, 786, et ad Val. Flacc. III, 589. Præda nempe deerat, quam mandere potuisset.

253. *Impatiens remeare*, id est, qui non sponte, sed coactus, ægre, remeat. Sil. Italic. VI, 254, *Impatiens dare terga.*

Et pastorales pepulerunt igne catervæ,
Inclinatque jubas, demissaque lumina velat,
Et trepidas mœsto rimatur murmure silvas.
  Ut sese legio vidit disjuncta relinqui,
Ingentem tollit gemitum, galeasque solutas
Humectat lacrimis, pressamque morantia vocem
Thoracum validos pulsant suspiria nexus:
«Tradimur, heu! tantumque sequi prohibemur amorem,
Exclamant: spernisne tuas, dux optime, dextras,
Quas tibi victrices toties Bellona probavit?
Nos adeo viles? adeo felicior axis
Hesperius, meruit qui te rectore teneri?
Quid nobis patriam, quid cara revisere tandem
Pignora, dilectosve juvat coluisse penates?
Te sine, dulce nihil: jam formidata tyranni
Tempestas subeunda mihi, qui forte nefandas

255. *Inclinatque jubas.* Ut solent leones, quum cedunt, aut timent. Stat. Silv. II, 5, 14 sq. — *Velat;* scilicet palpebris. Conf. Stat. Silv. II, 5, 14 sq.

256. *Trepidas silvas.* Animalia intelliguntur in silvis degentia, murmurque leonis se recipientis trepidantia.

257. *Legio disjuncta,* copiæ Orientis a Stilichone cum suis relictæ. Virgil. Æneid. IX, 174.

258. *Solutis.* Ita fere omnes scripti; unus Barthii *solutas*, quod ipse et Heins. probant, qui etiam conj. *volutis.* Barthius notat, galeas quasdam veterum adeo clausas fuisse, ut nasum etiam et genas tegerent. Conf. Drakenb. ad Sil. Ital. XIV, 636; eas putat solvisse milites in gratiam discedentis ducis. Cf. Stat. Theb. VIII, 163 sqq. Burmann. ad Ovid. Heroid. XIII, 147. Verum, quum *solutæ* res dicantur, quæ liberæ sint, nec coercitæ, ut *risus solutus*, Virgil. Georg. II, 386, cur *lacrimæ solutæ* non possunt esse, large manantes? Et lacrimis galeas humectare non raro occurrit, ut apud Stat. Theb. IX, 41 sq.

259, 260. *Suspiria morantia vocem*, quæ interrumpunt et opprimunt voces. — *Validos nexus thoracum.* Ex hamulis, annulis, catellis, squamisve conserti erant thoraces.

261. *Sequi amorem* pro indulgere amori, studio retinendi Stilichonis.

262. *Dextras*, milites.

264. *Viles.* Lucan. V, 682 sqq.

265. *Meruit te rectore teneri* pro: cui contigit, ut a te regeretur.

268. *Te sine, dulce nihil.* Virgil. Æneid. XII, 882 sq. — *Tyranni*, Rufini.

269—271. *Tempestas*, intemperies, sævi et truculenti mores. —

Jam parat insidias; qui nos aut turpibus Hunnis,
Aut impacatis famulos præstabit Alanis.
Quanquam non adeo robur defecerit omne,
Tantave gestandi fuerit penuria ferri.
Tu licet occiduo maneas sub cardine solis;
Tu mihi dux semper, Stilicho, nostramque vel absens
Experiere fidem: dabitur tibi debita pridem
Victima: promissis longum placabere sacris.»
  Tristior Hæmoniis miles digressus ab oris
Tangebat Macetum fines, murosque subibat,
Thessalonica, tuos: sensu dolor hæret in alto

Jam parat insidias. Respicitur illud, cujus Rufinus insimulabatur, milites barbaris objecisse, ut exercitu deminuto et debilitato facilius, quæ sibi proposuerat, perficeret.—*Turpibus Hunnis.* Cf. not. ad III, 327. — *Alanis.* Ammian. Marc. XXXI, 2, narrat, *Alanos* ex montium appellatione cognominatos esse, populumque accurate describit. Communis illorum persuasio eos beatos ducebat, qui in prælio cecidissent.

272, 273. *Robur,* vires animi et corporis. Sensus: quanquam non tam exigua vis animi nobis fuerit, aut tanta armorum penuria, ut id impune laturus sit Rufinus, si in animum induxisset, nos Barbaris tradere.

276. *Debita;* cf. supra III, 369.

277. *Longum.* Vulg. *longe.* Burmann. laudat Virgil. Georg. II, 79; Ovid. Metam. X, 65; Stat. Theb. II, 707; VII, 300; jungendum cum *promissis.* Promiserant igitur milites, se Rufinum victimæ instar Stilichoni esse immolaturos. Itaque vel ipse Claudianus suspicionem movet, Stilichonem Rufini cædis fuisse conscium. Conf. Zosim. V, 7, 6 sq.

278 sqq. Thessalia relicta proficiscuntur milites Thessalonicam, quam urbem Theodosius, præcipue Rufini instinctu, exscindi jusserat, quæ igitur Rufino debebat esse maxime infensa. De calamitate illa silet Claudianus, quia ejus mentionem facere non potuisset absque Theodosii infamia. Conf. not. ad III, 113. Adde orationes Libanii XIV et XV, et Joann. Chrysostomi de Statuis, tom. II, ed. Monfauc. Conf. *Tillemont*, *Histoire des Empereurs*, tom. V, pag. 263 sqq. In hac urbe milites consilium ineunt de interficiendo Rufino, quorum constantiam in re per totum iter celanda meritis laudibus poeta prosequitur.

278, 279. *Hæmoniis*, Thessalicis. — *Macetum. Macetes*, vel *Macetæ*, Macedones dicti a Μακετίᾳ, Macedoniæ parte. Vid. interp. ad Gell. IX, 3; Gronov. ad Senec. Hercul. Fur. 980.

280. *Thessalonica*, Macedoniæ urbs. — *Sensu dolor hæret in alto*,

Abditus, et tacitas vindictæ præstruit iras,
Spectaturque favens odiis locus, aptaque leto
Tempora; nec quisquam tanta de plebe repertus,
Proderet incautis qui corda minantia verbis.
Quæ non posteritas, quæ non mirabitur ætas
Tanti consilium vulgi potuisse taceri,
Aut facinus tam grande tegi? mentisque calorem
Non sermone viæ, non inter pocula rumpi?
Æqualis tantam tenuit constantia turbam,
Et fuit arcanum populo! Percurritur Hebrus,

conf. Virg. Æn. I, 26; *sensu in alto*, idem quod *alta in mente;* et hoc dictum, pro alte in animo. Stat. Theb. I, 246 sqq.

281. *Et tacitas vindictæ præstruit iras. Præstruit*, id est, præparat, *tacitas iras*, tacite consilium ira suggestum, *vindictæ*, ultioni. Sensus itaque: iniit tacite ulciscendi consilium. Conf. VIII, 321, et XXVI, 286. Aliter Gesnerus: silentio tegit, tanquam cratibus vineisque objectis, ulciscendi et puniendi Rufini consilium. Interpretationem priorem et verba ipsa et sequentia probare videntur.

282. *Favens odiis locus*, id est, locus insidiis opportunus. Cf. infra v. 348 sqq. Sic quoque *apta leto tempora* est tempus interficiendi Rufini opportunum.

283. *Tanta de plebe.* Multitudinem militum gregalium intelligit. Alii *tanta de pube*, quod Burmannus rejicit, quia gregales milites intelligendi sint, non duces et honestioris ordinis milites, qui etiam voce *pube* contineantur.

284. *Corda minantia*, id est, iram, vindictæ consilium.

287, 288. *Mentisque calorem..... rumpi.* Burmannus ait, *rumpi* merito suspectum fuisse Barthio, quum admodum dure calori jungatur. Proponit itaque *fundi.* Verum, quum ipse ad XXXV, 249, multa loca proferat, ubi *rumpere* positum est pro *emittere*, quæ exempla auxit Ruperti ad Sil. Ital. I, 95; nescio sane, cur Claudianus non dicere potuerit *rumpere mentis calorem* pro emittere mentis calorem, ita, ut vocem *rumpere* poeta non ad verba ipsa *calorem mentis*, verum ad notionem, quam voluit exprimere, retulerit. *Mentis* autem *calor* hoc loco est ira, et quibus ea se exserere solet, vociferatio, minæ, quibus emissis totum consilium, quod milites inierant, concidere debuit. Est etiam alia ratio, quæ explicationem habet faciliorem. *Rumpi* sæpius ponitur pro *erumpere*, *prorumpere se.* Vid. Heyne ad Virgil. Georg. III, 428. — *Sermone viæ*, id est, sermonibus in itinere, non militum inter milites, ut Barthius existimare videtur, sed militum cum hospitibus aut iis, qui commeatu causa in castris versabantur.

290. *Arcanum populo. Populo*, id est, omnibus, qui milites non erant,

Deseritur Rhodope, Thraecumque per ardua tendunt,
Donec ad Herculei perventum nominis urbem.
Ut cessisse ducem, propius venisse cohortes,
Cognita Rufino; magna cervice triumphat,
Omnia tuta ratus, sceptrumque capessere fervet,
Et conjuratos accendit voce clientes:
«Vicimus; expulimus: facilis jam copia regni.
Nullus ab hoste timor: quis enim, quem poscere solum
Horruit, hunc tanto munitum milite vincat?
Quis ferat armatum, quem non superavit inermem?
I nunc, exitium nobis meditare remotus

aut qui ad exercitum reducem non pertinebant. Ubi acumen lateat, nescio. Gesnerus ait: Acute: *arcanum* fuit, quod totus *populus*, totus exercitus decreverat. — *Hebrus*, Thraciæ fluvius satis notus, ut *Rhodope*, mons ejusdem regionis.

292. *Herculei urbem.* Heracleam Barthius intelligit ad Propontim, alii Constantinopolim, seu Byzantium, ab Hercule, ut aiunt, comitis sui Byzantis memoriæ dedicatam. Verum Barthius audiendus est, quum quod Constantinopolim Noster vix ita expressisset, tum quod res, quæ sequitur, satis indicat, exercitum nondum fuisse ad portas Constantinopolis.

293 sqq. Jam redit ad Rufinum poeta, eumque inducit gloriantem sibique gratulantem, quod Stilichonem removerit, exercitusque partem ab eo obtinuerit. Existimat nunc sibi omnia prospere esse cessura, regnique partem palam affectat.

294. *Magna cervice*, pro erecta, sublimi cervice. Vid. Barth. ad Stat. Theb. II, 326 sq.; idem habet Horat. Od. I, 1, 36, ubi vid. Jani et alior. Not. Conf. supra III, 53.

296. *Accendit voce.* Vid. supra 173; Sil. Italic. XII, 350 sq.

297. *Expulimus*, scilicet Stilichonem ex provinciis imperii Orientis. — *Facilis jam copia regni.* Cujus rei copia facilis est, eam facile possumus adipisci. Sensus: jam regnum mihi paratum est.

298. *Poscere*, provocare. Virgil. Æn. VIII, 614; XII, 466; Lucan. IV, 466 sq.; Sil. Italic. I, 420. Provocasset autem Stilicho Rufinum, si neglectis mandatis in itinere perrexisset, et Rufinum se petere aperte præ se tulisset. Quod secundum Claudianum modestia motus fecit, ut rediret, exercitusque partem remitteret, id Rufinus timori tribuit. Simplicissimum autem est, statuere, *poscere*, et hoc loco positum esse pro *adire*, aggredi. Conf. I, 104; III, 120; XXXIII, 388.

299. *Milite*, exercitu a Stilichone remisso.

300. *Ferat*, sustineat.

301. *I nunc.* Vid. not. ad Pers. IV, 19.

Incassum, Stilicho, dum nos longissima tellus
Dividat, et mediis Nereus interstrepat undis.
Alpinas transire tibi me sospite rupes
Haud dabitur: jaculis illinc me figere tenta.
Quære ferox ensem, qui nostra ad mœnia tendi
Possit ab Italia: non te documenta priorum,
Non exempla vetant? quis par conatus adire
Has jactat vitasse manus? detrusimus orbe
Te medio, tantisque simul spoliavimus armis.
Nunc epulas tempus, socii, nunc larga parare
Munera, donandumque novis legionibus aurum.

303. *Nereus.* Mare Adriaticum. Horat. Od. II, 11, 2 sq.

305. *Dabitur*, conceditur.

306. *Tendi*, porrigi. Burmannus putat, aliquid absurdi verbis inesse; talem enim ensem nec fingi, nec somniari posse. Pro *ensem* proponit *arcum*. Mutatione non est opus. Voluit poeta exprimere, quod fieri nequit. A Stilichone in Italia incluso tutum se esse ait, atque hoc exhortatione effert, quæ quidem per se absurda est, sed eo ipso declarat, omnia Stilichonis conata in se jam absurda esse.

307, 308. *Documenta*, id est, alii, qui documenta dederunt, aut documento fuerunt, me non impune posse lædi. Ovid. Met. III, 579.

308. *Quis par conatus.* Heinsius existimat, ad paria gladiatorum alludi, laudatque Lucan. VII, 695. Eum sequitur Gesnerus verba ita explicans: *quis par* licet esset, certe talis, qui ut in ludo gladiatorio comparari mecum recte videretur. Hunc Lucani locum huc non pertinere, jam vidit Burmannus. Hoc loco *par* est adjectivum, pertinetque ad *conatus*. Verborum ordo est; *quis par conatus adire manus, has*, aut eas, *jactat vitasse? Quis par conatus*, idem quod quis eadem, pari ratione, conatus; *adire manus*, idem quod congredi mecum; *jactat vitasse has*, gloriari potest, se incolumem effugisse manus meas. Conf. Barth. Adversar. XXIII, 16 et 23.

310. *Medio orbe.* Vulgo: ex altera parte imperii, Oriente. Hoc non admodum placet, nec magis, quod Barthius habet: e Græcia, meditullio fere romani imperii. Locum sic accipio: Quum totum orbem occupaturus eras, votique propemodum compos fueras, jam ad medium orbem perveneras, medio orbe te detrusimus, conatusque tuos irritos fecimus. Vid. supra 152 sqq. Decem scripti libri apud Heins. habent *destruximus orbem*, quod Heinsio placet, explicatque idem *te medio* per: te intercedente, multis exemplis allatis. Verum hoc sensum efficeret huic loco vix aptum, et sequentia postulant accusativum *te*.

312. *Donandum aurum.* Pertinet hoc ad largitiones militares, aut

Opportuna meis oritur lux crastina votis.
Quod nolit, rex ipse velit, jubeatque subactus
In partem mihi regna dari: contingat in uno
Privati fugisse modum, crimenque tyranni.»
  Talibus acclamant dictis infame nocentum
Concilium, qui perpetuis crevere rapinis,
Et quos una facit Rufino causa sodales,
Illicitum duxisse nihil: delicta fuere
Nexus amicitiæ: jam jam connubia læti
Despondent aliena sibi, frustraque vicissim
Promittunt quas quisque petat, quas devoret urbes.
  Cœperat humanos alto sopire labores
Nox gremio, pigrasque Sopor diffuderat alas.

ad donativa. Cf. Schwarz. ad Plin. Paneg. 25, 2; interpp. ad Sueton. Ner. 7. Notanda quoque illa variatio est, quod post infinitivum gerundium sequitur. Conf. Burmann. ad Virgil. Æneid. III, 234.

314. *Rex ipse velit.* Meis artibus eo rem deducam, ut Arcadius ipse velit, quod nunc nolit. — *Subactus.* Virgil. Æneid. VI, 567; VIII, 112; Burmann. ad Ovid. Met. VI, 496. Vulg. *coactus;* sed *subactus* prætulit jure Heinsius, quia illud gratulanti et superbienti Rufino magis convenit. Conf. Ruperti in VV. LL. ad Sil. Italic. I, 635.

315, 316. *In uno*, simul. — *Modum*, conditionem. — *Crimenque tyranni.* Quoniam Arcadius videbitur ultro detulisse mihi regni partem, nec ego videbor eam vi occupasse. Cæterum in *velit*, *nolit*, in *jubeat*, *subactus*, neminem fugiet acumen scholæ rhetoricæ.

317 sqq. Ad socios Rufini describendos poeta ex Sallustio (Catilin. 14) colores videtur esse mutuatus. — *Acclamant* pro singular. ut supra [illegible]9, et infra XXXIII, 20.

320, 321. *Delicta fuere Nexus.* Ipsa crimina et facinora eos reddiderant amicos, Rufinoque caros fecerant.

323. *Devoret.* Catull. XXIX, 23.

324 sqq. Rufinus in somnis de nece sua monetur per ambages, quas ille quidem in lætum rerum successum interpretatur, omniaque experrectus præparat ad consilium suum exsequendum.

325. *Gremio alto.* Imago translata a matre aut nutrice. Virgil. Æneid. I, 692; Stat. Theb. I, 61. — *Sopor*, somnus altus. — *Diffuderat*, explicaverat. Virgil. Æn. I, 319. — *Pigras alas.* Heinsius non negat quidem, *pigras* eleganter dici posse; præfert tamen *nigras*, Virgil. Æn. VIII, 369; Tibull. II, 1. 87 sq. ubi vid. Heyne in not. et animadv. crit. Verum *pigræ*, si quid sentio, hoc loco est præferendum. Sunt alæ, quæ vix aut ne vix quidem moventur. somni naturam graphice expri-

Ille diu curis animum stimulantibus ægrum
Labitur in somnos: vix toto corde quierat,
Ecce videt diras alludere protinus Umbras,
Quas dedit ipse neci; quarum, quæ clarior, una
Visa loqui : « Proh! surge toro; quid plurima volvis
Anxius? hæc requiem rebus finemque labori
Allatura dies: omni jam plebe redibis
Altior, et læti manibus portabere vulgi.»
Has canit ambages; occulto fallitur ille
Omine, nec capitis sentit præsagia fixi.
Jam summum radiis stringebat Lucifer Hæmum,
Festinamque rotam solito properantior urget,

mentes, quibus Græcum illud ἐρείδειν, Callimach. in Del. 234, et Latinum *premere*, Sil. Ital. X, 345, aut *condere*, Virgil. Georg. IV, 496, pingitur, quatenus illud fit alis leniter et segniter motis. Cæterum de somno plura vid. cougesta a Ruperti ad Sil. Italic. X, 351 sq.

327. *Labitur in somnos.* Sic quoque Petron. 22 et 100. Sed hoc imago somni, quam in superioribus adumbraverat, plane deletur, quum illic somnum videas, ut a poetis pingitur, hic de somno agatur vulgari.—*Toto corde*, curis non amplius *cor*, animum, stimulantibus, qui non sinebant eum profundo somno uti.

328. *Alludere*, de nndis leniter allabentibus proprie dicitur. Burmann. ad Ovid. Metam. IV, 342, et Virg. Æn. VII, 117; hoc loco de umbris modo accedentibus, modo recedentibns.

329. *Clarior.* Cnjus forma erat expressior.

330. *Proh.* Ovid. Met. XIII, 758; hoc loco excitantis est. — *Volvis*, scilicet animo.

331, 332. Omnia ambigue dicta sunt, quæ Rufinus ita cepit, quasi umbra vaticinata esset, ipsum crastina luce ab omnibus curis liberum fore, et a populo imperatorem factum humeris portatum iri. Schw. ad Plin. Pan. 22, 2. Cf. infra VIII, 174. Quis sensus verbis sit subjiciendus ex sequentibus apparebit.

335. *Præsagia capitis fixi;* vid. infra 434.

336. Ornatius expressit Lucan. X, 434 sq. Hæmus, Thraciæ mons, quum versus Corum situs sit Constantinopolitanis, iis inde Lucifer oriri nequit. Italiæ incolis versus ortum ille mons est, eosque videtur poeta respexisse. Conf. Sil. Ital. VI, 452 sq.; Virgil. Æn. II, 801; Senec. Hercul. Fur. 133.

337. *Festinamque rotam.* De Phœbi curru sermo est. *Festinam rotam urget* dictum pro: cursum suum accelerat. Cf. Senec. Hercul. Œt. 337, et 469 sq. Nescio quid sibi velit Gesnerus, quum addat: imago sane angustior currus, quem agat Titan, quam rotæ, orbis, trochi, ludibrii puerorum.

Tandem Rufini visurus funera, Titan.
Prosiluit stratis, densæque capacia turbæ
Atria regifico jussit splendere paratu
Exceptura dapes, et, quod post vota daretur,
Inscribi propriis aurum fatale figuris.
Ipse salutatum reduces post prælia turmas,
Jam regale tumens, et principe celsior, ibat,
Collaque femineo jactabat mollia gestu,
Imperii certus, tegeret ceu purpura dudum
Corpus, et ambirent ardentes tempora gemmæ.
Urbis ab angusto tractu, qua vergit in Austrum,

338. *Tandem* ad Solis ipsius cupiditatem pertinet, qua supplicium Rufini, fatis jam diu debitum, adspicere properat.

340. *Atria.* In atriis salutationes fieri, sed convivia in cœnaculis et tricliniis quis est qui ignoret? Verum, quando multitudo epulis excipienda esset, ut epulis triumphalibus, nonne tunc spatiosissima domus pars eligenda erat? *Atria* etiam pro totis ædibus, aut pro spatiosis conclavibus ponuntur. Dido quidem Trojanos et Pœnos in *atriis* convivio excepit, Virg. Æneid. I, 725. Cæterum atria festis diebus imprimis exornabantur. Quantos luxus Cleopatra explicuerit vid. Lucan. X, 111 sq. — *Splendere* proprium in hac re verbum esse, docuit Burmann. ad Virgil. Æneid. I, 637, et ad Phædr. IV, 24.

341. *Post vota.* Obscure dictum. *Vota* possunt esse precationes et acclamationes, quibus novi imperatores excipiebantur et salutabantur. Schwarz. ad Plin. Paneg. 67, 3 sq. Ex vers. 381 sqq. apparet, Rufinum egisse cum Arcadio, ut se socium imperii declararet, forsanque promissum bujusmodi extorsisse invito. *Post vota* potest etiam esse: ubi votorum suorum compos factus est, socius imperii declaratus.

343. *Aurum fatale*, nummos aureos sua figura cusos. Hoc constituerat militibus de more in donativum distribuere. *Fatale* autem vocari illud aurum Barthius ait, quia nemini præter imperatorem liceret effigiem suam nummis impingere. Notum quoque est, si quis imperator imperii socium assumpsisset, statim ejus nomine nummos esse cusos. Conf. Æl. Lamprid. in Antonin. Diadum. cap. 2, et Trebell. Pollio in Gallien. d. cap. 12; Herodian. I, 9, 16 sq. et II, 15, 9.

344. *Regale tumens*, fastu regio inflatus. — *Principe celsior*, erectiori cervice, tumidior etiam quam princeps, cujus comes erat. Infra 366, et XV, 194 sq.

345. *Colla jactabat mollia.* Hoc effeminatos et molles Rufini gestus exprimit. Eamdem mollitiem objecit Hortensio Cicero, in Verr. III, 19.

347. *Gemmæ*, diadema.

348 sqq. Agmen a Stilichone re-

Planities vicina patet; nam cætera pontus
Circuit, exiguo dirimi se tramite passus.
Hic ultrix acies, ornatu fulgida Martis,
Explicuit cuneos : pedites in parte sinistra
Consistunt; equites illic poscentia cursum
Ora reluctantur pressis sedare lupatis:
Hic alii sævum cristato vertice nutant,
Et tremulos humeris gaudent vibrare colores,

missum, ubi ad Constantinopolim pervenit, instruitur Imperatorem opperiens.

352. *Explicuit cuneos*, nihil amplius est, quam se explicuit. *Cunei* sunt, quod gallice vocamus *bataillons*. Ed.

354. *Reluctantur*, equorum generosorum sic ardorem exprimit, quem equites vix cohibere possunt. H. l. i. q. student. — *Lupatis*. *Lupata*, sc. frena, aspera sunt aculeis ferreis, dentium lupinorum instar. Pro frenis omnino ponuntur. Galli præcipue iis utebantur ad feros equos domandos. Virgil. Georg. III, 208. Horat. od. I, 8, 6.

355. *Sævum nutant*.
...Δεινὸν δὲ λόφος καθύπερθεν ἔνευεν, Hom. Il. γ, 337. Sil. Italic. I, 460. Ibi vid. Ruperti.

356. *Et tremulos humeris*, etc. Hic versus videtur habere difficilem explicatum. Quæritur, qui sint illi *tremuli colores?* Gesnerus repetit illos a textili quodam panno partim libere fluctuanti per armos, partim autem comprehenso, et in plicas crispato ab ora et commissura galeæ cum thorace. Verum quidnam tandem illud sit, nemo facile explicabit. Videtur illud intellexisse, quod majores nostri *Helmdekken* vocabant. Nititur ille quidem XXVIII, 576, quo tamen perperam accepto in fraudem actus est. In verbis nulla est difficultas. *Gaudent vibrare* dictum pro, vibrant; et *vibrare tremulos colores* pro, coloribus tremulis splendere. Cf. Duck. ad Flor. III, 11, 8. Dispiciendum nunc, quid tandem id sit, quod tremulos colores ostendat. Utrum clipei cælati atque picti (Propert. IV, 10, 21; Stat. Theb. IX, 332 sqq. interpp. ad Sil. Italic. I, 407), quos humeris, ut notum est, gerere solebant et vibrare milites hoste potissimum propinquo. Ammian. Marcellin. XXIV, 6, pag. 325, ed. Ernest. «Ergo ubi vicissim contiguæ se cernerent partes, cristatis galeis corusci Romani, vibrantesque clipeos, velut pedis anapæsti præcinentibus modulis levius procedebant», etc. cof. infra XXVIII, 627 sq. an thoraces, an chlamydes, seu sagula variis coloribus distincta, quæ super thoraces humeris solebant imponi, et a tergo dependere. Valer. Flacc. VI, 525 sqq. Sil. Italic. IV, 516; et XVII, 526 sqq. Epitheton *tremulis* facit, ut ratio, quam primo loco posui, mihi magis placeat, quam reliquæ, etiamsi duri aliquid

Quos operit formatque chalybs: conjuncta per artem
Flexilis inductis animatur lamina membris,
Horribilis visu; credas simulacra moveri
Ferrea, cognatoque viros spirare metallo.
Par vestitus equis: ferrata fronte minantur,
Ferratosque levant securi vulneris armos.
Diviso stat quisque loco: metuenda voluptas
Cernenti, pulcherque timor; spirisque remissis
Mansuescunt varii vento cessante dracones.
Augustus veneranda prior vexilla salutat.
Rufinus sequitur, quo fallere cuncta solebat

eam continere non diffitear, cujus vero causam fortasse poetæ rectius assignaveris quam interpreti.

357. *Quos* aut ad *humeris* spectat, aut ad *alii*. — *Operit formatque*. Hoc explicabunt verba Ammian. Marcell. XXV, 1: «Erant autem omnes catervæ ferratæ, ita per singula membra densis laminis tectæ, ut juncturæ rigentes compagibus artuum convenirent.»

358. *Flexilis lamina*, commissuris suis scilicet et compagibus. *Animatur* hoc explicatur adjecto *inductis membris* pro: inducta membris. Pertinet hoc ad facilitatem, qua se movebant milites armis ferreis tecti.

359, 360. Explicationi τοῦ *animatur* serviunt. — *Cognato metallo*, quasi corpori adnato. — *Spirare*, vivere. Ammian. Marcell. XVI, 10: «Et incedebat hinc inde ordo geminus armatorum, clipeatus atque cristatus, corusco lumine radians; sparsique cataphracti equites, quos clibanarios dictitant Persæ, thoracum muniti tegminibus et limbis ferreis cincti, ut Praxitelis manu polita crederes simulacra, non viros, quos laminarum circuli tenues, apti corporis flexibus, ambiebant, per omnia membra deducti, ut quocumque artus necessitas commovisset, vestitus congrueret junctura cohærenter apta.

363, 364. *Metuenda voluptas* etc. Acumen quæsitum. Adficiebant spectatores metu et voluptate; adspectus eorum erat pulcher et timendus. Sic *miseranda voluptas* Stat. Theb. VI, 72.

365. Vid. supra ad v. 177.

366. *Veneranda vexilla*. Primis temporibus *Vexilla* erant equitum signa, sequentibus etiam peditum, nominibus Imperatorum et quidem aureis literis inscripta. Sueton. Vespas. 6. H. l. pro signis universe posita, quæ sacra erant, ideoque *veneranda* vocantur. Veget. II, 6; Herod. IV, 4, 10. Plura de signis militaribus Lips. de Milit. Rom. IV, dialog. 5. Barthius notat, Imperatoribus solemne fuisse, legiones ex bello reduces salutare, commilitonumque reliquorum more signa venerari. Unde hoc habeat, nescio; saltem ex uno hoc loco mos ille repeti nequit.

Callidus affatu, devotaque brachia laudat,
Nomine quemque vocans, natosque patresque reversis
Nuntiat incolumes. Illi, dum plurima ficto
Certatim sermone petunt, extendere longos
A tergo flexus, insperatoque suprema
Circuitu sociare parant: decrescere campus
Incipit, et clipeis in se redeuntia junctis
Curvo paulatim sinuantur cornua ductu.
Sic ligat immensa virides indagine saltus
Venator; sic attonitos ad litora pisces
Æquoreus populator agit, rarosque plagarum
Contrahit anfractus, et hiantes colligit oras.
Excludunt alios: cingi se fervidus ille

368. *Devota brachia*, vitam impendere Augusti imperiis paratorum. Sic Gesnerus recte. Cf. Lucan. III, 311; IV, 533.

369. *Nomine quemque vocans*, ut notos et familiares. V. Ruperti ad Sil. Italic. I, 454. Id enim agebat Rufinus, ut militum voluntates, quas sciebat in se nequaquam propensas esse, sibi conciliaret.

370, 371. *Plurima... petunt*, ad avertendum scilicet Imperatoris et Rufini animum ab eo, quod tum maxime agebant.

372. *A tergo*, sc. Rufini. Versus mediam aciei partem Rufinus accesserat. Cornua paullatim se inflectunt, aut se circumdant. — *Suprema*, cornua.

373. *Decrescere campus* etc. Quod paraverant milites, id nunc fit. Spatium illud (*campus*) quod arcu militum ducto includitur, imminuitur semper eo magis, quo magis cornua, alterum alteri, appropinquant, circulusque densandis ordinibus minor fit.

374, 375. Ordo verborum: *cornua in se redeuntia clipeis junctis paullatim sinuantur curvo ductu.*

376. *Indagine*, retium cassiumque serie. Sic navium corona atque ordo *navalis indago* vocatur Sil. Italic. XIV, 368. — *Ligat*, includit. *Indagine cingunt* habet Virgil. Æn. IV, 121. *Indagine claudit*, Lucan. VI, 42; Tibull. IV, 3, 7; Stat. Theb. II, 553.

377. *Attonitos*, quum inclusos se sentiant.

378. *Æquoreus populator*, piscator, qui piscibus vastat æquor. — *Hiantes oras colligit.* Marginem retis colligens, complicans, ne pisces effugiant. Cf. Sil. Italic. VII, 500 sqq.

380. *Alios*, qui cum Arcadio et Rufino venerant. Claverius adjungit: tanquam pisces minusculos, qui rejiciuntur in aquam; nimis fortasse similitudinem urgens. — *Fervidus.* Rufinus totus consilio, quod ceperat, intentus, et conciliandis sibi militum animis studens.

Nescit adhuc, graviterque apprensa veste morantem
Increpat Augustum : scandat sublime tribunal;
Participem sceptri, socium declaret honoris.
Quum subito stringunt gladios, vox desuper ingens
Infremuit : «Nobis etiam, teterrime, nobis
Sperasti famulas imponere posse catenas?
Unde redi nescis? patiarne audire satelles,
Qui leges aliis, libertatemque reduxi?
Bis domitum civile nefas, bis rupimus Alpes.
Tot nos bella docent nulli servire tyranno.»
  Diriguit: spes nulla fugæ; seges undique ferri
Circumfusa micat; dextra lævaque revinctus
Hæsit, et ensiferæ stupuit mucrone coronæ:
Ut fera, quæ montes nuper dimisit avitos,
Altorumque exsul nemorum damnatur arenæ
Muneribus, commota ruit; vir murmure contra
Hortatur, nixusque genu venabula tendit:
Illa pavet strepitus, cuneosque erecta theatri

381. *Apprensa veste.* Rufinus familiariter tractat Arcadium, ut causidici Claudium. Sueton. in Claud. 15. Vid. supra, 341.

382. *Tribunal.* Forsan e cespite lapidibusque militum opera congestum.

384. *Desuper* vel pro insuper, positum; vel intellexit poeta vocem veluti cælitus missam.

388, 389. Maximo scilicet et Eugenio domandis.—*Nefas*, bellum. —*Rupimus Alpes.* XV, 82; XXVI, 547; XXVIII, 442, pro : viam mihi vi feci per Alpes. Sil. Italic. I, 54. Cof. Zosim. IV, 46.

391. *Seges ferri.* Virgil. Æn. XII, 663.

392. *Revinctus*, id est, cinctus. Cof. supra 376 sq.

394. *Dimisit*, reliquit.

395, 396. *Arenæ muneribus. Munera* de amphitheatralibus et gladiatoriis ludis ac venationibus dici constat. Lucan. VI, 708 sq. — *Damnatur*, destinata est. Cf. Stat. Theb. V, 231 seqq. — *Vir murmure contra Hortatur, nixusque genu* etc. Auson. Epist. IV, 30 sqq.

Aut spumantis apri cursam clamoribus urges,
Subsidisque fero? moneo tamen usque recuses
Stringere fulmineo venabula cominus hosti.

397. *Venabula*, hastas venatoribus idoneas, προβόλιον, describit Xenoph. de Venat. X, 3; eo in venationibus excipiebantur etiam leones aliæque feræ bestiæ. Stat. Silv. II, 5, 9 sq.

398. *Cuneos theatri.* Proprie ordines sedilium in theatro a figura

Respicit, et tanti miratur sibila vulgi.
Unus per medios audendi pronior ense
Prosilit exserto, dictisque, et vulnere torvus:
«Hac petit; hac Stilicho, quem jactas pellere, dextra
Te ferit, hoc absens invadit viscera ferro.»
Sic fatur, meritoque latus transverberat ictu.
Felix illa manus, talem quæ prima cruorem
Hauserit, et fessi pœnam libaverit orbis!
Mox omnes fodiunt hastis, artusque trementes

sic dictos ad caveam seu orchestram arctiores, in altum divergentes, et scalis utrimque, per quas ad sedilia descendebant spectatores, quasi circuli radiis inclusos. H. l. spectatores. — *Erecta.* Dum clamorem stupet altius se erigens et circumspiciens.

400. *Audendi pronior.* Conjecturam Heinsii *promtior* rejicit Burmannus, quem vide ad Sueton. Galb. 22.

401. *Exserto.* Nescit Burmannus, an hoc probandum sit, quum enses jam stricti essent supra v. 384: sed *erecto*, quod proponit, multo minus; nam ad feriendum latus *reducto*, non *erecto* ense opus est. Infra 404. Sed *exsertum* interdum plus esse videtur, quam vagina denudatum. Stat. Theb. X, 412: *Exsertum objectans mucronem*, cui opponitur v. 423. *Demisso mucrone*, et XI, 376. Legendum quoque puto *et exsertum demittere* (non *dimittere*, ut Bipont.) *ensem*. In utroque loco *exsertum*, pro denudatum, positum languet; potest esse promptum vel ad cædendum vel ad pungendum. Etiam apud Nostrum infra XXXVI, 377, exserta manus non est nuda, sed ad feriendum prompta. — *Vulnere*, ense ad vulnus infligendum parato. Interpp. ad Virgil. Æn. II, 436 et 529. Alii *lumine*, quod post *dictis* languidius videtur. Cæterum *torvum* id dicitur, quod minarum et horroris plenum est. Sæpissime quidem ad oculos transfertur, quia iis maxime terroris et minarum signa inesse solent. Inde e correctione *lumine* fortasse natum est. H. l. ad totum irruentis habitum pertinet.

402. *Jactas pellere*; cf. supra 297 sqq.—*Hac petit, hac* etc. Cf. Sil. Ital. II, 26 sq. Burmann. ad Valer. Flacc. VII, 44.

406. *Libaverit* omnino dictum pro, sumpserit, sed majore cum delectu. *Libare* est degustare, leviter attingere. Hoc loco initium pœnæ exprimit ab illo milite factum; nondum enim tota erat inflicta.

407 sqq. Jam describit Noster Rufini lacerationem lanii vel adeo carnificis diligentia, cujus animus contra omnem humanitatis sensum callo obductus est. Pæne in singulis versibus studium exstat teterrimum hoc spectaculum sub oculos lectorum revocandi, imaginemque abominandam usque ad partes minutissimas absolvendi. Quod autem

Dilaniant; uno tot corpore pila tepescunt,
Et non infecto puduit mucrone reverti.
Hi vultus avidos, et adhuc spirantia vellunt
Lumina; truncatos alii rapuere lacertos:
Amputat ille pedes, humerum quatit ille solutis
Nexibus; hic fracti resecat curvamina dorsi;
Hic jecur, hic cordis fibras, hic pandit anhelas
Pulmonis latebras: spatium non invenit ira,
Nec locus est odiis: consumpto funere vix tum
Deseritur, sparsumque perit per tela cadaver.
Sic mons Aonius rubuit, quum Penthea ferrent
Mænades; aut subito mutatum Actæona cornu
Traderet insanis Latonia visa Molossis.

ex nostro sensu minime est ferendum, et animos oculosque lectorum fœditate sua avertit, aliquam excusationem habet in temporum ratione sitam, nisi omnino et temporum vitia poetæ præstanda sint, qui, quod verum, et decens, et pulchrum venustumque sit, semper spectare, non pravo æqualium judicio in fraudem agi debeat. Cogitandum tamen est, scriptum esse hoc carmen in honorem Stilichonis barbari, cui nihil dulcius esse poterat, quam iræ suæ et odio satisfactum videre. Atque hanc voluptatem ex acerbissimi hostis laceratione verbis repetita, plena manu Noster illi præbuit.

410. *Vultus avidos*, avaritiam insatiabilem oris lineamentis adhuc referentes. Ita recte Barthius. Burmannus mavult : *pavidos*. Non placet. — *Spirantia lumina*, oculos nondum fractos.

412, 413. *Solutis Nexibus*, avulsum. — *Curvamina*, articulos, vertebras dorsi.

414. *Cordis fibras*, dictum simpliciter pro corde. Proprie *fibræ* sunt extremitates alicujus rei. Serv. ad Virgil. Georg. I, 120.

415. *Spatium non invenit ira.* Ovid. Met. III, 237. Idem plane, quod sequitur: *Nec locus est odiis.*

416, 417. *Consumpto funere* explicatur per : *sparsum per tela cadaver*. Cæterum *funus* sæpe pro *cadavere* poni, notum est.—*Sparsum per tela*, id est, minutatim in frusta oculis vix animadvertenda dispersum per tot militum tela. Lucan. II, 119.

418, 420. *Mons Aonius*, Cithæron.—*Penthea.* Tristem ejus necem narrat Ovid. Met. III, 701 sqq. — *Mænades*, mulieres Bacchi sacra celebrantes. — *Actæona.* Notus ille est ex Ovid. Met. III, 174 sqq.— *Mutatum cornu* dictum pro : in cervum mutatum. — *Insanis Molossis*, canibus venaticis in furorem actis. *Molossi* canes proprie vocabantur ex Epiro, robore insignes, non minus ad venationem quam ad gre-

Criminibusne tuis credis, Fortuna, mederi?
Et male donatum speras æquare favorem
Suppliciis? una tot millia morte rependi?
Eversis agedum Rufinum divide terris,
Da caput Odrysiis, truncum mereantur Achivi.
Quid reliquis dabitur? nec singula membra peremptis
Sufficiunt populis: vacuo plebs obvia muro,
Jam secura, fluit; senibus non obstitit ætas,
Virginibusve pudor; viduæ, quibus ille maritos
Abstulit, orbatæque ruunt ad gaudia matres,
Insultantque alacres: laceros juvat ire per artus,
Pressaque calcato vestigia sanguine tingi.
Nec minus assiduis flagrant elidere saxis
Prodigiale caput, quod jam de cuspide summa
Nutabat, digna rediens ad mœnia pompa.

gum custodiam idonei. Sil. Italic. II, 684.

421. *Criminibusne..... mederi.* Id est, crimina tua recte factis adeo compensare, ut plane infecta videri possint.

422. *Donatum*, scilicet Rufino.

423. *Tot millia*, scilicet supplicia, quibus immeritos per Rufinum afflixisti, seu tot millia hominum neci data. — *Rependis*, Virgil. Æn. I, 239.

425. *Odrysiis*, Thracibus. Negat omnino poeta, pœnam æqualem esse maleficiis. Ne totis quidem populis, ait, posse satisfieri, si unum cuique illorum membrum Rufini assignetur, nedum singulis hominibus, quos perdidit.

427. Plebs jam metu liberata ex urbe effunditur, cruentoque illo spectaculo gaudet. — *Vacuo.* Odio in tyrannum, vindictæque gratia omnes urbem reliquerant.

428. *Fluit*, ut ῥεῖν, ἐπιῤῥεῖν, solemne de magna turba. Virgil. Æn. XI, 236.

430, 431. *Gaudia*, læta spectacula lacerati Rufini. — *Insultant*, calcant membra lacerata. — *Laceros.* Burmanno arridet *vacuos*, id est, exsangues. Laudat Stat. Theb. IX, 47; Lucan. III, 643.

434. *Prodigiale caput*, id est, caput hominis, qui prodigii et portenti instar fuit. Dominatio vel immanissima id genus vindictæ excusare non potest, in quo describendo poeta tantopere sibi placere videtur.

435. Mos hastis affigendi capita hostium, antiquus erat, Virg. Æn. IX, 465, et frequens inter civiles turbas. Cic. Philipp. 11. Sueton. August. 13; Galb. 20; Lucan. II, 160; IX, 137; Sil. Ital. XVII, 309. — *Nutabat;* caput præfixum in summa cuspidis parte nutabat.

Dextera quin etiam ludo concessa vagatur
Æra petens, fraudesque animi persolvit avari
Terribili lucro, vivosque imitata retentus
Cogitur adductis digitos inflectere nervis.
Desinat elatis quisquam confidere rebus,
Instabilesque deos, ac lubrica numina discat.
Illa manus, quæ sceptra sibi gestanda parabat,
Cujus se toties submisit ad oscula supplex
Nobilitas, inhumata diu, miseroque revulsa
Corpore, feralem quæstum post fata poposcit.
Aspiciat quisquis nimium sublata secundis
Colla gerit: triviis calcandus spargitur ecce,
Qui sibi pyramidas, qui non cedentia templis
Ornatura suos exstruxit culmina manes;
Et, qui Sidonio velari credidit ostro,
Nudus pascit aves: jacet en, qui possidet orbem,
Exiguæ telluris inops, et pulvere raro

436—439. *Dextra...... vagatur.* Dextra abscissa per vias urbis circumlata est, ut ostiatim mendicaret post mortem, qui vivus homines argento emunxerat. Idem commemorat Zosim. V, 7; Philostorg. XI, 3, et Hieronymus, Epist. 3, totidem fere verbis: « Rufini caput pilo Constantinopolim gestatum est; et abscissa manus dextra, ad dedecus insatiabilis avaritiæ, ostiatim stipem mendicavit. »

438. *Vivos retentus*, id est, tenacitatem earum et rapacitatem.

439. *Adductis nervis.* Cava manus pingitur, qualem faciunt mendicantes. Huc pertinet Sueton. August. 91: « Ex nocturno visu etiam stipem quotannis die certo emendicabat a populo, cavam manum asses porrigentibus præbens. »

440—453. Poeta mouet, ne quis fortuna nimis favente superbiat, quum ea sit instabilis, sæpeque soleat statim affligere, quos extulerit, quemadmodum Rufini fata doceant.

440, 441. *Elatis*, nimium secundis. — *Instabiles deos et lubrica numina* fortunæ indicant mobilitatem.

443. *Submisit ad oscula.* Obsequii hoc signum est. Lucan. II, 113 sq. Ruperti ad Sil. Italic. XVII, 183.

445. *Feralem quæstum*, stipem tristem. Supra v. 438, *Terribili lucro.*

448. *Pyramidas.* Exstructæ erant *Pyramidæ*, ut regum cadavera in illis conderentur. Pompon. Mel. I, 5; Plin. Histor. Nat. XXXVI, cap. 12; Lucan. VIII, 696 sqq.

449. *Culmina*, monumenta superba.

Per partes tegitur, nusquam totiesque sepultus.
Senserunt convexa necem, tellusque nefandum
Amolitur onus: jam respirantibus astris,
Infernos gravat Umbra lacus: pater Æacus horret;
Intrantemque etiam latratu Cerberus urget.
Tunc Animæ, quas ille fero sub jure peremit,

453. *Per partes.* Conf. Oudendorp. ad Lucan. II, 58.—*Nusquam totiesque.* Solito acumine. Quia enim partes Rufini dispersæ pulvere raro erant tectæ, nusquam plane sepultus, et toties sepultus poterat dici.

454 sqq. Poeta non satis habet, Rufini supplicium crudelissimum immanemque ejus lacerationem accurate descripsisse, ubi rebus aliunde acceptis verba tantum et dictionem accommodare poterat, ideoque minus poetæ officio fungi: prosequitur etiam eumdem ad inferos, ut quantum quidem in ipso est, pœnis quoque post mortem in æternum duraturis, Stilichonis vindictæ consulat, et sic pro virili, inimicum ejus acerrimum ultus esse videri possit. Deducit igitur Rufinum ad Orcum, arripitque occasionem sibi oblatam locorum inferorum adumbratione, quæ inter gravissima epici carminis ornamenta censetur, et apud epicos etiam semper fere occurrit, carmen suum exornandi. Ibi illum, quum scelera ejus adeo manifesta essent, ut quæstione nihil esset opus, indicta causa damnatum, et gravissimis suppliciis affectum inducit.

454, 455. *Senserunt convexa necem.* Cælum et terra ægre Rufini scelera aspexerant, gaudebantque monstro illo sublato. *Senserunt*, gavisa sunt cæde.— *Amolitur onus*, abjicit onus intolerandum, dum umbra ejus ad inferos defertur. Lucan. V, 355. — *Respirantibus*, contaminata quasi antea erant monstri aspectu, seu halitu, nunc remoto illo allevata sibi videntur.

456. *Gravat lacus*, id est, cymbam Charontis gravat, qua per lacus vehitur. Virgil. Æneid. VI, 413.— *Horret*, non timet, sed adspectu monstri illius subito perculsus est. —*Æacus.* Antiqui judices apud inferos erant Minos et Rhadamanthus, quibus posteriores Æacum adjunxerunt. Homer. Minoem θεμιστεύοντα dicit inter mortuorum animas, Rhadamanthum vero in Elysiis versantem. Odyss. δ, 564. Virgilius in primo septo Minoem (Æn. VI, 432), in Tartaro Rhadamanthum ponit (VI, 567). Conf. Heyne in excursu XI, ad Virgil. Æneid. VI. Noster aliam rationem sequitur: quas partes Æaco tribuerit, non liquet; est fortasse πυλωρεῖς, portæ infernalis custos, τὰς κλεῖς τοῦ ᾅδου φυλάττων. Lucian. Dial. Mort. XX, 1, p. 413; ibi vid. Hemsterh. Necyomant. 8, pag. 467; Catapl. seu Tyrann. 4, pag. 624 sq. tom. I, ed. Reiz.

457. *Cerberus.* Virg. Æneid. VI, 417 sqq. Horat. Od. III, 11, 15 sqq. Senec. Hercul. Fur. 387 sqq.

458. *Fero sub jure*, injuria, crudeliter. Res inde ducta videtur, quod olim arbitrabantur, interfecto-

Circumstant, nigrique trahunt ad judicis urnam
Infesto fremitu: veluti pastoris in ora
Commotæ glomerantur apes, qui dulcia raptu
Mella trahit, pennasque cient, et spicula tendunt,
Et tenuis saxi per propugnacula cinctæ
Rimosam patriam, dilectaque pumicis antra
Defendunt, pronoque favos examine velant.

Est locus, infaustis quo conciliantur in unum
Cocytos Phlegethonque vadis, inamœnus uterque
Alveus: hic volvit lacrimas; hic igne redundat.
Turris per geminos flammis vicinior amnes

rum animas eos hostiliter persequi, quorum scelere perierant. Drakenborck. ad Sil. Italic. II, 703 sqq. Conf. Lucian. Dial. Mort. XIII, 6, pag. 394, tom. I.

459. *Urnam*, cujus usus erat in sortiendis judicibus, in quam etiam tabellæ judicum, quibus sententias ferebant, conjiciebautur. Propert. IV, 11, 49. Omnia hæc ex judiciis Romanorum publicis adumbrata sunt. In causa capitali prætor, cui obtigit ea quæstio, sedet judex quæstionis. Assident judices selecti a judice quæstionis ex judicum decuriis sorte constituti. Vid. Heyne loco citato.

460. *Veluti pastoris*. Compara Stat. Theb. X, 574 sqq.

461, 462. *Raptu trahit* pro: rapit. — *Pennas cient*, alas movent. Virg. Georg. IV, 73 sq.

463. *Per propugnacula cinctæ*, armatæ per propugnacula.

464. *Rimosam patriam* explicant sequentia, *pumicis antra*.

465. *Prono*, prompto ad ferendum auxilium. — *Velant*. Heinsius conj. *vallant*, quod sane aptius videtur.

466. Hæc, quæ sequuntur, adumbrata sunt ex Homer. Odyss. κ, 512 sqq. et Virg. Æn. VI, 548 sqq.

467. *Cocytos*; ἀπὸ τοῦ κωκύειν, gemere.

468. *Hic volvit*, etc. Ex etymo cujusque fluminis hæc addita sunt, κωκύειν, φλέγειν. Cf. Sil. Ital. XIII, 563 sqq. Stat. Theb. VIII, 29 sq.

469. *Flammis vicinior*. Num Phlegethonti vicinior? Quomodo autem turris Phlegethonti vicinior dici potest, quum hunc fluvium non magis quam Cocytum attingat? Hanc difficultatem nemo interpretum, quod equidem sciam, removit; nec sane, si verba intacta relinquis, removeri posse videtur. Vel in *vicinior*, vel in *flammis* lateat necesse est vitium, quanquam in codd. MSS nulla sit varietas. Si conjecturæ locus est, legam *saxis vicinior*, id est, turris, quæ magis saxi speciem habet quam ædificii. Homer. Odyss. κ, 515:

Πέτρη τε ξύνεσίς τε δύω ποταμῶν
ἐριδούπων.

— *Per amnes*, ita ut ex utraque parte amnibus inædificata sit.

Porrigitur, solidoque rigens adamante sinistrum
Proluit igne latus; dextra Cocytia findit
Æquora, triste gemens, et fletu concita plangit.
Huc post emeritam mortalia sæcula vitam
Deveniunt: ibi nulla manent discrimina fati,
Nullus honos, vanoque exutum nomine Regem
Proturbat plebeius egens. Quæsitor in alto
Conspicuus solio prætentat crimina Minos,
Et justis dirimit sontes: quos nolle fateri
Viderit, ad rigidi transmittit verbera fratris.

470. *Porrigitur,* scilicet ex utraque parte in amnes.—*Solido rigens adamante.* Virgil. Æn. VI, 552 sq. Ἀδάμας, ferrum durissimum. Jani ad Horat. Od. I, 6, 13; Hesiod. Theog. 188. Hujus sæpe mentio fit in murorum et turrium descriptionibus, quia saxa et lapides ferreis uncis juncti esse solent. Hoc non officere conjecturæ in versu præcedente, unusquisque concedet; hic enim de natura et firmitate, illic de figura et specie turris sermo est.

471. *Proluit igne latus* cum delectu pro: proluendum præbet latus, a Phlegethonte alluitur. — *Dextra,* scilicet parte. — *Findit,* quatenus in Cocytum porrigitur.—*Fletu concita,* id est, ab undis Cocyti pulsa, dum resistit, et excipit ejus fluctus.

473. *Sæcula,* homines, ut infra XXXV, 311. — *Emeritam,* peractam. Ovid. Trist. IV, 8, 21. De stipendiis sumptum.

474. *Discrimina fati* ea sunt, quæ a fato pendent.

475. *Vanoque exutum nomine,* tanquam fabulæ actorem, qui regis partes sustinuerat, scena relicta.

476. *Proturbat,* propellit, ut locum sibi faciat. — *Quæsitor.* Vid. supra ad 456. Conf. Senec. Hercul. Fur. 731 sqq.

477. *Prætentat,* id est, ante explorat: vulg. *pertentat.* Minos nempe, ut a Virgilio, sic a Nostro judex seu magistratus constitutus est, qui crimina exploret, quique causa dicta et sententiis judicum latis pœnam ex legibus constituat. Hic a *justis* statim dirimit sontes; illos in Elysium mittit, hos Rhadamantho tradit puniendos, qui triumvirorum capitalium more sententias Minois exsequitur, eosque, qui nolunt crimina sua fateri, tormentis coercet; Virgil. Æn. VI, 655 sqq. — *Prætentare* is præcipue dicitur, qui manu et baculo iter explorat. Ovid. Metam. XIV, 189; deinde quoque simpliciter ponitur, pro explorare. Ovid. Metam. IX, 687 sq.

Ante erat ambiguis animi sententia dictis
Prætentanda mihi.

Nescio igitur, cur Burmanno hoc displicuerit, curque *perpensat* proposuerit, quod procul dubio vulgarius est.

479. *Fratris* Rhadamanthi. Propert. IV, 11, 21; Stat. Theb. VIII, 27. Nempe Jovis ex Europa filius, sicut et Minos, esse perhibetur.

Nam juxta Rhadamanthus agit: quum gesta superni
Curriculi, totosque diu perspexerit actus,
Exæquat damnum meritis, et muta ferarum
Cogit vincla pati: truculentos ingerit ursis,
Prædonesque lupis; fallaces vulpibus addit.
At qui desidia semper vinoque gravatus,
Indulgens Veneri voluit torpescere luxu,
Hunc suis immundi pingues detrudit in artus.
Qui justo plus esse loquax, arcanaque suevit
Prodere, piscosas fertur victurus in undas,
Ut nimiam pensent æterna silentia vocem.
Quos ubi per varias, annis ter mille, figuras
Egit Lethæo purgatos flumine, tandem
Rursus ad humanæ revocat primordia formæ.
  Tum quoque, dum lites, Stygiique negotia solvit

480. *Curriculi*, vitæ. Virgil. Æn. IV, 653.

482, 483. *Muta ferarum vincla*, id est, corpora mutorum animantium, quibus, tanquam carceri, includuntur. Hoc ex antiquis Pythagoreorum somniis petitum. Conf. Ovid. Metam. XV, 165 sqq. Lucan. VI, 719 sqq.

484. *Addit*, indit, inserit. Vid. Gesnerum in Lexico rustico scriptoribus R. R. adjuncto.

486. Versum intrusum Heinsius esse arbitratur; nec sane sequentibus convenire videtur.

489. *Piscosas fertur in undas*, id est, in piscem mutatur.

490. *Pensent*, compensent.

491. *Quos ubi*, etc. Compara Virgil. Æneid. VI, 748 sqq. Sil. Italic. XIII, 558 sqq.—*Per varias figuras*, id est, ubi ex aliis in alias figuras animantium migravit. — *Ter mille annos*, ex Ægyptorum forsan dogmatibus Herodot. II, 123. Virgilius, qui Platonem secutus est (de Rep. X, pag. 761, edit. Frankof.), habet *mille annos*. Sil. Italic. loc. cit. mutavit illos in *mille lustra*.

492. *Lethæo purgatos flumine*, quo flumine purgatio animorum finitur. De his omnibus vid. Heyne in excursu XIII, ad Virgil. loc. cit.

493. *Ad humanæ primordia formæ*, id est, ad pristinam formam humanam.

494. *Tum quoque*. Narratio adventus Rufini inferorum locorum descriptione interrupta erat, nunc vero Noster pergit. Æacus cum horrore Rufinum aspicit, Cerberus eum allatrat, Umbræ occisorum ad judicium eum compellunt. — *Tum quoque, dum lites...solvit*, causas reorum cognoscit atque dijudicat. — *Negotia dura Stygii fori* est litium circumscriptio, aut potius officii

Dura fori, veteresque reos ex ordine quærit,
Rufinum procul ecce notat, visuque severo
Lustrat, et ex imo concussa sede profatur:
« Huc superum labes, huc insatiabilis auri
Proluvies, pretioque nihil non ause parato,
Quodque mihi summum scelus est, huc improbe legum
Venditor, Arctoi stimulator perfide Martis,
Cujus ob innumeras strages angustus Averni
Jam sinus, et plena lassatur portitor alno.
Quid demens manifesta negas? en pectus inustæ
Deformant maculæ, vitiisque inolevit imago,
Nec sese commissa tegunt. Genus omne dolorum

judicis. — *Negotia... Dura*, severa.

495. *Quærit reos.* Usitatius est: de reis. — *Ex ordine*, ut quisque appulerat, ordine temporis.

496. *Notat*, agnoscit. Cæterum Rufini crimina et maleficia iam nota erant, ut eorum cognitione et exploratione opus non esset; quare judex ad dicendam sententiam, vel causa indicta, procedit.

497. *Lustrat*, diu in illo monstro singulari hæret. — *Ex ima concussa sede.* Horrore nempe et indignatione Minos maxima sedem concusserat.

498. *Huc*, scilicet accede.—*Superum labes*, id est, opprobrium hominum, portentum humani generis. Sil. Ital. XIII, 17. Alio sensu iisdem verbis utitur Stat. Theb. VIII, 34.

499. *Proluvies*, est alvi egestio, et ipsa alvus soluta. Columell. XII, 38, 1. Is designatur, qui omnia devorat, parum digerit, citoque egerit: quare factum puto, ut illa *proluvies* Harpyis attributa sit. Virg. Æneid. III, 217.

500. *Quodque mihi summum erat.* Bene ex persona Minois qui justitia et æquitate insignis, ob eamque rem judex inferorum constitutus est. Magna sane malorum pars istis temporibus ex illo fonte profluxit, ut in bellis civilibus Virgilii ætate; quare ille quoque hujus rei meminit, Æneid. VI, 618 sqq.

501. *Arctoi Martis.* Vid. supra ad v. 36.

503. *Et plena lassatur portitar alno.* Petron. 122:

.... Vix navita Porthmeus
Sufficiet simulacra virum traducere cymba.

Cf. Lucan. III, 16 sq. Φησὶ γοῦν ὁ πορθμεὺς μὴ διαρκέσαι αὐτοῖς τότε τὸ σκάφος, ἀλλά σχεδίας διαπηξαμένους τοὺς πολλοὺς αὐτῶν διαπλεῦσαι. Lucian. Dial. Mort. XII, 5, p. 386 sq. tom. I, ed. Reiz.

505. *Defarmant maculæ.* Lucian. Catapl. seu Tyrann. 24, tom. I, pag. 645, ed. Reiz. Ὁπόσα ἄν τις ὑμῶν πονηρὰ ἐργάσηται παρὰ τὸν βίον, καθ᾽ ἕκαστον αὐτῶν ἀφανῆ στίγματα ἐπὶ τῆς ψυχῆς περιφέρει. Sic Rhadamanthus ibi contra Cyniscum lo-

In te ferre lubet: dubio tibi pendula rupes
Immineat lapsu: volucer te torqueat axis:
Te refugi fallant latices, atque ore natanti
Arescat decepta sitis; dapibusque relictis
In tua mansurus migret præcordia vultur.
Quanquam omnes alii, quos hæc tormenta fatigant,
Pars quota sint, Rufine, tui? quid tale vel audax
Fulmine Salmoneus, vel lingua Tantalus egit,
Aut inconcesso Tityos deliquit amore?
Cunctorum si facta simul jungantur in unum,
Præcedes numero: cui tanta piacula quisquam
Supplicio conferre valet? quid denique dignum

quitur. Cf. Platon. in Gorg. t. IV, pag. 167, ed. Bipont.; Plutarch. de sera Numin. Vind. tom. X, p. 270 sqq. ed. Hutt. et quæ docte disputavit Doering ad Catullum, LVII, 3 sq. — *Vitiis inolevit imago.* Ex consuetudine sua Noster, quæ semel dixerat, alia ratione efferendo iterat. Illas *maculas*, κηλῖδας, στίγματα, nunc vocat imaginem. Hanc dicit *inolevisse vitiis*, id est, vitia tua notam indelebilem et in oculos incurrentem, umbræ tuæ impresserunt, ex qua fœditas naturæ statim ita apparet, ut nulla arte possit dissimulari. Ante oculos habuit Virgil. Æn. VI, 737 sq. Heinsius mavult *vitiique.*

507. *In te ferre* pro: conferre in te. — *Pendula rupes.* Respexit Virgil. loc. cit. 601 sqq. qui Ixionem et Pirithoum epulis assidentes finxit, et supra caput eorum rupem ruinas minantem. Alii alios hoc modo mulcatos retulerunt, quos recenset ad Virgil. loc. cit. Heyne.

508. *Volucer axis.* Ixionis rotam intelligit, cui alligatus circumagitur. Ovid. Metam. IV, 160; in Ib. 176; Virgil. Georg. IV, 484; ibi Heyne.

509. *Refugi latices*, scilicet Tantali. Homer. Odyss. λ, 581 sqq.; Ovid. Met. IV, 557 sqq. Ubertate fastidiosa hæc exposita sunt Senec. Thyest. 152 sqq.

511. *In tua vultur,* etc. Homer. loco citato, 575 sqq. Lucret. III, 897 sqq. Virgil. loc. cit. 595 sqq. Est vultur *Tityi.*

513. *Pars quota sunt...... tui.* Id est, partem quotam tuorum scelerum illi commiserunt?

514. *Salmoneus*, Æoli filius. Manil. V, 91 sqq. Virgil. loco citato, 585 sq. ibi vid. Heyne, et eumdem in excursu XII; Apollod. I, 9, 7. — *Lingua.* A diis epulis adhibitus Tantalus non dicenda evulgaverat. Vid. Jani ad Horat. Od. I, 28, 7 sq.

515. *Inconcesso amore.* Latonæ enim vim inferre voluit Tityos, ob eamque rem ab Apolline et Diana telis confixus est. Apollod. I, 4, 1.

517, 518. *Cui tanta piacula..... conferre valet.* Sensus: Cuinam sup-

Omnibus inveniam, vincant quum singula pœnas?
Tollite de mediis animarum dedecus umbris.
Aspexisse sat est: oculis jam parcite nostris,
Et Ditis purgate domos: agitate flagellis
Trans Styga, trans Erebum: vacuo mandate barathro
Infra Titanum tenebras, infraque recessus
Tartareos, nostrumque Chaos, qua noctis opacæ
Fundamenta latent, penitusque immersus anhelet,
Dum rotet astra polus, feriant dum litora venti.»

plicio tanta commissa, seu scelera quisquam comparare potest; seu quod esse potest supplicium satis magnum, quo tanta scelera puniri queant.

520. *Animarum dedecus*, nunc sic vocatur, apud inferos quum sit; supra v. 498, erat *superum labes*.

521. *Parcite*, scilicet abigendo illud monstrum.

524—526. *Recessus Tartareos.* Homer. Il. Θ, 15 sqq. — *Nostrumque Chaos.* Burmann. conj. *vastum*, quod non displicet. Cod. Reg. *dirumque*. Conf. Valer. Flacc. I, 831 sq.

....Qua noctis opacæ
Fundamenta jacent.

— *Nox*, hoc loco pro locis inferis. Sil. Italic. XIII, 708. Sensus igitur est: in imo fundo, cui inferorum loca superstructa sunt. Accommodate huic loco dixit *latent* pro: sunt.

VI.

CL. CLAUDIANI

DE TERTIO CONSULATU

HONORII AUGUSTI

PRÆFATIO.

ARGUMENTUM.

Sententia, quam poeta exornatam copiose extulit, hæc est : Ut aquila pullos suos solis radiis explorat, et non nisi probatos alit, ut olim Jovi ministrent : sic Roma me exploratum et probatum poetam Honorio misit, ut ejus aures cantu demulceam.

PARVOS non aquilis fas est educere fetus
Ante fidem Solis, judiciumque poli.

1. Hac de aquilis observatione plures usi sunt. Comparari cum Nostro possunt Horat. Od. IV, 4, 1 sqq. Valer. Flacc. VII, 375 sqq. Luc. IX, 902 sqq. Sil. Italic. X, 107 sqq. Cóf. Aristotel. H. Anim. IX, 34 et 45; Ælian. H. Anim. II, 26; Plin. Hist. Nat. X, 3, qui postremus tamen de Haliæeto tantum, certo aquilarum genere, hæc narrat. — *Non fas est*, non licet illis per suam naturam, *educere*, educare.

2. *Ante fidem Solis*, id est, antequam Sol fidem suam quasi interposuerit, pullos fore generosos; ante argumentum generositatis, e solis aspectu captum. Rationem enim, qua aquila pullorum generositatem explorare dicitur, ita ex-

Nam pater, excusso saliit quum tegmine proles,
  Ovaque maternus rupit hiulca tepor;
Protinus implumes convertit ad æthera nidos,
  Et recto flammas imperat ore pati:
Consulit ardentes radios, et luce magistra
  Natorum vires ingeniumque probat.
Degeneres refugo torsit qui lumine visus,
  Unguibus hunc sævis ira paterna ferit:
Exploratores oculis qui pertulit ignes,
  Sustinuitque acie nobiliore diem,
Nutritur volucrumque potens et fulminis hæres,
  Gesturus summo tela trisulca Jovi.
Me quoque Pieriis tentatum sæpius antris

primit poeta, quasi aquila radios solis consulat, au educandi laborem pulli mereantur; conf. infra 7. Hanc *solis fidem* vocat quoque, eadem re aliter enunciata, *judicium poli*, id est, cæli, quo additamento, id quod cum Gesnero fatemur, nihil opus fuisset. Verum pertinet hoc et innumera alia ad luxuriem nostri poetæ non satis castigatam.

3. *Excusso tegmine*, pro: exuto tegmine; Valer. Flacc. II, 398, ubi vid. Burmann.

4. *Ova hiulca* sunt ova, quæ rimas duxerunt. Hoc fit autem non tepore, sed rostri ictibus seu matris, seu pulli. Cæterum, quod prius natura est, posteriore loco posuit poeta.

5. *Nidos*, pullos, qua metonymia poetæ sæpe usi sunt; Virg. Georg. IV, 17; Æn. XII, 475; Senec. Hercul. Fur. 146 sqq.

6. *Flammas*, solis radios, *recto ore pati*, oculis rectis intueri.

7, 8. *Consulit ardentes radios*, sc. de pullorum generositate; v. supra ad v. 2. — *Luce magistra*, radiis solis docentibus, seu prout illi de prole judicant, ipsa quoque de viribus et ingenio eorum judicium fert, aut de iis existimat.

9, 10. *Degeneres visus. Visus*, oculi; pulli virtutes sui generis non retinentes, qui solis radios reformidant. — *Torsit*, vertit; sed ad vim τοῦ *avertit* exprimendam, adjecit *lumine refugo*.

11, 12. *Exploratores* sc. generositatis pullorum. — *Nobiliore*, generosiore. — *Diem*, solem.

13, 14. *Volucrumque potens*, id est, rex volucrum, Virgil. Æn. I, 80; Horat. Od. IV, 4, 2 sq. Plin. H. N. lib. X, cap. 74. — *Gesturus* etc. Quum sola supra nubes volans aquila fulmine perenti non putaretur, idcirco fulmina Jovis portare existimabatur; Heins. ad Ovid. Met. X, 158; Plin. H. N. X, 3, ext. — *Tela trisulca*, ut *ignes trisulci* Ovid. Met. II, 848 sq. fulmen.

15, 16. *Pieriis tentatum antris*. Solito poetarum phantasmate ex-

Audet magna suo mittere Roma deo.
Jam dominas aures, jam regia tecta meremur,
Et chelys Augusto judice nostra sonat.

pressum, quo se in Musarum sedibus versari fingunt, dum carmina meditantur seu componunt. Conf. Propert. III, 1, 5 sq. et 2, 1 sq. Jani ad Horat. Od. II, 1, 39, et III, 41, 40, et 25, 4 sq.—*Magna Roma*, ut Horat. Sat. I, 5, 1; h. l. rerum potens. — *Suo deo*, Honorio Augusto. Munus enim gratulandi Principi injunctum erat Claudiano a senatu.

17, 18. *Dominas* pro: domini. — *Meremur*. Sensus: jam consecuti sumus, ut princeps in regia nos canentes audiat. — *Chelys*, χέλυς, cithara, lyra.

VII.

CL. CLAUDIANI

DE TERTIO CONSULATU

HONORII AUGUSTI

PANEGYRIS.

ARGUMENTUM.

Poeta optat, ut annus, quo Honorius tertium consulatum suscepit, felicior sit, rationeque solenniori, rebus et tempori accommodata celebretur; 1—6. Ad Honorium deinde ipsum se convertit, eumque hortatur, ut more consueto munus illud adeat; 7—9. Tum ad laudes ejus persequendas se accingit. A rege eum dicit susceptum, et statim in castra delatum esse, ejusque natales gentes barbaras exhorruisse; 10—21. Deinde exponit, quomodo inter arma infantiam consumpserit, quæque pater pro futura felicitate filii precatus sit; porro, quomodo puer corpus exercuerit ad labores militares ferendos, temporisque injurias tolerandas; quomodo rebus gestis majorum a patre ad virtutem excitatus sit; 22—62. Procedit tum ad bella contra Arbogastem et Eugenium, ad quæ proficiscendi Honorius cupidissimus fuerit; patrem tamen noluisse filium belli periculis exponere, Augustique nomen et honores ei decrevisse; 63—87. Quamvis autem armis non pugnaverit, felicitate tamen ejus locorum difficultates superatas, hostiumque exercitus procellis obrutos fuisse; 88—101. Arbogaste et Eugenio interfectis, libertateque recuperata, Theodosium se noluisse cælo reddere, donec totus terrarum

orbis pacatus filio tradi posset; 102—110. Statim Honorium profectum esse ex Thracia, per Thessaliam et Epirum, in Italiam, natura ipsa ejus adventum celebrante; 111—125. Omnes tunc videndi juvenem studio convolasse, atque, ut deum aliquem, admiratos esse eodem curru cum patre per Urbem vectum; 126—141. Ut ventum esset ad palatium, arbitris remotis, Theodosium Stilichoni, cujus præcipue opera bella confecta hostesque superati essent, duorum filiorum tutelam tradidisse; 142—162. Quo facto, eum in stellam esse mutatum; 163—174. Laudibus tandem poeta patrem prosequitur, felicitatemque ejus prædicat; quippe qui, et oriens et occidens, filiorum imperia adspiciat, æquitate sua aureum seculum reducentium, vitiaque exstirpantium, in quorum opibus augendis vel dii ipsi occupati sint; 175—199. Tandem quasi vaticinans, belli gloriam illorum futuram canit, eosque ad arma contra gentes adhuc invictas capienda, felici successu proposito, adhortatur.

TERTIA Romulei sumant exordia fasces,
Terque suas ducat bellatrix pompa curules:
Festior annus eat, cinctusque imitata Gabinos,

Recitata est hæc panegyris a Claudiano, coram ipso Principe, in palatio Mediolanensi A. C. 396, A. U. 1148, secundum fastos Relandi.

1. *Romulei fasces.* Ab Hetruscis *fasces* vel Romulus adsumpsit, vel Tarquinius Priscus; Dionys. Halic. III, 61; Liv. I, 8; Flor. I, 5; Sallust. Catil. 51. Conf. Sil. Italic. VIII, 484 sq. h. l. pro consulatu positi sunt, cujus insigne fuerunt. — *Sumant exordia*, annum aperiant, ut idem exprimit Stat. Silv. IV, 1, 2.

2. *Terque* h. l. pro : tertium. —*Bellatrix pompa.* Burmannus, cui non convenire videtur epithet. *bellatrix* cinctui Gabino, *bellatrix Roma* præfert. Minus bene. De pompa consulari in universum sermo non est, sed de militum stipatione, quæ locum tantum habebat, quando Princeps consul factus esset. Huc pertinet *bellatrix pompa*, id est, militum consectatio, non civium, ut apud cæteros consules.—*Suas.* Quandoquidem eorum Imperator consul erat. Forsan etiam *Romulei fasces* consulatum Principis designant.— *Curules* sc. sellas. Hæ sellæ erant ex ebore artificiose cælato; Ov. ex Pont. IV, 5, 18, et 9, 27. Cf. Scheffer. de Re vehic. II, 16.

3. *Festior annus eat;* cf. Stat. Silv. l. c. 23 sqq.—*Ire* sæpe usurpatur de temporis lapsu; Tibull. III, 4, 54; Horat. Od. IV, 5, 7.

Dives Hydaspeis augescat purpura gemmis:
Succedant armis trabeæ; tentoria lictor

— *Cinctus Gabinos.* Non proprie dixisse poetam putat Gesnerus; illum enim cinctum caput lacinia togæ velare, togamque ipsam arctius corpori applicare et adstringere, Liv. VIII, 9; Serv. ad Virg. Æn. V, 755; contra nudo capite esse consules in pompa. Quam ob rem existimat, h. l. intelligi debere *lorum*, τὸν λῶρον, consularem et imperatorium. Hunc autem describit Rubenius de Re vest. V, 13: « Lorum igitur hoc, quod imperiale collum solet circumdare, fascia erat auro gemmisque distincta, quæ utrique humero fuit imposita, deinde in pectore crucis signum exprimebat, ut analabus antiquorum monachorum, et stola nostrorum sacerdotum. » Hoc *loro*, adfirmat Gesnerus, usos esse Imperatores a Constantino inde. Probabile autem est, capitis velationem ad cinctum Gabinum non pertinuisse; nam neque Isidorus, XIX, 24, neque Servius ipse ad Virgil. Æn. VII, 612 (cf. Schol. ad Lucan. I, 596), de capite velato loquitur; neque ex Livio l. c. probabile est, Decium capite toga velato in equum insiliisse, atque in medios hostes se præcipitasse. Cic. de Divinat. I, 24: « Post triennium autem, quum consul esset (Decius), devovit se, et in aciem Latinorum irrupit armatus. » Resque ipsa, ex qua ortus ille cinctus dicitur, quamque Servius exponit, de capite toga velato non sinit cogitare. Capitis igitur velatio potius ad devotionis ritum spectasse videtur, ut in aliis quoque rebus sacris illa in more fuit, et cum cinctu Gabino ibi fuisse conjunctum. Cinctum autem illum non proprie intelligi debere, indicat fortasse jam *imitata;* eumdemque non meram togæ complicationem seu adstrictionem fuisse, sed vestimenti genus, quo toga quasi cingeretur, plura loca declarant. Prudent. περὶ στεφάνων X, 1015: *Cinctu Gabino sericam fultus togam.* Noster infra XVIII, 300 sqq.:

Quum tenderet artus
Exsangues onerare togæ, cinctuque gravatus,
Indutoque senex obscœnior iret in auro.

Cf. XXII, 331 sqq., et XXVIII, 561. Quale autem vestimenti genus fuerit, nunc vix ad liquidum perduci potest. De *loro* dubito, quandoquidem illud collo circumdabatur.

4. *Purpura*, prætexta, ut recte explicat Schwarz. ad Plin. Panegyr. 59. Cf. Ovid. Fast. I, 81 sq. Stat. Silv. IV, 1, 21 sq. — *Augescat*, augustior reddatur; infra XXII, 99; cf. Stat. Theb. VI, 74. — *Hydaspeis gemmis.* Apud Senec. Med. 725, Hydaspes *gemmifer* vocatur. Gemmis atque margaritis se exornare, apud Persas præcipue, more erat receptum; v. Ammian. Marcell. XXIII, 6.

5. *Succedant armis trabeæ*, id est, post res bello gestas Honorius consulatum accipiat, et respublica, armis defensa, nunc consulari auctoritate regatur. *Trabeæ;* v. supra ad I, 178. — *Lictor*, consularis imperii antiquus minister, neque in pugnæ

Ambiat, et Latiæ redeant ad signa secures.
Tuque, o, qui patrium curis æqualibus orbem
Eoo cum fratre regis, procede secundis
Alitibus, Phœbique novos ordire meatus,
Spes votumque poli, quem primo a limine vitæ
Nutrix aula fovet; strictis quem fulgida telis
Inter laurigeros aluerunt castra triumphos.
Ardua privatos nescit fortuna penates,
Et regnum cum luce dedit: cognata potestas
Excepit Tyrio venerabile pignus in ostro,

fervore a consule recedebat; Sil. Italic. IX, 421; apud Liv. XLV, 39, *paludati* vocantur. Cf. Ruperti ad Sil. Italic. IV, 517. Sub Imperatoribus ordinarius lictorum usus in castris non videtur fuisse, nisi Imperatores consulatum gererent.

6. *Secures;* et hæ quoque, ut lictorum gestamen, indicant consulare imperium collatum esse in Imperatorem.

7. *Tuque, o.* Sic solent poetæ orationem ad personam insignem convertere. Virgil. Georg. I, 12; Valer. Flacc. I, 7; Stat. Theb. I, 22. — *Patrium orbem*, imperium romanum, quod Theodosius pater solus obtinuerat, nunc inter Arcadium et Honorium filios divisum.—*Curis æqualibus*, pari potestate.

8. *Eoo cum fratre*, Arcadio quartum consulatum in Oriente nunc gerente.

9. *Alitibus*, auspiciis. — *Novos meatus Phœbi*, novum annum.

10. *Spes votumque poli*, quod cælum sperat sibi adscriptum iri olim, idque jam vehementer cupit. Stat. Theb. I, 24 sq. — *Limine vitæ;* sic Lucan. II, 106; v. ibi Oudendorp. Cf. Stat. Silv. IV, 2, 13.

11. *Nutrix aula.* Honorius enim natus est, quum Theodosius jam esset Imperator constitutus, ideoque *aula* ejus *nutrix* vocatur. — *Strictis quem fulgida telis Inter laurigeros*, etc. Sensus: qui in castris exercitus victoris educatus est. Cf. infra v. 16, et XXVIII, 53 sqq.

13, 14. *Ardua privatos nescit*, etc. Iteratur aliis verbis aliaque ratione, quod jam v. 10 dictum erat. Vult attendi ad hanc felicitatem poeta, quam Honorius cum Arcadio non communicat. — *Privatos penates*, domum, conditionem privatam. — *Et regnum*, etc. v. infra VIII, 122 sqq.—*Cognata*, una seu tecum nata.

15. *Venerabile pignus*, te velut sacrum depositum; infra X, 307 sq. — *Excepit Tyrio in ostro.* Hoc explicare potest oratio Commodi ap. Herodian. I, 5, 14: Ἅμα τῷ τῆς γαστρὸς προελθεῖν, ἡ βασίλειος ὑπεδέξατο πορφυρίς· ὁμοῦ δέ με εἶδεν ἥλιος ἄνθρωπον καὶ βασίλεα. Barthius ad hunc locum disputat, non poetice, sed vere poetam hoc dixisse; nam morem fuisse infantes Imperatorum

Lustravitque tuos aquilis victricibus ortus
Miles, et in mediis cunabula præbuit hastis.
Te nascente, ferox toto Germania Rheno
Intremuit, movitque suas formidine silvas
Caucasus, et positis numen confessa pharetris,
Ignavas Meroe traxit de crine sagittas.

recens natos purpura principali excipere. Cf. infra VIII, 126 sqq. 139 sqq. et 157 sqq. Illi liberi, qui nascebantur patribus imperatoriam dignitatem jam obtinentibus, dicebantur *porphyrogeniti: purpurati.* cf. Buleng. de Imper. Rom. II, 8; Cangium in Gloss. Gr. sub voce πορφυρογέννητος, et in Lat. s. v. *purpuratus.* Cæterom *cognata potestas excepit*, etc. positum pro: cognata potestas fecit, ut exciperemis, etc., quod ita intelligo: ut statim indueremis, etc. Alii, ut Gesnerus et Bipont. distinguunt post *potestas* sic: *Et regnum cum luce dedit cognata potestas. Excepit Tyrio*, etc. Ego secutus sum Burmannum, quia non placuit *cognata potestas dedit cum luce regnum.* Hoc enim esset: regia dignitas cognata una cum vita tibi dedit regiam dignitatem.

16, 17. *Lustravitque tuos.... hastis.* Burmannus putat, indicari infantem, vel ejus cunas in hastis militum portatas, quum agmen duceretur; Gesnerus decursionem militum intelligit, institutam ad honorandum natalem pueri imperatorii. Equidem arbitror, poetam nihil aliud exprimere voluisse, quam Honorium inter felicis belli tumultum natum fuisse, quod boni ominis erat. Si primo ætatis anno consul fuit Honorius (vid. n. ad VIII, 154 sq.), victoria spectari potest de Gruthungis, qui Danubium transire conantes magna clade repulsi erant. Cogitari quoque potest Honorius ille parvulus in castris exercitus victricis vel versatus esse, vel in ea boni ominis causa delatus. Panegyr. Vet. I, 2, 4, *lustravit exercitus tuos ortus*, exercitus sub signis te natum circumdedit. Cf. infra VIII, 150 sqq.

Ambitur signis augustior infans.

-- *Hastis* positum pro castris, ut supra V, 162, *hastæ* pro exercitu occurrunt. Pro *præbuit hastis* Heins. conj. *præbita castris.*

18, 19. *Te nascente*, etc. Natales Honorii omnibus Barbaris ominibus portenti sunt, ipsique jam horruerunt futuram ejus magnitudinem, numenque agnoverunt. Alio modo natales Honorii insignes expressit, VIII, 141 sqq. Cf. Sidon. Apollin. Carm. II, 104 sqq.—*Toto Rheno Germania* est omnis Germania ad Rhenum, qui limes erat imperii romani. — *Movitque suas silvas.* Cf. infra XX, 171 sqq.

20, 21. *Meroe.* Vid. supra ad I, 134. Intelligendi autem sunt Æthiopes, qui capite pro pharetra utuntur sagittis in illo radiorum instar ligatis, ut narrat Lucian. de Saltat. 18, t. II, pag. 278, ed. Reiz. Cf. infra X, 222, et XLVII, 23. De Indis Prudent. Hamartig. 497 sq.

Reptasti per scuta puer, regumque recentes
Exuviæ tibi ludus erant, primusque solebas
Aspera complecti torvum post prælia patrem,
Signa triumphato quoties flexisset ab Istro,
Arctoa de strage calens, et poscere partem
De spoliis, Scythicosve arcus, aut rapta Gelonis
Cingula, vel jaculum Daci, vel frena Suevi:
Ille coruscanti clipeo te sæpe volentem
Sustulit arridens, et pectore pressit anhelo
Intrepidum ferri, galeæ nec triste timentem
Fulgur, et ad summas tendentem brachia cristas:

. . . . .Non decolor Indus
Tempora pennatis redimitus nigra sagittis.

Ex verbis ipsis *ignavas* facile explicari potest, quibus nempe Æthiopes non amplius usuri sunt contra Honorii exercitus, quum se jam victos profiteantur. Verum quid facias de *positis pharetris*, quum earum usus hoc loco nullus possit esse? Num forsan illa voce abusus est, intelligendæque sunt ligaturæ, quibus in capite sagittas radiorum instar dispositas ligabant, aut quibus illæ inserebantur? Hoc saltem ex Luciano probabile fit. Sed, qui poterant hac ratione pharetræ prius deponi, et deinde sagittæ de crine trahi? Nisi quod prius est natura, Nostrum posterius fecisse arte, ut passim, sumas, hoc indicare poetam voluisse necesse est statuas, Meroes incolas se prostravisse, et sic capitibus, quæ pharetrarum instar illis sunt, in terra positis, sagittas detraxisse.

22, 23. *Reptasti per scuta puer.* Cf. Stat. Theb. IX, 619 sq. Sidon. Apoll. Carm. II, 135 sqq. — *Regumque recentes Exuviæ tibi ludus erant*, pro: ludebas cum exuviis r. r. Sidon. Apoll. loco cit. Vocem *regum* condonemus poetæ in majus omnia augenti.

24. *Torvum*, ad habitum bellatoris spectat. Cf. supra V, 401.

25. *Signa flexisset.* Revertisset. — *Triumphato ab Istro*, Scythiæ populis devictis.

27. *Gelonis. Geloni* gens Sarmatica pertinet ad populos ultra Istrum habitantes. Ex equis pugnare solebant, Horat. Od. II, 9, 22, indeque volucres vocantur apud Luc. III, 238. Amm. Marcell. XXXI, 2: « Post quos, vicini sunt et Geloni, perquam feri, qui detractis peremptorum hostium cutibus, indumenta sibi equisque tegmina conficiunt, bellatrix genus. »

28. *Jaculum Daci.* Jaculandi arte insignis gens. Sic. Ital. I, 324 sqq. — *Frena Suevi.* De hac gente v. Tacit. de Morib. Germ. 38. Noster equestrem eorum virtutem celebrare videtur.

30. *Anhelo.* Cf. I, 117 sq.

31, 32. Audaciorem et minus timidum facit poeta Honorium,

Tum sic lætus ait : «Rex o stellantis Olympi,
Talis perdomito redeat mihi filius hoste,
Hyrcanas populatus opes, aut cæde superbus
Assyria; sic ense rubens, sic flamine crebro
Turbidus, et grato respersus pulvere belli,
Armaque gaviso referat captiva parenti.»
Mox ubi firmasti recto vestigia gressu,

quam naturæ magis accommodate Homerus finxit Astyanacta, Hectoris filium, Il. ζ, 466 sqq.

33. *Rex o stellantis*, etc. Cf. Hom. loco cit. 476 sqq. Sophocl. Ajac. 550; Virg. Æn. XII, 435; Valer. Flacc. I, 267 sq. Sil. Italic. III, 69 sqq.

34. *Talis*, ὡς καὶ ἐγώ.

35. *Cæde superbus*; sic Virg. Æn. X, 514. *Superbus* adfectum victoris exprimit; κυδιόων.

36, 37. *Ense rubens* vel pro: ense cæde rubenti, vel cruore ipso hostili conspersus, quem ensis hauserat. Utrumque tamen idem est, quod : multis hostibus cæsis. — *Flamine crebro turbidus. Flamen* pro anhelitu, ni fallor, vix occurrit. Potest igitur hoc loco esse ventus, quo turbatur præcipue, qui vehementi motu et agitatione in eo utitur, ut qui strenue pugnat, aut ducis officia sustinens modo huc, modo illuc rapido cursu fertur ad milites cohortandos. *Turbidus* ad habitum externum quoque pertinet, iracundiam vero nondum decoctam non exprimit, ut Barthius vult, neque anhelitum solum, quod probat Gesnerus. Quod si autem *flamen* pro gravi anhelitu hoc loco positum statuas, *turbidus* explices : gravi anhelitu ex motu vehementiore adhuc quassatus. Occurrit apud Virgilium, Cir. 404: *Turbati flamine venti.* Lucian. Catapl. seu Tyrann. 3, p. 623, T. I, ed. Reiz. Οὐχ ὁρᾷς δὲ καὶ τὸν Ἑρμῆν αὐτὸν ἱδρῶτι ῥεόμενον, καὶ τὼ πόδε κεκονιμένον, καὶ πνευστιῶντα, μεστὸν γοῦν ἄσθματος αὐτῷ τὸ στόμα; τί ταῦτα, ὦ Ἑρμῆ; τίς ἡ σπουδή; τεταραγμένῳ γὰρ ἡμῖν ἔοικας. Cf. Hom. Il. ο, 10; Apollon. Rhod. I, 1256; II, 87 et 430. — *Grato pulvere.* Horat. Od. II, 1, 21 sq. Stat. Theb. IX, 910. Nost. infra VIII, 551 sq. Cf. exempla a Burmanno laudata ad Valer. Flacc. I, 13. Index est enim *pulvis* rei streuue gestæ. Etiam hæc spectant ad habitum exteriorem turbatum, ut solet esse eorum, qui prælium modo reliquerunt.

38. *Gaviso.* Ἀοριστῶς, seu per enallagen temporis pro *gaudenti*, quod rhythmum fœdasset. Barthius dubitat, an non *gavisæ* sc. matri scribendum sit. Hom. loc. cit. 481. Burmannus conjicit *Armaque grandævo.*

39. Pergit Noster ad exercitationes puerilis ætatis, quibus corpus firmavit Honorius. — *Firmasti recto vestigia gressu. Firmare vestigia* sæpe occurrit : Virg. Æn. III, 659; Lucan. IV, 41, et infr. XXXIII, 19. Sensus : quum didicisses pedem firmum, non vacillantem ponere (*firmare vestigia*) *incessu recto*, dum

Non tibi desidias molles, nec marcida luxu
Otia, nec somnos genitor permisit inertes:
Sed nova per duros instruxit membra labores,
Et cruda teneras exercuit indole vires,
Frigora sæva pati, gravibus non cedere nimbis,
Æstivum tolerare jubar, tranare sonoras
Torrentum furias, adscensu vincere montes,
Planitiem cursu, valles et concava saltu;
Nec non in clipeo vigiles perducere noctes,
In galea potare nives; nunc spicula cornu

erectus incederes, quum non amplius reptares ut infans. *Recto gressu* possunt quoque esse dativi pro: in rectum gressum. Conjiciebam olim: *signasti*. Horat. loc. cit. Virgil. Georg. III, 171. Sil. Ital. III, 147, et XVI, 485. *Vestigia signare recto gressu* esset: incedere *recto gressu*, id est, non vacillante.

40, 41. *Marcida otia*, quæ enervant, viresque frangunt.

42. *Instruxit*, i. q. exercuit. — *Nova membra* hoc loco membra puerilia. Sic *nova ætas* apud Ovid. Amor. II, 4, 45. Burmannus existimat, *nova* esse somno refecta, quia de somnis præcesserit. Verum ex versu sequenti, ubi eadem dicuntur, interpretatio ex *cruda indole* petenda est, ubi *cruda* idem significat, quod hoc loco *nova*.

43. *Cruda indole* pro: dum adhuc *indoles cruda*, id est, nondum formata esset, nondum matura. Positum igitur pro: in pueritia. Recte Gesnerus: Quum natura adhuc esset rudis, sibi relicta, nondum in quemcunque habitum formata. Barthius: viridi et laborum patiente, minus recte, quandoquidem hoc non puerili, sed juvenili indoli accommodatum esset.

44. *Frigora sæva poti* pro: ut pati posses frigora sæva. Et sic in reliquis.

45. *Jubar*, solem.

46, 47. *Adscensu vincere montes*, id est, superare montes. Virgil. Georg. III, 141; Æn. II, 302 sq. Sil. Ital. XIII, 105. Pertinebant hæc et quæ sequuntur ad exercitationes militares. Sil. Ital. VIII, 551 sqq. Burmann. ad Val. Flacc. III, 482. — *Valles et concavo*, fossas.

48. *Vigiles perducere noctes*, id est, ad finem noctis in vigiliis esse. Burmannus observat, *producere noctes* esse fere genio indulgentium. Vid. ad Valer. Flacc. I, 251. Sunt tamen loca, in quibus et alio sensu usurpatur, ut Propert. I, 3, 39. Pro certo vix aliquid affirmari potest, quum composita ex *per* et *pro* perpetuo in codd. permutentur. Cf. Heyne ad Tibull. I, 4, 5. — *In clipeo*, clipeatum, armatum, ut Gesnerus; non clipeum capiti subjectum indicat, ut Barthius vult; hoc ex adjecto *vigiles* apparet.

49. *In galea potare nives*. Galeam sæpe militibus poculi vicem susti-

Tendere, nunc glandes Baleari spargere funda:
Quoque magis nimium pugnæ inflammaret amorem,
Facta tui numerabat avi, quem litus adustæ
Horrescit Libyæ, ratibusque impervia Thule.
Ille leves Mauros, nec falso nomine Pictos
Edomuit, Scotumque vago mucrone secutus,
Fregit Hyperboreas remis audacibus undas,

nuisse, notum est. Interp. ad Lucan. IX, 501 sq. Propert. III, 10, 8. Stat. Theb. III, 663. Sidon. Apoll. Carm. II, 110. Nost. infra XXVI, 532. De formula *potare in* v. Burmann. ad Phædr. I, 25. — *Nives*, aquam ex nive soluta.

50. *Spicula cornu tendere*, duriusculum videri, ait Gesnerus, nihilominus tamen Virgilianum est, Æn. IX, 606, et Horatianum, Od. I, 29, 9 sq. pro: tendere nervos Lucan. VIII, 296 sq. aut cornu spiculis Virgil. Æn. XI, 860; Val. Flacc. VI, 376. Græci: τόξον ἐκτείνειν, Euripid. Suppl. 745. — *Spargere*, βέλεα χέειν, Homer. Il. ο, 590. Lucan. III, 327. Rupert. ad Sil. Ital. I, 267. — *Baleari*. Balcares duæ insulæ sunt, in mari Hispanico, contra litora Tarraconensia, a quarum incolis usus fundæ repertus et excultus esse dicitur. Interpp. ad Lucan. I, 229. Sil. Ital. III, 365. Cf. Lycophr. 632 sqq.

51. Pro: *nimium amorem* Burmannus conj. *juvenem amore*, vel *puerum*, non, ut puto, ex ingenio Claudiani, apud quem *nimium amorem magis inflammare* nihil amplius est, quam: amorem per se jam magnum etiam augere. Ad logices præcepta Noster adstringendus non est; cf. infra 73 et 96.

52. *Numerabat*; cf. supra I, 57; Virgil. Georg. IV, 347. — *Avi*, Theodosii Comitis, cujus res gestæ narrantur ab Ammian. Marcell. lib. XXVII, XXIX.

53. *Ratibus impervia*, h. l. quæ adiri nequit ratibus; cf. infr. XXII, 424, et Sil. Italic. XIII, 764. — *Thule* supra V, 240; et XXII, 424.

54. *Ille leves Mauros*. De hac gente vid. Sil. Italic. I, 215 sqq. et quæ ibi laudavit Ruperti. De ratione eorum pugnandi, eumdem ad Sil. Ital. IV, 313 sq.—*Nec falso nomine Pictos*. Indicare vult, *Pictos* vocari ab ipsa re, quod corpus pingunt coloribus, seu potius stigmatibus et punctis ferri. Cf. infra VIII, 32; XXII, 248; XXVI, 417; Sidon. Apoll. Carm. VII, 244; Cæs. d. B. G. V, 14; Solin. 25, Herodian. III, 14, 3.

55. *Vago mucrone*, id est, exercitu vago. Jungo enim hæc cum *secutus*, non cum *Scotum*. Exercitus enim, qui vagum hostem insequitur, ipse vagetur necesse est. Insuper *mucrone* exprimit milites hostium vagorum tergo inhærentes.

56. *Hyperboreas undas*, mare Atlanticum. De Hyperboreis v. Gesnerum ad Orph. pag. 460 sqq. — *Fregit*; Sil. Italic. XI, 490; Valer. Flacc. I, 363: ibi v. Burman. — *Audacibus*. Oceanum spectat septen-

Et geminis fulgens utroque sub axe tropæis
Tethyos alternæ refluas calcavit arenas.
Hos tibi virtutum stimulos, hæc semina laudum,
Hæc exempla dabat: non ocius hausit Achilles
Semiferi præcepta senis, seu cuspidis artes,
Sive lyræ cantus, medicas seu disceret herbas.
Interea turbata fides, civilia rursus

trionalem incognitum vel tunc temporis, et terroris plenum.

57. *Utroque sub axe.* Ex prioribus petenda est explicatio. Intelligit calidam Africæ et frigidam Britanniæ plagam; v. not. ad XV, 458.

58. *Tethyos alternæ* etc. nihil amplius est, quam vidit accessum et recessum maris Africi et Britannici. — *Refluas arenas.* De arenis vagis forsan cogitavit, quæ fluctuum et æstus motum sequuntur; cf. Lucan. IV, 427 sq.

59. *Semina laudum.* Ex iis quæ de rebus gestis avi pater solebat commemorare, tanquam ex seminibus, æmulatio studiumque virtutis debebat efflorescere, ex hoc præclare facta, unde rursus laudes pariuntur; Stat. Achill. I, 188 sq.

61. *Semiferi senis*, Chironis. Sil. Italic. XI, 449 sqq.; Stat. Achill. I, 116 sqq. Præter Achillem plures etiam instituisse dicitur Chiron. Cf. Heyne ad Apollod. pag. 353, 355, 565, et eumdem in Philostrat. Imag. V, 2; in Opusc. Acad. tom. V, p. 92 sq. Adde ejusdem *Sammlung antiquarischer Aufsätze*, P. I, pag. 32. — *Hausit*, metaph. a bibendo sumptam exemplis illustrat Burmann. ad Valer. Flacc. I, 263. — *Cuspidis artes*, jaculandi seu sagittandi artem.

63 sqq. Procedit nunc poeta ad bellum civile, Arcadio adhuc puero ortum, cui ipse quidem interesse non potuit propter ætatem, quod nihilominus tamen, secundum Claudianum, felicitate sua profligavit. Arbogastes nempe, natione Francus, vir consilio et manu promptus, secundum inter duces locum apud Gratianum Imperatorem obtinuerat; quo mortuo, ad Theodosium se contulit, ejusque præcipue opera, et Maximus debellatus, et Valentinianus, Justinæ Imperatricis filius, in regnum restitutus est. Cujus rei quum is honos ei habitus esset, ut summus dux constitueretur exercituum, qui in Gallia erant, statim cepit consilium de regno occupando, opibusque suis paullatim variis artibus confirmatis, tantum sibi sumpsit, ut nihil injussu suo ageretur, Imperatorque ipse, præsidiis circumdatus, quasi captus teneretur. Qui quidem quum id sensisset, Theodosium de suis rebus fecit certiorem, rogavitque, ut sibi subveniret, sed frustra, donec tandem (A. C. 392, XV Maii) jugulatus inventus est in cubiculo. Quem quum magnifice extulisset Arbogastes, ad cædis suspicionem a se removendam, Eugenium, quem primum a manu habuerat, posteaque ad Magistri Officiorum dignitatem provexerat, virum et huma-

Bella tonant, dubiumque quatit discordia mundum.
Proh crimen Superum! longi proh dedecus ævi!
Barbarus Hesperias exsul possederat urbes,
Sceptraque dejecto dederat Romana clienti.
Jam Princeps molitur iter, gentesque remotas
Colligit Auroræ, tumidus quascunque pererrat
Euphrates, quas lustrat Halys, quas ditat Orontes.
Thuriferos Arabes saltus, vada Caspia Medi,
Armenii Phasin, Parthi liquere Niphaten.
Quæ tibi tunc Martis rabies, quantusque sequendi

nitate et eloquentia omnibus gratum et acceptum, Imperatorem constituit. Continuo missi sunt legati ad Theodosium, oratum, ut agnosceret Imperatorem eum, quem milites et cives Occidentis cunctis pæne suffragiis creassent; qui tamen muneribus magnifice accepti, nullum certum responsum domum reportarunt. Theodosius non tam proditione Arbogastis, quam lacrimis Gallæ uxoris, quæ soror erat Valentiniani, motus, bellum contra Eugenium suscepit, in cujus apparatum duo pæne anni consumpti sunt. Cf. Zosim. IV, 53, 4; Socrat. H. E. V, 25; Sozomen. H. E. VII, 22; Orosius VII, 35; Philostorg. XI, 1.—*Fides*, h. l. pax.

64. *Bella tonant*; Sil. Italic. XII, 300. — *Quatit* majore cum vi dictum, quam turbat, vexat.—*Dubium*, non satis certum, cujus partes sequeretur.

65. *Crimen Superum*. Quasi scelera humana diis crimini dari possint, quod ea fieri permiserint. Pertinet hoc ad vulgarem hominum persuasionem, quam secuti sunt etiam poetæ, ad rei alicujus indignitatem exaggerandam; Lucan. VIII, 597 et 605 sq. Stat. Theb. I, 231; Nost. infra XVIII, 9. Ex hujusmodi exclamationibus colligit Gesnerus, Claudianum christianæ fidei adseclam saltem hic non fuisse. — *Longi ævi*, in longum tempus duraturum.

66. *Barbarus exsul*. Arbogastes Francus. Contemptus causa adjicitur *exsul*, expulsus a suis popularibus, quos nunc odio prosequebatur acerrimo, ubicumque posset.

67. *Clienti*, Eugenio, *dejecto*, abjecto, vili.

69. *Auroræ*, Orientis.

70. *Ditat Orontes*, rigando terras: infra XXXVI, 372 sq. cf. Priscian. Perieg. 859 sqq. Avien. Descript. orb. terr. 1092 sqq.

71. *Thuriferos Arabes saltus*. Frutices thuris intelliguntur; Plin. H. N. XII, sect. 30.

73 sqq. Vereri videtur poeta, ne Honorio dedecori fuerit, quod patrem in bellum proficiscentem non sit secutus; quasi igitur illum purgaturus, verbis magnificis belli ardorem extollit, quo tunc abreptus fuerit Honorius, adeo, ut fortem ejus animum vix ab immanitate dignoscas; sed patris jussu

Ardor erat! quanto flagrabant pectora voto,
Optatas audire tubas, campique cruenta
Tempestate frui, truncisque immergere plantas!
Ut Leo, quem fulvæ matris spelunca tegebat
Uberibus solitum pasci, quum crescere sensit
Ungue pedes, et terga jubis, et dentibus ora,
Jam negat imbelles epulas, et rupe relicta,
Gætulo comes ire patri, stabulisque minari
Æstuat, et celsi tabo sordere juvenci.
Ille vetat, rerumque tibi commendat habenas,
Et sacro meritos ornat diademate crines.
Tantaque se rudibus pietas ostendit in annis,
Sic ætas animo cessit, quererentur ut omnes

Constantinopoli remansit, et Augusti dignitate, quasi obsequii præmio affectus est. —*Martis rabies*; vehemens bellandi studium et ardor, qui in furorem abiit. Forsan etiam apud Virgilium, Æn. VIII, 327, *belli rabies* exponi potest per: furiosa belli cupiditas, quum sequatur *amor habendi*.

74. *Quanto flagrabant*, etc. Conf. Stat. Silv. I, 2, 210.

75, 76. *Campi cruenta Tempestate*, νέφος πολέμοιο, Hom. Il, ρ, 243: telorum tempestas et imber intelligitur; Virgil. Æn. XII, 284; Sil. Italic. XV, 627 sq., et Ruperti ad eumdem I, 311. — *Frui*, cum voluptate versari in, etc. *truncisque immergere plantas; truncis* videtur positum esse pro: cruori truncis stagnanti; cf. I, 111 sq. De victore cogitandum non est, qui soleret dejectis hostibus pedem ludibrio imponere, ut putat Burmannus. — *Immergere truncis plantas*, hoc loco nihil amplius est quam per truncata et cruore mersa corpora incedere, ut dicunt Nostrates: *im Blute waden.*

77 sqq. Compara Stat. Theb. IX, 739 sqq., quem Noster ante oculos habuisse videtur.

80, 82. *Imbelles epulas*, vel ubera matris, vel quas sibi ipse non paravit.—*Gætulo* perpetuum fere leonis epithet. Horat. Od. I, 23, 10.— *Tabo sordere*, contaminatum esse cruore ex laceratione sc. juvenci.

83. *Ille*, Theodosius.—*Rerum habenas*, summam imperii, Sil. Ital. I, 144, cf. infra v. 87.

84. *Sacro diademate.* Barthius numisma exhibet cum Honorii imagine, in quo diadema conspicitur, quod fascia videtur fuisse gemmis distincta.

85. *Pietas* affectus h. l. complectitur omnes, quibus principes adducuntur ad eorum felicitatem promovendam, quos regunt. *Pii Æneæ* mentionem non debuisset facere Gesnerus: ille enim longe alia ratione *pius* vocatur.

86. *Ætas animo cessit*, id est, ætas virtute superata est.

Imperium tibi sero datum: victoria velox
Auspiciis effecta tuis: pugnastis uterque;
Tu fatis, genitorque manu: te propter, et Alpes
Invadi faciles; cauto nec profuit hosti
Munitis hæsisse locis: spes irrita valli

87. *Imperium*, Augusti nomen et honores.

88. *Auspiciis tuis*, id. quod, versu sequenti *fatis*, felicitate; Horat. Od. IV, 14, 16. Principio cujusque rei publicæ præcipue belli gerendi auspicia capiebantur. Jam vero auspicia habebat non nisi is, qui summæ rerum præesset, sive ipse bellum administraret, sive per alios duces gerendum curaret. Illius *auspiciis* res geri dicebatur, si abesset; illius *ductu et auspiciis*, si ipse rebus interesset; horum autem, qui auctoritate illius agerent, *ductu* solum. Auspiciis porro futurus rerum exitus explorabatur. Felix autem rerum exitus cum eo conjunctus erat, qui auspicia cepisset, ita, ut omnia ejus auctoritate essent agenda, quandoquidem prætereum nemini felix rerum exitus promissus erat. Credebant enim veteres, vel fato aliquo, vel singulari deorum benevolentia, quosdam præ cæteria tanta felicitate uti, ut omnia, quæcunque suscepissent, vel imprudentibus bene evenirent. Quæ persuasio hominum ad auspicia quoque translata est, ita, ut ejus felicitati, qui eas cepisset, omnia cum felici successu gesta tribuerent. Sub Imperatoribus, res immutata est hactenus, ut is tantum, qui rerum potitus esset, Imperator, auspicia haberet, quandoquidem ejus auctoritate omnia agebantur, omniaque præclare et prospere gesta Imperatoris felicitati adscriberentur, præsertim quum genium suosque deos tutelares Imperatores habere crederentur; Horat. l. c. 33; ibi vid. Jani, qui laudat Ovid. Trist. I, 2, 173 sq. Tacit. Ann. II, 41; Sueton. Aug. 21. Adde Spanhem. de P. et U. N. dissert. XIII, pag. 639; Ammian. Marcell. XVI, 12. H. l. in adulandi Honorium studio eo progressus est poeta, ut pueri novennis felicitati ea tribueret, quæ virtute patris acta erant, atque quodammodo coactus est id facere, quandoquidem alia ratione hujus belli laudem cum Honorio communicare non potuisset. Erat autem Honorius eo anno iterum consul. Cf. VIII, 621 sqq. et 633; XV, 499.

89. *Tu fatis.* Quum fatis Honorii quasi deberet felix rerum exitus.

90. *Invadi faciles.* Lucan. II, 656; Valer. Flacc. IV, 723, et Noster passim sic. Ad minuendam parasiti aulici fœditatem Burmannus proponit *invadit*, ut *propter te* sit, amore filii, quo imperium ei munitum ac securum relinqueret. Verum hoc mihi videtur frigidum, nec interpretis esse duco, ab adulandi crimine poetam emendando liberare, qui infinitis aliis locis hujus criminis reus agi possit.

91. *Munitis hæsisse locis*, munitis locis se continuisse. Sil. Ital. VIII,

Concidit, et scopulis patuerunt claustra revulsis.
Te propter, gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit adversas acies, revolutaque tela
Vertit in auctores, et turbine reppulit hastas.
O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hiemes, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti!
Alpinæ rubuere nives, et Frigidus amnis

565, et XII, 531. Arbogastes in Italiæ finibus et locis campestribus castra posuit, ita ut frontem eorum Alpes Juliæ munirent, quarum claustra copiis occupare, vel neglexerat imprudenter, vel virtute militum suorum fretus, omiserat. Res autem diverse a diversis auctoribus traditur; Noster ad augendas difficultates a Theodosio superatas, Alpium fauces et occupatas fuisse, et operibus munitas commemorat. Conf. supra I, 104 sqq.

92. *Scopulis revulsis*, via per scopulos vi facta.

93—95. *Aquilo de monte obruit gelidis procellis adversas acies.* Inter physicos constat, maximas sæpe procellas, quæ vehementia sua vel quercus prosternere valeant, in summis montibus, nive subito resoluta, ortas deorsum in valles se præcipitare solere. Cf. Sil. Ital. XVI, 384 sq. Tale aliquid in Alpibus tum accidisse probabile est, quod deinde monachi in miraculum converterunt. Theodosius ventum acerrimum a tergo habuit, tela hostium retardantem, dum omne missilium genus, quo ipsius milites uterentur, maximo cum impetu ab eodem vento in hostes deferretur. Hujusmodi tempestatem Carthaginensibus auxilio fuisse in pugna Cannensi narrat Sil. Ital. IX, 505 sqq. Cæterum Theodosium hujus venti hostibus adversi opera vicisse, inter omnes constat. Cf. Orosium, VII, 35; Augustin. de Civ. Dei, V, 26; Rufin. H. E. XI, 33; Socrat. H. E. V, 24; Sozom. VII, 24; Theodoret. V, 24. — *Turbine*, impetu.

96, 97. *Nimium dilecte. Nimium* auget simpliciter. Virgil. Georg. II, 458. Lucan. VIII, 139 et 843. Augustinus loco cit. hæc verba ad Theodosium traxisse videtur, in quo plures ecclesiæ Patres eum secuti sunt, quæ tamen ad Honorium pertinent. — *Armatas hiemes*, id est, tempestates tela in hostem majori cum impetu deferentes. Eodem sensu, quæ sequuntur, accipienda sunt.

98. *Ad classica*, ad signum tuba datum, ut simul invaderent hostem. Flor. II, 6, 15, de prælio ad Cannas: « Dux, terra, cælum, dies, tota denique rerum natura consensit..... Eurus ab oriente quasi ad constitutum..... Hannibal, quasi secundum cælum tenens, vento, pulvere, sole pugnabat. »

99. *Rubuere nives*, sc. sanguine. Cf. Sil. Ital. III, 547 sqq. — *Frigidus* nom. propr. fluminis. Nicephor.

Mutatis fumavit aquis, turbaque cadentum
Staret, ni rapidus juvisset flumina sanguis.
At ferus inventor scelerum trajecerat altum
Non uno mucrone latus, duplexque tepebat
Ensis, et ultrices in se converterat iras
Tandem justa manus. Jam libertate reducta,
Quamvis emeritum peteret natura reverti
Numen, et auratas astrorum panderet arces,
Nutaretque oneri venturo conscius Atlas,

XII, 35. Socrat. H. E. V, 24. Cæterum cf. c. b. Lucan. II, 212 sqq.

100. *Fumavit*, sc. sanguine calido. — *Staret*, id est, obturatus esset, nisi vis sanguinis profusi aquam auxisset, cursumque inde concitavisset. Præ Claudiani hyperbolis, humi pæne repit Sil. Italic. IV, 665. Propius accedit Lucan. loc. cit. 214 sqq.

.... Jam sanguinis alti
Vis sibi fecit iter, campumque effusa per omnem,
Præcipitique ruens Tiberina in flumina rivo
Hærentes adjuvit aquas.

102. *Inventor scelerum*. Arbogastes, qui Eugenium subornaverat. De ejus interitu, illos consule scriptores qui ad v. 93 — 95 excitati sunt. Duobus telis ad semet conficiendum, usum illum fuisse, nemo, quod sciam, memoriæ prodidit.

104. *Et ultrices in se converterat iras*, id est, ipse scelerum suorum ultor fuit. Inde quoque versu sequenti *manus* ejus *tandem justa* vocatur. — *Jam libertate reducta*, etc. Bello civili peracto, quum finem vitæ adesse sentiret Theodosius, quem fortasse sibi labori hus in itinere, qui statim otiosam et mollem vitam exceperant, maturavit, arcessi jubet Honorium, Constantinopoli adhuc degentem, cui Occidentem nunc pacatum tradat. Nec in Honorio ulla mora fuit, cujus iter describitur usque ad v. 125.

106, 107. *Emeritum numen*, id est, peractis iis rebus, ad quas Theodosius, numen, in terras demissus est. Lucan. I, 45, habet eodem fere sensu *statione peracta*, ubi tamen Burmannus *parata* defendit. — *Natura*, eodem sensu, quo apud Lucan. l. c. 51. Zonaras lib. III, pag. 31, memorat Theodosium Mediolani mortuum esse, anno imperii XVII, supra menses quinque; Socrat. H. E. V, 25; Olybrio et Probrino coss. XVI Cal. Febr. Olymp. CCXCIV, 1; ætatis anno sexagesimo; regnasse eum annos sedecim. Cf. Sozom. H. E. VII, 28.

108. *Nutaretque*. *Nutare* dicuntur res, quæ labefactæ sunt, ruinamque minitantur. Lucan. VI, 136. *Atlas* igitur *nutat*, si huc illucque pondere inclinatur, et quidem eo, quod accessurum animo jam præsentit; adjectum enim est : *futuro oneri*, id est, jam animo futurum onus sentiens. Antiqui-

Distulit Augustus cupido se credere cælo,
Dum tibi pacatum præsenti traderet orbem.
Nec mora; Bistoniis alacer consurgis ab oris,
Inter barbaricas ausus transire cohortes,
Impavido vultu: linquis Rhodopeia saxa
Orpheis animata modis; juga deseris Œtes,
Herculeo damnata rogo; post Pelion intras
Nereis illustre toris. Te pulcher Enipeus
Celsaque Dodone stupuit, rursusque locutæ
In te Chaoniæ moverunt carmina quercus.

tatis heroes ut robore, ita quoque magnitudine corporis insignes erant, aut cogitabantur; eo accedere necessario debebat pondus, cujus rei exemplum potest esse Hercules in Argonautarum nave. Schol. ad Apollon. Rhod. I, 533 et 1163. Hæc ad deos quoque translata sunt, ita ut numen suum etiam pondere declararent. Retinuerunt hoc poetæ etiam recentioris ævi. Homer. Il. ε, 837 sqq. Ovid. Met. IX, 273; XV, 693 sq. Fast. III, 330; Lucan. I, 56 sq. Juvenal. XIII, 46 sqq. Senec. Herc. Œt. 1599. Stat. Silv. I, 1, 56 sqq. de statua equestri Domit.

Vix sola sufficiunt, insessaque pondere tanto
Subter anhelat humus, nec ferro et ære laborat,
Sed genio.

109. *Cupido cælo.* Virgil. Georg. I, 34 sq.

110. *Tibi præsenti*, nempe accito. Secundum Zosim. IV, 57, 59, Theodosius Honorium secum adduxerat in expeditionem contra Eugenium, Augustumque in Italia declaravarat. Cf. supra 83 sqq. et quæ ibi notata sunt.

111. *Consurgis*, evocatus a patre. —*Bistoniis ab oris*, e Thracia, Constantinopoli.

112. *Barbaricas cohortes*, quæ ibi vagabantur, non satis fidas Romano imperio.

114. *Animata.* Quæ Orpheus lyræ cantu ita demulsit, ut se sequerentur. Orph. Argon. 76 sqq. Apollon. Rhod. I, 26. Sil. Italic. XI, 459 sqq.

115. *Herculeo damnata rogo*; cf. Ovid. Met. IX, 229 sqq. ibi interpp. *Damnata*, id est, destinata, sed illud fortius. Sil. Italic. XV, 557.

116. *Nereis illustre toris*, nuptiis Pelei et Thetidis. *Thetis* erat Nereidum una, et vocatur *pulcherrima Neptunine* apud Catull. LXIV, 28. — *Pulcher Enipeus.* Ab Apollon. Rhod. I, 526, vocatur δῖος; v. ibi Schol. De fluvio ipso v. Oudendorp. ad Lucan. VI, 373, et interpp. ad Valer. Flacc. I, 83.

117, 118. *Celsaque Dodone.* Herodot. II, 52, 57; vid. quæ laudat Ruperti ad Sil. Italic. III, 680. Cf. Apoll. Rhod. I, 526; ibi Schol. Ovid. Met. XIII, 716; Valer. Flacc. I, 302 sq. — *Rursusque.* Nam jam quercus obmutuerant.

Illyrici legitur plaga litoris; arva teruntur
Dalmatiæ; Phrygii numerantur stagna Timavi.
Gaudent Italiæ sublimibus oppida muris
Adventu sacrata tuo: submissus adorat
Eridanus, blandosque jubet mitescere fluctus,
Et Phaethonteas solitæ deflere ruinas
Roscida frondosæ revocant electra sorores.

Strabo lib. VII: Ἐκλέλοιπε δέ πως καὶ τὸ μαντεῖον τὸ ἐν Δωδώνῃ, καθάπερ τ'ἄλλα. Inde, quod hujus oraculi mentio fit, colligi non potest, illud durasse ad Theodosii usque tempora, ut fecit *van Dale*, in Dissert. I, de Oraculis pag. 90. Amstelod. 1683. Potest hoc esse merum poetæ inventum. — *Moverunt carmina* Burmannus explicat: vates inspirarunt, et loqui versibus jusserunt. Laudat. Ovid. Met. X, 147, et XIV, 20. Huc addi potest Virgil. Æn. VII, 641:

Pandite nunc Helicona, Deæ, cantusque movete.

Oracula ibi a viris et a feminis dabantur, an versibus? hoc mihi quidem non constat.

119. *Legitur* hoc loco de terrestri itinere Virgil. Eclog. VIII, 7; Lucan. V, 513. Bene observat Burmannus, Honorium a poeta per miras itineris ambages duci, quum ad patrem *properans* recto debuisset itinere uti. Noluit autem celeberrimorum locorum, montium, fluminum mentionem faciendi occasionem, quanquam longe petitam, omittere; videturque maluisse exacto et sobrio judicio carere, quam ornatu splendido. Quod autem eum ad OEten prius venisse fingit, quam ad Pelion, in hoc, situs ignoratione, forsan lapsus est.

120. *Numerantur*, dum singula transibat; igitur pro: ordine superantur. — *Timavi*. Virgil. Æn. I, 244 sqq. Ibi v. Heyne et in excursu VII.

122. *Sacrata*. Quasi templa facta essent, in quibus Honorius paullulum commoratus est. — *Submissus* explicatur versu sequenti per: *blandosque jubet mitescere fluctus*.

124, 125. *Ruinas*, casum, lapsum. Cf. Apollon. Rhod. IV, 597 sqq. Ovid. Met. I, 319. — *frondosæ sorores*, in arbores mutatæ Heliades. — *Roscida*, adhuc mollia, ut stillant de oculis Heliadum. Poeta vult dicere, Heliadas cohibuisse lacrimas.—*Revocare* hoc loco esse, quasi oculis resorbere, indicare videntur verba prioris versus: *solitæ deflere ruinas*. Aliter Burmannus, qui notat, non satis caute poetam electrorum mentionem fecisse, ex lacrimis Heliadum natorum; si enim illa revocent, iterum debeant flesse fingi. Quærit: an ergo ante adventum illius non stillabant electra, quod nunc renovarunt in honorem Honorii? Mecum sentire Gesnerum video. Cf. Sil. Italic. XII, 594:

... .Fletumque resorbent.

Stat. Theb. V, 654 sq.

.......lacrimasque insana resorbet
Ira patris.

Quanti tum juvenes, quantæ sprevere pudorem
Spectandi studio matres, puerisque severi
Certavere senes, quum tu genitoris amico
Exceptus gremio, mediam veherere per urbem,
Velaretque pios communis laurea currus!
Quis non Luciferum roseo cum Sole videri

Senec. Hercul. OEt. 1285, quæ loca jam laudavit ad Sil. Ruperti.

126 sqq. Honorius omnium admiratione excipitur, et cum patre triumphans uno curru in urbem invehitur. *Quanti*, hoc loco, quot; vid. Broukhus. ad Propert. I, 12, 4; sic quoque *quantæ*. — *Pudorem sprevere*, neglexere pudorem, quo alias domi continebantur. Eadem poetice effert, quæ pedestri sermone expressit Plin. Panegyr. 12: « Ergo non ætas quemquam, non valetudo, non sexus retardavit, quominus oculos insolito spectaculo impleret. » Sed nonne potius pro *Quanti tum juvenes*, legendum: *Quantæ tum juvenes*. Ovid. Art. Am. lib. I, 63. Cæterum conf. XXVIII, 560 sqq.

128, 129. *Genitoris exceptus gremio*, inter sedentis Theodosii crura stans. Filios in curru triumphali secum habere, jam in libera civitate moris fuit. Liv. XLV, 40. Conf. Buleng. de Triumpho, c. 20. Uno eodemque curru Vespasianum et Titum filium triumphantes per urbem vectos esse, testatur Orosius, VII, 9.—*Per urbem*. Sed quamnam urbem? Si Zozim. IV, 57, audias, Romam, ubi Theodosium cum Honorio, civili bello contra Eugenium peracto, triumphasse commemorat. Etiam Barthius Romam intelligit. Alii dicunt, Theodosium cum Honorio Romæ triumphasse, Maximo debellato ann. C. 388, Timasio et Promoto coss. Triumphum omnino Romæ esse actum a patre et filio, etiam Noster narrat verbis disertis infra XXVIII, 55 sqq. Verum hoc loco non Romam, sed Mediolanum intelligo, quum, quia omnes fere in eo consentiunt, Theodosium Mediolani esse mortuum, et, si hoc loco Romam intelligas, Noster eum Romæ esse mortuum dixisse videtur; vid. infra 162 sq. tum, si Romam intellexisset Noster, non simpliciter dixisset *urbem*, quæ vox ea tempestate Mediolanum designabat; quippe in qua urbe Honorius semper fere versaretur. Accedit, quod ea, quæ Noster infra XXVIII, 55 sqq. de Honorio narrat, magis puero bimulo quam novenni convenire videntur.

130. *Communis laurea*. Currus triumphales solebant etiam lauro redimiri. Vocantur inde *lauriferi* Lucan. V, 332; Nost. infra XIV, 20 sq. Cf. Paschalium de Coronis, VIII, 11. *Communis* et ad patrem et ad filium pertinebat. — *Pios*; quia spectaculum præbebant pietatis Theodosii in Honorium.

131. *Roseo cum Sole*. Comparandi studium poetam a rei veritate abduxit, nisi dicas *roseum Solem*, hoc loco esse Auroram. Dudum putidæ sunt illæ comparationes.

Credidit, aut junctum Bromio radiare Tonantem?
Floret cristatis exercitus undique turmis,
Quisque sua te voce canens : præstringit ahena
Lux oculos, nudique seges Mavortia ferri
Ingeminat splendore diem. Pars nobilis arcu,
Pars longe jaculis, pars cominus horrida contis.
Hi volucres tollunt aquilas, hi picta draconum
Colla levant, multusque tumet per nubila serpens
Iratus, stimulante Noto, vivitque receptis
Flatibus, et vario mentitur sibila tractu.
Ut ventum ad sedes, cunctos discedere tectis
Dux jubet, et generum compellat talibus ultro :
«Bellipotens Stilicho, cujus mihi robur in armis,

132. *Bromio*, Baccho, qui sic dicitur, ἀπὸ τοῦ βρέμειν, fremere. Si comparare vellet patrem et filium cum diis, vix alios deos poterat componere. Quare puto, Nostrum in hoc nullius auctoritatem secutum esse.

133. *Floret*, splendet, fulget. Virgil. Æneid. VII, 804; ibi Servius notat, Virgilium in hoc secutum esse Ennium et Lucretium (IV, 452). Et Græci de fulgore τὸ ἄνθος, ἄνθεμον, usurpant, id quod Heyne docuit ad Virgil. loco cit. ubi laudat Pindar. Olymp. II, 130. Conf. Valer. Flacc. V, 565; VII, 77.

134. *Canens*. Acclamatio solennis erat : *Io triumphe!* Ovid. Trist. IV, 2, 51 sqq. Horat. Od. IV, 2, 49 sq. — *Sua te voce*. Exercitus enim erat e variis gentibus compositus, quæ diversa lingua eum canebant. Martialis :

Vox diversa sonat, populorum est vox tamen una,
Quæ verus patriæ diceris esse pater.

135. *Seges ferri*. Virg. Æn. VII, 526 sqq. XII, 363 sq.

136. *Ingeminat*, auget.

137. *Longe*, eminus, dictum pro: pars horrida jaculis, quibus eminus utuntur. Cf. infra XV, 436. — *Contis*. De hoc teli genere vid. Burmann. ad Valer. Flacc. VI, 235 sq. et Rupert. ad Sil. Ital. XV, 683 sqq.

138. *Draconum;* vid. supra ad V, 177. Veteres in vexillis gestabant dracones depictos.

140, 141. *Stimulante*. Dum vento inflabantur et quasi irritabantur, ut sævire viderentur. — *Et vario mentitur sibila tractu*. Dum sinuabantur vento, materiei, unde facti erant, attritu sonum edebant similem anguis sibilantis.

142 sqq. Tutela Honorii a Theodosio Stilichoni mandatur. — *Sedes*, domum Cæsaream.

143. *Generum*, Stilichonem qui duxerat filiam Honorii senioris, qui frater erat Theodosii, sed quam filiam ipse Theodosius adoptaverat.

144. *Robur*, scilicet probatum,

Pace probata fides: quid enim per prælia gessi
Te sine? quem merui te non sudante triumphum?
Odrysium pariter Getico fœdavimus Hebrum
Sanguine, Sarmaticas pariter prostravimus alas,
Rhipæaque simul fessos porreximus artus
In glacie, stantemque rota sulcavimus Istrum.
Ergo age, me quoniam cælestis regia poscit,
Tu curis succede meis; tu pignora solus
Nostra fove; geminos dextra tu protege fratres.
Per consanguineos thalamos, noctemque beatam,
Per tædas, quas ipsa tuo regina levavit
Conjugio, sociaque nurum produxit ab aula,
Indue mente patrem, crescentes dilige fœtus
Ut ducis, ut soceri; jam jam securus ad astra
Te custode, ferar. Rupta si mole Typhœus
Vinclis prosiliat, Tityos si membra resolvat,
Si furor Enceladi projecta mugiat Ætna;
Opposito Stilichone cadent.» Nec plura locutus,

146. *Te non sudante*, sine tua opera. Versu præcedente, *per prælia* dictum pro: in præliis. Conf. Burmann. ad Val. Flacc. VI, 35.

148. *Sarmaticas;* Ammian. Marcell. XXIX, 6.

150. *Sulcavimus.* Supra V, 28.

152. *Pignora*, Arcadium et Honorium.

154. Conf. supra V, 95.

155. *Quas ipsa regina levavit.* More prisco, solebant matres in filiorum nuptiis tædas geniales præferre, aut novas nuptas ad filios cum facibus deducere. Euripid. Phœniss. 346 sq. (quem expressit Senec. Phœniss. 505 sqq.); Iphig. in Aul. 732 sqq. Apoll. Rhod. IV, 808; v. ibi schol. Sed cf. quæ dicta sunt ad V, 97. — *Regina;* Flaccilla erat, quam dicit pronubam Stilichoni Serenam in manus dedisse.

156. *Nurum*, hoc loco nuptam, aut puellam.

157. *Indue. Induere* a vestimento ad quemcunque animum, affectum, perturbationem eleganter transfertur. Cf. quæ laudantur a Drakenb. ad Sil. Italic. I, 38.

158. *Ut ducis, ut soceri*, id est, quatenus filii ducis tui sunt, publico officio, et quatenus soceri tui sunt filii, privato officio eos tueri et diligere debes.

159—162. Exprimitur his versibus, quantopere Stilichonis virtuti Theodosius confidat. Omnes, ait, naturæ terrores contra Stilichonem vanos esse futuros. Pro illis ponit primum *Typhœum*, de

Sicut erat, liquido signavit tramite nubes,
Ingrediturque globum Lunæ, limenque relinquit
Arcados, et Veneris clementes advolat auras.
Hinc Phœbi permensus iter, flammamque nocentem
Gradivi, placidumque Jovem, stetit arce suprema,
Algenti qua zona riget Saturnia tractu.
Machina laxatur cæli, rutilæque patescunt
Sponte fores. Arctoa parat convexa Bootes:

quo vid. La Cerda et Heyne ad Virgil. Æn. III, 578, et in notis ad Apollod. p. 77; Valer. Flacc. II, 23 sqq. Pind. Pyth. I, 25 sqq. — *Rupta mole*, insulæ, scilicet Inarimes, quæ ei imposita dicitur. Vid. Heyne ad Virgil. Æneid. IX, 716. Ponit porro v. 160. — *Tityos;* vid. loca ad V, 511, laudata. Tandem v. 161 *Enceladi*, vid. Heyne ad Virgil. Æneid. III, 578. Huic Ætna imposita esse dicitur, alii Typhœum huic monti subjiciunt. Idem poeta interdum diversas narrationes amplectitur; sic enim apud Sil. Italic. XIV, 196, Ætna imposita est Typhœo; apud eumdem in eodem libro, v. 580, Ætna imposita est Encelado. Cæterum maximos rerum tumultus viresque naturæ sub his monstris sermo antiquus depinxit; cf. Jani ad Horat. Od. III, 4, 53 sqq.

163 sq. Theodosius mutatur in stellam. *Sicut erat*, ὥσπερ εἶχε. Cf. Oudendorp. ad Lucan. II, 365, et Heins. ad Ovid. Metam. X, 7:

Liquido signavit tramite nubes,

lumine designavit viam. Cf. Stat. Theb. I, 511.

164 sq. In sequentibus, non ipsa intelligenda sunt corpora cælestia, quæ planetas vocamus, præter solem, quem veteres æque putabant circa terram in medio sitam circumagi, sed totæ sphæræ illorum, quarum alia aliam includat, et per quas Theodosius iter faciens in cælum volare fingitur. Vid. interpp. ad Somn. Scipion. 4, et Macrob. ad hunc locum — *Globum*, sphæram lunæ, quæ cum luna circa terram agitur. Idem quoque significat *limen*.

165. *Arcados*, Mercurii, a patria sic dicti. — *Clementes auras Veneris*. Ea, quæ cuique planetæ tribuuntur, ab astrologis petita sunt, ex quorum disciplina Veneris et Jovis stellæ salubres, Martis et Saturni noxiæ habebantur. Macrobius, in Somn. Scip., I, 19.

167. *Arce suprema*, in sphæra suprema, quacum Saturnus circumagitur.

168. *Tractu*, regione, loco, quo movetur.

169. *Machina cæli*. Sphæram illam supremam intelligo, in qua fixæ certo ordine dispositæ sunt. Apud Lucan. I, 79, est *machina mundi*, ubi universum intelligitur. — *Laxatur* explicant sequentia: *rutilæ fores patescunt*.

170. *Arctoa convexa parat*, id est, parat locum in plaga boreali pro Theodosio.

Australes reserat portas succinctus Orion;
Invitantque novum sidus, pendentque vicissim,
Quas partes velit ille sequi, quibus esse sodalis
Dignetur stellis, aut qua regione morari.
O decus ætherium, terrarum gloria quondam,
Te tuus Oceanus natali gurgite lassum
Excipit, et notis Hispania proluit undis.
Fortunate parens, primos quum detegis ortus,
Adspicis Arcadium; quum te proclivior urges,
Occiduum visus remoratur Honorius ignem.
Et quocumque vagos flectas sub cardine cursus,
Natorum per regna venis, qui mente serena,
Maturoque regunt victas moderamine gentes;
Sæcula qui rursus formant meliore metallo.

171. *Succinctus*, quasi ad pugnam. Armatus enim fingitur Orion. Arat. Phæn. 586. Serv. ad Virgil. Æn. III, 517.

172. *Pendentque vicissim*, inter spem et metum versantur.

174. *Moveri*, ut sidus, quod oritur et occidit, cursumque suum circa terram quotidie conficit.

175. Theodosius, jam cæleste sidus, eum cæli locum obtinens, unde Hispaniam, patriam suam, possit videre, felix prædicatur a poeta, quandoquidem et oriens et occidens filiorum regna adspiciat, qui justa et sapienti rerum administratione aureum seculum reduxerint.

176. *Tuus Oceanus natali gurgite.* Theodosius erat natione Hispanus, ipseque Oceanus generis conditor a poeta fingitur. Cf. infra VIII, 22; XII, 33. Cf. Theodoret. H. E. V, 5; Socrat. H. E. V, 2; Sozomen. VII, 2. — *Lassum*, sc. cursu diurno.

178. *Primos detegis ortus*, id est, simul ac oriris.

179. *Urges proclivior*, id est, ad occasum vergis. Burmannus mavult *proclinior*.

180. *Remoratur.* Singularis pietas, qua amplectitur Theodosius Honorium, facit, ut cursum paullulum sustineat. Non solum amorem paternum hoc exprimit; sed poeta, qui Honorio semper principatum dat, majore cum delectu ejus mentionem facit, quam Arcadii.

181. *Vagos cursus.* De motu diurno. Horat. Sat. I, 8, 21: *vaga Luna.* Lucan. I, 50.

184. Sens. qui aureum sæculum revocant. Hoc poterat quodammodo sine injuria in Theodosium poeta dicere, quandoquidem hujus imperium continuis fere bellis vexatum erat, isque pacatum demum orbem filiis tradiderat, atque in statu rerum tranquillo hujusmodi

Luget avarities Stygiis innexa catenis,
Cumque suo demens expellitur ambitus auro.
Non dominantur opes; non corrumpentia sensus
Dona valent; emitur sola virtute potestas.
Unanimi fratres, quorum mare terraque fatis
Debentur, quodcumque manus evasit avitas,
Quod superest patri, vobis jam Mulciber arma

aliquid saltem sperari potest. — *Rursus* itaque non continuationem, sed reformationem potest significare.

186, 188. Omnes corruptiones æquitate et justitia principum sublatæ sunt. — *Ambitus*, non solum bonorum, sed etiam omnium earum rerum, quæ auro possunt ab indignis parari. — *Demens* exprimit magnitudinem et vehementiam perturbationis, in quam ambitu sæpe compelluntur homines. Cf. Luc. X, 146 sqq. — *Opes*, omnia ea, quæ præter virtutem et merita auctoritatem et gratiam comparant. — *Dominantur*, imperium quasi exercent. — *Corrumpentia sensus*, ut eorum judicio, quæ mala sunt, pro bonis et contra habeantur. — *Virtute*, meritis.

189. *Unanimi fratres*. Sic vocat eos Claudianus, quia anno superiore Rufinus, qui dissidium inter fratres creaverat, e medio erat sublatus, nec cogitabat, eosdem rursus alienato inter se animo fore per Eutropium. — *Mare terraque*, universus terrarum orbis. — *Fatis*. Credebant veteres, nullam gentem, nullam urbem, nullum denique hominem esse, cui non ab ipsis natalibus sua fata adsignata essent. Eaque fata diversorum sæpe contraria habebantur, ita ut putarent, minora a majoribus superari. Lucan. VI, 605 sqq. Quæque fatis alicui tributa sunt, quandoquidem ille rerum ordo immutabilis est, ea *deberi* ejus fatis dicuntur. Cf. Burmann. ad Ovid. Heroid. I, 1, 28.

190. *Evasit*, cum delectu positum est. Generi enim Theodosii omnia fatis debebantur; quod igitur nondum armis subactum erat, subtraxit se quodammodo per aliquod tempus fortunæ ineluctabili. — *Manus avitas*, id est, Imperatores superiores, qui per adoptationem in societatem et successionem imperii venerant, indeque ut ex uno eodemque genere orti considerabantur. Spanhem. ad Julian. orat. I, pag. 46. Theodosius quoque originem generis repetebat a Trajano. Aurel. Vict. c. 48; infra VIII, 19; XII, 33.

191. *Superest patri*, Theodosius non aubegit. — *Mulciber arma*. Ut exprimat, Honorium et Arcadium præcipuo deorum favore uti, omnia ea illis tribui fingit, quæcumque a diis priscis heroibus tributa a poetis finguntur. Vulcanus igitur illis fabricatur arma, ut Achilli et Æneæ. Hom. Il. μ, 433 sqq. Virg. VIII, 407 sqq. Cæterum cf. Callimach. H. in Dian. 55 sqq.

Præparat, et Sicula Cyclops incude laborat;
Brontes innumeris exasperat ægida signis;
Altum fulminea crispare in casside conum
Festinat Steropes; nectit thoraca Pyracmon;
Ignifluisque gemit Lipare fumosa cavernis.
Vobis Ionia virides Neptunus in alga

192. *Sicula Cyclops incude laborat.* Ex rationibus nunc quidem satis notis, veteres Vulcani officinam in Lemno (Valer. Flacc. II, 335 sqq.), in Ætna (Virg. Geor. IV, 173 sqq. Stat. Sil. III, 1, 130), in insula Lipara (Callimach. H. in Dian. 46 sq. ibi v. Spanh.) posuerunt. Illa loca comparatione conjunxit Valer. Flacc. IV, 96 sqq. Ætna præcipue tunc a Vulcano habitari dicebatur, quum illi deo Cyclopes tanquam operæ adjuncti essent, qui circa Ætnam habitasse a veteribus memorantur. Inde Vulcanus *Ætnæus deus* vocatur Eurip. Cycl. 595; Valer. Flacc. II, 420, et Bacchus *Ætnæo fulmine partus* Propert. III, 15, 21, quia fulmen a Cyclopibus cudebatur. Omnia hæc varie pro ingenii ratione poetæ exornarunt. Sic apud Stat. Theb. V, 49 sq. Vulcanus opere in Ætna fessus, Lemnum visit, animi relaxandi causa. Quidam poetæ videntur Liparen et Ætnam conjunxisse, atque hunc, quamvis longo intervallo a Lipara distantem, spiracula officinæ Liparensis existimasse aut finxisse. Forsan Noster Ætnam Vulcani officinam, et Liparen spiracula ejus sibi hoc loco cogitavit. Sed Enceladus cavernam Ætnæ jam occupat supra v. 161, et infra XXXV, 174 sqq. officinam Vulcani in Lipara posuit. *Cyclops* singul. pro plur. nominantur enim in sequentibus, et unicuique illorum aliqua armorum pars perficienda tribuitur.

193. *Exasperat*, cum delectu, quia signa in clipeo cælata exstant.

194. *Crispare conum* pro: ita conum effingere, ut pennas seu jubas crispatas recipere possit.

195. *Nectit thoraca*, sc. ex catenulis.

197. Neptunus equum in Thessalia produxit. Virg. Georg. I, 13. Ovid. Met. VI, 75. Lucan. VI, 396 sqq. Ludi Circenses apud Romanos *Neptuno equestri* celebrabantur Virgil. Æn. VIII, 635 sqq. Ovid. Fast. III, 125 sqq. Ascon. ad Cic. in Verr. act. I, 10; Dionys. Halic. II, 31. Quum porro Imperatores equorum greges, ad usus bellicos, in Asiaticis provinciis, in Cappadocia maxime et Syria alerent (Burmann. de Vectigal. 4; Wernsdorf. in excursu X, ad Nemes. cyneg. Poet. lat. m. tom. I.), nostro poetæ facile in mentem potuit venire, ut curam equorum Neptuno demandaret. — *Virides.* Gesnerus accepit de colore, quod, puto, ineptum est. *Equi virides* sunt potius indomiti, seu nondum laboribus fracti. Sil. Ital. VII, 3. Virg. Æn. VI, 304. Burmann. ad Val. Flacc. I, 77. — *In alga*, in pascuis maritimis.

Nutrit equos, qui summa freti per cærula possint
Ferre viam, segetemque levi percurrere motu,
Nesciat ut spumas, nec proterat ungula culmos.
Jam video Babylona rapi, Parthumque coactum
Non ficta trepidare fuga; jam Bactra teneri
Legibus, et famulis Gangen pallescere ripis,
Gemmatosque humilem dispergere Persida cultus.
Ite per extremum Tanain, pigrosque Triones;
Ite per ardentem Libyam, superate vapores
Solis, et arcanos Nili deprendite fontes;

198—200. *Cærula*, mare. Luc. III, 542. Hæc sumpta sunt ex Homer. Il. v. 227 sqq. Virg. Æn. VII, 806 sqq. Apollon. Rhod. I, 179 sqq. Calpur. Eclog. VI, 56 sq. ubi v. Wernsdorf. — *Nesciat ut spumas*, id est, ut maris spuma non adspergatur.

201 sqq. Non potest fieri, quin Imperatores, quorum curam dii ipsi tam aperte gerant, omnes terras ditioni suæ subjiciant, præsertim quum universus terrarum orbis fatis illorum debeatur. Quasi divino igitur animo futuros Imperatorum triumphos canit. Cf. Sil. Ital. III, 611 sqq. — *Rapi*, diripi.

202. *Non ficta fuga.* Alias enim fugam simulantes, vel sagittis retro missis, insequentes conficiebant, vel improviso eos, versis equis, adoriebantur. Lucan. I, 230. Interpp. ad Virgil. Georg. III, 31. Jani ad Horat. Od. I, 19, 11, et II, 13, 17.

203. *Pallescere*, sc. metu.

204. *Gemmatos cultus*, vestitus gemmis distinctos: nam apud Persas pretiosorum lapidum copia insignis erat. Amm. Marcell. XXIII, 6, versus fin. ubi de moribus Persarum agit: « Indumentis plerique eorum ita operiuntur lumine colorum fulgentibus vario; ut licet sinus lateraque dissuta relinquant flatibus agitari ventorum, inter calceos tamen et verticem nihil videatur intectum. Armillis uti monilibusque aureis et gemmis, præcipue margaritis, quibus abundant, adsuefacti post Lydiam victam et Crœsum. » Abjiciunt autem, ut supplicantes videantur, cultuque sordido victos se profiteantur.

205. *Pigrosque Triones*, Ursam majorem et minorem. Vocantur *gelidi* apud Ovid. Met. II, 171. — *Pigros* vel idem significat, vel spectat ad tardum eorum cursum. Loca autem septentrionalia intelligenda sunt.

206, 207. *Vapores solis.* Ulterius progredimini quam Hercules versus Occidentem, et Bacchus versus Orientem progressi esse dicuntur. Cf. Virgil. Æn: VI, 802 sqq. Horat. Od. III, 3, 9 sqq. ibi vid. Jani Sil. Italic. XVII, 638 sqq. Dionys. de Situ Orb. 623 sqq.

Herculeum finem, Bacchi transcurrite metas,
Vestri juris erit quidquid complectitur axis.
Vobis rubra dabunt pretiosas æquora conchas,
Indus ebur, ramos Panchaia, vellera Seres.

208. *Finem*, columnas Herculis.

209. *Axis*, cælum, quod complectitur universum terrarum orbem.

210. *Rubra æquora.* Sinus Persicus margaritis nobilis. — *Dabunt*, vectigalium nomine. — *Conchas*, baccas. Heyne ad Tibull. II, 4, 30, qui laudat. Burmann. ad Ovid. A. A. III, 124.

211. *Ramos*, sc. thuriferos; cf. Virgil. Georg. II, 116 sq. Broukhus. ad Tibull. II, 2, 4. — *Panchaia*, Arabiæ Felicis regio. Ovid. Met. X, 307 sqq. — *Vellera Seres.* Cf. I, 179, et ibi v. n.

VIII.

CL. CLAUDIANI

DE QUARTO CONSULATU

HONORII AUGUSTI

PANEGYRIS.

ARGUMENTUM.

Honorio Augusto consulare munus quartum adeunte, pompa solemnis procedit; magistratus, milites togati sequuntur, nec non Bellona ipsa et Mars; 1—17. Dandum est hoc generi illustri, quod a Trajano repetitur et ab Oceano; 18—23. Hinc avus ortus, qui victor omnem fere terrarum orbem peragravit, et a Theodosio filio tantum superatus est, qui res, quascumque gessit, propter solam laudem suscepit; 24—47. Hic, quum imperium ei, barbaris gentibus omnia vastantibus, ultro delatum esset, terrarum orbem servavit; 48—70. Conflictandum ei fuit cum Maximo et Eugenio, qui victi, supplices veniam vitamque rogabant; sed utriusque interitus documento fuit, nihil tutum esse tyrannis, omniaque meliori causæ cedere. Reliquis civibus Theodosius pepercit, eosque liberalitate devinxit; 71—121. Cui, quum jam Imperator esset, Honorius natus est Constantinopoli, illustriori ob id ipsum, quam ea loca, in quibus Dii geniti dicuntur; 122—138. Magnitudinem futuram Honorii, in purpura nati, omina portendunt, omnesque vates canunt, idemque annus et natum eum vidit, et consulem; 139—158. Ipsæ deæ curam infantis gerebant, eumque diademate ornatum patri mater ludens osculandum subinde porrexit, nec multo post factus est Cæsar

diis approbantibus; 159—199. Puer adhuc, sagittandi et jaculandi artem didicit; 200—202. Pater lætus duobus pueris, eodemque curru cum illis vectus, Honorium domi in hanc fere sententiam alloquitur : « In Parthorum aula nato generis claritas sufficit, Principi Romano virtute opus est. Hæc in potente illustrior, in obscuro latet. Cognitione sui ipsius, continuoque perturbationum imperio illa tandem adquiritur; 203—227. Prometheus corpori tres animas (τὸ ἡγεμονικὸν, τὸ θυμικὸν, τὸ ἐπιθυμητικὸν) inclusit, quarum duæ cum corpore moriuntur, reliqua ei superstes est; hanc in capite, τὸ θυμικὸν in corde, τὸ ἐπιθυμητικὸν in jecinore locavit. Inde oriuntur perturbationes, in quibus domandis consistit animi securitas et vera libertas; 228—268. Princeps in conspectu omnium vivit, nec latere potest; 269—275. Pietas et amor firmissima sunt munimenta; ipsa rerum universitas amore continetur. Terrore nemo tutus præstatur; 276—293. Principis vita plus valet, quam leges; 294—302. Fuge superbiam, quam, ut multis exemplis constat, Romani non possunt ferre; 303—319. Disciplina militaris tibi curæ sit, præcipueque tuo ipsius exemplo milites doce; » 320—352. Ad hæc Honorium poeta inducit respondentem, se omnia facturum; deinde ex patre quærentem : cur se verbis potius quam ipso rerum usu erudiat, quin secum ducat contra hostes bello jam maturum? 353—369. Pater subjicit, se agnoscere animum generosum, qui promittat, eum olim Alexandro non minorem fore. Ne properet tamen, hortatur, sibique parcat; regnum eum pacatum accepturum : interim literis operam det, animumque locupletet antiquitatis exemplis, moresque formet. Hæc præcepta Honorio dat pater longo rerum usu eruditus; 370—427. Jam ad Theodosium poeta orationem convertit, eumque de cælo despicere jubet, atque videre, quemadmodum Stilichonis præcipue opera, voti sui compos sit factus; 428 — 438. Hic Stilicho jussus, Germanos aggreditur, qui attoniti pacem statim petunt, atque tunc primum sola formidine vincuntur; 439—459. Pari felicitate Græciam liberat, Barbaros fundit fugatque, quorum Getarum gens, olim numerosissima, pæne exstincta est. Omnes Barbari sponte se submittunt; 460—487. Nunc bonorum virorum delectu, et bello et paci consulitur, nunc rerum status maxime quietus est. Princeps justus, moderatus, sapiens rerum administrator, eloquens, patrem referens, decorus in armis,

dexter in tractandis telis, et equitandi artis peritissimus; 488—564. Comparatur pompa ejus consularis cum illa, in qua dii Ægyptii portari solent, ejusque apparatus describitur; 565—610. Memorat alias res, quibus aditus quarti consulatus solennior factus est, spesque ab omnibus conceptas; fore, ut hic quoque consulatus rebus strenue gestis insigniatur. Primo enim consulatu Odothæum, Gruthungorum regem, cæsum esse; secundo, civile bellum profligatum; 611—636. Illa quidem facta sunt Theodosio duce, sed auspiciis Honorii, cujus ductu et alia peragentur; 637—640. Optat poeta denique perpetuum Honorio consulatum, et ut sibi contingat nuptias olim Principis carminibus celebrare; 641—650. Postremo et Arcadio et Honorio victoriam de Germanis Parthisque prædicit.

Auspiciis iterum sese regalibus annus
Induit, et nota fruitur jactantior aula;
Limina nec passi circum privata morari
Exsultant reduces, Augusto consule, fasces.
Cernis ut armorum proceres, legumque potentes,

1, 2. Initium est splendidissimum. Annus in personam mutatus, gaudet honore suo, quum Principis nomine inclarescat. Ipse inducitur hoc honore se ornans tanquam veste insigni. —*Regalibus auspiciis*, id est, imperatoriis. Proprie dicendum fuisset: nomine consulis, qui idem Imperator est. Sed *auspiciis* posuit, quia olim præcipue consules auspicia habebant, et ab iis earum rerum gloria pendebat, quæ per totum annum publice gererentur. —*Induit*. Sic Stat. Silv. I, 4, 17, et infra XXVIII, 650 sq. — *Jactantior*, gloria superbiens; Stat. Sil. IV, 1, 6. — *Nota aula*, id est, Principe, qui jam quartum consul est. Cæterum hunc consulatum gessit Honorius A. V. 1150, A. C. 398, Fl. Eutychiano collega.

3, 4. Non minus splendida sunt, quæ sequuntur *Fasces nec passi morari*, qui quasi inviti caruere consule Imperatore. —*Circum privata limina*, circum privatas domos, aut circa privatos (infra 414). — *Exsultant*, lætitia gestiunt, *reduces*, quasi ad suos lares, ad Imperatorem, a quo inviti discesserunt. — *Augusto consule*. Primus Imperator et consul Cæsar fuit. Lucan. V, 386 sqq.

5. *Cernis*. Tanquam rem, ut geratur, describat. Callim. H. in Apoll. 4. Stat. Silv. IV, 1, 23. Heins. ad Valer. Flacc. V, 595. Broukh. ad Tibull. II, 1, 25. —

Patricios sumunt habitus, et more Gabino
Discolor incedit legio, positisque parumper
Bellorum signis, sequitur vexilla Quirini?
Lictori cedunt aquilæ, ridetque togatus
Miles, et in mediis effulget Curia castris.
Ipsa Palatino circumvallata Senatu,
Jam trabeam Bellona gerit, parmamque removit
Et galeam, sacras humeris vectura curules.

Armorum proceres, ut *castrorum principes* apud Lucan. VII, 96 sqq. sunt duces, et *legum potentes* magistratus civiles.

6. *Patricios habitus.* Non senatorios, sed quales patricii gestabant. Vestes omnino intelliguntur, quæ ostentationi et pompæ inserviunt. De patriciis v. infra. — *More Gabino;* v. supra ad VII, 3.

7. *Discolor legio;* Barthius et Gesnerus dicunt, milites partim togis albis indutos partim, sagulis rubris apparuisse. At omnes milites erant nunc togati: nam cinctus Gabinus in toga tantum locum habet. *Discolor* alia ratione forsan possis explicare. Milites nempe tunicas gerebant russas, quibus in præsentia togæ albæ injectæ erant. Ferrar. de Re vest. III, 11. Nihil tamen amplius significatur, quam color diversus a solito vestimentorum militarium colore.

8. *Sequitur vexilla Quirini.* Delrius notat, animadvertisse et alios, vexillum senatus argenteum fuisse, et in comitiis passim et pompis senatui præferri consuevisse. Eadem fere Barthius et Gesnerus habent. Burmannus vexilla non proprie sumi putat, sed milites habitu civili sequi consulis auspicia et pompam, ut ita, signa alicujus sequi, dici solet, et similia. Mihi videntur vix opponi posse *vexilla Quirini* illis *signis bellorum*. Forsan rectius *vexilla Quiritum*. Verum de illis vexillis, de quibus Delrius loquitur, res est obscura. Probabile autem est, vexillorum usum fuisse in illis pompis consularibus saltem illa tempestate; prius enim non memini illorum mentionem fieri.

9. *Lictori cedunt aquilæ.* Honorium non cingunt aquilæ ut Imperatorem, sed lictores ut consulem. — *Ridet* ad speciem pertinet hilarem, quam præbent milites togati, civilique ratione compti et exornati. Cf. X, 191 sq.

10. *Curia* pro senatu occurrit apud Lucan. I, 266 sq. hoc loco pro aula positum videtur, vestitu senatum referente. — *Effulget* splendorem cultus innuit.

11 — 13. Bellona ipsa, trabea, non illa consulari, sed ea, qua equites in transvectione uti solebant, induta procedit, comitantibus aulicis, ad Imperatorem in pompa portandum. — *Palatino senatu*, id est, purpuratis habitu senatorio. — *Circumvallata*, cincta. — *Sacras curules.* Sic Lucan. III, 105 sq.

.... Non consule sacræ
Fulserunt sedes

De pompa illa consulari sub Im-

Nec te laurigeras pudeat, Gradive, secures
Pacata gestare manu, Latiaque micantem
Loricam mutare toga, dum ferreus hæret
Currus, et Eridani ludunt per prata jugales.
Haud indigna coli, nec nuper cognita Marti
Ulpia progenies, et quæ diademata mundo
Sparsit, Ibera domus; nec tantæ vilior unda
Promeruit gentis seriem; cunabula fovit
Oceanus; terræ dominos, pelagique futuros
Immenso decuit rerum de principe nasci.

peratoribus legendi sunt Mamertin. in Panegyr. Vet. X, 30; Ammian. Marcell. XXII, 9: ibi v. Vales. Imperatores ipsi consulari officio adesse tunc temporis solebant. Æl. Lamprid. in Adriano 9. Bellonam hoc loco pro militibus, seu potius equitibus positam esse, ut Barthius et Gesnerus existimant, mihi non placet. Est hoc mera fictio poetica, cujus memor esse debuisset Noster infra v. 584.

14. *Laurigeras secures.* Utrum semper in pompa consulari fasces laureati consulibus præferrentur (ut propemodum colligi posse videtur ex Martial. X, 10), an hoc insigni principes a privatis dignoscerentur (Herodian. VII, 6, 2 sq.) incertum mihi est. Quod Delrius notat: quum consules vel imperatores præclaram aliquam victoriam essent consecuti, tum eos lictores laureatos cum fascibus laureatis præcessisse, huc non pertinet.

16, 17. *Hæret Currus*, vacuus stat equis solutis, ut libere pascantur.

18. *Haud indigna coli.* Per hæc transitum facit poeta ad laudes generis. Sententiarum nexus hic est: Haud immerito tanto honore prosequuntur Honorium; talem enim postulat generis splendor, quod a Trajano repetit. — *Cognita Marti*, rebus bello gestis clara. Sil. Ital. III, 335, et XII, 221 sq.

19, 20. *Diademata sparsit*, imperatores multos dedit. — *Ibera domus*, Hispanica. Cf. infra XXIX, 63 sq. — *Nec unda vilior*, nec vilis aliquis fluvius, *promeruit seriem tantæ gentis*, id est, consecutus est, ut ab eo, tamquam gentis auctore, series gentis inciperet. Cf. infra XII, 31 sqq.

21, 23. *Cunabula fovit Oceanus*, id est, cunabula gentis fuere in Oceano, ab Oceano gens originem repetit. Cf. infra XXVIII, 651. — *Terræ pelagique*, totius terrarum orbis. — *Immenso rerum principe.* Apud Homerum est Oceanus communis pater omnium fluminum et fontium. Il. φ, 195; ξ, 246; a philosophis ac poetis philosophemata decantantibus, pater est omnium rerum constitutus. Orph. Hym. pag. 178. Eschenb. Hoc secutus est Virgil. Georg. IV, 382. Cæterum his innuit poeta, ipsum Oceanum esse auctorem Ulpiæ gen-

Hinc processit avus; cui, post Arctoa frementi
Classica, Massylas annexuit Africa lauros.
Ille, Caledoniis posuit qui castra pruinis,
Qui medios Libyæ sub casside pertulit æstus,
Terribilis Mauro, debellatorque Britanni
Litoris, ac pariter Boreæ vastator et Austri.
Quid rigor æternus cæli, quid sidera prosunt,
Ignotumque fretum? maduerunt Saxone fuso

tis, et ratio ipsa, qua id exprimit, ex altera parte adulandi audaciam minuere, ex altera omnia tribuere huic generi videtur. Vid. supra VII, 176 sqq.

24, 25. *Hinc*, ex gente Ulpia. —*Avus*, Theodosius Comes. Vid. supra VII, 52, quem alii patruum Theodosii M. sed adoptione patrem, alii revera naturaque patrem fuisse dicunt. Cf. Pacat. in Panegyr. Vet. XII, 5, 6; Symmach. X, 22; Oros. VIII, 33. — *Cui frementi. Fremere* de pugnatore sæpe dicitur, qui, quum aggreditur hostem, virtutem clamore testatur. Virgil. Æn. XII, 535; inde sæpe pro *sævire* ponitur Sil. Ital. V, 457. Prior vis etiam infra occurrit XVIII, 504:

...Agnosco fremitum, quo palluit Hebrus,
Quo Mauri Gildoque ruit.

Apud Græcos est ὁμοκλή. Quint. Calab. V, 394. — *Post Arctoa classica*, id est, domitis trans Rhenum barbaris. V. Pacat. loc. cit. cap. 5; Ammian. Marcell. XXVII, 1, 2; sed sine Theodosii Comitis mentione. — *Annexuit*, prioribus lauris addidit. Sil. Ital. XV, 805. — *Massylas*, Libycas; Amm. Marcell. XXVIII, 6. Plura de hac gente ejusque moribus notata vid. apud Lucan. IV, 682, ed. Oudendorp.

26. *Caledoniis pruinis*. Ammian. Marc. XXVII, 8; Tacit. Agric. cap. 27 sqq.

27, 29. *Medios æstus*. Infra XV, 317; XXXV, 106. — *Sub casside*, in armis. His versibus priora iterantur.

30. *Rigor æternus cœli*, frigus perpetuum, perpetua cæli inclementia. — *Sidera* omnem cæli rationem, frigus et æstum designat. Plin. Paneg. 12, 3. Barth. ad Stat. Theb. V, 459. Gronov. Observ. III, 15, et infra 444. Hoc loco æstum, calorem esse, putat Barth. ad Stat. Theb. I, 305. Sed neque *frigus* significare potest, quia præcessit *rigor cœli*, nec poetæ solent expressioni, cujus vis finita est, aliam subjungere, quæ potestatem habet indefinitam et vagam; neque *æstum* notare videtur, quia et quod præcedit, et quod sequitur, ad regionem spectat septentrionalem, et *caloris* infra, v. 34, mentio fit. Jungendum est cum sequentibus, ut,

..........quid sidera prosunt
Ignotumque fretum,

positum sit pro: quid sidera prosunt ignoti freti, id est, quid tempestates ignoti freti valuerunt contra virtutem Theodosii? C. Cf. Serv. ad Virg. Æn. IV, 309.

31, 32. *Saxone fuso*. Saxones erant piratæ. Infra XXII, 255;

Orcades; incaluit Pictorum sanguine Thule;
Scotorum cumulos flevit glacialis Ierne.
Quid calor obsistit forti? per vasta cucurrit
Æthiopum, cinxitque novis Atlanta maniplis.
Virgineum Tritona bibit, sparsosque venenis
Gorgoneis vidit thalamos, et vile virentes
Hesperidum risit, quos ditat fabula, ramos.
Arx incensa Jubæ, rabies Maurusia ferro
Cessit, et antiqui penetralia diruta Bocchi.
Sed laudes genitor longe transgressus avitas,

Sidon. Apoll. Epist. VIII, 6; Oros. VII, 32. Orcades insulæ fortasse latebræ erant, ad quas confugerent, si acrius bello premerentur, aut habitabantur jam ab illis. — *Thule*. Supra VII, 53.

33. *Ierne. Hibernia*, apud Tacitum in vit. Agric. 24; *Iuverna* apud Pompon. Mel. III, 6. Ad expeditionis difficultatem augendam, poeta loca septentrionalia semper gelu rigentia, meridionalia æstu torrida describit. — *Cumulos*, scilicet cæsorum. Lucan. VI, 180; VII, 790. — *Flevit*. Lucan. II, 164 sq.

35. *Novis*, iis locis nunquam visis. — *Atlanta*. Herodot. IV, 184.

36, 37. *Virgineum Tritona*. Palladis natales a quibusdam ad Tritonidem paludem referuntur. Herodot. IV, 188; Apollon. Rhod. IV, 1310 sq.; ibi vid. schol. Hinc etiam *virgineus* dicitur. — *Sparsosque venenis Gorgoneis*. Phorcydum aut Gorgonum sedes ab antiquioribus in extremo occidente, marisque Atlantici insula, ab recentioribus in Libyæ oris ponebantur. Heyne ad Apollod. I, 2, pag. 24 sq.; II, 4, p. 295 sqq.; interpp. ad Hesiod. Theog. 270 sqq.; Lucan. IX, 624 sqq.; Ovid. Metam. IV, 768 sqq.; Schol. ad Pind. Nem. X, 6. — *Thalamos*, sedes. — *Vile virentes*, id est, non aureos, sed vili viriditate. Respexit Ovid. Metam. IV, 636, qui *frondes* vocat *auro radiante virentes*.

38. *Hesperidum ramos. Hesperides* Noctis filiæ, quæ in extremo occidente arbores custodiebant poma aurea ferentes. Vid. Heyne Comment. in Hesiod. Theog. 141; Apollon. Rhod. IV, 1396 sqq.; ibi schol. Spanheim. ad Callim. Hymn. in Cer. 11. — *Quos ditat fabula*, id est, quos fabulæ poetarum aureos, aurea ferentes poma, finxit. Cognita rei veritate, repudiavit fabulas Theodosius. Verum, quum in antiquis fabulis proferendis tam multus sit Noster, non attinuit sane, in hac fidem earum frangere. Nam non magis videre potuit Theodosius *thalamos venenis Gorgoneis conspersos*.

39, 40. *Rabies Maurusia*, id est, Afrorum rabies, seu Maurorum. Ammian. Marcell. XXIX, 5. Cæterum Juba Jugurtham Romanis tradiderat, Bocchus ob fidem in Pompeium nobilis erat. — *Penetralia*, sedes.

41. Transit jam ad laudes Theo-

Subdidit Oceanum sceptris, et margine cæli
Clausit opes, quantum distant a Tigride Gades,
Inter se Tanais quantum Nilusque relinquunt.
Hæc tamen innumeris per se quæsita tropæis.
Non generis dono, non ambitione potitus;

dosii M. Conf. Pacat. in Panegyr. Vet. XII, 22.

43. *Quantum distat*, etc. Repetendum videtur ex antecedentibus *subdidit*. Verum, quum jam dixerit:

Subdidit Oceanum sceptris, et margine cæli
Clausit opes,

hæc ad uberiorem sententiæ explicationem adjecta languescere pæne videntur, ut omittam, ellipsin paullo duriorem esse.

45, 46. *Hæc* omnino ad res gestas spectat, et ad nominis claritatem inde partam. Sensus autem ita constitutus, ut *per se* sit: sua virtute, suisque laboribus, et opponatur τῷ *generis dono* atque *ambitioni*, et *tamen* plane ineptum reddit, et languorem toti loco inducit. Quum enim jam dictum sit v. 41 sqq. Theodosium imperii fines, qua terræ pateant, armis proferendo, laudes genitoris superasse, quid quæso attinuit adjicere: hanc tamen laudem non generi, non ambitioni, sed virtutibus suis debet? Majus igitur distinctionis signum post *tropæis* posui, et *per se* ita interpretor: gloriam quæsivit ipsius gloriæ causa sua sponte, sua ipsius natura, qua ad gloriæ cupidinem ducebatur, non eo consilio, ut opibus inde collectis regnum affectaret. Hæc ratio optime convenit cum sequentibus, si pro *potitus* legas *petitus*, nisi *potitus* sensu passivo accipere malis, ut apud Coripp. I, 1, ubi quoque Rittershusius *petitus* mavult. Pacat. loc. cit. 12: «Solus igitur, Auguste, solus, inquam, omnium, qui adhuc imperaverunt, ut princeps esses, præstitisti. Alios empta legionum suffragia, alios vacans aula, alios affinitas regia imposuere reipublicæ; te nec ambitus, nec occasio, nec propinquitas principem creaverunt. Nam et eras a familia imperatoris alienus, et adsciscebaris tertius, et cogebaris invitus, invitus inquam. Conf. infr. X, 261 sqq.; XXII, 156. Valente enim, Valentiniani I fratre, a Getis, quorum ingentem multitudinem, qui Hunnos urgentes fugerent, imprudenti consilio in Thraciam acceperat, sedesque ibi illis dederat, duobus annis post victo et occiso (A. C. 378), Gratianus, Valentiniani I filius, viginti annos natus, quanquam fortis ipse et strenuus, ingruentibus tamen undique barbaris parem se haudquaquam existimans, Theodosium ex Hispania regni socium accivit, eique cum maxima parte Illyriæ provincias Valentis tradidit tuendas, a barbaris jam occupatas et direptas, præsertim quum a Valentiniano II fratre suo, septimum tum annum agente, nihil auxilii posset exspectare, in cujus sortem Italia, Africa et reliqua Illyriæ pars venerat. Quod ut faceret, compulit eum quoque Theodosii Comitis memoria, quem optime de republica rebus suis bello sub Valentiniano I gestis me-

Digna legi virtus : ultro se purpura supplex
Obtulit, et solus meruit regnare rogatus.
Nam quum barbaries penitus commota gementem
Irrueret Rhodopen, et mixto turbine gentis,
Jam deserta suas in nos transfunderet Arctos;
Danubii totæ vomerent quum prælia ripæ,
Quum Geticis ingens premeretur Mysia plaustris,
Flavaque Bistonios operirent agmina campos :
Omnibus afflictis, et vel labentibus ictu,
Vel prope casuris, unus tot funera contra

ritum, falsis criminibus circumventum, non longe post ejus de Firmo triumphum Carthagine interfici jusserat.

46. *Non generis dono.* Nulla enim cognatione Gratianum attingebat. — *Dono.* Confer. Ovid. Trist. IV, 10, 8. — *Non ambitione*, seu ejus ipsius, seu militum *petitus*, scilicet est. Nam *ambitione* interdum ponitur pro precibus aliorum ambitiosis. Ovid. Metam. IX, 431.

47. *Digna legi virtus. Legi* judicium Gratiani respicit de dignitate Theodosii prius factum. Pacat. loc. cit. 11. — Sub *purpura* ipse Gratianus possit intelligi; verum, quum sequatur *obtulit*, imperium melius intelligitur.

48. *Rogatus.* Idem de Tiberio dicit Ovid. ex Ponto IV, 13, 27 sq.; sed conf. Tacit. Ann. I. 11 sq.

49. *Nam quum barbaries*, etc. Themist. Orat. XIV, pag. 182, ed. Harduin.; Zosim. lib. IV, 24; Oros. lib. VII, 34.

50. *Rhodopen*, Thraciam. — *Gentis.* Recte Gesnerus pro casu quarto accipit. — *Mixto turbine*, colluvie victricium et victarum gentium. In illis enim barbarorum turbis, victrices gentes victas secum solebant abripere, junctisque viribus alias regiones aggredi.

51. *Deserta.* Eadem ratione *vacuo*, supra V, 427. Sic quoque copiam respiciens Euripid. in Rhes. 277 : Ποίας πατρῴας γῆς ἐρημώσας πέδον.

52. *I omerent.* Virgil. Georg. II, 462, pro : effunderent. — *Prælia*, præliantes, hostes, Propert. III, 9, 10.

53. *Ingens Mysia* vocatur secundum Barthium, quia magnam partem Thraciæ et Phrygiæ complectebatur. Burmannus *ingens* positum putat pro : tota, omnis, qua patet, nulla excepta parte, laudatque Val. Flacc. IV, 210. Cæterum a Pannonia incipit ea provincia ad Pontum usque cum Danubio decurrens. Plin. Hist. Natur. lib. III, cap. 26.

54. *Flavaque agmina*, scilicet barbarorum septentrionalium propter crines flavos ita dictorum. — *Bistonios*, Thracios.

55, 56. Quum jam omnes hac clade (*ictu*) vel oppressi essent, vel opprimerentur, vel calamitas illis prope instaret. — *Tot funera contra*, id est, tantæ cladi restitit, finem imposuit.

Restitit, exstinxitque faces, agrosque colonis
Reddidit, et leti rapuit de faucibus urbes.
Nulla relicta foret Romani nominis umbra,
Ni pater ille tuus jam jam ruitura subisset
Pondera, turbatamque ratem, certaque levasset
Naufragium commune manu: velut ordine rupto
Quum procul insanæ traherent Phaethonta quadrigæ,
Sæviretque dies, terramque et stagna propinqui
Haurirent radii, solito cum murmure torvis
Sol occurrit equis; qui postquam rursus heriles
Agnovere sonos, rediit meliore magistro
Machina, concentusque poli, currusque recepit
Imperium, flammæque modum: sic traditus illi,
Servatusque Oriens: at non pars altera rerum

57, 58. *Agrisque colonos Reddidit.* Conf. infra XXVI, 42. — *Faces*, incendia. — *Faucibus.* Conf. Barth. ad Stat. Theb. VIII, 378.

59. *Umbra*, vestigium.

60 sq. Theodosius subit onus jam jam ruiturum, navem a naufragio servat, et comparatur cum Phœbo, ordinem rerum post Phaethontis cladem restituente. — *Jamjam ruitura pondera.* Cf. supra III, 273 sq.; V, 94 sq. — *Turbatamque ratem*, quæ jam in eo erat ut mergeretur. Burmannus hoc cum *subisset* conjunxisse videtur, quum post ratem posuerit (;): melius tamen, ut mihi quidem videtur, ad sequentia trahi potest, ut *turbatamque ratem*, et *Naufragium commune* dictum sit pro, naufragium commune turbatæ ratis. Cæterum conf. Sidon. Apoll. Carm. II, 14 sqq.

62. *Ordine rupto.* Ordine rerum perturbato dum solis currus de solito itinere deflexisset.

63. *Quum procul*, etc. Cf. Ovid. Metam. II, 201 sq.

64. *Dies.* Solis ardor.

65. *Haurirent*, absumerent. — *Solito cum murmure.* Ovid. loc. cit. 398 sqq. — *Torvis*, consternatis.

68. *Machina*, rerum cælestium ordo. — *Concentus*, harmonia illa cælestis ex dimensis planetarum intervallis; Macrob. ad Somn. Scip. II, 2. Conjunctio illa poeticæ fictionis cum ratione philosophica, quarum altera alteram plane tollit, satis declarat, doctrinam poetæ nonnunquam judicii acumine destitutam fuisse.

69. *Flammæque modum.* Temperamentum flammæ eo recepit, quod ad solitum iter reduceretur, atque in eo maneret. — *Traditus servatusque.* Tradendo servatus est, nec servari poterat, nisi traderetur.

70. *Pars altera rerum.* Occidens. Hunc tuebantur Gratianus et Valentinianus II.

Tradita, bis possessa manu, bis parta periclis.
Per varium gemini scelus erupere tyranni
Tractibus occiduis: hunc sæva Britannia fudit;
Hunc sibi Germanus famulum delegerat exsul.
Ausus uterque nefas, domini respersus uterque
Insontis jugulo: novitas audere priori
Suadebat, cautumque dabant exempla sequentem:
Hic nova moliri præceps; hic quærere tuta
Providus: hic fusis, collectis viribus ille:

71. *Bis possessa manu*, bis occupata virtute, bellis. Quæ sequuntur, idem significant.

72. *Per varium scelus.* Infra 75 sq.

73. *Hunc sæva Britannia fudit.* Maximum intelligit natione Hispanum, et Theodosii M. in Britannia olim commilitonem. Is moleste ferens, Theodosium imperatorem esse factum, seque ad nullum magistratum honorificum promotum, a militibus a se concitatis imperator factus trajecto e Britannia in Galliam exercitu Gratianum prælio superat. Hic cum trecentis equitibus, insequente Maximo, fugit, et Lugduni per insidias interficitur. Zosim. IV, 35; Socrat. H. E. V, 11; Sozomen. H. E. VII, 13; Oros. VII, 34; Victor. Epit. 47; A. C. 383. Quibus auditis Theodosius metuens, ne Valentinianum II quoque aggrederetur, bellum parare cœpit. Sed per legatos certior factus, Maximum provinciis, quæ Gratiani fuerant, contentum fore, in imperii societatem eum recipit Zosim. IV, 37. Quum autem A. C. 387 Valentinianum ipsum adortus esset, regnoque expulisset, Theodosius in auxilium vocatus bello eum aggreditur, duobus præliis vincit (Pacat. Panegyr. Vet. XII, 34—36. Ambros. Epist 7, Aquileiaque, quo cum reliquiis exercitus confugerat, vi capta, traditum securi percussit. Zosim. IV, 46; Pacat. l. c. 43; Socrat. V, 14; Oros. VII, 35.

74. *Hunc sibi Germanus*, etc. Cf. not. ad VII, 63 sqq. — *Germanus exsul*, Arbogastes natione Francus, et a popularibus suis expulsus. — *Famulum*, Eugenium, qui ei a manu fuerat.

75. *Domini.* Maximus nempe Gratiani, Arbogastes Valentiniani.

76. *Novitas.* Gesnerus explicat: inaudita fere felicitas, et successus prosper. Nonne potius ex opposito *exempla* versus sequentis interpretatio petenda est? *novitas*, quum nemo ante contra Theodosium arma capere ausus esset; res ipsa nondum tentata felicem exitum habitura esse illi videbatur; inde nata est audacia nullo adversi eventus exemplo imminuta.

77. *Exempla*, Maximi exitus.

78. *Nova moliri*, imperium adfectare. — *Præceps*, audacter omnia, sed parum caute agens.

79. Sensus: ille nihil timens

Hic vagus, excurrens; hic intra claustra reductus:
Dissimiles, sed morte pares: evadere neutri
Dedecus, aut mixtis licuit procumbere telis.
Amissa specie, raptisque insignibus, ambo
In vultus rediere suos, manibusque revinctis
Oblati gladiis submittunt colla paratis,
Et vitam veniamque rogant: proh damna pudoris!
Qui modo tam densas nutu movere cohortes,
In quos jam dubius sese libraverat orbis,
Non hostes victore cadunt, sed judice sontes.
Damnat voce reos, petiit quos Marte tyrannos.
Amborum periere duces: hic sponte carina
Decidit in fluctus; illum suus abstulit ensis.

exercitum nimis disperserat, hic providus collectis viribus semper utebatur.

80. *Reductus*, latens, remotus.

81. *Dissimiles*, sc. in belli gerendi ratione.

82. *Dedecus*, mortem ignominiosam. — *Mixtis telis* idem valet ac, in acie.

83. *Specie*, splendore, quem insignia illis præbebant. Pacat. l. c. 43.

84. *In vultus rediere suos*, id est, in habitum humilem, vultumque priorem dejectum, quum alter lixa, alter grammaticus fuisset.

86. *Proh damna pudoris!* Lucan. IV, 231; VIII, 750. Proh amissum pudorem, quod scilicet vitam veniamque petere auderent tam atrocibus factis admissis, quodque, qui paullo tantos spiritus sumpsissent, mortem tantopere reformidarent.

87. *Densas*, numerosas. — *Nutu*, levissima voluntatis significatione.

88. *In quos jam dubius*, etc. Imperatores romani dicebantur sustinere orbem, quatenus orbis terrarum imperium iis impositum erat. Jam vero in dubio erat, utrum Theodosius, an Maximus et Eugenius rerum essent potituri. Dubius igitur orbis erat, in cujus humeris se reponeret: id enim exprimit *libraret*, id est, ita poneret, ut pondera ubique æqualia essent. Et quum parum abesset, quin illi victoriam de Theodosio reportarent, mundus dubius in eos tantum non se libraverat, se in iis reposuerat. Cf. Senec. Thyest. 697 sq.

89, 90. *Non hostes victore cadunt.* Non ab ipso victore in acie interficiuntur armati. Brevitas et oppositorum inter se concinnitas in his versibus notanda est. — *Hostes*, *sontes*; *victore*, *judice*; *reos*, *tyrannos*; *voce*, *Marte*.

91, 92. *Amborum duces.* Andragathius Maximi, et Arbogastes Eugenii: Zosim. IV, 47, 58; Socrat. H. E. V, 24. — *Hic*, Andraga-

Hunc Alpes, hunc pontus habet: solatia cæsis
Fratribus hæc ultor tribuit: necis auctor uterque
Labitur; augustas par victima mitigat umbras.
Has dedit inferias tumulis, juvenumque duorum
Purpureos merito placavit sanguine Manes.
Illi justitiam confirmavere triumphi;
Præsentes docuere Deos: hinc sæcula discant
Indomitum nihil esse pio, tutumve nocenti.
Nuntius ipse sui longas incognitus egit
Prævento rumore, vias: inopinus utrumque
Perculit, et clausos montes, ut plana, reliquit.
Exstruite immanes scopulos, attollite turres,
Cingite vos fluviis, vastas opponite silvas,
Garganum Alpinis, Apenninumque nivalem

thius. Audita clade et nece Maximi, cujus filius Victor etiam ab Arbogaste interfectus erat, in mare se præcipitavit. Præerat nempe navibus in mare Ionio. Oros. VII, 35. — *Illum*, Arbogasten. — *Abstulit;* Virgil. Æn. VI, 429.

93. *Hunc Alpes — habet.* Petron. 120: *Crassum Parthus habet.*

94. *Fratribus* Gratiano et Valentiniano II, Valentiniani I filiis.

95. *Labitur*, interfectus corruit. — *Mitigat umbras.* Ex opinione rudis antiquitatis, qua credebant, manes ultione inimicorum delectari. Homer. Il, φ, 26 sqq. ψ, 175 sqq. Virgil. Æn. X, 517 sqq. XI, 81 sq.

96, 97. Eadem fere iterantur. — *Purpureos*, Augustorum, imperatorum.

98. *Illi* junge cum *triumphi.* — *justitiam*, id est, deos justos esse.

99. *Præsentes;* cf. III, 20 sq. deos rebus humanis interesse, et bonorum improborumque rationem habere. Stat. Silv. I, 4, princ.

100. *Pio*, vi oppositi, pro, innocenti. Sententiam hoc versu expressam infra latius prosequitur.

101. *Incognitus* sc. hostibus.

102. *Prævento rumore.* Zosim. IV, 58: Τὰ ἐν μέσῳ πάντα διέδραμεν ἔθνη, καὶ τῆς διὰ τῶν Ἄλπεων παρόδου κρατήσας παρὰ πᾶσαν ἐλπίδα τοῖς πολεμίοις ἐπέστη.

103. *Perculit.* Ad manifestum Dei auxilium ecclesiæ patres hanc victoriam retulerunt. Augustin. de Civ. D. V, 26. — *Clausos;* cf. Oudendorp. ad Lucan. V, 24; Burmann. ad Valer. Flacc. VII, 230. — *Reliquit*, sc. post se, id est, superavit, transgressus est. Facilitatem exprimunt addita. — *Ut plana.* Cf. Burmann. et Heyne ad Virgil. Æn. VIII, 216.

104 — 109. Sententia, quam poeta per hyperbolen expressit,

Permixtis sociate jugis, et rupibus Æmum
Addite Caucasiis; involvite Pelion Ossæ;
Non dabitis murum sceleri; qui vindicet, ibit.
Omnia subsident meliori pervia causæ.

Nec tamen oblitus civem, cedentibus atrox
Partibus infremuit: non insultare jacenti
Malebat: mitis precibus, pietatis abundans,

hæc est: Nullus locus et natura et arte munitissimus nocentem a vindice tutum præstare potest. Pro vallo scopuli et montes altissimi, pro fossa fluvii altissimi, pro sudibus silvæ integræ posita sunt. V. 116.—*Garganum*, montem Apuliæ silvis consitum, hodie, *Monte di S. Angelo*. Horat. Od. II, 9, 7; Virgil. Æn. XI, 247. V. 108. — *Permixtis sociate jugis*, id est, permiscete et confundite, ut unus mons inde fiat altior et munitior prioribus singulis. Sil. Italic. III, 494 sq.

Mixtus Athos Tauro, Rhodopeque adjuncta Mimanti,
Ossaque cum Pelio, cumque Hæmo cesserit Othrys.

Hunc sensum verum esse, ostendunt sequentia *addite*, *involvite*. Barthius legi vult: *Pirenes sociate jugis*, quod Heinsius non improbat, qui sensum totius loci aliter statuisse videtur, quum dicat, Claudianum adlusisse ad Græcum proverbium ὄρος ὄρει οὐ μίγνυται. Sed conjectura nihil opus est. v. 109. — *Murum*, præsidium, quo tectum scelus securum esse possit. Sic vir fortis, qui aliis propugnat, murus vocatur Sil. Italic. II, 576, et XVI, 68; et ἕρκος, ἔρεισμα, πύργος Homer. Il. α, 284; δ, 117; π, 549; Ovid. Met. XIII, 281. — *Qui vindicet, ibit.* Vindex transibit, penetrabit, munimenta. —*Ibit*, sc. in scelus, ut apud Lucan. X, 343.

110. *Omnia subsident*, etc., id est, omnia subsident et fient pervia; munimentorum altitudo quasi deprimetur et evanescet, aditumque facilem præbebit.

111. Venit poeta ad clementiam, qua fuit Theodosius in cives, qui Maximi et Eugenii partes secuti fuerant. De hac quoque egit Pacat. Paneg. Vet. XII, 45, 4 sqq. Ambros. in Oratione funebr. Zosim. IV, 58, 8. — *Oblitus civem*, id est, oblitus, cives esse illos, qui in adversariorum castris fuissent.

112. *Infremuit*, insecutus est, iratum se ostendit. V. supra ad 23. Cf. Lucan. VII, 318 sqq. — *Insultare jacenti* ex antiqui temporis ferocitate petitum, quo insultare solebat victor hosti prostrato, ut sæpius apud Homerum occurrit. V. Heyne ad Virgil. Æn. X, 490 sqq. et Broukh. ad Propert. I, 1, 4. Cf. Barth. ad Stat. Theb. II, 713.

113. *Pietatis*. *Pietas*, hoc loco, non ea virtus est, quam patres ecclesiæ tantopere de Theodosio prædicant, sed caritas civium et clementia; v. infra v. 276. Epistola Antonini philosoph. quam servavit Vulcat. Gallican. in Avid. Cass.

Pœnæ parcus erat; paci non intulit iram
Post acies: odiis idem, qui terminus armis.
Profuit, hoc vincente, capi; multosque subactos
Prospera laturæ commendavere catenæ.
Magnarum largitor opum, largitor honorum;
Pronus et in melius gaudens convertere fata.
Hinc amor, hinc validum devoto milite robur.
Hinc natis mansura fides: hoc nobilis ortu
Nasceris, æquæva cum majestate creatus,

cap. 11: « Non enim quidquam est, quod imperatorem romanum melius commendet gentibus, quam clementia. Hæc Cæsarem deum fecit, hæc Augustum consecravit, hæc patrem tuum imprimis Pii nomine ornavit.

114. *Paci non intulit iram*, id est, civibus, qui arma abjecerant, pepercit. Hoc de Octaviano dicunt Virgil. Æn. VI, 853 sq. et Propert. II, 13, 41 sq.

115. *Post acies.* Bello finito.

116, 117. Non solum clemens fuit in subjectos aut debellatos, sed etiam beneficus. *Profuit, hoc vincente, capi*, id est, victoria profuit victis, quum Theodosius victor esset. Ovid. Met. VIII, 56 sqq. Quæ sequuntur, ita ordines: *catenæ, laturæ prospera, commendavere multos subactos.* Gesnerus hæc ita intelligit: catenæ quosdam commendarunt principi, ipsiusque moverunt misericordiam, hoc est *ferre prospera*, id est, afferre. Verum de misericordia mera hoc loco sermo non est, sed de munificentia, quam multi experti sint, ut victos se esse non solum æquo animo ferrent, verum etiam sibi gratularentur. — *Commendavere* videtur esse dictum pro: cariores reddidere principi, et ob id ipsum feliciores. Cf. omnino Ovid. Heroid. III, 53 sq. Rutil. Itin. I, 63.

118. *Magnarum largitor*, etc. Hunc versum ad verbum fere imitatus est Coripp. in laud. Just. III, 134.

119. *In melius* pro: in meliora. Lucan. VI, 60. Sensus: et pronus erat statum, seu conditionem minus felicem in meliorem convertere.

120. *Hinc amor*, etc. Illa liberalitas et munificentia omnium amorem tibi pepererunt, securitatem et vim (*hinc validum robur*), conciliatis tibi militibus, qui robur imperatoris constituunt. — *Devoto*, tibi dedito.

121. *Hinc natis mansura fides*, sc. civium et militum. Illæ virtutes etiam effecere, ut omnes, te rebus humanis erepto, in fide manserint, nec a filiis tuis defecerint. — *Hoc nobilis ortu*, etc. Jam transit ad ipsius Honorii laudes. *Hoc ortu* pro, hoc patre.

122. *Æquæva cum majestate*, id est, majestate æque longa, ac vita tua est, quum patre Augusto natus sis: qui honos non contigit Arcadio, fratri Honorii.

Nullaque privatæ passus contagia sortis.
Omnibus acceptis, ultro te regia solum
Protulit; et patrio felix adolescis in ostro;
Membraque, vestitu nunquam temerata profano,
In sacros cecidere sinus. Hispania patrem
Auriferis eduxit aquis; te gaudet alumno

123. *Contagia.* Nihil aliud vult dicere poeta quam : privatam conditionem nunquam attigisti, aut nunquam privatus fuisti. Forsan autem non omnino omnis contaminationis et commaculationis vis removenda est; cf. inf. v. 126. Respexit Noster, ut Heinsius putat, Lucan. VI, 741. Observandum quoque est, poetam Honorium Arcadio, sine verbi tamen injuria, præferre ob eam rem, quod princeps natus non factus sit. Idem prædicat de Constantino Eumenius, Panegyr. Vet. VI, 3.

124. *Omnibus acceptis.* Gesnerus *omnibus* ab *omnia* deduxit, sensu, ut ipse vidit, non satis commodo. Recte sensit Burmannus, qui ex sequentibus, quæ opposita sunt prioribus, locum ita interpretatur : omnes reliquos principes regia accepit, in regiam illi delati sunt; tu solus in regia, id est, princeps natus es, te regia protulit.

125. *Patrio in ostro*, id est, in imperatoria patris dignitate.

126. *Vestitu profano*, id est, privatorum vestitu, quo corpus imperatoris, seu imperatoris filii quasi sacrum profanatur.

127. *In sacros cecidere sinus.* Olim quidem apud veteres recens nati nuda in terra sistebantur, invocata Ope, ut eos placidæ terræ sinu excipiens adjuvaret; Sueton. August. 5; Ner. 6; Stat. Silv. V, 5, 69 sqq. deinde in sinus parentum ponebantur; sed probabile est, morem illum priorem jamdudum aboluisse, aliisque ritibus christianis locum fecisse, posteriorem remansisse. *Cadere in sinus sacros* igitur omnes fere exponunt : reponi in gremio sacro patris. Forsan huc pertinet Sidon. Apol. Carm. XXIII, 204 sq.

Quem primo tenero calentem ab ortu
Excepere sinu novem sorores.

Huic rationi tamen τὸ *cecidere* parum convenire videtur. Forsan hæc interpretatio a vero non omnino abhorret : recens natus statim vestibus purpureis exceptus, aut in iis repositus est. Cf. supra N. ad VII, 15. Quibus adde epistolam Ceionii Posthumii ad Ælium Bassianum, quam servavit Jul. Capitol. in Clod. Albino, c. 4: « Filius mihi natus est VII Cal. Decemb. ita candidus statim toto corpore, ut linteamen, quo exceptus est, vinceret. » Cf. Hieronym. in cap. XVI; Ezechiel. — *Hispania*, supra 18 sqq.

128. *Eduxit*, nutrivit, educavit. Propert. III, 7, 51. Sil. Ital. IX, 434. Nost. VI, 1; XV, 303. — *Auriferis aquis.* A Tago ad reliquos Hispaniæ fluvios id transtulisse videtur. — *Te gaudet alumno Bosporus.* Sic infra 211. Castor et Pollux alumni Eurotæ vocantur, et

Bosporus: Hesperio de limite surgit origo;
Sed nutrix Aurora tibi: pro pignore tanto
Certatur: geminus te civem vindicat axis.
Herculis, et Bromii sustentat gloria Thebas;
Hæsit Apollineo Delos Latonia partu;
Cretaque se jactat tenero reptata Tonanti:
Sed melior Delo, Dictæis clarior oris,
Quæ dedit hoc Numen regio: non litora nostro
Sufficerent angusta Deo; nec inhospita Cynthi

supra I, 190, Apollo et Diana Ægæi alumni. Sensus: tu Constantinopoli natus es.

129. *Hesperio de limine surgit origo*, repetis originem ex Hispania. *Limine* dixit solem occiduum respiciens. Burmann. ad Ovid. Am. II, 6, 1. Huic opponitur.

130. *Aurora*, oriens. — *Pro pignore tanto Certatur.* Quia origo gentis in Hispania fuerat, Honorius poterat dici *pignus* occidentis; quia vero natus et educatus fuerat Constantinopoli, oriens eumdem quasi suum *pignus* poterat vindicare. Eodem sensu infra v. 502. — *Pro suo pignore castra laborant*, quia in castris erat educatus. Cæterum *pignora* de liberis et alumnis dici notissimum est.

131. *Geminus axis.* Lucan. VII, 422. Oriens et occidens.

132 sqq. Multa loca deorum ortus nobilitavit; ille locus autem longe nobilior est, ubi Honorius lucem adspexit. — *Bromii*, Bacchi. —*Sustentat*, nobiles facit, vel memoriam tuetur. *Sustentare* pro, tueri, habet Virgil. Æn. XI, 224. Notum est, Thebas ab Alexandro magno dirutas esse, Pindarique domum solam relictam; Ælian. V. H. XIII, 7; Polyb. V, 10. A Cassandro restitutæ sunt; Pausan. IX, 7, 1 sq.

Œdipodioniæ quid sunt, nisi fabula, Thebæ,

Ovid. Met. XV, 429. Theodosii M. tempore erat urbs munitissima. Zosim. V, 5. Cæterum cf. Horat. Od. I, 7, 3 sq.

133. *Delos Latonia*; sic Ovid. in Ib. 479; Virgil. Georg. III, 6. — *Hæsit*, ποδῶν ἐνεθήκατο ῥίζας Callim. H. in Del. 54; ibi v. Spanhem. Antequam enim Latonam recepisset, ut secure ibi pareret, Asterie vocabatur, et vaga erat.

134. *Cretaque.* Callim. H. in Jov. 8 sqq. ibi v. Spanh. — *Reptata*, de puero infante, qui nondum erectus incedere potest, sæpius Noster hoc utitur: VII, 22; XXIV, 179. Pacat. in Panegyr. Vet. XII, 4: *et geminis Delos reptata numinibus.* Qui locus comparari potest cum Nostro.

135. *Dictæis oris. Dictæus* mons Cretæ. Creta insula intelligenda est, vel regio circa illum montem, unde Jupiter Δικταῖος vocatur. Callim. H. in Jov. 4. Cf. Virgil. Georg. IV, 152.

136. *Numen*, Honorium.

137, 138. *Angusta litora.* Insu-

Saxa tuos artus duro læsere cubili.
Acclinis genitrix auro, circumflua gemmis,
In Tyrios enixa toros: ululata verendis
Aula puerperiis: quæ tunc documenta futuri?

læ. — *Inhospita Cynthi Saxa. Cynthus* Deli mons, Κύνθος παιπαλόεις Homer. H. in Apoll. 141. In hoc monte, aut in ejus radice, ad fluvium Inopum, enixa est Latona Apollinem; l. c. 17 sq. Cf. Callim. H. in Del. 206 sqq. qui nihil de monte dicit. — *Duro cubili.* At Homer. l. c. 117 sq. de Latona:

............γοῦνα δ' ἔρεισε
Λειμῶνι μαλακῷ,

et Callim. loc. cit. 264:

Αὐτὴ δὲ χρυσέοιο ἀπ' οὔδεος εἵλετο
παῖδα.

Sed de industria hæc elevat poeta, ut splendidum Honorii partum, Apollinis contra miserum depingat.

139. *Genitrix*, Flaccilla. — *Acclinis.* Valer. Flacc. I, 147; II, 92. — *Auro*, non δίφρῳ λεχιαίῳ aureo, Artemidor. Somn. LXXIII. Sed lecto aureo infra XXII, 34:

Residet fulgente puerpera lecto.

Claverius *circumflua gemmis* explicat ex numismate Cujacii, ubi Fl. Eudoxia, Arcadii uxor, tribus baccarum lineis a summa fronte in papillas pæne defluis expressa erat. Cf. Cangium in Famil. Byzant. pag. 65 et 67, ibique Gallæ Placidiæ et Liciniæ Eudoxiæ imagines.

140, 141. *In Tyrios enixa toros.* Tori purpurei, qui color erat imperatorum, exceperunt Honorium de matre cadentem. Cf. infra X, 340 sq. et supra VII, 15. Quod si legas *in Tyriis toris*, potest de matre intelligi toris purpureis fulta, ἐρειδομένη. — *Ululata. Ululare* etiam transitive poni, notum est. Græcum est ὀλολύζειν. Hoc in gaudio æque ac dolore significando adhibetur. Spanh. ad Callim. H. in Del. 258. Cf. Lucan. VI, 261; Valer. Flacc. IV, 608; Barth. ad Stat. Theb. I, 328; V, 729. — *Ululata aula* ea igitur est, quæ ululatu personat. Verum, quonam ululatu? Barthius ait, ad solemnem circum parturientes clamorem adlusum esse, quo putabant propitiari Lucinam. Huncque clamorem sublatum esse operto capite et lotis manibus. Verum hæc omnia nituntur Plaut. Amphitr. V, 1, 39 sqq. ubi quidem de puerpera sermo est, verum non de iis, quæ puerperæ adsident. Alter locus, quem laudat, est Ovid. Met. IX, 304 sqq. Sed ibi Calmeida convenere Alcmenen cohortandi causa, atque illud *votaque suscipiunt* vix ita potest explicari. Reliqua loca, quæ adfert, huc plane non faciunt, nihilque inde confirmatum esse, jam Gesnerus vidit. Forsan hujusmodi ritum adumbravit Callim. H. in Del. 256 sqq.

Νύμφαι Δηλιάδες, ποταμοῦ γένος ἀρχαίοιο,
Εἶπαν Ἐλειθυίης ἱερὸν μέλος.

Hoc autem fiebat Latona Apollinem jam enixa. Pergit:

............αὐτίκα δ' αἰθὴρ
Χάλκεος ἀντήχησε διαπρυσίην ὀλολυγήν.

Quæ voces avium? quanti per inane volatus?
Quis vatum discursus erat? tibi corniger Ammon,
Et dudum taciti rupere silentia Delphi;
Te Persæ cecinere Magi; te sensit Etruscus
Augur, et inspectis Babylonius horruit astris;

Cf. Homer. H. in Apoll. 119. — *Ululata* non ad genitum et clamores puerperæ cum Gesnero referam. Partu enim edito, quod indicat *In Tyrios enixa toros*, finiti erant gravissimi dolores. Traham illud potius ad strepitum gratulantium, hymnosque sacros canentium. — *Verendis*, venerandis. Infra XXVI, 480. — *Puerperia* accipio pro iis, quæ cum illis conjuncta esse soleut, acclamationibus faustis, hymnis, etc. — *Quæ tunc documenta futuri?* Quæ omina tunc futuram magnitudinem tuam portenderunt?

142. *Voces avium et volatus per inane* spectat ad auspicia oscinum et præpetum. — *Quanti*, quot. — *Per inane*, ἐρήμας δι' αἰθέρος Pindar. Olymp. I, 10; Valer. Flacc. I, 569.

143. *Discursus.* Male Barthius: incerti vagique cursus, quum nihil stati itineris aut cursus sit. Sunt potius cursus ultro citroque acti vatum trepidantium et furore quodam concitatorum, qui fata infantis recens nati canere gestiunt. Quæ sequuntur de oraculis et auguriis, in iis ad augendas et ornandas res adhibitis, more solito nimius fuit poeta; quanquam non in eo culpandus esse videtur, quod parum probabilia finxit. — *Corniger Ammon.* Jovi Ammoni cornua adpicta esse notum est. Cf. Diodor. Sic. III, 73, et quæ laudat Ruperti ad Sil. Ital. III, 666.

144. *Et dudum taciti — Delphi.* Juvenal. VI, 554 sq.

. . quoniam Delphis oracula cessant,
Et genus humanum damnat caligo futuri.

Jam ante pugnam Pharsalicam diu oracula non esse reddita, notum est ex Lucan. V, 69 sq.

. . . multosque obdurta per annos
Delphica fatidici reserat penetralia Phœbi

et 111 sq.

. . . . non ullo sæcula dono
Nostra carent majore deum, quam Delphica sedes
Quod siluit, postquam reges timuere futura,
Et superos vetuere loqui.

Causam silentii Delphici ignorat Cicero, nec minus quo tempore loqui desierit. V. de Divinat II, 57. Minucius Felix in Oct. 26, ait: «de Pyrrho Ennius Apollinis Pythii responsa confinxit, quum jam Apollo versus facere desiisset, cujus tunc cautum et ambiguum defecit oraculum, quum et politiores homines et minus creduli esse cœperunt.» V. ibi interpp. Oracula tamen et serioribus temporibus esse consulta, ex multis locis adparet. Cf. Lucian. Ner. 10, t. III, p. 642, ed. Reiz. Zosim. I, 57.

145. *Magi*, genus vatum apud Persas notissimum. Cic. de Divinat. I, 32. — *Cecinere* et *sensit* ad diversa futuri præsciendi genera spectat. Illi animo divino concitati prædicunt, hi auspicia capiunt, animadvertunt.

146. *Babylonius horruit.* Astrolo-

Chaldæi stupuere senes, Cumanaque rursus
Intonuit rupes, rabidæ delubra Sibyllæ.
Nec te progenitum Cybeleius ære sonoro
Lustravit Corybas : exercitus undique fulgens
Adstitit : ambitus signis augustior infans,
Sentit adorantes galeas, redditque ferocem

giam præcipue Babylone inventam et exultam fuisse, neminem præterit. Verum non genethliacus, ut Barthius facit, cogitandus est, thema nativitatis Honorii inspiciens. Non sine miraculo enim nuncius de Honorio nato, eodem temporis momento, quo natus est, Babylonem pervenire potuisset. Sed astrologus tunc forte cælum contemplans, ex constellatione magnam rerum conversionem futuram, regnumque Persarum interiturum esse præsentit. Hac ratione *horruit* suam vim retinet, quæ minuitur, si fingis hujusmodi hominem Constantinopoli commorantem, astrorumque positionem, quum Honorius nasceretur, contemplantem. Cf. Cicer. de Divinat. I, 23, in fine.

147, 148. *Chaldæi* a Babyloniis divinandi ratione proprie non diversi sunt. Cic. de Divinat. I, 42; II, 42. Tacit. Ann. VI, 20; Juvenal. VI, 554 sq. Sidon. Apoll. Carm. II, 85 sq.

....Chaldæus in extis
Pontificum de more senex arcana peregit
Murmura.

— *Cumanaque rupes.* In monte ad Cumas erat antrum Sibyllæ. *Horrendæ .... secreta Sibyllæ Antrum immane*, sic Virgil. Æn. VI, 10 sq. ibi v. Heyne in not. et excursu III. — *Delubra*, per adposit. — *Rabidæ*, vaticinantis. Cf. Virgil. l. c. 47 sqq.

149, 150. *Cybeleius Corybas*, sacerdos Cybeles, seu Rheæ matris. Corybantes seu Curetes dicuntur saltasse armatam saltationem, ἐνόπλιον κίνησιν, circum Jovem recens natum, ne Cronos vagitum pueri audiret. Callim. H. in Jov. 52 sqq. ibi v. Spanhem. Narrationes de illis Curetis valde confusæ sunt ac perplexæ, sedesque fabularum ab aliis in Phrygia, ab aliis in Creta ponuntur, propter ambiguitatem Idæ, qui mons et Phrygiæ est et Cretæ. Plura v. apud Virgil. Æn. III, 109 sqq. et apud Ruperti ad Sil. Ital. XVII, 18 sqq. — *Lustravit te*, ambit te choro, ut in lustratione fieri solebat. Sil. Italic. II, 266. Virgil. Æn. X, 224. — *Ære sonoro*, τεύχεα πεπλήγοντες, Callimach. loc. cit. armis concussis. — *Exercitus undique fulgens*; cf. supra VII, 16 sq. Cf. Mamertin. Paneg. Vet. I, 1, 2, 3 sqq.

151. *Augustior*, humano major, divinus.

152. *Galeas*, milites. Sua cuique ordini adorandi Principis ratio tunc temporis erat præscripta. V. Procop. in Anecdot. sub finem. Purpuram vulgo dextra manu adtingebant, manuque ad os admota, et dextro ante Imperatorem genu flexo, abscedebant. V. Vales. ad

Vagitum lituis: vitam tibi contulit idem
Imperiumque dies. Inter cunabula consul
Proveheris: signas, posito modo nomine, fastos;
Donaturque tibi, qui te produxerat, annus.

Ammian. Marcell. XV, 5, pag. 81. Cf. infra XXVIII, 631 sqq. Zonaras tom. II, pag. 244, ed. Basil. 1557, animadvertit, Diocletianum non satis putasse, se a senatu salutari, sed adorari se jussisse, eumque primum vestes et calceamenta auro, lapillis et margaritis ornasse. —*Redditque ferocem Vagitum.* Sonus intelligendus est audacem infantis animum arguens, quo lituis quasi accinit. Cf. Sil. Italic. III, 77; Martial IX, 21, 3 sq. — *Vagitus* enim unusquisque sonus est ab infante editus: alioquin eum *vagitu* non potuisset *risus* conjungi infra XXII, 347.

154—156. *Imperiumque.* Poeta nihil aliud voluit exprimere, quam Honorium, porphyrogenetum, in imperium natum esse. *Imperium* positum esse hoc loco videtur pro dignitate Principis, aut jure imperii. — *Proveheris* non simpliciter pro, factus es, dictum, sed solennem ritum spectat, et pompam consularem. Ad hunc locum scrupulus historicis molestissimus injicitur. Diserte dicit Socrates H. E. V, 12, Honorium natum esse V Id. Sept. Richomere et Clearcho coss. eumque sequuntur Idacius et Marcellinus in Chronic. Gesnerus existimat, Claudianum, miracula et ἀπροσδόκητα captantem, licentia poetica abusum esse, illisque scriptoribus potius fidem esse habendam. Equidem sic existimo, poetam aliquot annis post hujuscemodi res comminisci non potuisse, nisi vellet aperti mendacii crimen incurrere, ab ipsis fastis consularibus refutatus. Ex altera parte non nihil diei potest, quod fidem fastorum consularium, ut nunc quidem eos concinnatos habemus, elevet, verisimiliusque est, Socratem, et qui eum sequuntur, errasse, quam Claudianum esse mentitum, praesertim in re, quae paucis tantum versibus materiam praebuit, quos vix, saltem non omnes, inter lumina hujus carminis referas. Quin versibus 152—158 rejectis, ne hiatum quidem senties. Quare, si nefas est, Socratis, Idacii, Marcellini, etc. fidem labefactare, facilius paterer disputantem, illos versus aliunde esse insertos, nisi Honorium primo aetatis anno consulem fuisse et infra v. 612 sqq. innueret Claudianus. Ibi enim dicit, quoties consul fuerit Honorius, toties victoriam de hostibus ejus auspiciis esse reportatam, et primo quidem consulatu, de Gruthungis Danubium lintribus tranare conantibus. Hoc autem accidisse memorant A. C. 386, atque eodem anno in fastis occurrit Honorius primum consul. Infra v. 372, quum Theodosius A. C. 394 contra Eugenium proficisceretur, Honorius nondum decennis fuisse dicitur. Detractis igitur a 394 novem annis, reliquum fit 385, quo anno Honorius, ex mente Claudiani, natus est. Sequenti anno 386, consul fit, quum non-

Ipsa Quirinali parvum te cinxit amictu
Mater, et ad primas docuit reptare curules.
Uberibus sanctis, immortalique dearum
Crescis adoratus gremio. Tibi sæpe Diana
Mænalios arcus venatricesque pharetras
Suspendit, puerile decus: tu sæpe Minervæ
Lusisti clipeo, fulvamque impune pererrans
Ægida, tractasti blandos interritus angues.
Sæpe tuas etiam, jam tum gaudente marito,
Velavit regina comas, festinaque voti
Præsumptum diadema dedit: tum lævibus ulnis
Sustulit, et magno porrexit ad oscula patri.

dum primum ætatis annum absolvisset, atque eodem anno Gruthungis clades infertur. Verum de his rebus accuratius disputandi nec hujus est loci, nec temporis. — *Signas fastos*, sc. nomine tuo, ut consul. Lucan. II, 645. — *Posito modo nomine. Posito*, hoc loco, imposito. Burmann. ad Ovid. Fast. V, 73. Non exstat quidem memoria, quando nomen Honorius acceperit; hoc fortasse certum videtur, non in baptismate, quandoquidem et serioribus temporibus porphyrogenetis nomen prius imponeretur, quam baptizarentur. De hac re vide Constantin. porphyr. de Cerim. aulæ Byzant. II, 21 et 22. — *Donaturque tibi*, eo, quod tuo nomine insignitus est.

157. *Quirinali amictu*, trabea, consulari. Virgil. Æn. VII, 612.

159. *Uberibus sanctis*, non matris uberibus, sed dearum, forsan Horarum. Cf. infra XXIX, 87.

160. *Adoratus*, quasi numen.

161. *Mænalios*, a Mænalo, Arcadiæ monte. Dianæ ὀρείῃ, ὀρεστέρᾳ omnes montes curæ sunt. V. Spanhem. ad Callimach. in Dian. 188.

162. *Puerile decus*, id est, ad te puerum ornandum.

163, 164. *Fulvam Ægida*. Ægis erat vel thorax, vel clipeus Minervæ: Heyne ad Virgil. Æn. VIII, 435. De origine hujus nominis v. Diodor. Sic. III, 70. Hoc loco clipeus intelligendus est, quem accurate describit Quint. Calab. XIV, 452 sqq. Sed unde *fulvam*? Apud Homerum ejus epitheta plerumque sunt θυσανόεσσα, μαρμαρέη, ἐρεμνή, Il. ρ, 593. Utrum ex auro poeta eum finxit? — *Pererrans* vel oculis, vel manibus: posterius magis placet. — *Impune*, illæsus aspectu Gorgonis, aut a serpentibus. Cf. Sil. Ital. IX, 441 sqq. ibi vid. Ruperti.

166. *Velavit* sequenti versu explicatur. — *Festina voti*, quæ spem, quam de puero conceperat, maturius impletam videre cupiebat. Stat. Silv. V, 3, 135; Theb. VI, 75.

167. *Præsumptum*, quod ante legitimum tempus geritur ab eo, qui

Nec dilatus honor: mutatus Principe Cæsar
Protinus æquaris fratri, nec certius unquam
Hortati Superi; nullis præsentior æther
Adfuit ominibus. Tenebris involverat atra
Lumen hiems, densosque Notus collegerat imbres:
Sed mox, quum solita miles te voce levasset,

haud dubie imperii successor futurus sit. — *Lævibus ulnis* pro: leniter, molliter.

169. *Nec dilatus honor.* Gradus, per quos adscendit Honorius, fuere: *Nobilis Puer; Princeps juventutis; Nobilissimus Cæsar; Augustus.* — *Mutatus Principe Cæsar* itaque est; ex Principe juventutis factus Cæsar.

170. *Protinus æquaris fratri. Protinus* hoc loco non est statim, sed ordine continuato, ut sæpe. — *Æquaris fratri*, fis Augustus, ut frater jam ante te erat. Vid. supra VII, 84. Secundum Zosimum, IV, 58, Theodosius Honorium in expeditionem contra Eugenium Constantinopoli secum abduxit, partaque victoria et deletis hostium copiis, Augustum eum constituit, cap. 59. Cf. N. ad VII, 111. Socrates H. E. V, 24, memorat, Honorium IV Id. Jan. Augustum Constantinopoli esse factum ad tertium Theodosii consulatum et primum Abundantii, neque abductum eum esse in bellum. Idem Marcellinus C. addito inaugurationis loco, septimo a Constantinopoli milliaro. Cf. Sozomen. H. E. VII, 28.

171. *Hortati*, sc. ominibus.— *Nullis.* Burmannus mavult *nulli.* Sed prius potest retineri, modo non jungatur cum *ominibus. Nullis*, sc. qui adsummum imperium provecti sint.

172. *Adfuit ominibus*, favit ominibus. Vid. Burmannus ad Valer. Flacc. IV, 34. — *Tenebris involverat*, etc. Marcellinus Com. quem Barthius laudat supra ad VII, 84, memorat, quum Honorius Augustus fieret, hora diei tertia tenebras esse factas.

173. *Lumen*, diem. Virg. Æn. I, 88.—*Hiems*, tempestas. Weitz. ad Valer. Flacc. I, 197. Cf. Panegyr. Vet. IV, 2, 2.

174. *Solita voce levasset.* Gesnerus existimat, formulam ortam esse ex levatione proprie dicta in tribunal, quod Romanum est, vel in clipeum adeo, quem Gallicæ gentis morem servassent milites, qui Julianum in Gallia fecerunt Augustum. Vid. Zosim. III, 9; Ammian. Marcellin. XX, 4. Ibi Valesius locum profert ex Libanii προσφωνητ. (T. I. pag. 415, ed. Reisk.) ὦ μακαρίας ἀσπίδος, ἣ τὸν τῆς ἀναῤῥήσεως ἐδέξατο νόμον πρεπωδεστέρας σοὶ παντὸς εἰωθότος βήματος. Plura vid. de hoc ritu in P. Pithœi Advers. subc. II, 6; in Lampade crit. ed. Grut. tom. II, p. 783 sq. Lips. ad Tacit. Hist. IV, 15; Schwarz de antiquo ritu elevandi Principes inaugurandos, Altorf. 1730, p. 19. Cf. Coripp. in laud. Justin. II, 137 sqq. Vix adducor, ut credam, hoc loco levationem in scuto intelligendam esse, quam ne solennem quidem fuisse credo, sed in-

Nubila dissolvit Phœbus, pariterque dabantur
Sceptra tibi, mundoque dies: caligine liber
Bosporus adversam patitur Chalcedona cerni.
Nec tantum vicina nitent, sed tota repulsis
Nubibus exuitur Thrace: Pangæa renident,
Insuetosque palus radios Mæotia vibrat.
Non Boreas nimbos, non Sol ardentior egit:
Imperii lux illa fuit: præsagus obibat
Cuncta nitor, risitque tuo Natura sereno.
Visa etiam medio, populis mirantibus, audax
Stella die, dubitanda nihil, nec crine retuso

terdum tantum locum habuisse, quandoquidem Noster, qui in minutis sæpe tam prolixus est, illum ritum paucis verbis, ne scuti quidem mentione facta, non absolvisset. Potest ita res intelligi, ut Honorius a militibus aut levatus sit in tribunal, aut gestatus, quemadmodum de Alexandro Severo narrat Æl. Lamprid. 57. Illa levatio innuitur etiam supra V, 332 sq.— *Solita voce*, solitis in hac re acclamationibus. Cf. Æl. Lamprid. in Antonin. Diadum. cap. 1 et 2.

176. *Dies*, supra v. 173.— *Caligine*, nebulis, quæ aquis incumbere solent diebus præsertim pluviis.

179. *Exuitur* cum delectu; oppositum est *induitur*. — *Pangæa*, Thraciæ montes.— *Renident*, splendent, μαρμαίρουσιν, solis radiis repercussis.

180. *Insuetosque palus r. M. v.* Quomodo hoc Constantinopoli potuerit animadverti, vix intelligi potest. Fortasse hoc vult poeta, cælum in ea regione sæpius, propter illius paludis exhalationes, nubibus tectum, tunc solito serenius fuisse. Aut sub Mæotia palude, sensu latiori Ponti quoque partem intelligit.

181. *Boreas*. Indolem ejus describit. Sil. Ital. I, 587 sqq. Vehemens est, et in Italia ac Græcia inter illos ventos censetur, qui cælum serenant. Virgil. Æneid. XII, 365 sqq.— *Egit*, abegit. — *Sol ardentior*, dissolvendo nempe vapores in aere pendentes, ut naturam aeris induant, pellucidique fiant, quo facto, vel repleto aere vaporibus, cælum purum apparet.

182. *Imperii lux*, id est, ut ex sequentibus apparet, lux seu claritas divinitus missa, qua imperii futuri splendor portendebatur.

183. *Tuo sereno* Burmannus intelligit: quod tu faciebas. *Serenum* autem idem est, quod antea *nitor*, *lux*. Dicit *tuo sereno*, quia illa lux in omen imperii faustum, Honorio divinitus erat missa. Patric. Epith. 26 sq. in Poet. lat. m. t. IV. p. II, de Venere:

Arrident late toto revolantia mundo
Sidera, blandito dominam venerata sereno.

Plura de *sereno* disputat Burmann. ad Valer. Flacc. I, 332.

184—186. *Medio...die*. Marcel-

Languida, sed quantus numeratur nocte Bootes:
Emicuitque plagis alieni temporis hospes
Ignis, et agnosci potuit, quum luna lateret;
Sive parens Augusta fuit, seu forte reluxit
Divi sidus avi, seu te properantibus astris
Cernere Sol patiens cælum commune remisit.
Apparet quid signa ferant: ventura potestas

linus supra v. 172 animadvertit, inaugurationis die hora tertia tenebras esse factas; illas mira ratione dispulsas esse Noster finxit. Quo diei tempore id factum sit, non additur; nam *medio die* non nimis est urgendum, præsertim quum lunæ mentio fiat. Etiam hoc attendas velim, inaugurationem esse factam IV Id. Januarii, quo tempore meteora solent crebriora esse. —*Stella audax* est, quæ medio die apparet. — *Dubitanda nihil* explicatur per ea, quæ sequuntur. —*Crine*. *Crinis* et *coma* de stellarum radiis sæpe usurpatur. Stat. Theb. V, 387; vid. Ruperti ad Sil. Ital. I, 358 sq. —*Retuso*, a ferro ad radios obtusos seu obscuros translatum. — *Quantus numeratur nocte Bootes*; id est, eo fulgore, quo stellæ splendent in signo Bootis. In eo maxime refulget Arcturus, primæ magnitudinis stella, pluresque aliæ tertiæ magnitudinis. — *Numeratur* eleganter positum pro: observatur. Sic medio die apparuisse stella primæ magnitudinis, in omen imperii, narratur ab Æl. Lamprid. in Alexandro Severo c. 13.

187, 188. Hos versus intrusos puto; nam lunæ mentio fieri non debuit, quum, ut ex v. 191 liquet, sol nondum occidisset, sententiaque ipsa, *et agnosci potuit, quum luna lateret*, sine dubio minuit ea, quæ v. 185, 186, de splendore stellæ dicta erant, et absurda videri potest. Stella enim, quæ solis radiis non obscuratur, non potest dici, idcirco agnosci, quia luna lateat. Tam indiligens Claudianus non solet esse. Accedit, quod versus ipsi, meo quidem sensu, inconcinni sunt, auresque et mentem fatigant. Quæri autem licet, qui fieri possit, ut stella appareat ante solis occasum? Sed hujus commenti causa poetæ dicenda est, non ejus interpreti.

189. *Parens Augusta*, Ælia Flaccilla mortua, quum Honorius nondum esset anniculus.

190. *Divi sidus avi*. Verum est, de avi consecratione nihil constare; sed quidni concedamus poetæ, quod senatus Romanus sibi arrogaverat? Reliqua sic ordines: *seu sol patiens* (facilis) *remisit commune cælum* (permisit, ut cælum stellis commune esset secum) *astris properantibus cernere te*. —*Astris* gentilibus, sive e familia Honorii desumptis, matre scilicet et avo, qui instar Julii Cæsaris conversi sunt in astra. Ed.

192. *Apparet, quid signa ferant*, id est, portendant, quia non solum clara et manifesta, sed etiam nota et perspicua erant. Cf. Sid. Apoll. Carm. II, 105 sqq. et 115 sqq.

Claruit Ascanio, subita quum luce comarum
Innocuus flagraret apex, Phrygioque volutus
Vertice, fatalis redimiret tempora candor.
At tua cælestes illustrant omina flammæ.
Talis ab Idæis primævus Jupiter antris
Possessi stetit arce poli, famulosque recepit,
Natura tradente, deos: lanugine nondum
Vernabant vultus, nec adhuc per colla fluebant
Moturæ convexa comæ; tum scindere nubes
Discebat, fulmenque rudi torquere lacerto.
Lætior augurio genitor, natisque superbus
Jam paribus, duplici fultus consorte redibat,

193. *Claruit*, id est, clare se prævidendum præbuit. Vid. infra XXXIII, 231. Res nota est ex Virg. Æn. II, 682 sqq. qui fabulam de Servio Tullo procul dubio respexit; Liv. I, 39; Dionys. Halic. IV, 2; Plutarch. de Fortun. Rom. cap. 10, tom. IX, ed. Hutt. Plin. H. N. II, c. 107. Prodigium ex flamma sæpe occurrit Virgil. Æn. VII, 71 sqq. ibi vid. La Cerda, Valer. Flacc. I, 570 sqq. Sil. Ital. XVI, 118 sqq.

194. *Apex*, flamma. Virg. Æn. II, 683.—*Innocuus*, hoc loco, qui non nocet. Gesnerus existimat, *apicem* esse idem, quod sequens *Phrygius vertex;* verum neque hoc est tiara Phrygia, ut opinatur, sed summa capitis pars. Infra 216 simili ratione occurrit *Arsacio ore.* — *Subita luce comarum*, quum illa flamma nimbi instar comas ambiret.—*Fatalis candor*, quo splendore regnum futurum portendebatur.

196. *At tua cælestes*, etc. Non flamma in apicem super caput tuum acuminata regnum tibi portendebat, sed flamma cælestis (v. 184 sq.) illustriora tibi dedit omina; sic enim interpretor; *illustrant omina tua.*

197 sqq. Jupiter ipse, regno mundi modo potitus, cum Honorio comparatur, qui Augustus declaratus est. Nostrum imitatus est Sid. Apoll. Carm. I, 1 sqq.—*Primævus.* Cf. Burmann. ad Ovid. Fast. III, 437.—*Idæis antris.* Supra v. 149 sq. ubi educatus fuerat.

198. *Arce poli*, ut *vertice cæli*, Virgil. Æn. I, 225. — *Possessi*, occupati; supra v. 71.

199, 200. *Lanugine nondum Vernabant vultus;* Martial. II, 61, 1; Calpurn. Eclog. II, 85 sq. Epithal. Laurent. et Mar. v. 14, in Poet. lat. m. tom. IV, p. II.

201. *Moturæ convexa.* Respexit Noster Homer. Il. α, 529 sqq. Ovid. Met. I, 179 sqq. — *Scindere*, sc. fulmine. Sil. Ital. I, 535 sqq.

202. *Rudi*, nondum satis exercitato.

203. *Augurio.* V. 175 sqq. et 184 sqq. — *Superbus*, κυδιόων.

204. *Jam paribus*, utroque jam

Splendebatque pio complexus pignora curru.
Haud aliter summo gemini cum patre Lacones,
Progenies Ledæa, sedent; in utroque relucent
Frater, utroque soror: simili chlamys effluit auro:
Stellati pariter crines: juvat ipse Tonantem
Error, et ambiguæ placet ignorantia matri.
Eurotas proprios discernere nescit alumnos.
Ut domus excepit reduces, ibi talia tecum
Pro rerum stabili fertur ditione locutus:
« Si tibi Parthorum solium fortuna dedisset,

Augusto. — *Fultus* tanquam præsidio aliquo. — *Consorte*, sc. imperii.

205. *Pio*; supra N. VII, 130.

206 sqq. De Samothraciis Dioscuris poetam cogitasse, ita, ut fabulam aliquam, nobis ignotam, secutus sit, vix crediderim. Tota illa fictio, qua Castor et Pollux in eodem curru cum Jove ponuntur, vel ab ingenio nostri poetæ profecta, vel artifici alicui, vel poetæ recentiori debetur. Quum enim Imperatores in curru eodem cum liberis frequenter conspicerentur, facile ingeniosus aliquis assentator Imperatorem ipsum cum Jove, et, si filii duo essent, eos cum Castore et Polluce potuit comparare. Cf. supra VII, 132.

207. *In utroque relucent. Relucent* pertinet et ad fratrem et ad sororem. Sensus: in utroque similitudo et fratris et sororis apparet. — *Utroque*, omisso *in*. Burmann. multis locis allatis probat, veteres sæpe præpositiones non geminare et omittere in secundo membro solere. Vid. eum ad Ovid. Heroid. XVI, 141; A. A. I, 333; Bentl. ad Horat. Od. III, 25, 2. — *Simili chlamys effluit auro*; cf. Valer. Flacc. I, 427 sqq. id est, uterque simili chlamyde aurea vestitus est. — *Effluit* de laxa veste et sinuosa Gronovius (Observ. II, 7), de splendore Gevartius (lect. Papin. I, 27) explicant.

209. *Stellati pariter crines.* Stella fronti vel apici pilei et Castoris et Pollucis apposita comparet in picturis antiquis. Dionys. Halic. VI, 2. Valer. Flacc. I, 568 sqq. et V, 367, ubi vocantur *astro comantes*. Spanh. ad Callimach. H. in Pall. 24. Stat. Theb. V, 439 sq.

........humeros exsertus uterque,
Nudus uterque genas, similis coma fulgurat astro.

210. *Error.* Ita similes alter alteri fingebantur, ut dignosci non possent. Cf. Lucian. Deor. dial. 26, tom. I, pag. 280 sq. ed. Reiz. De hujusmodi similitudinibus hominum plura exempla profert Heins. ad Valer. Flacc. I, 368; adde Lucan. III, 605 sqq.

211. *Eurotas* fluvius Laconicæ nobilis, ad quem educati gemini sunt. Stat. Silv. II, 6, 45 sq.

213. *Pro rerum stabili ditione.* Ut imperium tibi mansurum et stabile redderet consiliis salubribus.

Care puer, terrisque procul venerandus Eois
Barbarus Arsacio consurgeret ore tiaras;
Sufficeret sublime genus, luxuque fluentem
Deside nobilitas posset te sola tueri.
Altera Romanæ longe rectoribus aulæ
Conditio: virtute decet, non sanguine niti.
Major et utilior fato conjuncta potenti,
Vile latens virtus. Quid enim submersa tenebris
Proderit obscuro? veluti sine remige puppis;
Vel lyra, quæ reticet; vel, qui non tenditur, arcus.

215—352. Oratio Theodosii, quæ sequitur, si res quidem spectas, inter pulcherrimas partes non solum Claudiani carminum, verum etiam omnium, quæ ex omni antiquitate tempus fecit reliqua, censenda esse videtur. In eam poeta contulit, quæcumque futuro Principi, qui se suosque, quibus imperaturus est, salvos esse vult, Patrisque patriæ potius nomen quam domini cupit acquirere, scitu sunt necessaria, penitusque menti infigenda; quæ si sequi voluisset Honorius, aut potuisset, imperium vel in illa rerum confusione conservasset. In hoc autem, quod oratio, qua Honorius monendus est, Theodosio patri tribuitur, agnoscas prudens poetæ consilium, qui hoc figmento et modestiæ suæ consulit, et auctoritatem præceptis suis concilist. Si rationem spectas, qua illa enunciata sunt, non eam quidem omnino improbaveris, quum ille color declamatorius, qui minus placeat, ad naturam hujusmodi carminis pertinere videatur, ita ut quodammodo possit excusari. Minus autem ferenda sunt reliqua vitia, inter quæ ipsa artis nimia ostentatio et quæsitæ doctrinæ studium primum locum vindicare sibi videntur.

215, 216. *Terris Eois* cas. tert. hoc loco Parthis, seu Persis. — *Barbarus . . . tiaras*; est enim Persarum et Parthorum. — *Consurgeret* spectat ad ὀρθὴν τιάραν, quæ erat alta, quamque gerere nemini præter regem licebat. Xenoph. Anab. II, 5, 23. Curt. III, 3, 19. Cf. Briss. de regio Persar. princ. I, 46. — *Arsacio ore. Arsaces* conditor erat Parthici imperii. Justin. XLI, 4, 6 sqq. *Arsacio ore* positum est pro: capite originem ducentis ab Arsace, a regia Parthorum familia. Sic. Ital. VIII, 467. Lucan. X, 51.

217. *Fluentem*, diffluentem. Drakenb. ad Sil. Italic. XII, 19. — *Luxu deside*. Luxus emollit, frangit vires, laborique est inimicus.

218. *Sola nobilitas*. Juven. VIII, 76 sqq.

220. *Virtute decet, non sanguine niti*. Hoc argumentum fecit Juvenalis Sat. VIII.

221, 222. *Conjuncta* sc. virtus. —*Fato potenti*; hoc loco, fortunæ regiæ. Sic Gesnerus. Atque hoc mihi magis arridet, quam Burmanni ra-

Hanc tamen haud quisquam, qui non agnoverit ante
Semet, et incertos animi pacaverit æstus,
Inveniet: longis illuc ambagibus itur.
« Disce orbi, quod quisque sibi: quum conderet artus
Nostros, ætheriis miscens terrena Prometheus,
Sinceram patrio mentem furatus Olympo
Continuit claustris, indignantemque revinxit.

tio, qui proprio sensu verba illa accipit, lectoresque ad Ovid. Heroi. I, 28, remittit, ubi ipse de fato poteuti seu magno docte quidem multa, verum huc parum pertinentia, disputavit. Ratio, qusm poeta sequitur, hæc est: virtus rebus gestis maxime illustratur, atque aliis conspicua fit; rerum autem gerendarum facultas Imperatoribus est uberrima, quum contra hominibus privatis, etiamsi virtute præditi siut, raro occasio detur illam aliis ostendendi. Noti sunt versiculi Callimach. H. in Jov. 95 sq. Pro *utilior* Burmannus conj. *uberior*, quod facile mutari potuerit in *ulterior*, ut est in uno scripto. Sed *utilior* retinendum puto, quia melius respondet τῷ *proderit*, nec minus τῷ *vile*, quam *uberior*. V. 222. *Vile* non quidem per se, sed ex communi hominum judicio, qui ex utilitate omnia metiuntur, nec virtuti ignotæ, id est, ei, quæ præclare factis se non exseruerit, pretium statuere possunt. Virtus splendorem nanciscitur multorum conscientia. Cf. Ruperti ad Sil. Ital. III, 145, qui plures sententias similes e poetis profert. — *Submersa tenebris*, quæ non innotescit aliis.

223, 224. Exemplis adhibitis poeta docere vult, virtutem, quæ se factis non exserat, æque inutilem esse, ac quodvis instrumentum, quo non utaris.

226. *Incertos æstus animi*, instabiles animi perturbationes. — *Pacaverit*, sedaverit.

227. *Illuc*, ad virtutem. — *Longis ambagibus*. Quia iter est ad virtutem per cognitionem sui ipsius, et per diuturnum sui imperium.

228. *Disce orbi, quod quisque sibi.* Quod homo privatus in suos usus discit, id tu in usum universi imperii disce. Cf. infra 294 sq. — *Conderet artus*, fiogeret corpus.

229. *Prometheus.* Ex eo, quod exprimebatur sermone prisco, et ab hominibus rudibus, Prometheum fictilium simulacrorum auctorem fuisse, fluxit ea fabula, qua perhibetur primum hominem finxisse. Lactant. Inst. II, 10, 7 sqq. Ovid. Met. I, 82 sqq. Reliquas de Prometheo fabulas vid. in Schütz. excursu I, ad Æschyl. Prometh.

230. *Sinceram mentem.* Secutus est Noster fabulam Platonis in Protagora, tom. III, pag. 107 sq. ed. Bipont. ex antiquiore conciunatam, qua dicitur Prometheus ignem de cælo furatus hominibus dedisse. Hesiod. Op. et Dies 50 sqq. Hor. Od. I, 16, 13 sqq. Phædr. IV, 3. Juvenal. XIV, 35 sq.—*Patrio*, quod quasi paterna sedes erat mentis.

231. *Claustris.* Corpus enim quasi

Et, quum non aliter possent mortalia fingi,
Adjunxit geminas: illæ cum corpore lapsæ
Intereunt; hæc sola manet, bustoque superstes
Evolat. Hanc alta capitis fundavit in arce
Mandatricem operum, prospecturamque labori:
Illas inferius collo, præceptaque summæ
Passuras dominæ, digna statione locavit.
Quippe opifex veritus confundere sacra profanis,
Distribuit partes animæ, sedesque removit.
Iram sanguinei regio sub pectore cordis
Protegit imbutam flammis, avidamque nocendi,
Præcipitemque sui. Rabie succensa tumescit,

carcer animi habetur. Lucan. VI, 720 sqq. — *Indignantemque*, includi nolentem.

233. *Geminas*, sc. mentes, τὸ θυμικὸν et τὸ ἐπιθυμητικόν. Ex philosophia Platonica, ex qua tres animas homines habere dicuntur. Hujus rationis semina jam Homerus sparsit. Cum sequentibus comparentur Plato in Timæo, tom. IX, p. 387 sq. ed. Bipont. Cic. Tuscul. Q. I, 10; *Tennemann's System der Platon. Philos.* tom. III, p. 48 sq. — *Lapsæ*. Corruunt quasi seu concidunt cum corpore.

234. *Hæc sola*, τὸ ἡγεμονικόν.

235. *Evolat*. Ut pulchre de Pompeii anima Lucan. IX, 2 sqq. — *Alta arce*, quasi ἀκροπόλει.

236. *Prospecturamque labori*, id est, laborum rationem habituram.

237. *Inferius collo;* vid. infra 241 et 249. — *Præcepta passuras*, obedituras. — *Summæ dominæ*, τοῦ ἡγεμονικοῦ.

238. *Digna*, illis conveniente, illarum naturæ et rationi apta. Explicatur hoc in sequentibus.

239. *Sacra profanis*, id est, τὸ ἡγεμονικὸν cum τῷ θυμικῷ et τῷ ἐπιθυμητικῷ.

241, 243. Agitur nunc de loco et natura τοῦ θυμικοῦ. — *Regio sub pectore*, id est, locus, quem pectus ambit. — *Protegit* tamquam thorace pro: includit. — *Iram sanguinei cordis. Cor* est *sanguineum*, quia est receptaculum sanguinis, unde sanguis per totum corpus propagatur. Aristotel. de Part. Anim. III, 4. Plinius H. N. XI, sect. 69. *Iram sanguinei cordis* dictum pro: cor, quod sedes est iræ. Ira enim sanguinis meatus fit concitatior, corque vehementior palpitat; quo factum est, ut in corde iram ponerent veteres. Senec. de Ira II, 19. — *Imbutam flammis*. Quia ira, quasi igne subjecto, accendit sanguinem, aut bullire facit. Ovid. A. A. III, 503 sq. Pers. III, 116. — *Avidamque nocendi*. Cic. Tusc. Q. III, 9. « Proprium est irati cupere, a quo læsus videatur, ei quam maximum dolorem inurere. » Confer. eumdem ad Quint. fr. I, Epist. 1.

Contrahitur stupefacta metu: cumque omnia secum
Duceret, et requiem membris vesana negaret;
Invenit pulmonis opem, madidumque furenti
Præbuit, ut tumidæ ruerent in mollia fibræ.
At sibi cuncta petens, nil collatura cupido,
In jecur, et tractus imos compulsa recessit:
Quæ, velut immanes reserat dum bellua rictus,

— *Præcipitemque sui*, id est, quæ homines præcipites agit. Cf. Cic. Tusc. Q. IV, 36; Horat. Od. I, 16, 17 sqq. — *Rabie succensa tumescit. Rabie* cum *tumescit* jungendum. Sensus: in rabiem tumida abit, quando accenditur, irritatur.

244. *Tepefacta*, sc. ira, quæ jam deferbuit, vim suam amisit. — *Contrahitur metu. Contrahere* de frigore sæpius usurpatur; hoc loco ad *metum* translatum est, qui, dum sanguinem ad partes interiores propellit, frigoris sensum efficit, iramque, ubi jam deferbuit, penitus refrigerat. *Tepefacta* respondet priori *succensa*, et *contrahitur metu* illi *rabie tumescit*. Potest igitur *contrahitur* simpliciter exponi per: comprimitur.

246, 247. *Invenit pulmonis opem*, quo sanguinis fervor refrigeratur. — *Madidumque*. Plato in Timæo loc. cit. pag. 388: Τῇ δὲ δὴ πηδήσει τῆς καρδίας, ἐν τῇ τῶν δεινῶν προσδοκίᾳ, καὶ τῇ τοῦ θυμοῦ ἐγέρσει, προγινώσκοντες ὅτι διὰ πυρὸς ἡ τοιαύτη πᾶσα ἔμελλεν οἴδησις γίγνεσθαι τῶν θυμουμένων, ἐπικουρίαν αὐτῇ μηχανώμενοι, τὴν τοῦ πνεύμονος ἰδέαν ἐνεφύτευσαν πρῶτον μὲν, μαλακὴν καὶ ἄναιμον, εἶτα σήραγγας ἐντὸς ἔχουσαν οἷον σπόγγου κατατετρημένας· ἵνα τό τε πνεῦμα καὶ τὸ πόμα δεχομένη, ψύχουσα, ἀναπνοὴν καὶ ῥᾳστώνην ἐν τῷ καύματι παρέχοι. Διὸ τὰς ἀρτηρίας, ὀχετοὺς ἐπὶ τὸν πνεύμονα ἔτεμον, καὶ περὶ τὴν καρδίαν αὐτὸν περιέστησαν, οἷον ἅλμα μαλακὸν, ἵνα ὁ θυμὸς ἡνίκα ἐν αὐτῇ ἀκμάζῃ, πηδῶσα εἰς ὑπεῖκον, καὶ ἀναψυχομένη, πονοῦσα ἧττον, μᾶλλον τῷ λόγῳ μετὰ θυμοῦ ὑπηρετεῖν. — *Tumidæ fibræ*, ipsum cor ira tumescens. — *Ruerent in mollia*, pulmonum mollitie excipiantur.

248. Nunc ad locum et naturam τοῦ ἐπιθυμητικοῦ, libidinis, procedit. — *Nil collatura*, nemini quidquam impertitura.

249. *In jecur*. Cf. Platon. loc. cit. pag. 389 seq. Jecur omnium cupiditatum sedes Pers. V, 129, præcipue libidinis Theocrit. XIII, 71; XI, 16, et iræ Juvenal. V, 114; id quod ex jecinoris natura, quod est sanguinis officina, facile potest explicari. — *Tractus imos*, partes imas, quas pudor abscondit et nominare vetat. Ed.

250. *Bellua*. Hanc belluam egregie finxit, graphiceque descripsit Plato in Rep. tom. VIII, p. 273, ed. Bipont. — *Reserat* proprie de foribus dicitur, hoc loco ad *immanes rictus* bene translatum est. Junge, verba: *dum velut bellua reserat* etc. Heinsius locum corruptum putat, scribique jubet:

Expleri pascique nequit; nunc verbere curas
Torquet avaritiæ, stimulis nunc flagrat amorum,
Nunc gaudet, nunc mœsta dolet, satiataque rursus
Exoritur, cæsaque redit pollentius Hydra.
Hos igitur si quis potuit sedare tumultus,
Inconcussa dabit puræ sacraria menti.
Tu licet extremos late dominere per Indos,
Te Medus, te mollis Arabs, te Seres adorent:
Si metuis, si prava cupis, si duceris ira,
Servitii patiere jugum; tolerabis iniquas
Interius leges. Tunc omnia jure tenebis,
Quum poteris rex esse tui: proclivior usus
In pejora datur, suadetque licentia luxum,
Illecebrisque effrena favet. Tum vivere caste

Ac velut immanis reseratum bellua rictum
Expleri pascique velit.

251, 252. *Verber* et *stimuli* cuique rei tribuuntur, quæ animum gravius concitat. De *stimulis* vid. Ruperti ad Sil. Ital. I, 113. Lucanus (V, 174 sq.) *verbera* et *stimulos* Phœbo tribuit, quibus vatem concitat. Idem jam fecerat Orpheus Argon. 10. *Nunc verbere avaritiæ torquet curas* dictum igitur pro: nunc cupido curas excitat avaritia. *Torquet curas* non est hoc loco cruciat, sed versat, exagitat curas, cogitationes, mentem huc et illuc, ut provideat, unde expleri possit. — *Flagrat* vim transitivam habere hoc loco videtur Stat. Sil. V, 2, 120. *Flagrat curas* pro: curas accendit. Potest etiam intransitive sumi hoc sensu: nunc ipsa cupido incensa est amore. — *Stimulis.* De eo, qui incitatur ira, Noster dicit infra XVII, 226, *ardet stimulis*; et eodem modo XLV, 26, *accendi stimulis.*

254. *Hydra;* fabula nota est. Apollod. II, 5, 2 sqq.

256. *Inconcussa dabit sacraria*, id est, locum maxime sacrum et securum parabit. Sensus: ejus mens nunquam perturbabitur. — *Puræ* est intactæ a cupiditatibus, quam supra v. 230. — *Sinceram mentem* vocavit, τὸ ἡγεμονικόν.

257 sqq. Locum continent et a philosophia, præsertim stoicis, et a poetis tractatum sæpius: Neminem liberum esse, qui cupiditatibus serviat. Pers. V, 73 sqq.

258. *Mollis* perpetuum fere Arabum epithet. Broukh. ad Tibull. II, 2, 4.

259 sq. Conf. Senec. de Benef. VII, 3; Lactant. Instit. I, 9, 4 sqq. — *Iniquas*, quas servitus imponit.

261. *Tunc omnia jure*, etc. Horat. Od. II, 2, 9 sqq.

262, 264. *Proclivior usus in pejora datur.* Sensus: vitiorum consuetudinem facilius contrahimus. — *Sua-*

Asperius, quum prompta Venus; tum durius iræ
Consulítur, quum pœna patet : sed comprime motus;
Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit,
Occurrat, mentemque domet respectus honesti.
  «.Hoc te præterea crebro sermone monebo,
Ut te totius medio telluris in ore
Vivere cognoscas, cunctis tua gentibus esse
Facta palam ; nec posse dari regalibus usquam
Secretum vitiis : nam lux altissima fati
Occultum nihil esse sinit, latebrasque per omnes
Intrat, et abstrusos explorat fama recessus.

detque licentia luxum. Plutarch. ad Princ. inerud. 6, tom. XII, p. 96, ed. Hutt. μέγας γὰρ ὁ κίνδυνος, βούλεσθαι ἃ μὴ δεῖ, τὸν, ἃ βούλεται, ποιεῖν δυνάμενον. — *Effrena*, sc. licentia. — *Illecebris favet*, gaudet ipsis irritamentis, eoque facilius ab illis capitur.

265, 266. *Prompta Venus*, quum Veneris exercendæ facultatem habeas : eadem ratione, *quum pœna patet*, sc. tibi, quum puniendi facultas tibi sit.

268. *Mentemque*, θύμον, cupiditates cujusvis generis.

269. *Hoc te præterea*, etc. Conf. Virgil. Æneid. III, 435 sq.

270. *Medio telluris in ore. In ore* est in conspectu. Ovid. Heroid. X, 126. Hoc quoque Gesnerum non fugit; verum, quod sit, *medio ore telluris*, se non intelligere fatetur. Mavult itaque cum Barthio legere *medio in orbe*. Dubito tamen, quemquam dixisse *in orbe telluris* pro : in orbe terrarum. Sed *medio in ore* est medio in conspectu, ut est apud Virg. Æn. II, 67; et per se patet, *telluris* esse pro, hominum totius orbis terrarum, positum. Sil. Ital. III, 66:

.....Obsessæ generatus in ore Sagunti;

ubi Drakenbork. *Medio telluris in orbe* defendit Wernsdorf ad Rut. Itin. I, 504. Poet. lat. min. T. V, p. I.

271 — 275. *Cunctis tua...palam*; cf. Ovid. ad Liv. A. 349 sqq. Cic. de Offic. II, 13; Plin. Paneg. 83; Senec. de Clement. I, 8. — *Secretum vitiis*, sc. locum. Sensus : vitia *regalia*, seu regum, nullo loco posse occultari. — *Lux altissima fati. Fatum* positum est pro dignitate, in qua quis fato constitutus est vid. supra 221. — *Altissima*, epith. ad *lucem* translatum, quod proprie ad *fatum* pertinet. — *Lux altissima fati* est splendor altissimæ conditionis et dignitatis, qua gaudet Imperator, quæque veluti radiis suis loca vel maxime obscura illustrat, ut nusquam propter suam ipsius naturam possit delitescere. V. 275. *Intrat* ad *fama* pertinet, non ad *lux altissima*. — *Abstrusos explorat fama recessus*. Quid fugiat monstrum illud, cui quot plumæ, tot oculi, tot ora, tot aures? Ed.

Sis pius in primis: nam quum vincamur in omni
Munere, sola Deos æquat clementia nobis.
Neu dubie suspectus agas, neu falsus amicis,
Rumorumve avidus: qui talia curat, inanes
Horrebit strepitus, nulla non anxius hora.
Non sic excubiæ, non circumstantia pila,
Quam tutatur amor: non extorquebis amari.
Hoc alterna fides, hoc simplex gratia donat.
Nonne vides, operum qui se pulcherrimus ille

276. *Pius*, amans civium, clemens. Senec. de Clem. I, 3, et 7, et 19.

278. *Neu dubie suspectus agas. Agas* i. q. sis. Gesnerus *suspectus* active sumpsit, hoc sensu: ne male suspiceris de omnibus. Verum illud *dubie* turbas facit, nec sensum commodum præbet. Burmannus conj. *Neu dubiis suspectus agas*, quod mihi quidem vehementer placet, quum sic concinne *dubii* opponantur *amicis*. Sensum idem sic constituit: ne nimis suspicax videaris illis, qui dubiæ fidei tibi videntur. Significatio tamen passiva æque locum habet: ne iis, qui dubiæ fidei sunt, in suspicionem venias, sc. te aliquid sensisse, indeque a te magis alienentur. Hoc aptius puto, quandoquidem de iis, qui dubiæ fidei sunt, nihil suspicari, imprudentis esset et incauti. De re cf. Senec. de Ira, II, 23 sq.

279. *Rumorumve avidus*; cf. infra XXII, 46 sqq.

280. *Horrebit strepitus*. Senec. de Clem. I, 13.

281, 282. Cf. Herodian. I, 4, 10; Cic. de Of. II, 7; Plin. Epist. VIII, 24, 6; Panegyr. 49, 3. Expressit autem Stat. Theb. I, 147 sqq. — *Amari* pro: amorem, caritatem. Sensus: caritatem tui hominum animis nulla vi inculcabis.

283. *Alterna fides*, si mutua inter se sunt fide Imperator et cives. — *Simplex gratia*, amor non fucatus, sed sincerus.

284 sqq. Quanta vis sit amoris ad concordiam et ad societatis conservationem, docet poeta exemplo a rerum universitate petito, quæ amore, id est, ut nunc quidem physici monstrant, attractione mutua corporum continetur. Notum est, in Geogoniis inter principia, quæ materiæ motum dedisse perhibentur, etiam Amorem censeri. Hanc rationem suscepit quoque disciplina Orphica. Hesiod. Theog. pag. 120 sqq. Argonaut. 13 sq. et 422 sq. Hymn. 54, 4 sq. et 57, 4 sq. Platon. Sympos. 12, eamque præcipue inter philosophos secutus est Empedocles. Aristot. Metaph. II, c. 4. Bruck. Hist. philosoph. tom. I, pag. 1112. Cf. Cudworth. Systema intellect. tom. II, p. 119 sq. Verum hoc loco non tam sermo est de vi quadam genetrice, quam de vinculo, quo omnia copulata atque constricta antiquum ordinem ac disciplinam retineant.

Mundus amore liget, nec vi connexa per ævum
Conspirent elementa sibi? qui limite Phœbus
Contentus medio, contentus litore pontus?
Et qui perpetuo terras ambitque vehitque,
Nec premat incumbens, oneri nec cesserit aer?
Qui terret, plus ipse timet: sors ista tyrannis
Convenit. Invideant claris, fortesque trucident,
Muniti gladiis vivant, septique venenis,
Ancipites habeant artes, trepidique minentur.
Tu civem, patremque geras; tu consule cunctis,

Cf. Boetbium de Consol. II, 8, et qui omnium elegantissime idem expressit, Wielandum in *Neueste Gedichte*, *Liebe um Liebe*, principio carminis dulcissimi. — *Pulcherrimus mundus.* Diogen. Laert. I, 35: κάλλιστον ὁ κόσμος ποίημα γὰρ θεοῦ. —*Qui*, id est, quaratione, quomodo. Sic Gesnerus. Heinsius vult *quo*, idque ad *amore* refert. Prius mihi magis arrisit. Poeta enim non vult ostendere, quis et qualis sit amor, qui omnia copulet; sed vult, ut attendas, quemadmodum sociata sint omnia amore. Gesnerus rejecit etiam *ille*, posuitque *ipse;* sed prius magis poeticum videtur. Burmannus laudat Canter. Nov. lect. III, 26; vid. ipsum ad Valer. Flac. III, 587. — *Nec vi*, sed amore. — *Per ævum*, omni tempore. Infra CI, 87.

286, 287. *Limite medio.* Barthius exponit: respectu reliquorum planetarum. Intelligit autem poeta limitem, qui terræ neque nimis propinquus, neque ab ea nimis remotus est. Cf. Ov. Met. II, 136 sqq. et VIII. 203. —*Qui*, quomodo.

288, 289. Ordo verborum: *Et* (*qui* repetendum est ex v. 286.) *aer nec premat incumbens*, *nec cesserit oneri*, *qui* (aer) *ambit* etc. — *Vehit.* Quum circumfusus sit aere terrarum orbis, ab eo quasi portari videtur. Huc spectat *oneri nec cesserit.*

290. *Qui terret* etc. Cf. Lucan. V, 257; Sil. Italic. II, 499; Senec. de Clement. I, 19. Præcipue rem demonstrat Cic. d. Offic. II, 7.

292. *Septique venenis*, quibus quum inimicos per insidias tollant, tum tyrannide depulsi, pœnæ meritæ se subtrahant. Prior pars hujus versus priori sequentis, posterior hujus posteriori illius respondet.

293. *Artes. Arces* quidem semper fere occurrunt, quando de tyrannis sermo est: iis enim securitati suæ prospicere solent. Verum, quid sibi volunt *ancipites arces?* Barthius perperam corrigit *arcus.* Heinsius multis locis laudatis explicat: præcipites, quæ vix adiri possunt, sed nullus ex iis locis, quæ in partes vocata sunt, probanda probat; apud Ovid. Met. XII, 337, quidem *biceps* mons intelligendus est, et in reliquis vel dubia vocis vis est, vel huc omnino non pertinens. Burmannus secutus

Non tibi : nec tua te moveant, sed publica vota.
In commune jubes si quid, censesve tenendum,
Primus jussa subi : tunc observantior æqui
Fit populus, nec ferre negat, quum viderit ipsum
Auctorem parere sibi. Componitur orbis
Regis ad exemplum : nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, ut vita regentis.
Mobile mutatur semper cum principe vulgus.
«His tamen effectis, neu fastidire minores,
Neu pete præscriptos homini transcendere fines.
Inquinat egregios adjuncta superbia mores.
Non tibi tradidimus dociles servire Sabæos;
Armeniæ dominum non te præfecimus oræ;
Non damus Assyriam, tenuit quam femina, gentem :
Romani, qui cuncta diu rexere, regendi,

Gronov. Observat. III, 21, *ancipites* interpretatur, quæ et prosint tyrannis, et nocere possint. Non potest autem intelligi, quomodo nocere possint tyrannis, qui eas occupaverint, nec nisi fracta penitus tyrannide, inde possunt deturbari tyranni. Locus ex Plin. Panegyr. a Gronovio loco cit. laudatus rem non expedit, nec magis ille ex Cyropædia. Illi videntur audiendi esse, qui legunt *ancipites artes*; quæ et in ipsos tyrannos converti possunt, atque hoc Gesnero quoque probatur.

295. *Nec tua te* etç. Non quæ tu, sed quæ omnes cives volunt, specta.

296. *In commune*, quod omnium intersit. — *Tenendum*, observandum. Virgil. Æn. III, 408.

297. *Æqui*; hoc loco, legum ab Imperatore latarum, quatenus non Principis solum, sed omnium etiam civium commoda spectent.

299. *Sibi*, legibus a se latis. — *Componitur orbis R. a. e.* Cf. Juvenal. VI, 617, et VIII, 198.

300. *Inflectere sensus*, mutare animos. Cf. Virgil. Æn. IV, 22. Wernsdorf (ad Maximiani Eleg. v. 45. Poet. lat. m. t. VI, p. 277.) explicat per : permovere, assuefacere.

303. *His*, quæ præcepi.

304. *Præscriptos homini fines*, adeo, ut obliviscaris, te hominem esse, et nimis superbus sis.

306 sqq. Adjungit rationes, cur id vitium vitandum sit, quia populus romanus superbiam nunquam æquo animo tulerit. — *Dociles servire Sabæos*, assuetos regum superborum imperiis.

307. *Oræ*, terræ; sic sæpius Lucan. V, 55.

308. *Femina*, Semiramis.

309. *Rexere*, dum adhuc sub legibus viverent, seu liberi essent.

Qui nec Tarquinii fastus, nec jura tulere
Cæsaris. Annales veterum delicta loquentur;
Hærebunt maculæ: quis non per sæcula damnet
Cæsareæ portenta domus? quem dira Neronis
Funera, quem rupes Caprearum tetra latebit,
Incesto possessa seni? victura feretur
Gloria Trajani; non tam quod Tigride victo,
Nostra triumphati fuerint provincia Parthi,
Alta quod invectus fractis Capitolia Dacis,
Quam patriæ quod mitis erat. Ne desine tales,
Nate, sequi: si bella tonant, prius agmina duris
Exerce studiis, et sævo præstrue Marti.
Non brumæ requies, non hibernacula segnes
Enervent torpore manus: ponenda salubri
Castra loco; præbenda vigil custodia vallo.
Disce ubi densari cuneos, ubi cornua tendi

Hujusmodi enim populus jugum servitutis difficilius patitur.

310, 311. *Jura Cæsaris. Jura* Burmanno nimis legitimum videtur, quum dicatur in Cæsarem. Mavult *jussa*, seu *dura*, quod posterius durum esse ipse agnovit. *Jura* et *leges* sæpe pro ditione ponuntur. Sil. Italic. I, 2; XV, 5, Cf. tamen Oudendorp. et ipsum Burmann. ad Lucan. I, 2. — *Veterum*, Imperatorum, *delicta*, quibus scilicet populum romanum in se concitarunt.

312. *Hærebunt maculæ.* Semper infamia hujusmodi Imperatoribus inusta manebit.

314. *Funera*, cædes et parricidia. — *Rupes Caprearum tetra. Capreæ* (nunc *Capri*) insula ad sinum Neapolitanum notissima. Tacit. Ann. IV, 67; ibi v. Lips. Sueton. Tiber. 40, 43; Schol. et Ruperti ad Juvenal. X, 72. Tritum est ibi Tiberium delituisse, summaque flagitia commisisse.

315. *Incesto*, ob nefanda, quæ admisit impurus senex.

316. *Gloria Trajani.* Hujus præcipue meminit poeta in Theodosii M. gratiam, qui ab illo genus ducere gloriabatur. — *Tigride victo.* Pro populo, seu regione debellata sæpe flumina a poetis ponuntur, id quod inde natum videtur, quia fluminum imagines in triumphum ducebantur. Sil. Ital. XVII, 638 sq.

318. *Fractis;* infra XXVIII, 335.

319. *Quam patriæ* etc. Eutrop. VIII, 2.

321. *Præstrue*, præpara; cf. V, 281, et XXVI, 286.

325. *Densari;* Heinsius *denseri*. *Densare* autem *cuneos* est, quod Nostrates dicunt: *dichte Colonnen formiren*. Cf. loca a Ruperti laudata in VV. LL. ad Sil. Ital. III, 159.

Æquius, aut iterum flecti; quæ montibus aptæ,
Quæ campis acies, quæ fraudi accommoda vallis;
Qua via difficilis: fidit si mœnibus hostis,
Tum tibi murali libretur machina pulsu;
Saxa rotet præceps aries, protectaque portas

—*Tendi*, extendi. *Cornua extendere* idem est, quod aciem explicare. Nostrates: *aufmarschiren*.

326. *Aut iterum flecti*, sc. cornua, ad agmen densandum, quod fit conversione unius aut utriusque cornu. Cf. XX, 420.

327. *Fraudi*, insidiis, *accommoda vallis*, ut Virgil. Æn. XI, 522; Stat. Theb. X, 186.

329, 330. In his duobus versibus,
Tum tibi murali libretur machina pulsu;
Saxa rotet præceps aries, protectaque portas, etc.
quæritur, quæ tandem sit illa machina? Barthius arietem intelligit, et Joann. Castal. X Decad. obs. 4, quem Burmannus laudat. Et *machina* pro ariete occurrit supra III, 219, et apud Sidon. Apollin. Carm. XXIII, 75. Burmannus hoc improbat, certumque esse dicit, machinam hic diversam ab ariete indicari, qui sequatur. Cur hoc exploratum existimet, non addit ille quidem. Forsan Heinsii rationibus nititur, qui affirmat, arietem *saxa* non *rotare*. Recte istud quidem, si proprie loqui velis: nam *rotare* est circumagere, sæpiusque de flumine rapido aut torrente dicitur, qui saxa volvit; sic quoque saxa funda missa *rotari* dicuntur. Ad catapultam quidem interdum transfertur, sed quoque improprie Senec. Thyest. 385 sqq. infra XXXIII, 169 sq. A poetis serioribus majori cum licentia hæc vox usurpatur. Apud Lucanum VIII, 683, legimus *caput ense rotatum* pro amputatum, præcisum. Hunc secutus est Noster infra XV, 465, *mucrone rotatur caput*. Apud Sidon. Apollin. Carm. V, 413, pro prosternere ponitur, seu dejicere: *Hunc conti rotat ictus*. Nescio itaque cur non eadem ratione possit dici de ariete, qui pulsu suo muros evertit, saxaque disjicit, aut impetu suo facit, ut lapides et saxa, ligaturis suis emota, e muro dissiliant et disjiciantur. Cf. Lucan. I, 383 sqq. et III, 490 sqq. Gesnerus insuper dubitat, an *muralis pulsus* recte dicatur. Quidni? quum *murali turbine* Silius Italic. IX, 568, de hasta usurpet, idemque VI, 269, *murali ictu* de balista. *Muralis pulsus* is est, quo muri disjici possunt. Eadem ratione *murale saxum* Sil. Italic. XIV, 433, vocat, quod contra muros tormento mittitur, et Lucanus VI, 199, *vasti muralia pondera saxi*. Impetum saxorum tormentis missorum describit idem III, 469 sqq. Heinsius conjiciebat:
Tum tibi murali libretur machina pulsu,
Saxa rota: præceps etc.
Idem quoque proponit *saxa rotans*, ut referatur ad *machina*. Verum qui potest dici catapulta *libretur*? Hoc saltem non minus insolens videtur esse, quam *rotare* de ariete, quum missilia librentur, non machinæ, quibus illa mittuntur. Sed de ariete bene illud dici posse, et

Testudo feriat; ruat emersura juventus
Effossi per operta soli: si longa moretur
Obsidio; tum vota cave secura remittas,
Inclusumve putes: multis damnosa fuere
Gaudia: dispersi pereunt, somnove soluti.

ex natura ejus patet, quam exactissime describit Josephus, de Bello Jud. III, 7, 19. Cf. Sil. Italic. XIII, 106 sqq. et videmus ex Tertulliano de Pallio c. I. Cæterum balistarum et catapultarum usus in disjiciendis muris, aut eorum propugnaculis, notissimus est, Ovid. Trist. I, 248; Sil. Italic. IV, 212 sqq. Eleg. de Fortun. viciss. v. 121 sq. Poet. lat. m. T. III. ed. Wernsd. Joseph. loc. c. 23. Gesnerus conjicit:

Tum tibi muralis librato machina pulsu
Saxa rotet, praeceps, etc.

Ubi sane *librato pulsu* melius potest intelligi. *Machina muralis*, et *tormentum murale* pro catapulta, Sil. Italic. VI, 212 sq. *machina muri* occurrit Valer. Flacc. VI, 383, qui locus tamen corruptus videtur. Equidem existimo cum Barthio, locum de ariete esse intelligendum, quem universe designat v. 329, et versu sequenti apertius per expositionem explicat, quanquam exspectari potuisset, non una machina illum contentum fuisse, sed plures nominasse, ut Sidon. Apollin. Carm. XXII, 121 sq. Quum pro certo nihil possit affirmari, lector eligat, quod commodissimum arbitretur. — *Machina*, aries, *libretur*, funibus, seu catenis illigata concitetur in murum, *murali pulsu*, impetu vehementissimo.

330. *Saxa rotet*, id est, dejiciat, evertat muros. Olim conjeci *foret*, seu *cavet*. Si catapultam intelligis, *rotet* est, mittat.

331. *Testudo*. Veget. IV, 14: «Testudo autem a similitudine veræ testudinis vocabulum sumpsit; quia, sicut illa, modo reducit, modo profert caput, ita machinamentum interdum reducit trabem, interdum exserit, ut fortius cædat.» Cf. Vitruv. X, 19—21; Liv. X, 29; XXXIV, 29; Cæsar. de Bell. G. V, 42, 52. — *Projectaque* mihi magis arridet, quam *protectaque*. Illud est, in longitudinem extenta. Propert. IV, 10, 33 sq. hoc epithet. videtur nimis vulgare.

332. *Effossi per operta soli*. Cuniculi est descriptio, id est, viæ sub terra actæ, per quam vel muros subruere, vel in urbem ipsam penetrare studebant. Veget. IV, 24. Liv. V, 19 et 21. Nost. infra XXXV, 163 sqq.

333. *Vota secura remittas*. *Vota* sunt *secura*, quorum compotem te futurum esse propediem exspectare possis. *Remittere autem vota* ejus est, qui id, ad quod obtinendum ea nuncupavit, jam quasi manu tenere existimat. Jam vero cum *votis* etiam studium rei obtinendæ et diligentia solet *remitti*. Est itaque *vota secura remittas* positum pro, diligentiam securus remittas. De re vid. Veget. IV, 28.

334, 335. *Inclusumve putes*, quasi nihil sit, quod ab eo timeas. —

Sæpius incautæ nocuit victoria turbæ.
Neu tibi regificis tentoria larga redundent
Deliciis, neve imbelles ad signa maniplos
Luxuries armata trahat: neu flantibus austris,
Neu pluviis cedas; neu defensura calorem
Aurea submoveant rapidos umbracula soles.
Inventis utere cibis; solabere partes
Æquali sudore tuas: si collis iniquus,

Multis damnosa, etc. Huc pertinent eæ clades, quibus affecti sunt milites hostem obsidentes, qui, dum securi vino, epulis et somnis dediti essent, eruptione subito facta, dispersi per castra, partim interfecti, partim in fugam versi sunt.

336. Hac ratione Theodosius ipse Eogenium vicit, qui vicisse se existimaverat. Zosim. IV, 58. Miror Barthium in tot exemplis, quæ profert, hoc prætermisisse.

338, 339. *Luxuries armata*; est imperator ipse in armis, cujus luxuries et mollities multos homines, quorum opera in bello nulla est, in castris suis congregat, qui eo libenter convolant non pugnaturi, sed vitam dissolutam liberius et licentius acturi. Non intelligo cum Gesnero (qui pro *maniplos* legit *ministros*) coquos, ciniflones, spadones, symphoniacos, qui opus sunt imperatori molli et effeminato.

341. *Aurea umbracula.* Imitatus est Ovid. Fast. II, 311. *Umbracula*, σκιάδια, quæ complicari poterant ut ea, quibus hodie utuntur. Aristoph. Equit. 1344 sq. Cf. Ovid. Art. Am II, 209. —*Rapidos*, vehementes, magnos. Oudendorp. ad Lucan. VI, 337. Heyne ad Virgil. Eclog. II, 10.

342, 343. *Inventis*, paratis, obviis, τύχουσι. — *Solabere partes . . . tuas.* Burmannus fatetur, se ex his sensum idoneum efficere nequire. Conjecit itaque *solabere Martis Æquali sudore tuos*, aut *solabere pravas Æquali sudore vias*, quorum tamen utrumque ei non satisfecit. Equidem nihil mutandum puto, atque existimo *partes* esse hoc loco exercitum, milites. Theodosius enim in eo erat, ut proficisceretur cum exercitu contra Eugenium ad bellum, quod non multum a bello civili abludebat, in quo partium sæpe mentio fit, quando de uno alterove exercitu sermo est, ut apud Luc. II, 596. In hujuscemodi igitur bello filium suum occupatum cogitare poterat. Verum etiam in quocunque bello milites utriusque exercitus *partes* vocantur. Amm. Marcell. XX, 7: *Partibusque post solis occasum aquæ jactura digressis*, id est, utriusque exercitus militibus digressis, et XXIV, 4: *Jamque clangore Martio sonantibus tubis strepebant utrimque partes*, id est, milites. Ex sequentibus quoque satis apparet, sub *partes* milites esse intelligendos. Sensus: tu solabere milites, eosdem cum illis labores sustinendo. Cf. infra v. 350 sqq.

Primus ini : silvam si cædere provocat usus,
Sumpta ne pudeat quercum stravisse bipenni :
Calcatur si pigra palus, tuus ante profundum
Prætentet sonipes : fluvios tu protere cursu
Hærentes glacie; liquidos tu scinde natatu.
Nunc eques in medias equitum te consere turmas;
Nunc pedes adsistas pediti : tum promptius ibunt,
Te socio; tum conspicuus, gratusque feretur
Sub te teste labor. » Dicturum plura parentem
Voce subis : « Equidem, faveant modo numina cœptis,
Hæc effecta dabo; nec me fratrique, tibique
Dissimilem populi commissaque regna videbunt.
Sed cur non potius, verbis quæ disseris, usu
Experior? gelidas certe nunc tendis in Alpes.
Duc tecum comitem : figant, sine, nostra tyrannum
Spicula : pallescat nostro, sine, barbarus arcu.
Italiamne feram furiis prædonis acerbi
Subjectam? patiar Romam servire clienti?
Usque adeone puer? nec me polluta potestas,
Nec pia cognati tanget vindicta cruoris?

344. *Provocat*, suadet ad vallos faciendos, aut ad aggeres exstruendos.

345. Cæsaris exemplo. Lucan. III, 432 sq.

..... Raptam primus librare bipennem
Ausus, et aeriam ferro proscindere quercum.

346. *Pigra*, stagnans.

347, 348. *Fluvios hærentes*, torpentes, qui cursum, gelu et glacie constricti, non agunt.—*Protere*, de glacie non firma adeo, ut pondus equi aut hominis sustineat, quæ igitur, ut viam munias, frangenda est. Aut simpliciter positum est pro, transi. — *Scinde*. Ut de navibus Sil. Ital. XIV, 355.

352. *Dicturum plura*, etc. Interpellantem Honorium patris orationem inducit poeta, ut magnum ejus animum ostendat, virtutisque militaris amorem, sæpiusque auditorum animis inculcet, non sponte, sed jussu patris, Honorium Constantinopoli remansisse. Confer Nostrum ad VII, 73.

353. *Voce subis*, respondes. Gronov. Observ. II, 4.

358. *Tyrannum*, Eugenium.

360. *Prædonis*, Arbogastis.

361. *Clienti*, Eugenio. Conf. Nostrum ad VII, 63.

362, 363. *Polluta potestas*, eo quod Eugenius illam induit — *Co-*

Per strages equitare libet : da protinus arma.
Cur annos obicis? pugnæ cur arguor impar?
Æqualis mihi Pyrrhus erat, quum Pergama solus
Verteret, et patri non degeneraret Achilli.
Denique si princeps castris hærere nequibo,
Vel miles veniam. » Delibat dulcia nati
Oscula, miratusque refert : « Laudanda petisti;
Sed festinus amor : veniet robustior ætas;
Ne propera; necdum decimas emensus aristas,
Aggrederis metuenda viris : vestigia magnæ
Indolis agnosco : fertur Pellæus, Eoum
Qui domuit Porum, quum prospera sæpe Philippi
Audiret, lætos inter flevisse sodales,
Nil sibi vincendum patris virtute relinqui.

gnati eruoris, Valentiniani II, qui fuit frater Gallæ Placidiæ, novercæ Honorii.

364. *Per strages*, etc. exprimit non solum belli, sed et vindictæ ardorem, quo abripitur Honorius. Cf. VII, 73 sqq.

366. *Æqualis mihi Pyrrhus erat.* Quum Achilles Scyrum insulam, Trojam profecturus, relinqueret, Pyrrhus, ejus et Deidamiæ filius, nondum natus erat. Venit autem statim post patris mortem, in Græcorum castra, ab illis accersitus, quia fatale erat, Trojam sine illo non posse capi. Inde explicandum est *quum Pergama solus verteret*. Agebat tunc decimum ætatis annum, quot annos etiam Honorio poeta tribuit infra v. 372. Inde etiam probabile mihi est, Socratem in constituendo anno natali errasse. Cf. not. ad v. 154 sq. Cæterum de Pyrrho, qui etiam Neoptolemus vocabatur, v. Homer. Odyss. λ, 505 sqq. Quint. Calab. VI, 64 sqq. et VII, sqq.

367. *Patri.* Ex sequioris ævi consuetudine pro, a patre.

368, 369. *Hærere*, versari in. — *Delibat dulcia nati O.* Virgil. Æn. XII, 434.

371. *Festinus amor*, sc. laudis et gloriæ. *Festinus*, qui nimium properat. Stat. Theb. VIII, 716.

372. *Emensus aristas.* Pro annis posuit *aristas* Virgil. Eglog. I, 70. *Emetiri annos* habet Sil. Italic. III, 398; pro hoc Noster *emetiri aristas*, quod mihi quidem non placet. Cæterum conf. Nostrum ad 154 sqq. supra.

374. *Pellæus*, Alexander M. a Pella urbe et regia Macedoniæ, ubi natus est. Cf. Lucan. III, 233 sq. Juvenal. X, 168 sqq.

375. *Porum.* Curt. VIII, 12 et 13 sq. Remotissimæ ejus victoriæ designantur h. l. non difficillimæ. — *Eoum*, id est, Indiæ regem.

Hos video motus: fas sit promittere patri:
Tantus eris; nostro nec debes regna favori,
Quæ tibi jam natura dedit. Sic mollibus olim
Stridula ducturum pratis examina regem
Nascentem venerantur apes, et publica mellis
Jura petunt, traduntque favos: sic pascua parvus
Vindicat, et necdum firmatis cornibus, audax
Jam regit armentum vitulus. Sed prælia differ
In juvenem, patiensque meum cum fratre tuere,
Me bellante, locum: vos impacatus Araxes,
Vos celer Euphrates timeat: sit Nilus ubique
Vester, et emisso quidquid sol imbuit ortu.

378. *Hos video motus*, i. e. similes affectus, eamdem gloriæ cupiditatem. — *Fas sit promittere patri*. Bene Gesnerus: Invidiam deprecatur, et rogat Deum, ut hic sibi indulgeat divinationis boni certe omnis facultatem. Lucan. IX, 983 sqq.

379. *Tantus*, quantus Alexander M. — *Nostro nec.. favori*. Non patris caritati debes regnum.

380. *Quæ tibi jam natura dedit*. Etiamsi patre me natus non esses, indoles tamen tua (*natura*) tam eximia regno te destinasset, regemque fecisset, omnibus optimo regnum deferentibus. — *Olim* h. l. de futuro tempore, pertinet ad *venerantur*.

381 — 383. *Stridula examina*, apum sc. *regem nascentem venerantur*. Cf. Xenoph. Cyropæd. V, 1, 13; Ælian. H. A. V, 10 sq. Plin. H. Nat. XI, 17. Virgil. Georg. IV, 210 sq. — *Et publica mellis jura petunt*. Recte ait Burmannus: petunt apes a rege suo publica jura mellis, i. e. publicas mellificii leges, easque, secundum quas vivere debeant. Petuntur jura nempe ab iis, qui alios sibi subjecerunt. Ovid. Fast. I, 516, III, 62. Gesnerus minus recte *mellis jura* regis veniam interpretatur, ut de quæsitis in medium aliquid sbsumere sibi liceat. Burmannus conj. *quem publica mellis jura petunt*. Ovid. Met. VII, 269. Cf. Virgil. l. c. 153 sqq. — *Traduntque favos* idem explicat, imperium in favos. Sic quoque Gesnerus tanquam regna sua. Equidem interpretor: ut opus perfectum, regique debitum; aut, se fortunasque suas.

386, 387, *In juvenem*, in annos juveniles. — *Patiensque*, quanquam non æquo animo a castris abes. — *Meum locum*, Imperatoris vices, jura civibus reddentis, rempublicamque domi administrantis. — *Me bellante*, dum ego foris bello rempublicam administro. — *Vos impacatus Araxes*, etc. Sensus: vestræ olim victoriæ impacatus adhuc Parthus inserviet; non omnem triumphi materiem vobis præripiam.

389. *Emisso sol ortu*, sol emissus,

Si pateant Alpes, habeat si causa secundos
Justior eventus; aderis, partesque receptas
Suscipies, animosa tuas ut Gallia leges
Audiat, et nostros æquus modereris Iberos.
Tunc ego securus fati, lætusque laborum
Discedam, vobis utrumque regentibus axem.
Interea Musis, animus dum mollior, insta,
Et, quæ mox imitere, legas; nec desinat unquam
Tecum Graia loqui, tecum Romana vetustas.
Antiquos evolve duces; assuesce futuræ
Militiæ: Latium retro te confer in ævum.
Libertas quæsita placet? mirabere Brutum.

seu ortus, oriens, ut *emissa dies* Stat. Silv. I, 2, 229. Ita Gesnerus verba hæc junxisse videtur. Præstat autem *emisso ortu* cum *imbuit* jungere, ut sit pro, primis radiis imbuere, dictum. Idem, sed alia ratione expressit Virgilius, Æn. IV, 584. Verum huc non pertinet Virgil. Georg. I, 288, a Burmanno quoque laudatum; non magis Pindar. Olymp. VI, 92 sq. quandoquidem de rore h. l. non cogitandum est, neque de liquore, quocum comparasse radios solis Claudianum existimat Gesner. — *Imbuendi* vis et potestas est τῷ primo, aut primum aliquid facere, aut primum in usum aliquid convertere. Sic recte Bulæus ad Valer. Flacc. I, 70; cf. Sil. Italic. III, 64 sq.

390. *Si pateant Alpes* sc. Eugenio, ejusque copiis inde pulsis. Oros. VII, 35.

391. *Justior.* Eugenius contra fas imperium affectasse dicitur. — *Partes receptas*, ea imperii loca, quæ ab armis hostilibus occupata erant.

392. *Animosa Gallia.* Hujus mentio fit, non, ut Claverio videtur, quia Italiæ præfertur, sed quia ab Eugenio nunc occupata erat, et ob virtutem incolarum bellicam, quam aliquando pacatam Theodosius cogitat Honorio tradere.

393. *Nostros.* Inde enim Theodosii origines.

394. *Securus fati*, securus futuri, quia debellato Eugenio nihil est, quod vobis timeam. Cf. Heins. ad Ovid. Met. VII, 435.

395. *Discedam*, res humanas relinquam. Hoc quasi vaticinans dicit. — *Utrumque axem*, imperium occidentale et orientale.

396. *Mollior*, qui igitur fingi possit. Pers. III, 23 sq. — *Musis instes*, literis operam des.

397. *Et, quæ mox imitere, legas.* Cf. Sidon. Apollin. Carm. VII, 175 sqq.

399. *Duces*, res gestas ducum in veterum annalibus.

400. *Retro te confer*, regredere.

401. *Brutum.* Junium Brutum intelligit. Liv. I, 56 sqq. Dionys. Halic. IV, 74.

Perfidiam damnas? Metti satiabere pœnis.
Triste rigor nimius? Torquati despue mores.
Mors impensa bonum? Decios venerare ruentes.
Vel solus quid fortis agat, te ponte soluto
Oppositus Cocles, Muci te flamma docebit.
Quid mora perfringat, Fabius; quid rebus in arctis
Dux gerat, ostendat Gallorum strage Camillus.
Discitur hinc, nullos meritis obsistere casus.
Prorogat æternam feritas tibi Punica famam,
Regule: successus superant adversa Catonis.
Discitur hinc, quantum paupertas sobria possit:

402. *Mettii* Fuffetii, Albanorum imperatoris. Liv. I, 23, 28; Dionys. Halic. III, 41.

403. *Torquati*. Est T. Manlius Torquatus L. F. qui filium securi percuti jusserat, quia injussu suo singulare certamen cum hoste inierat. Liv. VIII, 7; Dionys. Halic. VIII, 91.—*Despue*, abominare, abhorre.

404. *Decios*. Liv. VIII, 10, et X, 28.—*Ruentes* h. l. morientes, sc. pro patria quum se devovissent.

406. *Cocles*. Liv. II, 10.—*Muci*. Liv. II, 12 sq.

407. *Quid*, quantas opes; Annibalis autem opes intelliguntur. — *Perfringat*. Burmannus existimat, respici h. l. Flor. II, 6. « ut Annibal, quia frangi virtute non poterat, mora comminueretur. » —*Mora*, cunctando. — *Rebus in arctis*, quum res summo sunt in discrimine.

408. *Camillus*. Liv. V, 45.

410, 411. *Feritas punica*...*Regule*. De genere supplicii, quo Carthaginienses Regulum affecisse dicuntur, parum constat inter scriptores romanos, quorum testimonia super hanc rem collegit et digessit Ruperti ad Argument. lib. VI Silii Italici: in hoc tamen conveniunt, eum tormentis exquisitissimis cruciatum esse, et interfectum. Totius rei fides non tam scriptorum romanorum auctoritate, qui odio suo in Carthaginienses nimis indulgere videntur, quam solita Carthaginiensium crudelitate in proprios duces nititur. Rem omnino fictam esse probare conati sunt Palmerius in Exercitat. in Græc. auct. pag. 151 sq. et *Beaufort* in fine Dissertat. *sur l'incertitude des cinq premiers siècles de l'histoire romaine*; quum ex fragmento Diodor. Sic. T. II, pag. 566, ed. Wesseling. tum ex Polybii hac de re silentio. Illis duumviris adstipulati sunt Wesseling. Gesnerus et Jani. — *Successus superant adversa Catonis*, i. e. adversa fortuna, qua Cato Uticensis usus est, præfertur victoriis aliorum. Lucan. IX, 593. sqq. Senec. de Provid. 2.

412. *Paupertas sobria*. Vita simplex sine quæstus opumque cupiditate. Ruperti ad Sil. Ital. I, 609 sq.

Pauper erat Curius, quum reges vinceret armis;
Pauper Fabricius, Pyrrhi quum sperneret aurum;
Sordida Serranus flexit dictator aratra.
Lustratæ lictore casæ, fascesque salignis
Postibus affixi: collectæ consule messes,
Et sulcata diu trabeato rura colono. »
Hæc genitor præcepta dabat: velut ille carinæ
Longævus rector, variis quem sæpe procellis
Exploravit hiems, ponto jam fessus et annis,
Æquoreas alni nato commendat habenas,
Et casus artesque docet, quo dextra regatur
Sidere, quo fluctus possint moderamine falli;

413. *Curius.* Cic. de Seoect. 16; Plin. H. N. XVIII, sect. 26; Valer. M. III. 3, 5.

414. *Fabricius.* Cic. Paradox. VI, 2; Valer. Max. IV, 3, 6; Aurel. Vict. Vir. Ill, 35.

415. *Serranus.* Plin. H. N. XVIII, sect. 4; Valer. Max. IV, 4, 5.

416, 417. *Lustratæ lictore casæ.* Illustratæ, cohonestatæ, quum antea privati, nunc consulis essent. — *Postibus adfixi.* Postibus magistratuum fasces adfixos fuisse saltem ex hoc loco probari posse non videtur. Noster finxit Serranum consulem, agris colendis inteotum, et lictorum opera adjutum, fascibus interim ad postes suspeosis. Cf. tamen Sagittarium de Januis; Thesaur. Antiq. Roman. T. VI, et Petron. 30.

419. *Ille*, cum emphasi. Drakenbr. ad Liv. I. 24; Heins. ad Virg. VII, 110; Broukhus. ad Tibull. I, 4, 23. Cf. supra 284.

421. *Exploravit hiems*, tentavit, quid cousilium et ars ejus valeret, pro simplici: qui sæpe tempestates expertus est. Cf. Sil. Italic. IV, 603. —*Ponto.* Navigandi labore.

422. *Æquoreas habenas*, gubernaculum. Navis sæpe a poetis comparatur cum equo, indeque peti plures metaphoræ soleot. Cf. Burmann. ad Virgil. Æn. VI, 1; Oudeodorp. ad Lucan. IX, 332; Valer. Flacc. I, 687. Cujus rei, ni fallor, auctor primus est Homerus Odyss. δ, 707 sq.

. . . . οὐδέ τί μιν χρεὼ
Νηῶν ὠκυπόρων ἐπιβαινέμεν, αἵθ' ἁλὸς ἵπποι
Ἀνδράσι γίγνονται.

—*Alni*, navigii. Ad naves ædificandas alni materies optima habebatur. Lucan. III, 441; Barth. ad Stat. Theb. III, 23; VI, 106.

423, 424. *Casus artesque*, pericula maris tempestatumque, et artes, quibus illa effugere possit, id quod est, rem nauticam, seu gubernandi scientiam.—*Quo dextra regatur Sidere. Sidus* h. l. est vel Cynosura, vel Helice. Burm. ad Valer. Flacc. I, 17 et 19. — *Dextra* sc. gubernatoris, qua clavum tenet, quem ille

Quæ nota nimborum; quæ fraus infida sereni;
Quid sol occiduus prodat; quo saucia vento
Decolor iratos attollat Cynthia vultus.
Aspice nunc quacunque micas, seu circulus Austri,
Magne parens, gelidi seu te meruere Triones,
Aspice, completur votum: jam natus adæquat
Te meritis, et, quod magis est optabile, vincito
Subnixus Stilichone tuo, quem fratribus ipse
Discedens clypeum defensoremque dedisti.
Pro nobis nihil ille pati, nullumque recusat
Discrimen tentare sui; non dura viarum,
Non incerta maris. Libyæ squalentis arenas
Audebit superare pedes, madidaque cadente
Pleiade Gætulas intrabit navita Syrtes.

ad sidera regit. Burmann. laudat Valer. Flacc. III, 40; Lucan. III, 592; V, 588. Sidera regunt dextram gubernatoris, quia hic ad illa cursum dirigit. — *Quo fluctus possint m. f.* Lucan. V, 645 sq. Quæ Gesnerus ad h. l. notat, indicant eum de navis regimine nullam habuisse scientiam. Cf. Apollon. Rhod. II, 579 sqq.

425. *Nota nimborum*, quæ significat tempestates futuras. Virgil. Georg. I, 356 sqq. ibi v. Heyne; Lucan. V, 560 sqq. — *Fraus infida*, signum fallax. Virgil. Georg. I, 425 sq. Æn. V, 851; Arati Diosem. 46 sq.

426, 427. *Sol occiduus*. Cf. infra XV, 494 sq. Plin. H. N. XVIII, sect. 78. — *Saucia*, rubens. Luna rubens ventos vehementes indicat. Virgil. Georg. I, 429 sq. Lucan. V, 546 sq. Valer. Flacc. II, 56 sq. Veget. V, 11.

428. Respicit poeta apothaosin Theodosii M. de qua cf. VII, 163 sqq.; X, 300 sq. Hac orationis subita ad Theodosium conversione, poeta redit ad laudes Honorii.

429. *Meruere*, consecuti sunt. Cf. supra VII, 170 sqq. Aliter idem expressum est a Lucano I, 46.

433. *Clypeum;* cf. supra III, 265.

434. *Ille*, Stilicho.

435. *Dura viarum*, itinera molesta, laborumque plena.

436. *Incerta maris*, incertos casus maris. — *Squalentes*, tristes aspectu, incultas, steriles. Ruperti ad Sil. Italic. I, 211. Libyæ arenas squalentes describit idem Sil. Italic. III, 654 sqq.

437, 438. *Gætulas Syrtes*. Eas describit Sallust. Jugurth. 78. Cf. Lucan. IX, 303 sqq. Ibi navigatio periculosissima est. Ad augendum periculum tempus definitur, ubi gravissimæ tempestates solent esse, *cadente Pleiade*. Sidus Πλειάδων, seu Vergiliarum, occidit XXXII diebus

Hunc tamen in primis populos levitate feroces,
Et Rhenum pacare jubes: volat ille citatis
Vectus equis, nullaque latus stipante caterva,
Aspera nubiferas qua Rhætia porrigit Alpes,
Pergit, et hostiles, tanta est fiducia, ripas
Incomitatus adit: totum properare per amnem
Attonitos humili reges cervice videres.
Ante ducem nostrum flavam sparsere Sycambri
Cæsariem, pavidoque orantes murmure Franci
Procubuere solo: juratur Honorius absens,

post æquinoctium auctumni. Heyne ad Virgil. Georg. IV, 234. Quo tempore navigatio cessat. Hesiod. Opera et D. 619 sqq. *Madida*, quandoquidem tunc pluviæ incipiunt; eadem ratione *Pleias imbrifera* vocatur Lucan. VIII, 852. Gesnerus legit cum Barthio *Syrtibus undas*, intelligitque sub *Syrtibus* tempestatem vehementem, ipsum motum maris, ipsumque tempus, quo σύρεται, trahitur, mutatur fundus maris, atque explicat *Syrtibus* per: quando fiunt Syrtes. Verum hac lectione, ejusque interpretatione vis hujus loci non augetur: nam tempestas jam in *cadente Pleiade* latet; ejus periculum autem augetur adjecto mari maxime vadoso.

439. *Hunc tamen*, etc. Gesnerus: Honorium Occidenti das Imperatorem, o Theodosi pater, ubi feroces etc. Sed parum Gesnerus ad historiam, ipsumque sententiarum nexum attendit. *Hunc* ad Stilichonem pertinet. Convertit se poeta subito a Theodosio ad Honorium, id quod sequentia aperte docent. Illud *tamen* ita explico: Stilichonem, quanquam vel gravissima pericula subire pro te non recusaturus esset, terrasque adire maxime longinquas, inprimis tamen post patris mortem contra Germanos mittis. — *Populos levitate feroces*. Ita Galli jam ex Cæsare satis noti sunt. Cf. Æl. Lamprid. in Alex. Severo c. 59.

441. *Nulla . . . caterva*, i. e. nullis comitibus. Cf. 444 et 495. Cf. infra XXI, 159 sqq.

442. *Rhætia*. Ea regio fere, quæ nunc *Tirol* et *Graubündten* vocatur.

444. *Incomitatus*. Pari ratione Eumenius dicit Maximianum sola sua præsentia Rheni limitem esse tuitum. Panegyr. Vet. IV, 13, 3. Cf. VI, 11.

445. *Humili cervice*, ad imperata facienda parati.

446 — 448. *Sycambri*. Populus ad Lupiam. — *Sparsere*, dissolvere crines luctus causa, aut abscindere, quum pro victis se haberent. Cf. Burmann. ad Ovid. Fast. I, 645, et Broukhus. ad Propert. IV, 9, 38. — *Flavam*. De crinibus flavis Germanorum res est notissima. — *Pavidoque murmure*, metu prohibente, quominus alta voce pacem peterent. — *Franci*; tunc inter Rhenum et Albim habitabant. — *Jura-*

Imploratque tuum supplex Alamannia nomen.
Bastarnæ venere truces; venit accola silvæ
Bructerus Hercyniæ; latisque paludibus exit
Cimber, et ingentes Albin liquere Cherusci.
Accipit ille preces varias, tardeque rogatus
Annuit, et magno pacem pro munere donat.
Nobilitant veteres Germanica fœdera Drusos;
Marte sed ancipiti, sed multis cladibus, empta.
Quis victum meminit sola formidine Rhenum?
Quod longis alii bellis potuere mereri,
Hoc tibi dat Stilichonis iter : post otia Galli
Limitis, hortaris Graias fulcire ruinas.
Ionium tegitur velis, ventique laborant
Tot curvare sinus, servaturasque Corinthum
Prosequitur facili Neptunus gurgite classes;

tur Honorius absens. Per Honorii absentis nomen juratur, numen ejus agnoscitur. Lucan. IX, 601 sqq. Stat. Theb. VII, 100 sqq. Horat. Epist. II, 1, 15 sq.

449. *Alamannia*, validissima gens circa Rheni fontes. Mamertin. Panegyr. Vet. X, 6, 2.

450. *Bastarnæ* habitabant inter Vistulam et Pontum Euxinum. Cf. Plutarch. in Æmil. Paullo 12, t. II, pag. 184, ed. Hutt.

451. *Bructerus*, inter Rhenum et Amisum. —*Silvæ Hercyniæ.* De illa v. Cæs. de B. G. VI, 25.

452. *Cimber.* Tacit. Germ. 37. Duck. ad Flor. III, 3, 1. — *Cherusci.* Tacit. Ann. I, 64; Germ. 36.

454. *Magno pro munere*, ut magnum munus.

455. *Nobilitant veteres G. f. Drusos.* Per Drusos enim *Germanici* cognomen in Cæsarum familiam venit. Intelligit autem Drusum fratrem Tiberii, et ejus filium. Cf. Tac. Ann.

457. *Sola formidine;* cf. infra XXI, 188 sq.

458. *Mereri*, consequi.

459. *Iter*, propter facilitatem et celeritatem, qua tota res confecta est, supra 440 sq.

460. *Hortaris*, ut tutorem et socerum futurum, non pro imperio jubet Honorius. —*Graias ruinas.* Ad expellendum Alaricum e Græcia, quem Rufinus excitaverat. Male de Stilichone loquitur Zosim. V, 7. Cf. Socrat. H. E. VI, 1; Philostorg. XI, 3; Oros. VII, 37. — Græcia nunc dicitur *une ruine vivante.* En.

461. *Laborant.* Burmannus laudat Flor. IV, 11, 5, ubi v. Duck. et Stat. Achill. I, 449 sq. Explicat cum Gesnero : venti fatigantur, dum student curvare velorum sinus. Quo igitur exprimitur ingens navium numerus. Videtur etiam τὸ *laborant* favorem et studium ven-

Et puer Isthmiaci jam pridem litoris exsul
Secura repetit portus cum matre Palæmon.
Plaustra cruore natant; metitur pellita juventus;
Pars morbo, pars ense perit: non lustra Lycæi,
Non Erymantheæ jam copia sufficit umbræ,
Innumeris exusta rogis, nudataque ferro
Sic flagrasse suas lætantur Mænala silvas.
Excutiat cineres Ephyre; Spartanus, et Arcas

torum indicare vela impellentium.

464, 465. *Palæmon cum matre*, i. e. Melicerta, filius Athamantis, cum matre Ino, quæ, ut filium furiis mariti eriperet, sese cum illo de saxo Moluride in mare præcipitasse dicitur, et a Neptuno cum eodem inter deos marinos recepta esse. Corpus Melicertæ a delphino ad Isthmum deportatum, atque in ejus honorem a Sisypho, Corinthi rege, ludos isthmiacos institutos esse commemorant Pausan. Attic. cap. ult. Ovid. Met. IV, 511 sq. Stat. Theb. VI, 10 sqq. ubi v. interpp. Tzetz. ad Lycophr. 229; Pindari scholiast. ad Isthm. in ὑποθέσει Ἰσθμίων. Inde ratio facile apparet, cur vocetur Melicerta *puer Isthmiaci litoris*. Exsulaverat autem propter Barbarorum incursiones. Isthmum transversa munitione tunc omnem Peloponnesum servasse narrat Zosim. V, 6. Ad intermissionem ludorum isthmiacorum illud non spectare, sed meram poetæ fictionem esse, docuit Gesnerus. Illos ludos sub Valentiniano adhuc floruisse colligi potest ex inscriptione athletica apud Reines. V, 45. Olympia, et fortasse reliqua sacra certamina a Theodosio M., ultimo vitæ suæ anno (A. C. 395), abrogata sunt. Corsin. Dissert. agonist. I, 11. — *Repetit portus*. Erat nempe Palæmon, seu Portunus inter deos σωτῆρας nautarum. V. Heyne ad Virgil. Æn. V, 241; Eurip. Iphig. in Taur. 270 sqq. Antholog. Græc. ed. Jacobs. t. II, pag. 75, epigr. XXV.

466. *Plaustra*, quibus Barbari castra sua munire solebant. Vid. supra N. ad V, 129. — *Pellita juventus*; supra V, 85. — *Metitur*; Homer. Il. λ. 67 sqq. Virgil. Æn. X, 513; Sil. Italic. IV, 462 sq. Burm. ad Valer. Flacc. III, 670. Cæsorum multitudinem indicat.

467, 468. *Lustra Lycæi*, et *Erymantheæ umbræ*. *Lycæus* et *Erymanthus*, Arcadiæ montes densis silvis consiti. Huc pertinent Sil. Italic. X, 528 sqq. Valer. Flacc. III, 332 sqq. Stat. Theb. VI, 84 sqq.

469. *Exusta rogis*, consumpta rogis. — *Nudataque*, spoliataque. Vid. Burmann. ad Ovid. Heroid. XVI, 107.

470. *Sic flagrasse... lætantur*. Lætantur, quod in rogos hostium barbarorum consumptæ sunt silvæ suæ, tanquam in eorum ultionem inde aliquid contulerint.

471. *Ephyre*, Corinthus. — *Excutiat cineres*, sc. incendiorum; resurgat e cinere.

Tutior exsangues pedibus proculcet acervos;
Fessaque pensatis respiret Græcia pœnis.
Gens, qua non Scythicos diffusior ulla triones
Incoluit, cui parvus Athos, angustaque Thrace,
Quum transiret, erat, per te, viresque tuorum
Fracta ducum, lugetque sibi jam rara superstes;
Et, quorum turbæ spatium vix præbuit orbis,
Uno colle latent: sitiens, inclusaque vallo
Ereptas quæsivit aquas, quas hostibus ante
Contiguas alio Stilicho deflexerat actu,
Mirantemque novas ignota per avia valles
Jusserat averso fluvium migrare meatu.
Obvia quid mirum vinci, quum Barbarus ultro
Jam cupiat servire tibi? tua Sarmata discors
Sacramenta petit; projecta pelle Gelonus

473. *Pensatis pœnis*, sc. a Barbaris; pœnis hostibus inflictis.

474. *Scythicos triones*, regiones sub trionibus, i. e. septemtrionales, quarum habitatores communi Scytharum nomine olim comprehendebantur. — *Diffusior* pro adverb. latius.

475. *Cui parvus Athos, angustaque Thrace.* Alaricus cum Gothis e Thracia per Macedoniam in Thessaliam progressus est. Zosim. V, 5. — *Athos* mons pro Macedonia positus est, ut opponeretur *colli* v. 479.

476. *Te*, Honori.

478. *Orbis;* hyperbole vix ferenda. Cf. v. 474 sq.

479, 480. Cf. Oros. VII, 37.

481. *Alio actu.* Derivationem aquæ per fossam intellige. Lucret. III, 193. Calpurn. Eclog. II, 58. — *Irriguas.* Bronkh. ad Tibull. II, 1, 44.

482. *Mirantemque.* Eadem metaph. utitur Virgil. Georg. II, 82. — *Avia.* Respectu prioris alvei.

483. *Jusserat.* Inde undam vocat *parentem* Ovid. Amor. II, 16, 35. — *Averso*, ab hostium castris.

484. Sensus: Quid mirum est, eos vinci, qui armis tuis obvii facti sunt, quum illi barbari, qui bello non lacessantur, in ditionem tuam ultro venire cupiant, et ad te transeant. Cf. XI, 28 sqq.

485. *Sarmata discors.* Describit gentem Ovid. Trist. V, El. 7, 13 sqq. *Discors* vocatur ob perpetua in suos bella. Late enim patebat nomen, gentesque inter se inimicas complectebatur. Ovid. Trist. V, 10, 15 sqq.

486. *Sacramenta petit*, nomen militiæ romanæ dare cupit. — *Gelonus;* supra III, 213. — *Projecta pelle.* Indicat Barbaros arma romana induisse. Hanc lectionem ve-

Militat; in Latios ritus transistis, Alani.
Ut fortes in Marte viros, animisque paratos,
Sic justos in pace legis, longumque tueris
Electos, crebris nec succedentibus urges.
Judicibus notis regimur; fruimurque quietis
Militiæque bonis, ceu bellatore Quirino,
Ceu placido moderante Numa: non imminet ensis;
Nullæ nobilium cædes; non crimina vulgo
Texuntur; patriâ mæstus non truditur exsul;
Impia continui cessant augmenta tributi:
Non infelices tabulæ; non hasta refixas
Vendit opes; avida sector non voce citatur;
Nec tua privatis crescunt æraria damnis.
Munificus laudis, sed non es prodigus auri.

riorem esse, quam *projecta fraude*, quæ a Gesnero prolata defenditur, sequentia docent. Fortasse *fraude* ex interpretatione grammatici ortum, qui *pelle* h. l. perperam per *fraude* in margine exposuit ex Horat. Sat. II, 1, 64 sq.

487. *Alani;* v. supra III, 312.

488. *In Marte*, in bello. — *Animisque paratos*, bellica virtute prompta. Sallust. Catil. 58. Petron. 130.

489. *Longumque tueris. Tueri* h. l. servare, retinere. — *Longum*, in longum tempus. Interpretationem hanc sequens versus subministrat.

490. *Crebris nec succedentibus urges. Urgere* proprie ii dici possunt, qui in aliorum locum succedunt, h. l. pro, removes, positum. Laudatur Honorius, quod magistratus non crebro mutat.

491 — 493. *Fruimurque quietis ... Numa. Quietis*, pacis. Sensus: Honorius et belli et pacis artibus ornatissimus est; in illo Romulum, in hac Numam refert.

495. *Texuntur* ad delatores pertinet, quorum greges per totum imperium ante sparsi erant.

497. *Infelices tabulæ*, sc. proscriptorum, vel ex Cicerone satis notæ. Florus III, 22, 2, *ferales tabulas* eas vocat. — *Refixas*. Recte Gesnerus: Puto, quum jam auctio fieret, refixam esse tabulam, in qua ad eum diem venalia bona proscripta pependerant. Saltem hoc sensu *refigite* usurpat Sil. Italic. X, 600.

498. *Sector*, emptor bonorum proscriptorum. — *Voce*, sc. præconis; *avida*, ab imperatore translatum; qui sui commodi causa bona illa vendenda curaret.

500. *Munificus laudis, sed non es prodigus auri.* Poeta Honorium dicit milites non effusis largitionibus sibi conciliasse, sed potius studuisse, ut laudando eos, honoribusque afficiendo, sensum virtutis et hone-

Perdurat non empta fides, nec pectora merces
Alligat. Ipsa suo pro pignore castra laborant;
Te miles nutritor amat. Quæ denique Romæ
Cura tibi? quam fixa manet reverentia patrum!
Firmatur senium juris, priscamque resumunt
Canitiem leges, emendanturque vetustæ,
Acceduntque novæ. Talem sensere Solonem
Res Pandioniæ; sic armipotens Lacedæmon
Despexit muros rigido munita Lycurgo.
Quæ sub te vel causa brevis, vel judicis error

statis in iis excitaret. Quando aliquis negatur auri prodigus fuisse, id quod in Principe vel ditissimo non mediocre vitium est, non continuo avaritia et sordes ei objiciuntur. Nihilominus tamen Heinsius vulgatam lectionem eam ob causam rejicit, legitque :

Munificus largi, sed non et prodigus, auri.

501. *Non empta fides*, sed ea militum fides, quæ persuasione nititur, Honorio meliorem inveniri posse neminem, quæque eo confirmatur, quod Imperator in castris educatus fuerat.

502. *Alligat*, devincit. Propert. IV, 7, 80. — *Suo pro pignore*. Cf. supra 150 sqq. Eadem ratione vocatur *miles nutritor*.

503, 504. *Quæ denique Romæ Cura tibi*. Cf. infra XXVIII, 54 sqq. — *Fixa patrum reverentia;* quam constanter senatus auctoritatem conservas. Infra XXI, 325 sqq.

505, 506. *Firmatur senium juris*. Leges et mores antiqui, qui vetustate jam vim suam amiserant, aut in oblivionem adeo venerant, novam vim per te et auctoritatem recuperant. Non igitur contraria huic loco ratione, ut Gesnerus existimat, legitur apud Gell. II, 24 : *legibus istis situ atque senio obliteratis*, et apud eumdem XX, 1 : *passus est leges istas situ atque senio emori*. Voci *senium* in his atque in Nostro eadem plane vis est. — *Priscam canitiem*, i. e. auctoritatem et reverentiam, quam olim habebant, quum non ab animi levitate, sed a judicii maturitate proficiscerentur. Cf. X, 325, et XVII, 19.

508. *Res Pandioniæ*, Atheniensium respublica, a rege illorum antiquo. — *Armipotens*, ob bellicam virtutem, quibus semper inclaruit.

509. *Despexit muros*. Spartam muro circumdari Lycurgus vetuit, ut armis Spartani et virtute potius quam munitionibus fiderent. V. Cragium de Republ. Laced. III, tab. II, inst. 5. — *Rigido munita Lycurgo*, i. e. legibus rigidis, severis, Lycurgi, ex quibus corpora Spartanorum roborabantur, ipsique gloriam sectari, mortemque contemnere docebantur. Præter Cragium id. Meurs. Miscell. Lac. II, 9.

510. *Causa brevis*, secundum Burmannum : lis de re minuta. Ille laudat Sueton. Ner. 7, et Phædr. III, 11, 41, et IV, 4, 33.

Negligitur? dubiis quis litibus addere finem
Justior, et mersum latebris educere verum?
Quæ pietas, quantusque rigor, tranquillaque magni
Vis animi, nulloque levis terrore moveri,
Nec nova mirari facilis! quam docta facultas
Ingenii, linguæque modus! responsa verentur
Legati, gravibusque latet sub moribus ætas.
 Quantus in ore pater radiat! quam torva voluptas
Frontis, et augusti majestas grata pudoris!
Jam patrias imples galeas; jam cornus avita

511. *Dubiis litibus*, in quibus, quid juris sit, perspectu difficile est, etiam peritis.

513, 514. *Quæ pietas, quantusque rigor*, i. e. clementia cum justitia conjuncta. — *Tranquillaque magni Vis animi, nulloque* etc. constantia et fortitudo.

515. *Nec nova mirari facilis.* Hoc jungendum est cum priori, *nullo levis terrore moveri:* utroque enim animi gravitas exprimitur, quæ nullius rei neque timore, neque admiratione temere capitur. *Nova mirari* non semper ignorantiæ est, ut Gesnerus existimat, sed etiam levitatis. Et, si quid video, alium sensum habet, nec cum h. l. comparandum est Horatianum illud Epist. I, 6, 1 sq. — *Docta facultas ingenii* est ingenium doctrina excultum.

516. *Linguæque modus* non est brevitas loquendi, quam Barthius intelligere videtur. — *Modus* h. l. est ratio arte profecta, et *linguæ* ratio est eloquentia ipsa. Eodem sensu *modus* apud Virgil. Æn. IV, 294, occurrit, *quis rebus dexter modus.* Ibi enim *res* ea sunt, quæ Æneas dicere volebat reginæ, et *modus* ratio, qua id facturus erat. Cf. Valer. Flacc. V, 389; ibi v. Burmann.—*Verentur* plus est, quam admirantur, exprimitque *responsa* auctoritatis et dignitatis plena.

517. *Latet ætas.* Non agnoscitur puerilis pæne ætas in moribus tam gravibus.

518. *Quantus in ore pater!* Quantopere patrem refers; non tam, ut equidem existimo, oris lineamentis, quam dignitate et humanitate. — *Radiat quam torva voluptas.* Laudat lætitiam frontis gravitate temperatam. Nimis vulgare erat Claudiano: nitet lætitia frontis; et sic pro *severa* aut *seria* posuit *torva:* gaudet enim contrariorum junctione. Minus bene Gesnerus, Barthium secutus, *radiat* ad consecrationem refert.

519. *Majestas grata* est majestas non superba, sed humanitate temperata.—*Augusti pudoris*, verecundiæ augustæ. Verecundia in fronte severitatem (*majestatem*) quidem præ se ferebat, verum non tetricam, sed humanitate conditam. Acumen ex antithetis *torva voluptas*, *majestas grata*, facile quivis agnoscet.

520. *Jam patrias imples galeas.* Cf. Stat. Theb. VIII, 291 sqq. inf. XXXVI, 218 sq. — *Cornus avita.*

Tentatur vibranda tibi : promittitur ingens
Dextra rudimentis, romanaque vota moratur.
Quis decor, incedis quoties clipeatus, et auro
Squameus, et rutilus cristis, et casside major!
Sic quum Threicia primum sudaret in hasta,
Flumina laverunt puerum Rhodopeia Martem.
Quæ vires jaculis! vel quum Gortynia tendis
Spicula, quam felix arcus, certique petitor
Vulneris, et jussum mentiri nescius ictum!

Ex cornu potissimum hastæ fiebant. Virgil. Georg. II, 448. *Avita*, qua majores tui solebant uti. Hastam avitam, qua uti debes, jam nunc tentas.

521, 522. *Ingens dextra*, ut heroibus et diis datur, ut *magna Jovis* Horat. Od. III, 3, 6; Sil. Ital. VII, 371. Χεὶρ παχεῖα sæpius occurrit apud Homerum. Cf. Burmann. ad Albinov. Eleg. in Drus. 224. — *Promittitur;* Juvenal. II, 11, s. Valer. Flacc. I, 272. Forsan *ingens dextra* nihil aliud significat, quam vires ingentes, Virgil. Æn. XI, 556. — *Rudimentis*, exercitationibus tuis militaribus; Stat. Silv. V, 2, 8 sqq. — *Romanaque vota morantur*. Gesnerus: quam fortitudinem militarem adeo avide optant, cui adeo inhiant homines, ut tarde venire videatur, quæ tamen ante ætatem in te elucet. Verum hæc vix ex verbis propositis extorqueri possunt. *Morari* hoc l. nihil aliud esse potest, quam occupare, detinere; Horat. Epist. I, 13, 17; Arte, 321. Sensus : occupat Romanorum vota; Romani in votis habent, ut tandem illæ vires, illud corporis robur, quod jam in rudimentis admirantur, maturitatem plenam accipiat.

523, 524. *Auro Squameus*, i. e. lorica squamis aureis confecta indutus. Virgil. Æn. III, 467, et La Cerda ad eumdem Æn. V, 259. Eadem ratione *rutilus cristis* pro, rutilis cristis, et *casside major*. Cassis cum cristis altis auget staturam. Cf. Sil. Italic. XIII, 143; XVII, 392 sqq. et 525 sqq. Compares cum hoc et sequentibus Ovid. Metam. VIII, lib. 24 sqq.

525. *Primum sudaret in hasta*, i. e. hasta primum uteretur.

526. *Quæ vires jaculis!* quanta cum vi missilia a te sparsa omnia penetrant. — *Gortynia*, Cretica. Sagittandi arte Cretenses olim nobilissimi fuere, ipsaque Creta cannis fertilissima, unde sagittæ conficiebantur. Ruperti ad Sil. Italic. II, 90; interpp. ad Lucan. VI, 214.

528. *Felix arcus* in feriendis iis, quæ petuntur.

529. *Jussum ictum* pro, locum, quem petere jussus est arcus. Ovid. Epist. XVI, 364. — *Mentiri*. Arcui bono et bene collimato quasi credis, fore, ut locus, quem petas, sagitta feriatur. Quod si autem aberrat a scopo sagitta, arcus spem fallit, fidemque quasi datam non servat, itaque mentitur. Ab agris hoc forsan

Scis quo more Cydon, qua dirigat arte sagittas
Armenius, refugo quæ sit fiducia Partho.
Sic Amphioniæ pulcher sudore palæstræ
Alcides pharetras, Dircæaque tela solebat
Prætentare feris, olim domitura Gigantas,
Et pacem latura polo; semperque cruentus
Ibat, et Alcmenæ prædam referebat ovanti.
Cæruleus tali prostratus Apolline Python
Implicuit fractis moritura volumina silvis.
Quum vectaris equo, simulacraque martia ludis,
Quis molles sinuare fugas, quis tendere contum
Acrior, aut subitos melior flexisse recursus?

sumptum, qui mentiri dicuntur, quando spem agricolarum fallunt. Ruperti ad Sil. Ital. VII, 160. *Jussum mentiri nescius ictum* est igitur arcus, qui nescit aberrare; nunquam aberrat a scopo. Stat. Silv. I, 2, 62. Cf. I, 108.

530. *Cydon*, Cretæ urbs pro, Cretenses. Virgil. Æn. XII, 858; cf. N. ad 527, et Senec. Hippolyt. 812 sqq.

531. *Armenius*. Etiam Armenii sagittandi arte inclaruerant. Lucan. VIII, 221. Stat. Silv. I, 4, 78 sq. —*Refugo Partho*. Horat. Od. II, 13, 17 sq. Lucan. I, 230. Ovid. A. A. I, 209 sqq.

532. *Pulcher*, ut heros, qui robore corporis et pulchritudine insignis est. Heyne ad Virgil. Æn. VII, 656. —*Sudore palæstræ* pro palæstra, qua non solum vires corpori, sed etiam decus parabatur. Theocrit. II, 79 sq. — *Amphioniæ*, thebanæ, quia Thebarum muri Amphionis cantu conditi dicebantur. Cæterum ad Herculem thebanum ea translata sunt, quæ in Geoniis de antiquiore Hercule, qui cum diis contra Gigantes pugnaverat, narrabantur.

533, 534. *Dircæaque*, thebana, a Dirce, thebano fonte. Bronckh. ad Propert. III, 13, 11 sqq. — *Prætentare feris* pro, in feris, aut contra feras.

535. *Polo*, cælo, diis, quos Gigantes seu Titanes cælo expellere conabantur.

537, 538. *Cæruleus*, color, qui passim tribuitur anguibus. Virgil. Georg. IV, 482. Sil. Italic. II, 585. — *Tali Apolline* pro: talis Apollo erat, quum etc. cf. Ovid. Met. I, 454. — *Python*. Spanhem. ad Callim. H. in Del. 91.—*Volumina*, spiras. Cf. Sil. Italic. III, 109 sqq. Stat. Theb. V, 531 sq. Nostr. supra II, 7sq.

539. *Simulacra Martia*, ut *belli simulacra* Lucret. II, 42; Virg. Æn. V, 674, prælia simulata. Cum hoc et sequentibus cf. Tibull. lib. I, Eleg. 1, 91 sqq.

540, 541. *Sinuare fugas*. *Fugæ* h. l. cursus sunt. Juvenal. VIII, 61.

Non te Massagetæ, non gens exercita campo
Thessala, non ipsi poterunt æquare bimembres.
Vix comites alæ, vix te suspensa sequuntur
Agmina, ferventesque tument post terga dracones:
Utque tuis primum sonipes calcaribus arsit,

Sinuare fugas igitur est, gyros describere in cursu, modo huc, modo illuc equum flectendo. *Molles* facilitatem exprimit, qua flexus fiebant. — *Tendere contum* Burmann. explicat: emittere eum in hostem. Idem notat, contum gessisse ad latus equi loro ligatum, quem emittere et relegere possent. Laudat Stat. Achill. II, 418 sqq. v. Burm. ad Valer. Flacc. VI, 162. Marklandus ad Stat. Silv. V, 2, 115, legendum h. l. existimat *tendere cursum*, quæ conjectura a Burmanno idcirco improbatur, quod obvia sit vox, nec verisimile, illam a librario esse mutatam. Quæ quidem ratio valere debet non semper et ubique, præsertim si contextus obloquatur. In sequenti versu est *subitos recursus flexisse*, cui opponitur *tendere cursum*, i. e. dirigere cursum. V. Burmann. ad Ovid. Met. II, 547; infra XXVIII, 291. Ne dicam, *acrior* τῷ *tendere cursum*, quam τῷ *tendere contum* aptius esse. Cf. Virgil. Æn. V, 583 sqq. Equidem puto legendum esse *tendere contra* (non tamen eo sensu, quo occurrit apud Virgil. Æn. V, 27), quum, quis hæc lectio ex libris scriptis potest defendi, tum, quis melius opponitur sequenti, *subitos flexisse recursus*: est enim idem, quod tendere in hostem, in eum invehi. An alicubi hoc sensu occurrat, nescio; ex sermonis tamen analogia potest defendi. Est apud Lucan. IV, 772, *procurrere contra*. Quidni dici possit *tendere*, scil. cursum, *contra?* Forsan niti quoque possis Valer. Flacc. I, 835. Laudatur Honorius primum, quod nemo magis equum habeat in potestate; deinde, quod nemo acrior sit in impetu faciendo, neque celerior in recipiendo se, quibus rebus virtus equestris absolvitur.

542, 543. *Massagetæ*, Scythiæ orientalis gens Parthis vicina. Herod. II, 201. Isti populi, domandis equis nobiles, equorum sanguinem cum lacte bibere dicuntur.—*Campo*, planitie, certaminibus equestribus. — *Thessala*. Equi thessalici inter nobilissimos referebantur, Thessalosque primos equis ad equitandum usos esse constat: inde fabula de equo in Thessalia a Neptuno producto. Serv. et La Cerda ad Virgil. Georg. I, 13, et de Centauris, qui h. l. *bimembres* vocantur.

544, 545. *Suspensa*, tanta cum contentione currentia, ut vix terram contingere, sed volare videantur. Barthius laudat Virg. Æn. VII, 810; cf. Stat. Silv. II, 3, 13 sq.— *Ferventes dracones*, rapido sc. cursu inflati. Vid. N. ad V, 177 sq.

546. *Arsit*, incensus est, concitatus est. Silius Italicus, IV, 195: *Cuspide flammat equum*. Cf. Lucan. IV, 750 sqq. Quint. Calab. VII, 316 sqq.

Ignescunt patulæ nares; non sentit arenas
Ungula, discussæque jubæ sparguntur in armos;
Turbantur phaleræ; spumosis morsibus aurum
Fumat; anhelantes exsudant sanguine gemmæ.
Ipse labor pulvisque decent, confusaque motu
Cæsaries: vestis radiato murice solem
Combibit; ingesto crispatur purpura vento.
Si dominus legeretur equis, tua posceret ultro
Verbera, Nereidum stabulis nutritus, Arion;
Serviretque tuis, contempto Castore, frenis
Cyllarus, et flavum Xanthus sprevisset Achillem.
Ipse tibi famulas præberet Pegasus alas,
Portaretque libens, melioraque pondera passus
Bellerophonteas indignaretur habenas.

547, 548. *Non sentit arenas Ungula* inversio est, pro : arena non sentit ungulam. Tanta est velocitas, ut ungulæ vix vestigia in arena relinquant. Cf. Sil. Italic. IV, 143 sqq. XIII, 327 sq. XIV, 507 sq.

549, 550. *Phaleræ*, h. l. equi ornamenta. — *Spumosis morsibus aurum Fumat.* Stat. Theb. VI, 396 sqq. supra V, 175. — *Anhelantes gemmæ.* Iterat priora; *anhelantes* sunt fumantes; Sil. Italic. XII, 134; Stat. Theb. II, 17. Cæterum frena gemmis distincta erant. Infra vid. ad LXX, 3 sq.

551. *Ipse labor pulvisque decent.* Cf. supra VII, 37, et Panegyr. Vet. X, 6, 4.

552. *Radiato murice.* Recte Gesnerus explicat : purpura radiis solaribus collustrata; combibisse solem dicitur, cujus nunc igneum colorem repercussu exhibet. Laudat Macrob. Sat. II, 4. — *Ingesto crispatur purpura vento*, id est, vestis purpurea vento sinuata vibratur, concutitur.

554. Cf. huc Senec. Hippolyt. 809 sqq.

555. *Nereidum* a Νηρείδων pro Νηρηΐδων. Cf. D'Orvil. ad Charit. pag. 309. ed. Lips. — *Arion*, equus a Neptuno ex Cerere procreatus (Apollod. III, 6, 8, in fine); eo usus est Adrastus. Propert. II, 25, 37 sq. Cf. Barth. ad Stat. Theb. IV, 43; VI, 301 sqq. Silv. I, 1, 52; Quint. Calab. IV, 569 sqq. Tzetz. ad Lycophr. 152.

557. *Cyllarus* equus communiter Castori tribuitur, a quibusdam tamen Polluci. Vid. la Cerda et Martin. ad Virgil. Georg. III, 89 sq. Lutat. ad Stat. Theb. VI, 328. — *Xanthus*, Achillis equus, quem Neptunus Peleo dono dederat. Homer. Il. τ, 400 sqq. Horum equorum nomina occurrunt etiam apud Panegyr. Vet. VI, 8, 5.

558, 560. *Pegasus*. Hesiod. Theo-

Quin etiam velox Auroræ nuntius Æthon,
Qui fugat hinnitu stellas, roseoque domatur
Lucifero, quoties equitem te cernit ab astris,
Invidet, inque tuis mavult spumare lupatis.
Nunc quoque quos habitus, quantæ miracula pompæ
Vidimus, Ausonio quum jam succinctus amictu
Per Ligurum populos solito conspectior ires,
Atque inter niveas alte veherere cohortes,
Obnixisque simul pubes electa lacertis

gon. 280 sqq. Ovid. Met. IV, 783 sqq.—*Bellerophonteas.* Bellerophon dicitur Pegasi ope Chimæram interfecisse. Hesiod. Theog. 319 sqq.

561, 564. *Æthon* inter Solis equos refertur apud Ovid. Met. II, 153; h. l. Lucifer eo utitur, qui eques exhibetur a poetis et sculptoribus. V. Barth. ad Stat. Theb. VI, 238 sqq. Burmann. Antholog. T. I, pag. 279, et T. II, pag. 8. Tibullus I, 9, 62, Lucifero currum tribuit. — *Qui fugat hinnitu stellas.* Ab Ovid. loco cit. Solis equis *hinnitus flammiferi* tribuuntur. Lucifer stellarum postremus a radiis solis obscuratur; Ovid. Met. I, 112 sqq. Idem, quum solem sequatur, Hesperus est. Virgil. Georgic. I, 251, ubi recte Heyne et reliqui interpp. stellam intelligunt. Ut apud Nostrum, Luciferi equus hinnitu stellas fugat, sic apud Virgilium Hesperus eas accendit. — *Roseo Lucifero.* Valer. Flacc. VI, 527; Stat. Theb. II, 137 sqq. —*Lupatis,* supra ad V, 354. Variandi studium nostri poetæ a. v. 554 sqq. ab unoquoque agnoscetur.

565 sqq. Jam ad pompam illam consularem procedit poeta, Mediolani ductam, præcipueque cultus magnificentiam describit, qua Honorius ornatus fuerat. — *Miracula* ad insolitum splendorem pertinet.

566. *Ausonio succinctus amictu,* ad trabeam consularem einctumque gabinum pertinet; supra VII, 4.

567. *Solito conspectior.* Consularis dignitatis accessione majestatem suam Principes augeri putabant. Juliani oratio in laudem Eusebiæ apud Barthium : τοῖς βασιλεῦσι δὲ, πρὸς οἷς ἔχουσιν ἀγαθοῖς, οἷον ἄγαλμα καὶ κόσμος, ἐπιτεθειμένη sc. ἡ ὑπατεία.

568. *Niveas cohortes.* Milites togas induerant. V. supra 9, et infra X, 245. — *Alte veherere* explicatur sequentibus. Portabatur Honorius a militibus sella curuli. Infra 584. Ammian. Marcell. XX, 10, pag. 357, ed. Ernest.

569. Coripp. in laud. Justin. IV, 227 sqq.

Tollitur in magnum divalis sella triumphum
Mille ministrorum manibus, gratoque labori
Submittunt humeros, et loris fortibus aptant
Electi juvenes, ætas quibus omnibus una,
Par habitus, par forma fuit, vestisque rubebat
Concolor, atque auro lucebant cingula mundo
Incessit lætus præclara in veste senatus,
Pars trabeis, pars compta togis, ut cuique probatus
Ordo locum, cultumque dabat; divina sequuntur
Officia, et primis præco clamoribus instat,

Sidereum gestaret onus! Sic numina Memphis
In vulgus proferre solet. Penetralibus exit
Effigies; brevis illa quidem : sed plurimus infra
Liniger imposito suspirat vecte sacerdos,
Testatus sudore deum. Nilotica sistris

Omnibus imperitans, sectis præcedere turmis.
Incedunt densæ misto lictore cohortes;
Hinc armata manus dextrum lævamque tuetur
Cæsarei lateris, clipeis pia terga tegebant
Iugens excubitus, protectorumque phalanges
Fulgebant rutilo pilis splendentibus auro.

Qui locus quum classicus sit de pompa consulari, et nonnulla, significata tantùm a Nostro, fusius exponat, totum fere descripsi. — *Sidereum onus*, divinum onus, Honorium Augustum. — *Memphis*, urbs Ægypti celeberrima, hoc loco, sacerdotes ægyptiaci.

571. *In vulgus proferre solent.* Simulacra deorum festis solemnibus in publicum deferri solita esse, notum est; verum non portabantur humeris, sed thensis vehebantur. Hoc loco autem de sacris ægyptiacis sermo est; et de pompa, in qua eorum dii humeris sacerdotum portabantur. Forsan pompa Isidis intelligitur, quam describit Apuleius lib. XI. — *Penetralibus*, ἀδύτῳ, templo. — *Exit.* Apulei. loc. c. «Nec mora, quum dii dignati pedibus humanis incedere, prodeunt»; quibus verbis portatio deorum comice innuitur.

572, 573. *Effigies; brevis illa quidem, sed plurimis infra Liniger imposito suspirat vecte sacerdos.* Ita locum restituit Gronovius ex Leidensi libro in Diatr. Stat. cap. 5; cujus rationem firmant quinque ex libris Heinsianis. — *Plurimus Liniger*, multi sacerdotes ægyptiaci. *Plurimus* pro, multus, sæpe ponitur Horat. Od. IV, 2, 29 sq. Valer. Flacc. I, 677 sqq. Illos autem sacerdotes lineas vestes gestasse notum ex Herodoto, II, 37; Brouckh. ad Tibull. I, 3, 30. — *Suspirat;* onere gravi pæne oppressus, quanquam dei effigies *brevis*, seu parva erat. Cf. N. ad VII, 108. Illa magnitudine oneris vim ejus dei declarabant. — *Imposito vecte*, id est, quum vectem, ferculum, humeris rursus imponerent. Solebant enim sacerdotes in illa pompa pausas edere seu facere, ut legi vult Salmasius in Æl. Spartian. Caracall. 9: «Quum Antonius Commodus ita ea (sacra Isidis) celebraverit, ut et Anubin portaret, et pausas ederet (legebatur autem antea *et pausa sederet*). Ubi ille vir doctissimus ex vetere inscriptione animadvertit, eos, qui pausas illas explerent in sacris Isidis, *pausarios* esse dictos. Idem narrat Æl. Lamprid. de Commodo cap. 9: «Sacra Isidis coluit, ut et caput raderet, et Anubin portaret.» Burmannus retinuit *et posita ... veste sacerdos* hoc sensu, ut vestis supposita sit imagini, ne tantum pondus humeros extereret.

574. *Testatus sudore deum.* Quum brevis seu parvæ imaginis onere se pæne oppressum, sudore ipso profuso testetur, simul significat, illud, quod portetur, non statuam, sed deum ipsum esse. — *Sistris.*

Ripa sonat, Phariosque modos Ægyptia ducit
Tibia; submissis admugit cornibus Apis.
Omnis nobilitas, omnis tua sacra frequentant
Tibridis et Latii soboles; convenit in unum
Quidquid in orbe fuit procerum, quibus auctor honoris
Vel tu, vel genitor: numeroso consule consul
Cingeris, et socios gaudes admittere patres.
Illustri te prole Tagus, te Gallia doctis
Civibus, et toto stipavit Roma senatu.

De *sistro* v. N. ad Pers. V, 186. — *Phariosque modos*, ægyptiacos, a Pharo insula notissima. Apulei. loco cit. « Symphoniæ dehinc suaves, fistulæque modulis dulcissimis personabant. Eas amœnus lectissimæ juventutis, veste nivea et cataclista prænitens, sequebatur chorus, carmen venustum iterantes, quod Camœnarum favore solers poeta modulatus edixerat, quod argumentum referebat interim majorum antecantamenta votorum. Ibant et dicati magno Serapi tibicines, qui per obliquum calamum ad aurem porrectum dextram, familiarem templi deique modulum frequentabant. »

576. *Submissis admugit cornibus Apis.* Hoc de simulacro ejus intelligo, quod quoque in pompa portabatur. Apulei. loco cit. « Erat et bos omniparentis deæ fœcundum simulacrum, quod residens humeris suis proferebat unus e ministerio beato, gressu gestuoso. » Cæterum de Api id. III, 27 sq.

577. *Tua sacra*, pompam illam consularem Honorii quasi numinis.

578. *Tibridis et Latii soboles*, id est, romana et latia nobilitas. — *Convenit in unum* etc. Dies, quo consules munus adibant suum, ab omnibus eorum amicis et clientibus concelebrari solebat, qui undique e locis sæpe longinquis eam ob rem convenerant, literis interdum evocati, ut liquet ex Symmachi epistolis compluribus e. g. IV, 112, et 113. Colligi inde facile potest, quanta fuerit multitudo Augusti alicujus pompam concelebrantium.

579, 580. *Quibus auctor honoris Vel tu, vel genitor*, id est, omnes, quos vel tu, vel genitor honoribus auxistis. *Auctorem* esse alicujus, qui hunc ad honores promoverit, animadvertit Barthius. — *Numeroso consule*, multis consulibus honorariis, quibus consularis dignitas præmii honorisque summi gratia delata erat codicillis ab Imperatore impetratis, quorum formulam refert Cassiodor. Variar. I, 10. Cf. Auson. in Panegyr. Vet. XI, 13, 3.

581. *Socios.* In consultatu eodem, et simul in incessu comites.

582. *Tagus*, Hispania. Hispaniæ nobilitas præcipue nominatur, quia Honorius ex illis terris originem ducebat. — *Doctis.* Gallia tunc temporis vel Italiam ipsam superabat doctorum, inprimis eloquentium virorum copia. Interpp. ad Rutil. Itiner I, 209.

Portatur juvenum cervicibus aurea sedes,
Ornatuque novo gravior deus: asperat Indus
Velamenta lapis, pretiosaque fila smaragdis
Ducta virent: amethystus inest, et fulgor Iberus

584. *Aurea sedes.* Supra 569 sq.

585. *Ornatu novo*, consularibus insignibns. Sidon. Apollin. Carm. II, 209. — *Gravior deus.* Supra 565 sqq. *Gravior* est augustior vestium magnificentia, et splendore pompæ. Ad pondus ornatu auctum, ut Gesnerus existimat, non respicitur. — *Asperat*, bene de gemmis (*Indus lapis*), pro: distinguit.

586. *Pretiosa fila smaragdis Ducta.* Lineas intelligit smaragdorum (*émeraudes*) quibus Imperator erat oroatus, ut in nnmmis conspiciuntur eorum imagines ornatæ.

587, 588. *Amethystus.* Joau. Becmannus in libro, *Vorrath kleiner Anmerkungen über mancherley gelehrte Gegenstände* inscripto P. III, pag. 403 sqq. ubi hunc et sequentes versus Claudiani illustrare tentat, intelligit *amethystfarbige Bergkrystalle, oder Quarze;* laudatque Plinium H. N. XXXVII, sectione 41. — *Et fulgor Iberus Temperat arcanis hyacinthi cærula flammis.* Locus est difficilis. Barthius sub *fulgar Iberus* carchedonios intelligit, carbunculorum genus, seu pyroporum. Et fateudum sane est, ex illorum natura illud, *arcanis flammis*, quodammodo posse explicari; v. Plin. H. N. XXXVII, sect. 30. Verum, quum illi apud Nasamonas iu montibns nascerentur, et Carthaginem Novam deportari solerent, vix illa urbe poteraut designari, nedum Ibero. Non magis *Calaica* gemma locum potest habere, Plin. loco cit. sect. 43. *Fulgar Iberus* videtur anri esse, cujus magna vis olim in Hispania erat. Lucan. VII, 755; Senec. Thyest. 352 sqq. et Plin. H. N. III, sect. 4, ait, Hispaniam auri metallis totam scatere. *Fulgur* pro, auro, habet quoqne Sidon. Apollin. Carm. XV, 129 sq.

Ebria non solum spirat conchylia sandix
Insertum nam fulgur habet, filoque rigenti, etc.

Jam vero Plin. H. N. XXXVII, sect. 41, dicit, primo quoque adspectu gratum esse hyacinthum; evanescere autem antequam satiat, adeoque non implere oculos, ut pæne noo attingat, marcescentem celerius uomiois sui flore. Puto itaque lamellulas aureas his gemmis esse suppositas, ut splendor earum auri fulgore angeretur. Hoc factitatum esse in aliis gemmis auctor est idem Plin. loco cit. sect. 31, ubi ait: « tertium (sardarum genus est) quod argenteis bracteis sublinitur »; sect. 20, berylli dicuntur malle auro carere; addit, quosdam pntare, eos gratiores fieri addito auro, sect. 42; chrysolithis suhjici aurichalcum. Hac ratione, quam tamen pro vera vendere non ausim, optime possit explicari *arcanis flammis*, quandoquidem ipsum anrum non apparet, quod splendorem hyacinthi suo fulgore aoget. — *Hyacinthi cærula*, id est, cæruleum hyacinthi colorem. Cæterum gemma, quam veteres hyacinthom vocabant, differt a nostro hyacintho; hic es flammei

Temperat arcanis hyacinthi cærula flammis.
Nec rudis in tali suffecit gratia textu;
Auget acus meritum, picturatumque metallis
Vivit opus, multaque ornantur iaspide cultus,
Et variis spirat Nereia bacca figuris.
Quæ tantum potuit digitis mollire rigorem
Ambitiosa colus? vel cujus pectinis arte
Traxerunt solidæ gemmarum stamina telæ?

coloris, ille purpurei, seu violacei, et ad illas gemmas pertinet, quæ *rubini* nunc vocantur. Becmannus loco cit. sub *fulgore Ibera* auri splendorem quoque intelligit, putatque, per hyacinthum lucere fila aurea, quæ gemmis illis esseut inserta. Equidem ab auro fulgorem repetam eo, quo erant inclusæ, nisi forte gemma illa per se jam fulgorem aureum emiserit, quod probabile est ex Lactant. Phœn. 137 sq.
Ingentes oculi; credas geminos hyacinthos,
Quorum de medio lucida flamma micat.

589. *Rudis gratia* est materia ipsa præclara et magni pretii, nullo artificis opere adhuc distincta. Intelligit autem trabeam purpuream, gemmisque distinctam. Illam ait non suffecisse, nisi pretium ejus auctum fuisset pictura acu facta.

590. *Metallis*, filis aureis argenteisque.

591. *Vivit opus.* De figuris ad vivum expressis.—*Ornantur.* Markland. ad Stat. Silv. I, 1, 21; II, 3, 53, legendum censet *animantur*, quod sane melius medium occupat inter *vivit* et *spirat*, et eligendum esset, si librorum scriptorum auctoritate niteretur.—*Iaspide.* Becmannus l. c. adamanta, *diamant*, intelligit. Cf. Orph. λίθικα 7. Becmann. *Beyträge zur Geschichte d. Erf.* 5, p. 82; Marbod. de Gemmis p. 8, et 19. — *Cultus*, vestimenta.

592. *Nereia bacca*, margarita, quia in conchis marinis nascitur. —*Variis spirat figuris.* Heinsius melius putat *varias figuras*, quod mihi quidem persuadere non possum. Exempla, quæ ab illo laudantur, aliena esse videntur. Burmann. ad Valer. Flacc. VI, 157, et Grat. Cyneg. 375, et cum quarto et cum sexto casu hoc verbum docet construi. Verum vis et potestas diversa, quæ subjicitur huic verbo, modo hunc, modo illum casum requirere videtur. H. l. inversio est, pro: variæ figuræ spirant Nereia bacca, i. e. pictæ sunt margaritis.

594, 595. *Ambitiosa colus*, quæ colus hoc opere quasi gloriam captabat. Epithet. ad digitos proprie pertinet, aut ad eum, qui colum tractavit. Minus bene Gesnerus: *ambitiosa* dicitur, quod illam ambit lana, quod circa illam currit fusus. *Ingeniosa*, quod Heinsius probare videtur, interpretamentum sapit. *Quæ colus* dictum pro: quis nendo. —*Mollire tantum rigorem*, i. e. fila tam tenuia ex auro argentove trahere, ut æque tractabilia essent, ac serica. Ovid. Fast. III, 817 seq. He-

Invia quis calidi scrutatus stagna profundi
Tethyos invasit gremium? quis divitis algæ
Germina flagrantes inter quæsivit arenas?

roid. III, 70; Met. II, 711.—*Pectinis arte. Pecten* positum est pro tota machina textoria, ut sæpius ejus fit mentio, quando de textura sermo est. Ovid. Met. VI, 53 seq. Heyne ad Virgil. Æn. VII, 14. — *Telæ*, h. l. trama. Virg. Georg. I, 294. — *Solidæ* vocantur, quia ex auro argentove sunt. Huic tramæ inseritur pectinis ope subtemen, quod *stamina* significat, quæ h. l. simpliciter fila notant, quum alias sint fila robustiora in longum porrecta, inter quæ subtemen trajicitur. — *Gemmarum stamina.* Textura speciem præbebat, quasi gemmarum fila subteminis loco adhibita fuissent. Sensus: cujus ars inseruit filis aureis et argenteis gemmarum fila. Parum attendens Becmannus, poetam non rei veritatem respicere, sed speciem, omnia tanquam proprie dicta accipit, sibique ipse creat difficultates non superandas. Existimat de filorum confectione h. l. sermonem esse, hoc indicare *traxerunt.* Vellem accuratius singula verba illustrasset.—*Cujus pectinis arte* dictum pro, cujus texendi arte: Mart. XIV, 150. — *Solidæ telæ*, fila aurea, *traxerunt*, acceperunt *gemmarum stamina*, id est, illis insertæ sunt gemmarum lineæ. Ille autem vir doctissimus sub *pectine* intelligit instrumentum, quo aurum in fila diducitur, quo usos esse veteres valde est probabile, quanquam ejus, ut multorum aliorum, mentio nusquam fit, de quo tamen hoc loco non est cogitandum.

596. *Calidi profundi*, maris eoi, arabici, seu indici. Plin. H. N. XII, sect. 41. De ignibus subterraneis non cogitavit poeta, ut statuit Gesnerus.

597, 598. *Tethyos gremium*, maris fundum quasi tot gemmæ e Tethyos ornatu avulsæ sint. Quæ sequuntur, impedita sunt. Quidnam est enim *divitis algæ germina?* De coraliis explicat Barthius, verum dubitat ipse. Gesnerus autem docuit, ea non posse h. l. intelligi, quia secundum Plin. H. N. XXXII, sect. 11, in Italiæ Galliæque litoribus meliora quam in Rubro persicove mari inveniretur. Simplicissimum quidem esset *actæ* legere pro *algæ*, et lapillos pretiosos intelligere, quæ in litoribus calidarum regionum, *inter flagrantes arenas*, inveniuntur, aut reperiri existimabantur. Forsan autem *germina algæ* margaritas vocat poeta, quia in alga, i. e. in litore reperiuntur. Infra XLVIII, 14 sq.

Tum pulchros superat cultus, et quidquid Eois
Indus litoribus rubro scrutatur in alga.

Auson. Idyll. X. Mosell. 68 sqq.

Nota caledoniis talis pictura Britannis,
Quum virides algas et rubra coralia nudat
Æstus, et albentes concharum germina baccas,

etc. Becmannus intelligit fucum (*das Moos, die Flechte*) quo lana ante erat imbuenda, quam purpura tingeretur. Huic autem rationi repugnare videtur epith. *divitis*, vixque probabile est, fucum a poeta inter aurum et gemmas esse positum. — *Flagrantes:* alii legunt *fragrantes*, vel flaventes.

Quis junxit lapides ostro? quis miscuit ignes
Sidonii Rubrique maris? Tribuere colorem
Phœnices, Seres subtemina, pondus Hydaspes.
Hoc si Mæonias cinctu graderere per urbes,
In te pampineos transferret Lydia thyrsos,
In te Nysa choros; dubitarent Orgia Bacchi
Cui furerent; irent blandæ sub vincula tigres.
Talis Erythræis intextus nebrida gemmis

599. *Quis junxit lapides ostro?* Burmanno displicet *junxit*, dicitque, *jungere* lapides purpuræ nullam esse artem; præfert itaque *tinxit* ex conj. Verum h. l. de artificio sermo est, quo elaboratæ snut Honorii vestes. Sensns : quis tam artificiose gemmas in veste pnrpnrea composuit?—*Lapides* quidam putant esse uniones. v. Bronckh. ad Tibull. I, 9, 39; Sil. Italic. XII, 231. Margaritas certe gemmas vocari liquet ex Ammian. Marcell. XXII, 4. «Notum est enim, snb Maximiano Cæsare, vallo regis Persarum direpto, gregarium qnemdam post sacculnm parthicum, in quo erant margaritæ, repertum, projectis imperitia gemmis, abisse pellis nitore solnm contentum.» *Ignes* h. l. et gemmæ sunt et purpnra, propter fulgorem et splendorem. — *Sidonii maris ignes* purpura est a Tyriis confecta, et *ignes Rubri maris* margaritæ aut gemmæ. Propert. II, 13, 17 sq. Tibull. II, 4, 27 sqq.; III, 3, 17 sq. et IV, 2, 15 sqq. Iteratum est prius : *quis junxit lapides ostro? Tribuere colorem*, sc. vesti.

601 *Subtemina* h. l. fila. Tibnll. IV, 1, 121 materiam vestis. — *Pondus*, gemmas, aurnm. Cf. V, 243; VII, 4. — *Hydaspes*, Indi Propert. II, 18, 10.

602. *Mæonias*, scilicet Lydias.

603. *Transferret Lydia*, etc. Dubium, quid voluerit poeta, ntrnm : Lydia te præferret Baccho; an : Lydia existimaret, te Bacchum esse. Dixeris, ex ejusmodi cultu errorem illum nasci non potuisse, magis fortasse ex pulchritudine et juvenescente Honorii ætate, sed cultui diserte, causa sen erroris, seu dubitationis, h. l. assignatur. Qno cultu antem poetæ antiquiores Bacchum finxerint, disces ex locis, quæ Ruperti laudat ad Sil. Italic. VII, 194. — *Pampineos thyrsos*. Sensns : Bacchantes cum hastis pampinea fronde circumvolutis, ad te se converterent tanquam ad verum Bacchum, sen Baccho potiorem.

604. *Nysa*, urbs Indica, vel mons, in quo Bacchns a Nymphis educatus esse dicitur. Sch. ad Aristoph. Ran. 218; Diod. Sic. III, 64; Heyne ad Apollod. p. 563, et ad Virgil. Æn. VI, 806. — *Orgia*, οἱ ὀργιάζοντες.

605. *Cui furerent*. Sacra Bacchica cum furore peragebantur, seu erant enthnsiastica, ut notum est. —*Cui*, i. e. in cujus honorem sacra celebrarent; Stat. Theb. VII, 678 sq. — *Tigres*. Horat. Od. III, 3, 13; Sil. Italic. XVII, 647 sqq.

606. *Erythræis gemmis*, i. e. gemmis e mari Rnbro. Tibnll. II, 2, 15

Liber agit currus, et Caspia flectit eburnis
Colla jugis; Satyri circum, crinemque solutæ
Mænades adstringunt hederis victricibus Indos;
Ebrius hostili velatur palmite Ganges.
Auspice mox lætum sonuit clamore tribunal;
Te Fastos ineunte quater, solemnia ludit
Omina Libertas: deductum Vindice morem
Lex celebrat, famulusque jugo laxatus herili

sq. et III, 3, 17 sq. Martial. VIII, 28, 14. Alii a rege Erythra, alii a colore rubro vocem ducunt cf. Freinshem. ad Curt. VIII, 9, 14. — *Nebrida*, pellem hinnuli, qua Bacchus et Bacchæ erant induti. Cf. Jani ad Horat. Od. I, 18, 11. Ovid. Met. VI, 592. In eo, quod poeta gemmis indicis nebrida Bacchi distinctam voluit, suæ ætatis gustum secutus est, quæ, ut in dicendi ratione, ita et in corporis cultu longissime a pristini temporis simplicitate abfuit.

607, 608. *Caspia colla*, tigrides caspiæ, a Caspiis, Asiæ populo, ad mare Caspium. Epitheta hujus feræ a regionibus petita sunt, ubi ferocissimæ nascuntur, inde Armeniæ, Hyrcanæ, Caucasiæ, etc. dicuntur. — *Eburnis jugis*. Bacchus triumphans forsan respicitur. Cf. Tibull. I, 7, 8.

609. *Mænades*. Bacchum in expeditionibus comitabantur Mænades hasta pampinea armatæ. Mænas armata occurrit apud Sil. Ital. III, 102. — *Hederis* pro vinculis utebantur.

610. *Ebrius Ganges* in vinum mutatus; conf. supra I, 250 sq. et Nonni Dionys. XVII, 112. Seu in personam Ganges mutatus, Bacchumque victorem ebrietate sua testans cogitandus est. — *Hostili velatur palmite*. Si personam cogitas, *velatur* h. l. est vincitur. Palmitum usus in vinciendo notus est ex Calpurn. Eclog. III, 71 sq. cf. Sidon. Apoll. Carm. XXII, 41 sqq.

Corniger inde novi fit Ganges pompa triumphi:
Cernuus impexam faciem stetit ore madenti, et
Arentes vitreis adjuvit fletibus undas.
Conjectas in vincla manus post terga revinxit
Pampinus. Hic sensim captivo humore refusus
Sponte refrondescit per roscida brachia palmes.

Si putas fluvium; *velatur* exprimit, vites repente natas esse in ripis.

611. *Auspice clamore*, i. e. acclamationibus felicia omina præsagientibus. Cf. Æl. Lamprid. in Alexand. Sev. 6 sqq.

612, 613. *Quater* pro, quartum. — *Libertas*, proprie consul, qui munus suum tunc temporis manumissione solemni auspicabatur. Cf. Vales. ad Ammian. Marcell. XXII, 211. — *Omina*, ipsam manumissionem, quæ boni ominis erat, quum actu benefico munus consularis iniretur. — *Ludit*; ad levitatem actus illius pertinet. Notum est, in libera quoque republica consules a rebus levibus munus suum auspicari solitos esse. — *Vindice*. Nota res est ex Liv. II, 5. — *Morem*: qui a Vindice ad posteros manavit.

614. *Lex celebrat* pro: ex lege,

Ducitur, et grato remeat securior ictu.
Tristis conditio pulsata fronte recedit;
In civem rubuere genæ, tergoque removit
Verbera permissi felix injuria voti.
Prospera Romuleis sperantur tempora rebus
In nomen ventura tuum: præmissa futuris
Dant exempla fidem. Quoties te cursibus ævi
Præfecit, toties accessit laurea patri.
Ausi Danubium quondam tranare Gruthungi,
In lintres fregere nemus: ter mille ruebant
Per fluvium plenæ cuneis immanibus alni.
Dux Odothæus erat: tantæ conamina classis

seu de more a consule celebratur ille actus solemnis.

615. *Grato ictu;* v. n. ad Pers. V, 88. — *Securior*, non amplius plagis obnoxius.

616. *Tristis conditio*, servilis conditio, servitus. — *Pulsata fronte;* v. n. ad Pers. l. c.

617. *In civem rubuere genæ*, i. e. illico, ut rubuere genæ, slapa percussæ, civis ex servo factus est. Jam Tiberius servos suos slapa manumittere solebat (Phædr. II, 5 in fine,) qui mos per alapam manumittendi tunc solemnis videtur fuisse. Sidon. Apollin. Carm. II, 543 sqq.

........ad Ulpia poscunt
Te fora, donabis quos libertate Quirites,
Quorum gaudentes exceptant verbera malæ.

618. *Injuria*, slapa illa impacta. — *Felix;* vid. supra v. 615, *gratus ictus.* — *Permissi*, concessi, indulti Stat. Silv. I, 2, 32 sq. — *Injuria voti*, quam injuriam, ritum manumittendi solemnem, voverat.

620, 621. *In nomen ventura tuum. In nomen tuum* interpretor: in annum, qui tuo nomine, tam felix omen habente, insignitus est. — *Præmissa futuris Dant exempla fidem.* Sensus: Consulatus tui tres priores, in quibus res præclare gestæ sunt, spondent, in reliquis, seu futuris, eadem fore. — *Cursibus ævi*, id est, annis, quibus singulis certus temporis cursus absolvitur.

622. *Præfecit* sc. pater. Quoties te consulem fecit. — *Laurea*, victoria. Quæ gesta erant, ea tribuuntur felicitati et auspiciis Honorii.

623. *Gruthungi;* v. Zosim. IV, 35 et 38. Barbari, quodcunque tandem nomen eorum fuerit, nam in illo magna est apud scriptores varietas, Odothæo rege ausi Istrum transire, magna clade a Promoto duce repellebantur, A. C. 386.

624. *In lintres* etc. Navium numerum hoc designat. Lucan. I, 306; Stat. Achill. I, 428 sqq. Sidon. Apollin. Carm. VII, 325 sq.

625. *Cuneis* Barbarorum multitudinem notat, quæ lintrem complet. Heins. ad Sil. Italic. IV, 144. — *Immanibus*, ad mores feros istorum spectat.

Incipiens ætas et primus contudit annus.
Submersæ sedere rates; fluitantia nunquam
Largius Arctoos pavere cadavera pisces;
Corporibus premitur Peuce; per quinque recurrens
Ostia barbaricos vix egerit unda cruores.
Confessusque parens Odothæi regis opima
Rettulit, exuviasque tibi. Civile secundis
Conficis auspiciis bellum: tibi debeat orbis
Fata Gruthungorum, debellatumque tyrannum.
Ister sanguineos egit, te consule, fluctus;
Alpinos genitor rupit, te consule, montes.

627. *Incipiens ætas.* Cf. N. supra ad v. 154 sq. et ad 366 sq. Heinsius censet, posse etiam legi *incipiens æstas.* — *Primus annus*, primus consulatus. — *Contudit.* Quod factum est, auspiciis Honorii tribuitur. De voce ipsa v. Burmann. ad Ovid. Fast. IV, 628; Jani ad Horat. Od. III, 6, 10, et infra ad XXVIII, 302.

628. *Sedere.* Burmannus conj. *Sidere*, ut a *sido* derivetur, quod proprie de navi in fundum eunte dicatur. Vid. eumdem ad Quintil. Inst. II, 1, et ad Petron. 94. Equidem *sedere*, hoc loco, esse puto; hæsere in fundo.

629. *Arctoos pisces.* Pisces in Ponto, in quem devexisse Istrum cadavera fingit.

630. *Peuce*, insula inter dextima duo Istri ostia. — *Per quinque.* Herodot. IV, 47, πεντάστομον Istrum appellat. Cf. infra XXVI, 337; Dionys. Perieg. 301; Tacitus de Mor. G. et Plin. H. N. IV, 12, sex ostia ei tribuunt. Ovid. Trist. II, 189 sq. et Valer. Flacc. VIII, 185 sqq. cum Strabone, VII, pag. 212, septem. — *Recurrens* pro: decurrens. Gesnerus docte hoc dictum ex illa sententia putat, quæ fluvios omnes e mari oriri, eodemque recurrere statuit.

632. *Confessus*, se quidem duce, sed tuis auspiciis rem actam esse. V. n. ad XII, 89, et supra 621 sq. Zosimus, quem tamen invidiæ suspicio premit, negat Theodosium prælio interfuisse, omnemque partam hac victoria gloriam ad Promotum defert.

633, 634. *Secundis auspiciis*, secundo consulatu. — *Civile.* Eugenius debellatus est. — *Tibi debeat omnis*, etc. subintellige: dii volunt, ut; aut simile aliquid.

637. *Alpinos genitor rupit, te consule montes* sola Isengrinii Basiliensis editio, ex antiquissimo libro castigata, habet. Heinsius hunc expungit ut languidum, et Claudiano indignum. Barthius eumdem retinuit, et Gesnerus historicis rationibus pro eo pugnat. Verum est Claudianum repetere solere, quæ posuerit; sed semper fere ita, ut aucta vi eadem alia ratione iteret.

Sed patriis olim fueras successibus auctor,
Nunc eris ipse tuis. Semper venere triumphi
Cum trabeis, sequiturque tuos Victoria fasces.
Sis precor assiduus consul, Mariique relinquas
Et senis Augusti numerum. Quæ gaudia mundo,
Per tua lanugo quum serpere cœperit ora,
Quum tibi prodiderit festas nox pronuba tædas!
Quæ tali devota toro, quæ murice fulgens
Ibit in amplexus tanti regina mariti?
Quænam tot divis veniet nurus, omnibus arvis,
Et toto dotanda mari? quantusque feretur

Equidem non hunc modo versum, sed etiam priorem 636, ex explicatione v. 636 sq. natum puto ad transitionem v. 638, *Sed* etc. explicandam. Quod si vero v. 636 retinendus indicatur, et sequens retinendus erit, ne manca fiat repetitio. Cæterum varium usum τοῦ *rumpere* apud poetas multis exemplis illustrarunt Heins. et Burmann. ad Valer. Flacc. I, 4. Mirum videri, hoc loco, possit, poetam tertii consulatus Honorii mentionem nullam facere, qui fuit A. C. 396, quo tamen anno et Rufinus interfectus, et Getis sub Alarico clades a Stilichone illata est; Oros. VII, 37; Zosim. V, 7. Noluit hoc fortasse, ut gloriam rerum gestarum, quam alioquin Honorii auspiciis tribuere debuisset, Stilichoni illibatam servaret.

638. *Auctor*, auspiciis sc. tuis.

639, 640. *Nunc eris ipse tuis*, ut Imperator et consul. — *Semper venere triumphi* etc. Non universe dictum puto, sed consulatus (*trabeas*) Honorii respici. — Elegans Burmanni conject. *suas* pro *tuos*. Exprimit enim Victoriam Honorii trabeis additam et propriam. — *Relinquas*, superes. — *Marii*, septimum consulis. Lucan. II, 130.

642. *Augusti* tertium decimum consulis. Sueton. August. 26; cf. Auson. in Panegyr. Vet. XI, 11. Gesn. existimat, Domitianum XVII consulem, ominis causa non esse appellatum.

644. *Nox pronuba* vocatur hoc loco, quia ex vetere ritu deductio sponsæ cum facibus in domum sponsi ad vesperum fiebat, et quia concubitu nuptiæ potissimum celebrantur. — *Prodiderit*, protulerit. Heins. laudat Virgil. Æn. II, 260; Valer. Flacc. VIII, 17, ubi v. Burmann. Plura ad pronubæ officium spectantia leges in Epithal. Laur. et Mar. Poet. l. m. T. IV, P. II, a. v. 67 sqq.

645. *Devota*, destinata.

647. *Divis*, majoribus tuis. — *Omnibus arvis, et toto dotanda mari*; i. e. omnibus divitiis et maris et terræ, sc. ut te digna veniat. Comparant Virgil. Georg. I, 31.

648. *Quantusque feretur* etc. Sensus : quantopere illæ nuptiæ cele-

Idem per Zephyri metas Hymenæus et Euri!
O mihi si liceat thalamis intendere carmen
Connubiale tuis, si te jam dicere patrem!
Tempus erit, quum tu trans Rheni cornua victor,
Arcadius captæ spoliis Babylonos onustus,
Communem majore toga signabitis annum,
Crinitusque tuo sudabit fasce Suevus;
Ultima fraternas horrebunt Bactra secures.

brabuntur et per Occidentem et per Orientem.

650. *Intendere*. Vel, intendere fides seu nervos ad carmen in nuptias tuas; vel, intendere carmen, ut telum aliquod, nuptiis. Pindar. Olymp. II, 150 et 160 sqq. Sil. Italic. II, 114.

653. *Babylonos*. Nemesian. Cyn. 72; Mart. VIII, 28, 17.

654. *Majore toga*. Utroque Augusto consulatum simul gerente, quo toga, seu consulatus majorem etiam dignitatem accepturus sit.

655. *Sudabit fasce*. Ille consulatus perniciei, seu gravis erit Suevis. Minus bene Gesnerus: Suevus geret fasces. Nam barbaros ad fasces gerendos adhibitos esse nusquam me memini legisse. Barthius sub *fasce* sarcinam militarem intelligit, laudans Virgil. Georg. III, 346 sqq. hoc sensu: sub te militabit.—*Crinitus Suevus*. Tacit. de Mor. G. 38: « Insigne gentis obliquare crinem, nodoque substringere; » cf. Juv. XIII, 164 sq.

656. *Bactra*, regia Bactrianæ regionis. Victoriæ de Germanis, Parthis et Indis sæpius a poetis Imperatoribus votæ atque prædictæ sunt, quam ab his reportatæ. Sil. Ital. III, 612 sqq. Sidon. Apoll. Carm VII, 600 sqq.

IX.

CL. CLAUDIANI

IN NUPTIAS

HONORII ET MARIÆ

PRÆFATIO.

ARGUMENTUM.

In nuptiis Pelei et Thetidos, quas omnes dii in Chironis antro, in monte Pelio, concelebrabant, Terpsichore, Musa prima, cecinit molle carmen, rebus ac tempori aptum, quod Jovi reliquisque diis probabatur, Centauris autem et Faunis minus. Septimo tandem die, Apollo ipse lyram tentat, nobiliusque carmen canit, quo Achillem prædicit ex illo matrimonio esse naturum.

SURGERET in thalamum ducto quum Pelion arcu,

Hoc carmen, quo epithalamio prolusit, inter pulcherrima censendum est, cui, ut ex argumento facile colligi potest, perversum quorumdam hominum judicium de carminibus, quæ prius in nuptias Honorii et Mariæ scripserat (fescennina putantur fuisse), ansam præbuit. Simplicem sententiam : *quos prius fudi versus, ii quibusdam, quia molles essent, minus placebant : jam carmen sublimius pangam*, antiqua narratione de Pelei et Thetidos nuptiis involutam, eleganti consilio extulit ita, ut hac prolusione nihil aptius cogitari possit, et oblique simul, quasi id non agat, stuporem notat eorum, qui iniqua censura ipsius indignationem provocaverant, verum ita, ut summam humanita-

Nec caperet tantos hospita terra Deos;

tis speciem in ipsa castigatione exhibeat. Illa autem narratione apte utitur. Comparantur enim tacite Honorius et Maria cum Peleo et Thetide, ipsi convivæ cum diis, et spes ex illo matrimonio futura cum Achille. Sub Jove intellexit forsan Stilichonem; ipse se cum Musa et Apolline comparat. Centauri et Fauni iniqui sunt censores. Absit autem, ut omnia ad vivum resecemus, quod in nulla imagine, qua poeta aliquis utitur, nec in similitudine ulla fieri debet, nisi omnem venustatem jugulatam velis. Ad dialectices præcepta philosophi omnia revocent, ut par est; poetis liceat liberiori cursu ferri, easque similitudines sectari, quæ, etiamsi in omnibus, vel minimis rebus, id quod fieri omnino nequit, non conveniant cum re depingenda, venustissimis tamen imaginibus pulchri sensum maxime delectent. De re ipsa v. Homer. Il. ω, 61 sqq. Pindar. Pyth. III, 165 sqq. Nem. V, 40 sqq. ibi Schol. Catull. LXIV, ibi Doering in præf. adde Euripid. Iphig. in Aul. 1036 sqq. Quint. Calab. IV, 131 sqq.

1. *Pelion*, Thessaliæ mons, sedes Centaurorum.—*Quum surgeret arcu ducto in thalamum*; i. e. quum specus in illo monte exstrueretur et adornaretur, ut nuptiæ Pelei et Thetidos in eo possent celebrari, magna deorum frequentia. In monte autem exstructum esse specum, indicat *surgeret*, et de specu sermonem esse, *ducto arcu* innuit. *Thalamus* autem hic locus est, ubi nuptiæ celebrantur, non conclave aliquod peculiare, ab illo diversum. Gesnerus *arcu ducto* explicat: camera formata ex viridibus in thalamum surrexit; magnifice eductum et exornatum est antrum Pelion. Apud Catull. LXIV, 289 sqq. quidem de frondibus et arboribus sermo est, quibus tamen non camera exstruitur, sed antri vestibulum exornatur, ut solebant romani postes in nuptiis. Prior ratio mihi magis placet, quum quia antrorum mentio fit v. 10, tum quia ingenio Claudiani, qui nova et inusitata amat, accommodatior esse videtur. *Arcum* veteres hoc sensu non dixisse, sed *fornicem*, observat Spanhem. d. V. et P. N. XIII, pag. 653; addit tamen, ita usurpatum esse a Suetou. in Claud. 1 et 11, et a Tacito (Annal. XV, 8). Sic ab Ovid. Met. III, 30. *Ducere* sæpe ponitur pro, struere. Broukh. ad Prop. I, 7, 1. Oudend. ad Luc. VI, 39; cf. Ovid. Met. III, 159 sq.

.... nam pumice vivo,
Et levibus tophis nativum duxerat arcum.

Illo *surgunt* non solum exstructio oculis quasi proponitur, sed ad sensum accommodate ipsum opus quodammodo animatur. Hunc versum ita imitatus est Sidon. Apoll. Carm. X, 1 sq.

Fluctícolæ quum festa nurus Pagasæa per antra
Rupe sub Æmathia Pelion explicuit.

2. *Tantos*, tantam multitudinem. Omnes enim dii adfuisse dicuntur. Cf. Homer. Il. ω, 62 sq. Apollon. Rhod. IV, 807 sqq. Quint. Calab. IV, 50 sq. — *Hospita terra*, quæ deos exceperat. Nihil aliud exprimitur quam convivarum cælestium multitudo: rationem autem ipsam, qua id factum est, non ad amussim exegit poeta.

Quum socer æquoreus, numerosaque turba sororum
Certarent epulis continuare dies;
Præberetque Jovi communia pocula Chiron,
Molliter obliqua parte refusus equi;
Peneus gelidos mutaret nectare fontes,
OEtæis fluerent spumea vina jugis:
Terpsichore facilem lascivo pollice movit

3. *Socer æquoreus*, Nereus pater Thetidos: hunc facit poeta epularum præbitorem. — *Sororum*, Nereidum. Numerum earum diverse exhibent antiqui. Homer. Il. σ, 39 sqq. Hesiod. Theog. 243 sqq. Propert. III, 5, 33. Apollod. I, 2, 7.

4. *Certarent*, operam darent ut etc. studerent. Æn. Virgil. V, 194. — *Continuare dies epulis* pro; epulas per plures dies. Burmann. laudat. Ovid. Heroid. XV, 90; Fast. II, 54.

5. *Chiron*, Centaurus, Pelei amicus, cujus consilio prudenti, ut quidam narrant, Thetidem debebat. Apollod. III, 13, 3. — *Communia pocula*, sc. cum reliquis convivis. Hilaritas convivii indicatur, summaque familiaritas, qua dii, dignitatis suæ obliti, adversus reliquos convivas usi sunt. Et dii, et qui præterea aderant, fruebantur paratis; quilibet pro virili laborabat lætitiam communem augere.

6. Habitus Chironis, qui hic pingitur, eodem spectat. Oblitus Jovis, reliquorumque deorum præsentiæ, bonus ille Centaurus commoditati suæ indulget, *molliterque refusus*, id est, negligenter abjectus, et in latus inclinatus, quasi inter suos æquales, ad bibendum Jovem ipsum invitat. Quæ adjecta sunt, *obliqua parte equi*, picturæ centauri in latus inclinati inserviunt. Hoc fere positu Centaurum feminam pinxit Zeuxis. Lucian. in Zeux. c. 4, T. I, p. 841 ed. Reiz. Cf. etiam Orph. Argonaut. 392 sqq.

7. *Peneus*, Thessaliæ fluvius notissimus. Ipsa natura in nuptiarum honorem mutata est. — *Nectare*. Cf. I, 250 sq.

8. *OEtæis jugis. OEta*, Thessaliæ mons.

9. *Terpsichore*. Apollinem et Musas in illis nuptiis cecinisse Homerus auctor est. Pindar. Nem. V, 40 sq.

. . . πρόφρων δὲ κἀκεί-
νοις ἀείδει Παλίῳ
Μοισᾶν ὁ κάλλιστος χορός.

Noster ad suum consilium narrationem accommodat, Musarum unam inducens canentem, chorumque ducentem, et quidem Terpsichoren. In hujus delectu nomen ipsum secutus esse videtur, quod molles modos ei tribuit, tum etiam, quod illa Musa dicitur saltandi artem invenisse. Schol. ad Apollon. Rhod. III, 1. — *Barbitos*, lyra major septem chordarum sono graviore. — *Pollice movit*; vel pollice pulsabantur chordæ, vel plectro. V. n. ad Pers. VI, 5. *Movere lyram* solemne. Ovid. Amor. I, 1, 12. — *Facilem* carmen exprimit non multi studii et laboris; et *lascivo*, molle et modis et argumento. Illud genus intelligitur,

Barbiton, et molles duxit in antra choros.
Carmina nec superis, nec displicuere Tonanti,
Quum teneris nossent congrua vota modis.
Centauri, Faunique negant. Quæ flectere Rhœton,
Quæ rigidum poterant plectra movere Pholum!
Septima lux aderat cælo, totiesque renato
Viderat exactos Hesperus igne choros.
Tum Phœbus, quo saxa domat, quo pertrahit ornos,
Pectine tentavit nobiliore lyram;

quod cani solebat in nuptiis ante thalami fores, dicteria continens, jocosque petulantiores. Cat. LXI, 126 sqq.

10. *Molles choros.* Propert. II, 25, 42. Burmann. ad Calpurn. Eclog. IV, 129; infra XLIV, 52. Saltationis genus intelligit carmini molli et lascivo conveniens.

11, 12. Diis, justis rerum æstimatoribus, probabantur carmina, *quum nossent congrua vota teneris modis*, id est, quum nossent modos teneros congruos esse votis, nuptiis celebrandis, amoris desiderio, quo Peleus et Thetis tenebantur, omninoque nuptiarum festivitati. X, 21. Ex his colligi potest, poetam jam ante carmen nuptiale condidisse, quod judices nimis severos et morosos quosdam offenderat, etiamsi et rei et tempori fuisset aptum. — *Modi teneri*, amatorii, molles.

13, 14. *Centauri Faunique negant*, sc. sibi placere hos cantus. Bene hæc in Burmanniana ed. distincta sunt. Gesnerus post *negant* habet (,), quo sensus plane turbatur. Sub *Faunis* non lascivos illos deos agrestes intelligit poeta, quales communi ratione finguntur, sed rudes, indoctos, et ab literarum elegantia remotissimos, in quorum auribus venustus Musarum cantus perierit. — *Quæ flectere* etc. Non mirum est, obtuso illorum judicio Musæ cantus displicuisse; nam quæ carmina *Rhœtum* et *Pholum* movere poterant! Hos autem posuit, quia eorum feritas et immanitas ex iis, quæ in nuptiis Pirithoi et Hippodamiæ acciderant, satis nota est Ovid. Met. XII, 210 sqq. Virgil. Georg. II, 455 sqq. Valer. Flacc. I, 140 sqq.

15, 16. *Choros*, sc. stellarum. Val. Flacc. V, 566. — *Renato igne* ad stellas pertinet, quæ orto sole evanuerunt. Gesnerus legit *renatus*, ut ad Hesperum referatur; quod minus placet. — *Hesperus;* v. n. ad Sil. Italic. VII, 639 sq. Stellæ, ubi sol occidit, post Hesperum rursus splendescere incipiunt.

17, 18. *Pectine tentavit lyram*, ἀνεβάλλετο, canere incipit lyra. *Pectine nobiliore* oppositum τῷ *pollice lascivo* v. 9. *Pecten*, plectrum est. — *Quo*, pectine, seu cantu sublimiore versibus lascivis et amatoriis opposito. De pectine, seu plectro, cf. Perizon. ad Ælian. V. H. III, 32, 5. — *Saxa domat;* cujus itaque cantus vim et Fauni sentire

Venturumque sacris fidibus jam spondet Achillem;
Jam Phrygias cædes, jam Simoenta canit.
Frondoso strepuit felix Hymenæus Olympo;
Reginam resonant Othrys et Ossa Thetin.

potuerunt. Quint. Calab. III, 103 sqq. Catullus l. c. 300 sqq. removit ab his nuptiis Apollinem et Dianam, sapientiusque in hoc rationem instituit, quam Homerus et reliqui, ut Doering quidem existimat, non omnino mihi persuadens.

19. *Sacris*, divinis. — *Spondet* cum delectu pro, canit; auctoritatem enim vaticinantis exprimit.

20. *Phrygias cædes*, res gestas, seu potius gerendas olim Græcis ad Trojam, quarum maxima pars Achilles erat futurus. — *Simoenta.* Pugnæ ad Trojam magnam partem inter Simoenta et Scamandrum factæ sunt. Homer. Il. μ, 22 sqq. Heyne de acie Homerica in Commentar. Soc. R. G. T. VI, p. 154.

21. *Strepuit.* Apollinis cantus in Pelio monte Olympum quoque montem pepulit, indeque repercussus resonuit.

22. *Othrys et Ossa*, Thessaliæ montes, *resonant Thetin;* Virgil. Eclog. I, 5. — *Reginam;* erat enim Pelio regi nupta. Apud Catull. l. c. 324 sqq. Parcæ sustinent Apollinis vices.

X.

CL. CLAUDIANI
DE NUPTIIS
HONORII ET MARIÆ.

ARGUMENTUM.

Principio, conditio Honorii amantis describitur, qui, in amore rudis, varios, quos sentit, æstus ipse sibi explicare nequit. Omnia, quæ ante placuerant, nunc displicent, totusque ille desiderio suo occupatus est; 1—10. Præparat dona sponsæ suæ; moræque, quam Stilicho socer facere videbatur, impatiens, tacite secum indignatur, promissa nimis differri, quum tamen more legitimo eam petierit, quam pater sibi desponderit cognatam, nec ipse Augustus ad proci partes descendere erubuerit. Patrem appellat et matrem, ut tandem puellam, multis nominibus sibi debitam, tradant; 10—46. Quibus auditis, Amor lætus Cyprum contendit, ubi Veneris est sedes. In montis vertice, planities est muro aureo circumdata, quæ floret vere perpetuo. In nemore nullæ aves inveniuntur, nisi quæ Veneri vocem probaverint. Arbores ipsæ amoris vim sentiunt. Duo fontes ibi sunt, alter dulcis aquæ, alter amaræ. Amores cum Cupidine ibi ludunt. Quæcumque amori insunt, aut amantibus accidere solent, in personas mutata suas ibi sedes habent; 47—85. Templum Veneris ipsum gemmis exstructum est; 86—96. Amor matrem comentem se invenit, Gratiis ceu puellis cubiculariis ipsam ornantibus cinctam; 97—108. Natum mater victoria superbientem amplectitur, quæque sit tantæ lætitiæ causa, quærit; 109—116. Honorium suis telis saucium esse gloriatur, remque omnem matri ordine exponit; 117

—121. Illa, reliquis rebus omissis, statim cingulo suo se armat, Amoresque, præmio proposito, dimittit ad Tritonem sibi arcessendum; 122—134. Is tum forte cum Cymothoe ludens, ab uno Amorum inventus, ad Venerem raptim adducitur; 135—151. Jam poeta Veneris iter per mare describit, quam omnes dii marini comitantur, et Nereides monstris vectæ. In itinere dona nuptialia e mari colliguntur; 152—179. Venus ad Liguriæ oram appellit, petensque Mediolanum, præsentiam suam signis manifestat; 180—189. Avocato deinde Marte, bellum parumper cessare jubet; 190—201. Tum comitibus suis partes distribuit, quæ cuique peragendæ sint in ædibus ad nuptias futuras exornandis, et in thalamo magnifice exstruendo; 202—227. Quo facto, domum sponsæ se confert, invenitque Mariam poetarum libros volventem, matremque in ejus institutione occupatam; 228—237. Venus apparet, utriusque formam admirata, puellam salutat; 238—251. Docet, cujus rei causa iter susceperit, ne nuptiæ diutius differrentur. Mariæ deberi diadema et genere, et maxime pulchritudine, atque venustate, qua omnibus antecellat feminis. Ab omnibus gentibus reginam illam agnitum iri; 252—281. Quibus dictis sponsam ipsa exornat; pompa paratur, Honorio deductionis tempus avide exspectante; 282—294. Milites interea, albis vestibus induti, Stiliconem floribus spargunt, ejusque laudes celebrant, et res belli domique gestas; formam imperatoriam laudant, æquitatem et justitiam extollunt, lætitiamque suam ob futuras nuptias significant; 295—341.

Hauserat insolitos promissæ virginis ignes
Augustus, pronoque rudis flagraverat æstu;

De epithalamiis, ad quod carminum genus hoc quoque pertinet, docte et copiose disputavit Wernsdorf in Poet. lat. m. T. IV, P. II, p. 462 sqq.

1. *Ignes* pro amore ardenti poni ex Catullo aliisque satis notum est. Barthius comparat Virgil. Æn. IV, 1 sq. Magis tamen huc pertinere videtur Ovid. Met. X, 252 sq. Cf. Apoll. Rhod. III, 284 sqq. Theoc. XIV, 23. Sensus: virgo promissa, Maria, Stilichonis filia, insolitum amoris ardorem Augusto, scilicet Honorio excitaverat.

2. *Prono æstu. Æstus* est *pronus*, qui magna et subita incrementa capit. Ovid. Met. IX, 560. Amoris æstum declamatorie describit Senec. Hippolyt. 640 sqq. — *Rudis*,

Nec novus unde calor, nec quid suspiria vellent,
Noverat incipiens, et adhuc ignarus amandi.
Non illi venator equus, non spicula curæ,
Non jaculum torquere libet: mens omnis aberrat
In vulnus, quod fixit Amor. Quam sæpe medullis
Erupit gemitus! quoties incanduit ore
Confessus secreta rubor, nomenque beatum

amoris nondum expertus. Vid. sup. III, 85.

3. *Calor* i. q. supra *ignes*, *æstus*. — *Novus*, qnem nondum senserat. — *Nec quid suspiria vellent;* id est, quæ causa esset suspirii. Describit Honorium Noster amoris plane rndem. Sciebat qnidem, Mariam sibi esse promissam, puellaque ipsi vehementer placebat: nihilominus se sensit ignoto aliquo desiderio teneri, cujus causa juvenem moribus incorruptis, pudiceque institutnm adhuc latebat. Erat aliquid præter formam puellæ, qno ad properandos hymenæos adduceretur, impetus naturæ, quem plane intelligere, vix juvenis factus, non poterat. Cf. Stat. Silv. I, 2, 33 sq. Maximiani Eleg. III, 7 sqq. Poet. lat. m. T. VI, pag. 331.

4. *Incipiens, et adhuc ignarus a.* Periphras. τοῦ *rudis*. *Incipiens*, sc. amare.

5. *Non illi venator equus. Venator* eleganter, pro, venatorius. Sensns: studia propria non amplius placebant. Hoc et quæ seqnuntur natnræ rei sunt accommodata.

6, 7. *Mens omnis aberrat In vulnus, quod fixit Amor.* Sic Heinsius optime, eumque secutus est Gesnerus. *Vulnus* est desiderium amoris. Illud inspiravit Cupido, is *fixit vulnus*, ut apud Stat. Silv. I, 2, 83 sq. Ut enim *vulnus* pro telo quocnmque ponitur, sic quoque dici potest, *figere vulnus*. Jam vero desiderio hoc totus occupatus erat Honorius: hoc bene expressnm est per: *omnis ejus mens aberrat in vulnus*, id est, nihil præter vulnus sentit. Nec video sane, cur ex Heinsii lectione explicandum sit: vulnns, quod fixit Honorius in pectore Mariæ, ut Burmannus arbitratur; quo, ut ipse vidit, nullus sensus idoneus efficitur. Præfert alteram lectionem: *mens omnis aberrat in vultus, quos finxit Amor*, id est, nt ipse explicat, in vultus Mariæ, pulcherrimæ puellæ. Hoc per se et bonnm sensum habet, et elegantem; verum dubito, veteres hac ratione pulchritudinem expressisse: saltem simile aliquid me unquam legere apud antiquos poetas non memini. — *Medullis* pro, imo. Virgil. Æn. II, 288.

8. *Erupit gemitus*, majore cum vi, quam, ex imo edidit seu traxit gemitnm, quod apnd alios sæpe occurrit. In *erumpit* vis latet, qua gemitus din repressns tandem ab invito editur. — *Incanduit ore* pro, transit in ora, subit, notat ora; sed illud majore cum delectu, quia rubor ignis occulti signum est, vel amore, vel pudore suscitati.

9. *Confessus secreta rubor.* Apoll. Rhod. III, 298 sqq. Stat. Achill.

Injussæ scripsere manus! Jam munera nuptæ
Præparat, et pulchros, Mariæ sed luce minores,
Eligit ornatus, quidquid venerabilis olim
Livia, divorumque nurus gessere superbæ.
Incusat spes ægra moras, longique videntur
Stare dies, segnemque rotam non flectere Phœbe.
Scyria sic tenerum virgo flammabat Achillem,
Fraudis adhuc expers, bellatricesque docebat
Ducere fila manus, et mox, quos horruit Ide,
Thessalicos roseo pectebat pollice crines.

I, 303 sq. — *Beatum*, id est, pnellæ, cujus possessione beatum se fore putabat.

10. *Injussæ scripsere manus.* Sæpe id non agens scribebat nomen, qnod totam ejus mentem occupaverat. Ovid. ex Ponto, IV, 1, 11 sq.

11. *Luce minores.* Cf. Stat. Achill. I, 297 sqq.

12, 13. *Venerabilis Livia. Liviam* Augusti consecratam esse constat. — *Divorum nurus* sunt conjuges et filiæ Imperatorum. Gesnerns probabile putat, thesauros Cleopatræ et Orientis, quos Livia possederit, ejus mundnm cum reliquo instrumento, per Poppæas et Faustinas etiam ad eos pervenire potuisse, qui deinde per vim imperio potiti sint. Potuit etiam rem poeta ita fingere ex more antiquo, quo ista κειμήλια servabantur, qnum recentiores Imperatores videri cuperent ab antiquioribus originem dncere, aut ejusdem cum illis familiæ esse. Mihi autem Noster nihil aliud indicare voluisse videtur, quam magnificentiam ornatus. Honorium ait, ea omnia clegisse, quibuscumque Imperatorum feminas olim ornatas fuisse fama andiverit, ut eodem ornatu sua sponsa conspiceretur. — *Superbæ*, magnifice excultæ.

14. *Spes ægra*, din nempe elusa et protracta.

15. *Stare dies* de tempore, quod cessare videtur, nt *ire dies*, de eo quod in cursu est, sæpe usurpatur cum delectu pro, esse. — *Rotam*, currum.

16. *Scyria*, Deidamia, Lycomedis filiarum una, inter quas Thetis Achillem cultn puellari esse voluit. Pulchritudinem hujns puellæ depinxit Stat. Achill. I, 293. De fabula v. Ovid. A. A. I, 681 sqq. — *Flammabat Achillem.* Ut Græci καίειν. Callimach. H. in Apoll. 49: cf. Stat. Achill. I, 297; Barthius ad eumdem, Theb. III, 5: h. l. amorem inspirabat.

17. *Fraudis adhuc expers*, id est, nondum compressa ab Achille. Cf. Bion. Idyll. 27 sqq. Stat. Achill. lib. I, 567 sqq.

18. *Ide*, vicinus Trojæ mons, pro, Trojani. Stat. Achill. II, 198.

19. *Pectebat.* Ex Propert. III, 8, 14; Petron. 126, videri posset, melius esse *flectebat*: sed præcessit v. 15. — *Thessalicos*; Achilles erat

Hæc etiam queritur secum : « Quonam usque verendus
Cunctatur mea vota socer? quid jungere differt
Quam pepigit, castasque preces implere recusat?
Non ego, luxuriem regum, moremve secutus,
Quæsivi vultum tabulis, ut nuntia formæ
Lena per innumeros iret pictura penates;
Nec variis dubium thalamis lecturus amorem,
Ardua commisi falsæ connubia ceræ.

ex Thessalia. — *Roseo pollice* pulchritudinem indicat. Valer. Caton. Dir. v. 114:

Aut roseis digitis viridem, decerpserit uvam.

Notissimum est ῥοδοδάκτυλος Homericum.

20. *Verendus*, venerabilis.

21. *Socer*, Stilicho.

23 — 25. *Luxuriem moremque*, id est, mores luxuriosorum. — *Tabulis* sc. pictis. Hoc dicere vult, se non elegisse puellam ex pictis tabulis, more regum quorumdam, ita ut *lena pictura iret* (ivisset) *per innumeros penates*, id est, ut pictores misisset per multas ædes, quæ puellas formosas continere dicerentur, quo depictis earum formis, sibique adportatis pulcherrimam eligeret, sponsamque suam faceret. — *Pictura*, quæ h. l. ars est, *lena* vocatur, quia commendat puellam, eumque, qui contemplatur effigiem, in amorem ejus pellicit. Ovid. A. A. III, 316 et 752. Amor. III, I, 43 sq. — *Nuncia formæ* ad picturæ vim pertinet. Tale aliquid de Eutropio eunucho narrat Zosim. V, 3, qui Eudoxiæ imagine Arcadium induxit, ut hanc præferret destinatis filiæ Rufini nuptiis.

26, 27. — *Nec lecturus dubium amorem*, id est, puellam, de cujus forma adhuc dubitari possim, an mihi se probatura sit. Nam *amor* pro eo etiam ponitur, quod amatur; Ovid. Heroid. XVI, 96 sq. — *Variis* (e) *thalamis* h. l. i. q. supra *penates*, ubi commorari dicerentur pulchræ virgines. — *Ardua connubia*, summa connubia, Imperatoris summi connubium, qui in deligenda sponsa cum summa cura et diligentia versatur. — *Falsæ ceræ* hoc interpretor: literis eorum, qui circa thalamos remotos missi sunt ad circumspiciendas pulchras puellas, quarum literarum descriptionibus non magna fides habenda est, quæque sæpe lectorem in fraudem agere solent. Ovid. Met. IX, 521 et 600. Alii aliter hunc locum difficilem et obscurum expedire conantur. Barthius *falsæ ceræ* explicat : colori fucoque fallenti, et formosiorem referenti puellam, quam sit. *Ceram* enim *fucum*, vel pigmentum etiam notare, aut colores, quibus pictores utantur, docuit in Adversar. XXXVII, 9. Cf. Stat. Silv. I, 1, 100; III, 1, 95, et 3, 201. Gesnerus imagines cereas intelligit, quales in atriis veterum exponerentur. Ovid. Amor. I, 8, 65. Burmannus censet, *falsas* ceras de tabulis sponsalitiis posse capi, ut tangatur Arcadius, qui (Bur-

Non rapio præceps alienæ fœdera tædæ,
Sed quæ sponsa mihi pridem, patriisque relicta
Mandatis, uno materni sanguinis ortu
Communem partitur avum. Fastigia supplex
Deposui, gessique procum: de limine sacro
Oratum misi proceres, qui proxima nobis
Jura tenent: fateor, Stilicho, non parva poposci:
Sed certe mereor princeps, hoc principe natus,
Qui sibi te generum fraterna prole revinxit,
Cui Mariam debes: fœnus mihi solve paternum;

manni verbis utar) videtur fluctuasse, et Rufini filiam sibi despousasse, quum subito, et inscio Rufino, Bautonis filiam sibi junxerit, ut ita dubius pudorem læserit variis thalamis, iisque indignis Imperatore. Verum hæc ratio mihi minime satisfacit. Heinsius ex vestigiis Medicei cod. locum ita legendum proponit:

Nec variis dubium thalamis læsura pudorem
Ardua commisi falsæ connubia ceræ.

28. *Præceps*, nullius rei ratione habita, *ohne Umstände*, aut per vim. — *Fœdera tædæ*, ut *fœdera thalami*, sunt matrimonium. — *Alienæ*, ab aliis initum. Intelligit autem feminam ab alio jam in matrimonium ductam, uxorem alienam. Negat se uxorem alii per vim et injuriam abducere conari. Barthius profert exemplum Augusti, qui Juliam Drusillam Neroni abduxerat, Suetou. August. 62.

29—31. *Patriisque relicta Mandatis.* Hæc in gratiam Stilichonis, non ad fidem historicam posuisse Noster videtur. — *Uno materni sanguinis ortu Communem partitur avum.* Theodosius M. Serenam, Honorii fratris filiam, et matrem Mariæ, adoptaverat: inde erat Theodosius Comes avus et Honorii Augusti et Mariæ.

32. *Fastigia Deposui*, quia supplex petiverat, quum jubere potuisset. Ex nostro sensu hoc vix potest placere. — *De limine sacro Proceres*, id est, aulicos dignitate ab Imperatore proximos. — *Limen sacrum* aulam aut palatium significat.

33. *Oratum misi.* Phædr. lib. IV, fab. 7, 1 sq.

34. *Fateor, Stilicho* etc. Burmannus putat, colorem ductum esse ex Ovid. Heroid. XVI, 19; Met. XIII, 16.

35. *Hoc principe.* Burmanno magis placet *sed principe.* Vide eum ad Ovid. Metamorph. V, 16; et infra XXXVI, 409.

36. *Generum;* v. not. ad 29—31. — *Fraterna*, Honorii fratris. Ejus enim filiam Serenam a Theodosio M. adoptatam in matrimonium duxerat Stilicho.

37. *Fœnus*, filiam Serenæ, quæ, tanquam sors, seu caput, tibi a patre credita est. Maria, Serenæ filia, erit mihi fœnus, et merces eorum quæ debes patri meo.

Redde suos aulæ. Mater fortasse rogari
Mollior : O patrui germen, cui nominis hæres
Successi, sublime decus torrentis Iberi,
Stirpe soror, pietate parens, tibi creditus infans,
Inque tuo crevi gremio, partuque remoto
Tu potius Flaccilla mihi; quid dividis ergo
Pignora? quid juveni natam non tradis alumno?
Optatusne dies aderit? dabiturne jugalis
Nox unquam? » Tali solatur vulnera questu.
  Risit Amor, placidæque volat trans æquora matri
Nuntius, et totas jactantior explicat alas.
  Mons latus Ionium Cypri præruptus obumbrat,

38. *Redde suos aulæ*. Cf. infra XIII, 5 sq.

39. *Patrui germen*, Serenam. — *Cui* ad *patrui* pertinet. Patrui nomen gerebat Honorius Augustus, ut ex stemmate apparet.

40. *Sublime decus Iberi*. V. supra VII, 189. — *Torrentis*. Luc. Phars. VII, 15.

41. *Stirpe soror*; v. not. ad 29, 31.

42. *Inque tuo crevi gremio*. Cf. I, 144. — *Partu remoto*, si non respicias, quod mater me genuit. Cæterum Flaccilla mater, Honorio admodum puero mortua, ejus educationi et institutioni inservire non potuit.

44. *Pignora*; se ipsum intelligit, et Mariam.

45. *Jugalis*, h. l. active, quæ jungit. Sic *tædæ jugales* vocantur Ovid. Epist. IV, 121; Met. I, 483.

46. *Vulnera*, dolorem ex desiderio ab amore excitato.

47. Cogitandus est Cupido, postquam telis suis Honorium fixit, illi adstare, et vim vulneris facti exspectare, ita tamen, ut ab humanis oculis non conspiciatur. Quare quoque supra, v. 7, Cupidinis mentio apte facta est. Hic nunc rebus bene gestis lætus, victoriaque pæne superbiens, ad matrem avolat, rem tam lætam tamque exspectatam ei nunciaturus. — *Placidæ*. Epitheton hoc egregie explicatur a Lucret. I, 6 sqq.

48. *Jactantior*, animo elatior. — *Totas explicat alas*, celeritatem exprimere videtur, qua ad matrem properat. Cf. Sidon. Apollin. Carm. XI, 55 sqq.

49. Accurate poeta regiam describit, seu sedes Veneris in insula Cypro, quam maxime ab illa dea cultam fuisse tradidit jam Homerus H. in Ven. 58 sqq. Cf. Virgil. Æn. I, 415 sqq. Descriptio hæc inter pulcherrimas jure referenda esset, si poeta, sæculi genio nimis indulgens, simplicitati magis studuisset, dignitatemque et amœnitatem loci in decora ejus specie magis, quam in materiei magnificentia posuisset. Quanquam hoc temporis vitium videtur fuisse, non poetæ, tamen in hoc ille peccavit, quod non naturam

Invius humano gressu, Phariumque cubile
Proteos, et septem despectat cornua Nili.
Hunc neque canentes audent vestire pruinæ;
Hunc venti pulsare timent, hunc lædere nimbi.
Luxuriæ Venerique vacat: pars acrior anni
Exsulat; æterni patet indulgentia veris.
In campum se fundit apex: hunc aurea sepes
Circuit, et fulvo defendit prata metallo.

ducem, sed corruptum æqualium judicium secutus est. Sed in hoc ab imitatore suo longe a tergo relictus est; adeo omnia rebus pretiosissimis non ornavit, sed exoneravit Sidon. Apollin. Carm. XI, 1 sqq. — *Ionium.* Male Gesnerus *eoum* contra Heinsium defendere conatur. Non attendit, poetam Paphum intellexisse, quod apparet ex v. 148 et 254, quæque urbs Nili ostia spectat. Ea autem sita est in litore occidentali, quod etiam per *latus Ionium* indicatur, id est, quod versus mare Ionium est situm. Illud autem mare etiam ad ea loca pertinuisse, notum est. V. Musgravii n. ad Euripid. Phœniss. 217. Vix autem attinet monere, descriptionem, quæ sequitur, totam deberi poetæ ingenio, ut multæ aliæ aliorum poetarum, quæ iter facientes docti nihilominus tamen aut invenire laborant, aut inventa perhibent. De Papho v. Tacit. Hist. II, 2 sq. Forsan jam poetæ ætate, illa loca ruinis erant oppleta. Cf. Meurs. Cypr. I, 18.

50, 51. *Phariumque cubile Proteos. Proteos* sedem in Pharo, Ægypti insula, posuit Homer. Odyss. δ, 364 sqq. Cf. Heyne ad Virgil. Georg. IV, 387; Æn. XI, 262; ad Apollod. p. 385; Burmann. ad Valer. Flacc. II, 318; quæ loca jam laudavit Ruperti ad Sil. Italic. VII, 419 sqq. — *Septem cornua Nili*, id est, ostia. Cf. Sil. Italic. I, 196 sqq.

52 sq. Quæ sequuntur similia iis sunt, quæ veteres de insulis fortunatis, de Olympo, de Elysio prædicabant, unde videtur Noster colores petiisse. Homer. Odyss. δ, 56; ζ, 43 sqq. Pindar. Olymp. II, 123 sqq. de aurea ætate Ovid. Met. I, 107 sqq. — *Canentes pruinæ.* Horat. Od. I, 4. 6:

Nec prata canis albicant pruinis.

54. *Luxuriæ*, omnis generis voluptati, rebusque omnibus, quibus illa procuretur. — *Pars acrior anni*, non solum hiems propter frigus, sed etiam æstas propter nimium solis calorem.

55. *Indulgentia*, clementia. Virgil. Georg. II, 345; ibi v. Heyne.

56. *In campum se fundit apex*, ornatius, quam, se extendit in campum, seu in planitiem. — *Aurea sepes* tantum abest, ut ornet scenam a poeta adumbratam, ut magnam amœnitatis partem tollat, lectorique invito inculcet, non naturæ hoc deberi, sed ingenio poetæ genuino artis pictoriæ sensu pæne destitui. — *Prata*, illam planitiem herbis vestitam.

Mulciber, ut perhibent, his oscula conjugis emit
Mœnibus, et tales uxorius obtulit arces.
Intus rura micant, manibus quæ subdita nullis
Perpetuum florent, Zephyro contenta colono,
Umbrosumque nemus, quo non admittitur ales,
Ni probet ante suos Diva sub judice cantus.
Quæ placuit, fruitur ramis; quæ victa, recedit.
Vivunt in Venerem frondes, omnisque vicissim
Felix arbor amat: nutant ad mutua palmæ
Fœdera; populeo suspirat populus ictu,
Et platani platanis, alnoque adsibilat alnus.
Labuntur gemini fontes; hic dulcis, amarus

58. *Mulciber.* Vulcano hoc opus tribuit, quum quia omnia opera ex metallis artificiose elaborata illi deo antiquitas solebat assignare, tum quia Veneris maritus erat. Cf. Apollon. Rhod. III, 36 sqq.

59. *Uxorius.* Uxori nimis indulgens, γυναικομανής, γυναικοκρατούμενος. Eadem fere ratione Tiberis sic vocatur ab Horat. lib. I, Od. 2, 19 sq.

60. *Micant*, florum varietate et pulchritudine. — *Manibus quæ subdita nullis.* A nemine subacta. Cf. Ovid. Met. I, 101 sq.

61. *Zephyro colono.* Cura terræ Zephyro solo commissa est. Suavissima est imago. Cf. Lucret. I, 10 sqq.

62. *Umbrosumque nemus*, sc. ibi est, surgit, viret.

64. *Quæ victa*, quæ minus placuit.

65. *Vivunt in Venerem frondes.* Ad hoc vivunt, ut Venerem exerceant. Uterque plantarum sexus veteribus non erat incognitus; v. Plin. H. N. XVI, sect. 19; XIII, sect. 7; Theophrast. III, 10. De palmis Herodot. I, 193. Cf. Salmas. ad Solin. pag. 938 sq.

66. *Felix arbor*, frugifera. Horat. Epod. II, 14 sq. — *Nutant ad mutua fœdera*, mutuo amori annuunt. Cf. Nic. Niclas ad Geopon. X, 4, pag. 648; qui, quæ de palmarum coitu apud veteres exstant, diligenter congessit.

67. *Populeo suspirat populus ictu*, quasi in complexu mutuo.

68. *Assibilat*, ψιθυρίζει. Heyne ad Virgil. Eclog. VII, 1. Vento agitatæ videntur inter se levi susurro ac murmure loqui, amantium ritu.

69. *Labuntur.* Horat. Epod. II, 25. — *Gemini fontes.* Ad γλυκύπικρον in amore explicandum utitur suavissima allegoria de duobus fontibus, altero dulci, amaro altero, in quibus Cupido sagittas tingit. Alia usus est Anacr. Od. 45. Notum

. . . . γλυκύπικρον κέντρον ἐρώτων

Musæi, v. 166. Cf. Plaut. Cistell. I, 1, 71. *Amor et felle et melle fecundissimus.* Analect. Vet. Poet. Græc. Brunk. T. II, p. 48, Epigr. XI.

Alter, et infusis corrumpunt mella venenis,
Unde Cupidineas armavit fama sagittas.
Mille pharetrati ludunt in margine fratres,
Ore pares, similes habitu, gens mollis Amorum.
Hos Nymphæ pariunt, illum Venus aurea solum
Edidit. Ille deos, cælumque et sidera cornu
Temperat, et summos dignatur figere reges;
Hi plebem feriunt. Nec cætera numina desunt.
Hic habitat nullo constricta Licentia nodo,
Et flecti faciles Iræ, vinoque madentes

70. *Mella*, aquas dulcis fontis. — *Venenis*, aqua amara.

71. *Fama armavit*, id est, vulgo perhibent armari, aut traditum est armari.

72. *In margine*, ad ripas fontium.

73. *Ore pares*, vultu erant similes inter se. — *Gens mollis*. Sunt nempe pueri tenelli et lascivi.

74. *Venus aurea*, χρυσέη Ἀφροδίτη ex Homer. Il. γ, 64. Heyne ad Virgil. Æn. X, 16. De hoc Veneris epitheto lepide jocatur Antipater Thessalon. Antholog. Græc. T. II, pag. 96, Epig. II, ed. Jacobs. — *Illum*, qui κατ' ἐξοχὴν Cupido seu Amor vocatur, quem describit Sil. Italic. VII, 443 sqq.

75, 76. *Ille deos*. Cf. Senec. Hippolyt. 186 sqq. et 277 sqq. — *Cornu temperat*, id est, cornu seu arcu suo regit, imperium in eos exercet. Hesiod. Theogon. 120 sqq. De potentia Amoris cf. Virgil. Æn. I, 664 sqq. Ovid. Met. V, 365. sqq. — *Sidera*. Ab illo Amore petitum, qui in Geogoniis occurrit, unde diversarum mundi partium copulatio et concentus ortus esse dicitur.

77. *Nec cætera numina desunt*. Mores amantium, eaque, quorum causa et origo amor esse solet, quæque amantibus frequenter accidunt, in personas mutata, Veneris comites, a poeta inducuntur.

78. *Licentia*, quæ omnia sibi licere putat, *nullo nodo* (nullo vinculo) *constricta*, uno verbo, infrænata.

79. *Flecti faciles*. Terent. Andr. III, 3, 23. Proni amantes in iram sunt, sed facile quoque eam deponunt. Charit. I, 3: Εὔκολοι δὲ τοῖς ἐρῶσιν αἱ διαλλαγαί, καὶ πᾶσαν ἀπολογίαν ἡδέως ἀλλήλων προσδέχονται. Menand. ap. Stobæum c. 61: Ὀργὴ φιλοῦντων ὀλίγον ἰσχύει χρόνον. Cf. Ælian. V. H. II, 21; Plaut. Amphitr. III, 2, 60 sqq. — *Vino madentes Excubiæ*. Pertinet hoc ad comessationes post cœnam, in quibus poti plerumque ante puellarum fores excubabant, si nequidquam eas, ut admitterentur, rogassent, frigoribus interdum et pluviis expositi. V. not. ad Pers. V, 166. Ibi carmen flebile decantare solebant, quod παρακλαυσίθυρον vocabatur, in cujus similitudinem facta carmina exstant. Plaut. Curcul. I, 2, 60 sqq. Horat. Od. III, 10. Ovid. Amor. 1, 6. Pro-

Excubiæ, Lacrymæque rudes, et gratus amantum
Pallor, et in primis titubans Audacia furtis,
Jucundique Metus, et non secura Voluptas,
Et lasciva volant levibus Perjuria pennis.
Hos inter, petulans alta cervice Juventas
Excludit Senium luco. Procul atria Divæ
Permutant radios, silvaque obstante virescunt.
Lemnius hæc etiam gemmis exstruxit et auro,
Admiscens artem pretio, trabibusque smaragdis

pert. I, 16, 17 sqq. Conf. etiam Tibull. I, 2.

80. *Lacrymæque rudes* sunt eorum, qui rudes adhuc sunt ad amoris naturam.

81. *Pallor.* Commentarii loco potest esse Ovid. A. A. I, 731 sqq. — *Primis titubans Audacia furtis. Furta* sunt amoris arcana, quæ furtim celebrantur. Tibull. I, 2, 33 sq. Stat. Achill. II, 264, sq. — *Audacia*, quæ ad prima furta titubanti pede, timens ob insolentiam, sed firmato tamen consilio accedit.

82. *Jucundique Metus. Metus* per se *jucundi* non sunt, sed jucunda eorum memoria est, si vani fuerint; augent etiam metus amoris fructum, eumque jucundiorem faciunt. — *Non secura*, quæ semper timet, ne teste, quo nihil opus est, interrumpatur. Idem hoc pæne est, quod prius.

83. *Et lasciva volant*, etc. *Lasciva perjuria* sunt amantium perjuria lascivientium; iis *leves pennæ* h. l. tribuuntur, ad exprimendam celeritatem, qua avolant. Eorum enim non diu meminisse amantes solent. Catull. LXIV, 143 sqq. Hujusmodi perjuria etiam impunita credebantur Callimach. Epigr. XXVI, 3 sq. Tibull. I, 4, 21 sq. III, 6, 49 sq. Ovid. A. Amat. I, 633 sq. Horat. Od. II, 8; ibi vid. Jani. Puellam tamen suam a perjuriis deterrere studet Propert. I, 15, 25 sq. II, 13, 47 sqq.

84. *Alta cervice*, superbiens, arrogans. Supra III, 53. — *Juventas* est abstractum, *juventus* vero nomen collectivum: quare male in quibusdam scriptis legitur h. l. *juventus*. Cf. Heins. et ad h. l. et ad Ovid. Met. IV, 17.

85. *Excludit Senium luco.* Quandoquidem senes ad amorem inepti sunt. Ovid. Amor. I, 9, 2 sqq. — *Procul atria Divæ.* Sequitur descriptio templi Veneris, quacum comparari potest Apollon. Rhod. III, 36 sq. Stat. Silv. I, 2, 147 sqq. Sidon. Apollin. Carm. XI, 14 sqq.

86. *Permutant radios.* Auri splendorem cum tremulo silvarum virore miscent, et sic tremulo fulgore radiant et coruscant. Hanc interpretationem sequentia confirmant: *silvaque obstante virescunt.*

87. *Lemnius.* Vulcanus a Lemno insula, ubi officinam ejus posuerunt antiqui. Vid. supra ad v. 58.

88. *Admiscens artem pretio. Pretio*, id est, materiæ pretiosæ. Pretium

Supposuit cæsas hyacinthi rupe columnas.
Beryllo paries, et iaspide lubrica surgunt
Limina, despectusque solo calcatur achates.
In medio glebis redolentibus area dives
Præbet odoratas messes. Hic mitis amomi,

materiæ auxit artificio, quo omnia erant exstructa. Ovid. Met. II, 5 sqq. Martial. VIII, 51, 7. — *Smaragdis*, smaragdinis. Lectionem confirmat Heiusius innumeris pæne exemplis. Sed satis notum est, poetas substantivis uti pro adjectivis. Vid. Heyne ad Virgil. Æn. I, 686, et not. ad Pers. I, 83. Pretiosissimas res poeta cumulat; de arte, qua constructa sint omnia, pæne tacet. Etiam in rerum illarum delectu nimis a naturæ veritate aberrat, ut iis, qui antiquiorum simplicitati assueti sunt, nec ingenio præditi adeo puerili, ut pretiosa quæque etiam pulchra existiment, coloribusque vividis delectentur temere sparsis, probari nequeat. Verum ut Asiaticus tumor naturale dicendi genus corrupit, ita stolida populorum orientalium magnificentia verum venustatis et pulchritudinis sensum adeo corrupit, ut materiei plus quam arti tribuerent; nec naturæ divitiis contenti ea excogitarent, quæ inter ægri somnia jure referas. Cui tandem hujusmodi loca apud recentioris ævi poetas legenti non statim in mentem veniunt narratiunculæ Arabicæ *les mille et une Nuits* inscriptæ? Cæterum *smaragdus* viridi, *Hyacinthus* cæruleo colore est. — *Trabs* in columnarum structura proprie est *epistylium* (*l'architrave*), sed *zophorus* (*la frise*) et *corona* (*la corniche*) eodem nomine contineri solent. — *Columna* est scapo columnæ (*le fût*). Plura hac de re congessit Jani ad Horat. Od. II, 18, 3 sq. qui laudat Vitruv. III, 2 et 3; Plin. H. N. XXXVI, 8; Plin. Panegyr. 54, extr.

90, 91. *Beryllus* aquæ marinæ colorem habet. — *Iaspis* ad gemmas pertinet, quas vocant secundarias, diversisque coloribus et versicolor invenitur, ut achates et marmor. Cf. sup. VIII, 591. — *Lubrica*; sunt enim e lapide polito.

92. *Glebis redolentibus*. Gesnerus dubitat, simpliciterne fingat poeta, an respiciat certum genus glebæ, quod odorem natura jucundum habeat. Quorsum autem hoc poeta fecerit, non potest intelligi, quum omne solum herbis, floribus et fruticibus odoratis tectum finxerit, ita ut glebis bene olentibus æquo animo potuisset carere. Nisi igitur in illis verbis lateat vitium, cujus in omnium Mss. consensu vix ulla est suspicio, statuendum est, *glebas redolentes* dici, quia flores bene olentes fundant, iisque vestitæ sint.

93. *Odoratas messes*, herbas et frutices bene olentes. — *Amomi*. *Amomum* frutex est, unde unguentum paratur; qualis autem fuerit, parum constat. Vid. Heyne et Martin. ad Virg. Eclog. III, 89: Mella fluant illi, ferat et rubus asper Amomum. et ibid. IV, 25. Heins. ad Ovid. Heroid. XV, 76.

Hic casiæ matura seges, Panchaia turgent
Cinnama, nec sicca frondescunt vimina acantho,
Tardaque sudanti prorepunt balsama ligno.
Quo postquam delapsus Amor, longasque peregit
Penna vias, alacer, passuque superbior intrat.
Cæsariem tunc forte Venus subnixa corusco
Fingebat solio. Dextra lævaque sorores

94. *Casiæ. Casia* est vel herba coronaria, Virgil. Eclog. II, 49, quam lavendulam nostram putat La Cerda ad Virgil. Georg. IV, 30; Martinus vero ad eumdem, Georg. II, 213 *Cneoron* Græcorum, seu *Thymelæan* linifolio, quæ grana Cnidia ferat; Vossius ad eumdem *Zeiland*; vel frutex est, quam Voss. ad v. 466, *Mutterzimmt*, laurum cassiam Linn. esse existimat. V. not. ad Pers. II, 64.

95 *Cinnama*. Plin. H. N. XII, cap. 19. Dioscor. I, 13, odorem diu servare memorant. Lucan. X, 165 sqq.—*Panchæa*, Arabica. Propert. III, 11, 8. Cf. Barth. ad Stat. Theb. VI, 61; Ovid. Met. X, 307 sqq.—*Turgent* Noster infra XXXV, 90, et Lucan. VI, 109 sq. de ubertate, i. q. luxuriantur. — *Acantho*. Sic Heinsius censet legendum esse; Burmannus et Gesnerus retinuerunt tamen *costo*. Verum *costum*, vel *costus* radicem tantum habet odore eximio, frutice alias inutili. Plin. H. N. XII, sect. 25, qui itaque h. l. vix convenit. Virgil. Georg. II, 119 sqq. *balsama* et *acanthum* conjunxit. *Acanthus* autem hoc loco arboris genus est (est enim hoc nomine etiam herba, *Bærenklau*, Virgil. Eclog. III, 45), spina vel Ægyptia, vel Arabica, vulgare nomen *Acacia*, unde gummi Arabicum colligitur. Flores ejus bene olentes et corollis inserviunt, et medicinæ. Huic arbori convenit etiam adjectum, *nec sicca*; semper enim frondet. Virgil. Georg. IV, 119. Heinsius laudat quoque eumdem l. c. 123; verum ibi herba intelligenda esse videtur.

96. *Tardaque sudanti prorepunt balsama ligno.*—*Balsama* h. l. liquor balsami arboris, seu fruticis, qui ex cortice inciso stillatim fluit, olei pellucidi et crassi instar, in lentam et tenacem resinam rubri aut viridis coloris durescens. Stat. Silv. III, 2, 141. Serv. ad Virgil. Georg. II, 119, ait, balsamum esse arborem ipsam, opobalsamum succum collectum ex arbore. —*Prorepunt* apte ad *tarda*.

98. *Passu superbior*, solito superbius incedens. *Superbus* sæpe animum et habitum victoris exprimere solet.

99. *Cæsariem tunc forte* etc. Vid. not. ad I, 85. Cf. Apollon. Rhod. III, 43 sqq.—*Subnixa corusco solio*; δινωτὸν ἀνὰ θρόνον Apoll. l. c.

100, 101. *Fingebat*, vox solennis in hujusmodi re: Ovid. A. A. I, 305 sq. Tibull. I, 2, 92; Propert. III, 8, 14.—*Sorores Idaliæ*, ut in Patric. epithal. v. 10, Poet. lat. m. t. IV, p. II, sunt Gratiæ. Cf. Homer. Odyss. θ, 362 sqq. qui

Stabant Idaliæ: largos hæc nectaris imbres
Irrigat; hæc morsu numerosi dentis eburno
Multifidum discrimen arat; sed tertia retro
Dat varios nexus, et justo dividit orbes
Ordine, neglectam partem studiosa relinquens:

in bnjusmodi argumento poetis recentioribns præivit. Idem Hymn. in Vener. 61 sq.

Ἔνθα δέ μιν Χάριτες λοῦσαν, καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ
Ἀμβρότῳ, οἷα θεοὺς ἐπενήνοθεν αἰὲν ἐόντας,
Ἀμβροσίῳ ἑανῷ, τό ῥά οἱ τεθυωμένον ἦεν.

Apud Sil. Italic. VII, 446 sq. Venerem Amores comunt. Adnmbrata sunt, quæ sequuntur, ex quotidiano feminarum illius ævi more, quo magnus ancillarum numerus in ornandis dominæ capillis unice occupatus erat. Venus describitur ut femina nobilis, quæ modo lectulum reliquit, et in cubiculo suo ancillis ornatricibus operam dat. Illæ eum instrumentis comatoriis eam circumstant, omnibusque iis, quæ ad mundum muliebrem pertinent. In comenda domina suæ cuique partes distributæ sunt, omnesque exspectant nutus heriles. Compara Juvenal. VI, 489 sqq. Cf. Pignor. de Servis, p. 191.—*Largos hæc nectaris imbres Irrigat.* Satis notum est, et viros et feminas capillos pretiosissimis unguentis delibutos semper habuisse. Spanhem. ad Callimach. H. in Apoll. v. 38 sq. Burmann. ad Ovid. Heroid. XV, 76. Martial. VIII, 77, 3. Hæc unguenta solebant capillis artificiose irrorari, ut madidi essent velnt rore conspersi. Illnd vocabant ψεκάζειν, atque inde *Psecas* nomen ancillæ est, cui hoc munus erat injunctum. Boettiger in libro *Sabina* inscripto, p. 125, ait, Psecades vocari puellas, quæ artificio quodam, nobis non amplius noto, crinibus unguenta ore inspergerent, ita ut rore viderentur obducti. Unde hoc habeat, nescio; interpretes quidem ad Cic. Epist. ad Div. VIII, 15, quos in partes vocat, qnosque equidem inspicere potui, silent. Cf. Scholiast. ad Juvenal. l. c. Manibus etiam capilli ungebantur. Sidon. Apollin. Carm. XI, 13:

Manus uncta succo amomi
Domet hispidos capillos.

102. *Morsu numerosi dentis eburno,* i. e. pectine. Martial. XIV, 25. Alia similitudine utitur Ovid. Amor. I, 14, 15, ubi est *vallus pectinis.* Cf. Tibull. I, 9, 68, qui habet *denso dente.*

103. *Multifidum discrimen arat. Multifidum discrimen* oritur a multis pectinis dentibus, quorum unusquisque quasi sulcum ducit; inde eleganter positum est *arat.* Perplexorum crinium expediendorum autdiscriminandorum simplex actus describitur. Ovid. A. A. III, 137. Burmann. ad l. c. II, 303. Apud Apollon. Rhod. III, 45 sqq. ipsa Venus in componendis et fingendis crinibus occupata est. Conf. infra XXXV, 15 sq.

104, 105. *Dat varios nexus.* Com-

Plus error decuit. Speculi nec vultus egebat
Judicio; similis tecto monstratur in omni,
Et rapitur quocumque videt. Dum singula cernit,
Seque probat, nati venientis conspicit umbram,
Ambrosioque sinu puerum complexa ferocem :

ponendorum capillorum non unus erat mos, sed multiplex, magnamque in hoc feminæ ponebant diligentiam, ut eum eligerent, qui faciem maxime commendaret. Conf. Ovid. A. A. III, 135 sq. Tertullian. de Cultu f. c. 7. Huic quoque peculiaris ancilla præesse solebat, qualis Cypassis erat apud Ovid. Amor. II, 8, 1 sq. et Plecusa apud Martial. II, 66, 4. Cf. Manilium V, 146 sqq. — *Dat varios nexus*, in varios nexus capillos implicat, *et justo dividit orbes Ordine*. *Orbes* h. l. videntur esse cincinni, in quos componebatur et flectebatur capillus. Juvenal. VI, 491. — *Justo ordine dividit*, ut alius super alium ab utraque parte surgerent æqualiter, aut ut nexus capillorum in vertice non perturbati essent, sed inter se separati. Cf. XXXV, 15 sqq. Juvenal. l. c. 50 sq. Martial. l. c. 1 sq.

Unus de toto peccaverat orbe comarum
Annulus, incerta non bene fixus acu.

— *Studiosa relinquens* h. e. studio, data opera relinquens. — *Neglectam partem*, sc. capillorum, Ovid. l. c. 153 sqq. ut artem dissimularet, et simulata illa negligentia gratior et venustior fieret.

106. *Error*, illa negligentia. — *Speculi*. Specula auro argentove artificiose facta ad mundum muliebrem pertinuisse, nota res est. Atque illud dominæ, quocumque illa oculos flecteret, porrigendi munus certæ ancillæ proprium erat. Propert. IV, 7, 75 sqq. cujus vices in cubiculo dominæ sustinere amanti suadet Ovid. A. A. II, 215 sq.

107. *Judicio... speculi*. Speculum *consilium formæ* vocat Martial. IX, 17, 1. — *Similis*, i. e. imago ejus. — *Tecto in omni*, quandoquidem ex gemmis politis constabat, domusque tota speculum erat.

108. *Et rapitur, quocumque videt*. Pro vulgari : imaginem suam adspicit, quocumque oculos vertit; magis poeticum : imago rapitur speculo, aut eo, quod imaginem reflectit. Multo tamen elegantius est, quo Noster utitur, *ipsa rapitur*, quod primum imaginis accuratam similitudinem, tum etiam celeritatem exprimit, qua in speculis imago effingitur. — *Singula*, singulas partes corporis, seu ornatus.

109. *Seque probat*. Ovid. Met. III, 427. Auson. Idyll. X, 230 sqq. — *Umbram*, imaginem repercussam. Ovid. l. c. 417; IV, 711 sq. Auson. l. c. 224.

110. *Ambrosioque sinu*. *Ambrosia* deorum unguentum erat. *Ambrosio* itaque dictum pro, fragranti. Ἀμβροσίου διὰ πέπλου, Homer. Il. ε, 338. Heyne ad Virgil. Æn. I, 403. — *Ferocem* potest vel ad mores Cupidinis spectare, qui *ferox* est; Ovid. A. A. I, 9, et *fervidus* apud Horat. Od. I, 30, 5, nullis se legibus submittit; Propert. II, 2, 13; Stat. Silv.

«Quid tantum gavisus? ait, quæ prælia sudas,
Improbe? quis jacuit telis? iterumne Tonantem
Inter Sidonias cogis mugire juvencas?
An Titana domas? an pastoralia Lunam
Rursus in antra vocas? Durum magnumque videris
Debellasse Deum.» Suspensus in oscula matris
Ille refert : «Lætare, parens; immane tropæum
Rettulimus; nostrum jam sentit Honorius arcum.
Scis Mariam, patremque ducem, qui cuspide Gallos

I, 2, 62 sq. vel superbientem animum victoria modo reportata exprimit, ut sæpe vel apud Livium occurrit. Posterius sequentibus aptius est.

111. *Quæ prælia sudas. Sudare quid*, subintell. propter, est multo sudore aliquid efficere, elaborare. Sil. Italic. III, 92; IV, 433 sq. Barth. ad Stat. Theb. V, 189. Sensus : quod prælium tam magnum fecisti?

112. *Improbe*, *Muthwilliger*. Mater convicium facit, quæ improbitate filii lætatur. — *Jacuit*, κεῖται, de interfecto proprie Virgil. Æn. I, 99, etiam de domito, XXI, 190, et passim h. l. pro : quem telo petiisti.

113. Res nota est ex Ovid. Met. II, 848 sqq.

114. *Titana. Titan* proprie *Hyperion* est, sed h. l. Apollo. Ovid. Met. I, 453 sqq. — *Lunam*. Apollod. I, 7, 5. Endymion nempe pulchritudine sua Lunam in amorem sui traxerat. — *Pastoralia in antra*. Ovid. Heroid. XVIII, 61 sq. *Latmia saxa* habet. Confer. Auson. Idyll. VI, 40 sqq. Schol. ad Theocrit. III, 49; Quint. Calab. X, 127 sqq.

115. *Durum*, qui amori difficulter cesserit. Horat. Od. IV, 1, 6 sq.

116. *Suspensus in oscula*. Sidon. Apollin. Carm. XI, 56 sqq.

....at ille (*Cupido*)
Cernuus, et lævæ pendens in margine palmæ,
Libratos per inane pedes adverberat alis,
Oscula sic matris carpens, somnoque refusæ
Semisopora levi scalpebat lumina penna.

Propert. I, 21, 27 sq.

Oscula suspensis instabant carpere plumis,
Oscula et alterna ferre supina fuga.

Conf. Stat. Silv. I, 2, 103 sq. *Suspensus* seu alis, seu in digitis pedum erectus, et gremio matris insistens. Conf. infra 122. *In oscula*. Venerem Cupidini oscula dantem induxit Apollon. Rhod. III, 148 sqq.

.... ἡ δ' ἀγανοῖσιν
Ἀντομένη μύθοισιν ἐπειρύσασα παρειάς,
Κύσσε ποτισχομένη, καὶ ἀμείβετο μειδιόωσα.

117. *Immane tropæum*, magnam victoriam. Nimis quidem aucta res est verbis, verum jactationi puerili accommodate. Idem occurrit in Patric. epithal. v. 79, Poet. lat. min. t. IV, p. II. Cf. Sidon. l. c. 61 sq.

118. *Arcum*, vim teli seu sagittæ,

Italiamque fovet; nec te præclara Serenæ
Fama latet. Propera: regalibus annue votis:
Junge toros.» Gremio natum Cytherea removit,
Et crines festina ligat, peplumque fluentem
Allevat, et blando spirantem numine ceston
Cingitur, impulsos pluviis quo mitigat amnes,
Quo mare, quo ventos, irataque fulmina solvit.
Ut stetit ad litus, parvos affatur alumnos:
« Ecquis erit, pueri, vitreas qui lapsus in undas
Huc rapidum Tritona vocet, quo vecta per altum

120. *Fovet cuspide*, tuetur, administrat, regit sceptro, εὐθύνων δορὶ, Eurip. Hecub. 9, et Hel. 1627. Cf. infra XXXV, 18.

121. *Votis*, nuptiis.

123. Tacite et subito ad Mariam proficiscendi consilio capto, accingit se itineri, *crines ligat*, vittis firmat eorum nexus, ne in itinere turbentur. — *Peplum fluentem*, vestem longam et amplam, qua deæ vestitæ esse solent. De peplo Minervæ v. quæ laudat Ruperti ad Sil. Italic. VII, 86. — *Allevat;* cingulum enim erat impositura. De hoc cingulo seu cestu v. Homer. Il. ξ, 216 sqq. Broukh. ad Tibull. I, 9, 5; Alberti ad Hesych. et Winkelmann. Geschichte der Kunst. I, p. 198.

124. *Blando spirantem numine*. *Numen* h. l. est vis, potentia. — *Spirantem*, qui quasi afflatu omnia vincit. — *Blando*, quia deliniendo vim suam exserit, et ipsa vis illata placet. Cf. Valer. Flacc. VI, 470 sqq.

125. *Impulsos pluviis*, auctos et inde cursu incitatiore.

126. *Solvit;* durius hoc putat Burmannus, neque firmari posse Ovid. Met. IX, 274 sq. quoniam *iras solvere* facilius probet aliquis, quam *irata fulmina solvere*. Proponit itaque *mollit*, quod meo quidem sensu, fulminis naturæ minime potest convenire. Verum mors, somnus, terror dicitur *membra solvere*, λύειν γυῖα, Homer. Il. δ, 469; η, 16; ο, 435; Euripid. Hippol. 199; Virgil. Æneid. I, 92; XII, 951. Nostrates, *entstricken*, *abspannen*, quando illa vis, qua movebantur, imperium in illa non amplius exercet. Ideoque *solvere aliquid* significare potest: facere, ut aliquid subito torpeat, moveri desinat. Hæc ratio mihi quidem satisfacit, viris doctis fortasse minus. Quod si quid tamen mutandum esset, legerem *sistit*. Cf. supra III, 158. Gesnerus in expedienda verbi vi parum proficit, laudatis Horat. Od. I, 4, 1; Serm. II, 1, 86, quæ huc minime pertinere videntur. Melius compares Horat. Od. II, 2, 7.

127. *Parvos alumnos*. Amores, Nympharum filios. Supra v. 74.

129. *Rapidum*, celerem. Conf. infra 147 sq. — *Quo vecta per altum*. Poeta Venerem Tritonis dorso per æquora vectam inducit, ut Sidon.

Deferar? Haud unquam tanto mihi venerit usu.
Sacri, quos petimus, thalami. Pernicius omnes
Quærite, seu concha Libycum circumtonat æquor,
Ægæas seu frangit aquas. Quicumque repertum
Duxerit, aurata donabitur ille pharetra. »
Dixerat, et sparsa diversi plebe feruntur
Exploratores. Pelagi sub fluctibus ibat

Apollin. Carm. XI, 34 sqq. Alias Venus in concha marina sedens a Tritonibus vehitur. Cf. Lucian. Dial. Deor. mar. XV, 3, t. I, p. 327, ed. Reiz. Broukh. ad Tibull. III, 3, 34; Montfauc. t. I, tab. 34; t. V, tab. 161; Pictur. Herculan. t. IV, tab. 3; Sidon. Apollin. Epist. IV, 8. Sæpe curru vehitur a columbis tracto, Ovid. Met. XIV, 597; Nost. infra XXII, 354 sqq. XXXI, 103 sqq. Patric. Epithal. v. 22 sq. Poet. lat. m. t. IV, p. 2, et ab oloribus, Sil. Italic. VII, 441 sqq. Stat. Silv. I, 2, 140 sqq. Sidon. Apollinar. Carm. XI, 93 sqq.

130. *Haud unquam tanto*, etc. Nunquam ejus opera tantopere mihi necessaria fuerit.

131. *Sacri*, quia Imperatoris sunt.

132. *Circumtonat*, pertinet ad gravem sonum, quem concham inflans edere traditur. Virgil. Æn. X, 209. Hujus artis æmulum ferre non posse inducitur Triton ab eodem l. c. VI, 171 sq. Ovid. Met. I, 331 sqq. hunc Neptuno tubicinem dedit, qui aquis receptui caneret, ejusque concham, quam Lycophron, v. 250, στρόμβον vocat, accurate descripsit. Conf. Lucan. IX, 343 sq. *Circumtonat* h. l. transitive, ut sæpe. Videtur tamen accusativus pendere a *circum*, quod cum verbo conjunctum est.

133. *Frangit*, sc. nando. Lucan. VIII, 374; a remis petitum, Sil. Italic. XI, 489 sq. Valer. Flacc. I, 363; ibi v. Burmann. Conf. Stat. Achill. I, 59. De Ajace nante dicit Seneca (Agamemn. 540 sq.):

Dirimit insanum mare,
Fluctusque rumpit pectore.

Doering in Eclog. vet. poet. p. 278, *frangit* interpretatur: buccinæ sonitu et strepitu impellit, secutus D. Heinsium in lect. Hesiod. c. XVIII, v. 203, ἄγνυτ' Ὄλυμπος ex ἄγνυτο ἠχώ, v. 279 et 348 ibid. proponentem. Sed haud scio, an aliter explicari possit Juvenal. VII, 86, et Sidon. Apoll. Epist. V, 70; saltem in priori loco exponendo aliam rationem, nec infeliciter, ut puto, tentavit Ruperti. Καταῤῥήγνυσθαι apud Græcos (Polyb. XV, 32, et XVIII, 29) et *rumpi* apud Latinos (Virgil. Georg. III, 328. Juvenal. I, 13. Nost. III, 130.) facile possunt ita explicari. Sed *frangi* eodem modo posse explicari ut existimem, præter auctoritatem DD. VV. etiam exempla desidero.

135. *Sparsa diversi plebe feruntur Exploratores*. i. e. Amores in diversas partes mittuntur exploratum. Heinsius jungit *exploratores* cum *pelagi*.

Carpathii Triton, obluctantemque petebat
Cymothoen. Timet illa ferum, seseque sequenti
Surripit, et duris elabitur uda lacertis.
«Heus, inquit speculatus Amor, non vestra sub imis
Furta tegi potuere vadis: accingere nostram
Vecturus dominam. Pretium non vile laboris
Cymothoen facilem, quæ nunc detrectat, habebis.
Hac mercede veni.» Prorupit gurgite torvus
Semifer: undosi verrebant brachia crines,
Hispida tendebat bifido vestigia cornu,
Qua pristis commissa viro. Ter pectora movit;

137, 138. *Cymothoen*, Nereidum unam. — *Obluctantem*, detrectantem complexus Tritonis. Infra 143.

139. *Uda*, deam marinam significat. Sic Nymphæ fluviales *udæ* vocantur ab Ovid. Fast. II, 597. Galateam inducit lascivientem, et Tritonis latus vellentem Sidon. Apoll. Carm. IX, 37 sqq.

140. *Non*. Plures *num* cum interrogatione, quos Gesnerus secutus est.

141. *Furta*, quæcunque occulte fiunt, etiam ab amantibus.

143. *Detrectat*, sc. complexus.

145. *Semifer*. In pristem abiens pingitur.—*Undosi verrebant brachia crines*. Id fiebat, quando crines promissi super humeros et brachia movebantur. Alia imagine usus est Pindar. Pyth. IV, 147 sqq. quem laudat Gesnerus. — *Undosi*, motu undis similes.

146. *Hispida tendebat bifido vestigia cornu*. Hic versus habet difficilem explicatum. Poeta adumbrat Tritonis figuram, quæ alias etiam a pictoribus et rei plasticæ artificibus expressa occurrit. Comparandus est Noster cum Apollon. Rhod. IV, 1610 sqq. — *Vestigia* sunt duæ pristes, in quas desinens Triton pingitur, δίχρη κήτεος ὁλκαίη Apollon. l. c. ex lect. Brunk. (Sidon. Apollin. carm. IX, 34, *duplex dorsum*.) quibus innititur quasi pedibus. Illa vocantur *hispida*, quia squamis tecta sunt. Plin. H. N. IX, sect. 4: « Et Nereidum falsa (fama) non est, squamis modo hispido corpore, etiam qua humanam effigiem habent. » Sidon. Apoll. l. c. v. 34, *squameus Triton*.—*Tendebat*, extendebat, οἱ ἔνθα καὶ ἔνθα μηκύνετο, non, intendebat, ut Burm. explicat. — *Bifido cornu*. Extremum utriusque pristis intelligo, quod in pinnas bifidas exit. Σκολιοῖς ἐπὶ νείοθι κέντροις, Apoll. R. l. c.

147. *Qua*, ὑπὲρ λαγόνων, Apoll. Rhod.

....duplicis confinia dorsi
Qua coeunt.

Sidon. Apol. l. c.—*Pristis*. Duæ illæ caudæ in unum corpus piscinum coeunt, in quod latera humana Tritonis desinunt. — *Ter pectora movit*. Cf. Stat. Achill. I, 99 sq.

Jam quarto Paphias tractu sulcabat arenas.
Umbratura Deam retro sinuatur in arcum
Bellua: tum vivo squalentia murice terga
Purpureis mollita rosis. Hoc navigat ostro
Fulta Venus; niveæ delibant æquora plantæ.
Prosequitur volucrum late comitatus Amorum,

Quo cursu rapido *fregit* æquora, supra v. 133.

148. *Tractu*, nisu, conatu, sed proprie aut natantium aut serpentium. — *Sulcabat Paphias arenas*, jam ad litus Cypri, ubi Veneris sedes erant, adpulerat. *Sulcabat a.* proprie significat: tendebat per vadosa ad litus, ut inferiores corporis partes sulcos quasi in arena ducerent.

149. *Retro sinuatur in arcum Bellua. Bellua* ea Tritonis pars est, qua pristis erat.

αἵ τε (ἄκανθαι, spinæ utriusque dorsi)
Μήνης ὣς κεράεσσιν ἐειδόμεναι διχόωντο,

Apollon. Rhod. l. c.

....sinuamina tortilis alvi,

Sidon. Apoll.—*Umbratura deam*, ad umbram Veneri faciendam.

150. *Squalentia*; v. ad I, 182. —*Vivo murice*. Ovid. Met. I, 332:

......atque humeros innato murice tectum.

De Tritone vivo Pausan. IX, 21, 1: Τὸ δὲ λοιπὸν σῶμα φολίδι λεπτῇ πέφρικέ σφισι κατὰ ἰσχὺν ῥίνης. Servius ad Virgil. Æn. V, 205, ait: «Murex, saxi acumen, eminens per tranquillitatem.» Isid. Orig. XVI, 3: «Murices, petræ in litore, similes muricibus vivis, acutissimæ et navibus perniciosissimæ.» Possit itaque, ut Gesnerus fecit, *murice* de asperitate et hispiditate squamarum durarum intelligi. Sed haud scio, an non absurdum sit murices inferiori corporis parti, quam aqua marina semper tegit, innatos intelligere, ita ut navium carinis adhærere solent. Cf. Ovid. Met. IV, 724.

151. *Purpureis mollita rosis*, instrata rosarum foliis. Cf. XXXI, 103 sq. Idyll. V, 29 sq. ne asperitate dorsi Venus læderetur. Alii *toris*, quod Gesnerus retinuit, et Doering in Eclog. veter. poet. quo tamen sequens, *hoc ostro*, languidum redditur. *Hoc ostro* pro, hoc toro ex rosarum foliis: nam *ostrum* interdum pro *toro* ponitur. Cf. XV, 327 sqq.

152. *Niveæ delibant æquora plantæ*. Ad absolutionem imaginis hæc pertinent.— *Delibant*, attingebant. Cf. Mosch. Idyll. II, 121 sqq.

153. *Prosequitur volucrum late comitatus Amorum*. *Late*, id est, lato agmine. — *Volucrum*. Hoc indicat, alites iter fecisse Amores. Hunc versum non invenuste variando et exornando imitatus est Sidon. Apollin. l. c. 42 sqq.

Pone subit turmis flagrantibus agmen Amorum.
Hic cohibet delphina rosis, viridique juvenco
Hic vectus, spretis pendet per cornua frenis.
Hi stantes motu titubant, plantaque madenti
Labuntur, firmantque pedum vestigia pinnis.

Cf. Lucian. Dialog. Mar. XV, 3, t. I, pag. 326, ed. Reiz. Patric. Epithalam. Poet. lat. m. t. IV. P.

Tranquillumque choris quatitur mare. Serta per omnem
Neptuni dispersa domum. Cadmeia ludit
Leucothoe, frænatque rosis delphina Palæmon;
Alternas violis Nereus interserit algas;
Canitiem Glaucus ligat immortalibus herbis.
Nec non et variis vectæ Nereides ibant,
Audito rumore, feris: hanc pisce volutam
Sublevat Oceani monstrum Tartessia tigris;

II, v. 13 sqq. Anacreont. Od. LI.

154. *Tranquillumque choris quatitur mare.* Quæritur, quidnam sibi velit *choris quatitur mare.* Iter Veneris marinum describens Apuleius Metamorph. IV. «Adsunt, inquit, Nerei filiæ chorum canentes, et Portumnus cærulis barbis hispidus, et gravis piscoso sinu Salacia, et auriga parvulus delphini Palæmon; jam passim maria persultantes Tritonum catervæ. Hic concha sonaci leniter buccinat; ille serico tegmine flagrantiæ solis obsistit inimici; alius sub ocolis dominæ speculum prægerit; currus bijuges alii subnatant.» Verum Nereidum post mentio fit v. 159. In aureo illo Moschi de Europæ raptu Idyllio II, 128 sqq. Tritones canunt nuptiale carmen; hic de uno tantum Tritone sermo est. Equidem exsultationem et lætitiam intelligo maris habitatorum iter Veneris prosequentium, quos poeta non expresse indicat. Sequitur enim, totum mare sertis et corollis in honorem Veneris exornatum fuisse. *Quatere* etiam sonus gravior dicitur, qui facit, ut aliquid contremiscat. Sil. Italic. I, 535 sq. Nost. infra XV, 134, et XXXVI, 263. Barthius notat, versum hunc sono verborum exprimere tranquillam et pacificam succussationem.

156. De *Leucothoe*, seu Ino, Cadmi filia, et de *Palæmone*, seu Melicerta, filio illius, v. not. ad VIII, 465. — *Rosis*, corollis ex rosis.

157. *Violis algas*, pro, algis violas. Caput Nerei alga cinctum est, ut fluviorum dii arundine.

158. *Glaucus.* Ipse fata sua narrat apud Ovid. Met. XIII, 904 sqq. — *Immortalibus*, semper virentibus. Algam non intellexerim: illa enim erat vulgaris deorum marinorum ornatus, et hic festus intelligi videtur. Sed Conf. supra I, 217 sqq.

159, 160. *Nec non et variis* etc. Mosch. l. c. 114 sqq.

Νηρεΐδες δ' ἀνέδυσαν ὑπ' ἐξ ἁλὸς, αἱ δ' ἄρα πᾶσαι
Κητείοις νώτοισιν ἐφήμεναι ἐστιχόωντο.

— *Audito rumore*, sc. Venerem per mare proficisci. Gronov. Observ. II, 17, ad rumorem seu murmur marinum retulit. — *Volutam*, delapsam.

161. *Tartessia tigris.* Vix alibi occurrit hoc Oceani monstrum; Gesnerus existimat, pardalin esse Oppiani, Halieut. I, 368, in Oceano occidentali, quod refertum mons-

Hanc timor Ægæi rupturus fronte carinas
Trux aries; hæc cæruleæ suspensa leænæ
Innatat; hæc viridem trahitur complexa juvencum:
Certatimque novis onerant connubia donis.
Cingula Cymothoe, rarum Galatea monile,
Et gravibus Spatale baccis diadema ferebat
Intextum, Rubro quas legerat ipsa profundo.
Mergit se subito, vellitque coralia Doto.
Vimen erat, dum stagna subit; processerat undis:
Gemma fuit. Nuda Venerem cinxere corona,
Plaudentesque simul tali cum voce sequuntur:
«Hos Mariæ cultus, hæc munera nostra precamur
Reginæ regina feras. Dic talia nunquam
Promeruisse Thetin, nec quum soror Amphitrite
Nostro nupta Jovi. Devotum sentiat æquor,
Agnoscat famulum virgo Stilichonia pontum.

tris immanibus et tætris nautarum fabulæ prædicabant, Hispaniæ litus alluente visam; id enim indicat *Tartessia*.

162. *Hanc*, scilicet Nereida sublevat.

163. *Trux aries*. Oppian. l. c. 372: κριοί τ' ἀργαλέοι. Cf. Ælian. H. A. XV, 2; Plin. H. N. IX, sect. 4, et XXXII, sect. 53. — *Leænæ*, κρυερός τε λέων, Oppian. l. c. 367. Ælian. H. A. XIV, 9. Plin. H. N. IX, sect. 51.

164. *Juvencum*. Hunc Gesnerus putat esse phocam Oppiani. l. c. 683, seu vitulum marinum Plin. H. N. IX, 13. Has feras bestias cicures quasi poeta fingit ad Veneris potentiam declarandam.

165. *Onerant*, multitudinem donorum exprimit. — *Connubia onerant donis*, dictum pro: dona congerunt in connubium seu nuptialia.

166. *Cingula*. Propter margaritas, quibus distincta solebant esse cingula, quæque margaritæ ex mari erant petendæ, unde quoque factum est, ut Nereides hujusmodi dona afferentes inducerentur.

167. *Spatale*, Nereis, quæ forsan alibi non occurrit.

168. *Rubro profundo*, mari Persico seu Indico.

170. *Vimen erat*. Cf. Ovid. Met. IV, 473 sqq. XV, 416; Plin. H. N. XXXII, sect. 11.

171. *Nuda corona*, nudæ.

175. *Promeruisse*, nihil amplius est, quam, accepisse a nobis.

176. *Nostro Jovi*, Neptuno, cujus sub imperio mare est, ut sub Jovis cælum. — *Devotum*, obsequio devinctum. Vox illis temporibus frequens.

Victricis nos spem patriæ, classemque paternam
Veximus, attritis quum tenderet ultor Achivis. »
Jam Ligurum terris spumantia pectora Triton
Appulerat, lassosque fretis extenderat orbes.
Continuo sublime volans ad mœnia Gallis
Condita, lanigeri suis ostentantia pellem,
Pervenit. Adventu Veneris spissata recedunt
Nubila; clarescunt puris Aquilonibus Alpes.
Lætitiæ causas ignorat dicere miles,
Lætaturque tamen. Mavortia signa rubescunt
Floribus, et subitis animantur frondibus hastæ.

178, 179. *Victricis nos spem* etc. Cf. VIII, 461 sqq. Stilicho intelligitur. Gesnerus: *Victrices nos sæpe rates*. Pro *sæpe* Heins. conj. *nempe*, aut legendum proponit: *Victricis nos vela ratis*. — *Attritis.... Achivis*. Burm. mavult, *ad tristes Achivos*; quod languidius videtur, quamquam grammaticæ rationi accommodatius.

181. *Lassos orbes*. Cf. supra N. ad v. 149.

182. *Sublime volans*, sc. Venus. — *Ad mœnia Gallis Condita*. Hæc et quæ sequuntur, lucem accipiunt ab Isidoro, Orig. XV, 1: « Galli Mediolanum atque alias urbes condiderunt. Vocatum autem Mediolanum ab eo, quod ibi sus in medio lanea perhibetur inventa. » Sidon. Apollin. Epist. VII, 17, Mediolanum ita indicat:

Et quæ lanigera de sue nomen habet.

Cæterum urbem describit Anson. Ord. nob. urb. IV. Poet. lat. min. T. V, P. III, p. 1320.

184, 185. *Spissata Nubila* sunt nubes spissæ. Ovid. Amor. I, 13, 30. — *Puris Aquilonibus*. Aquilones fugant nubila, cælumque purum reddunt. Inde vocatur *clarus Aquilo* Virgil. Georg. I, 459. V. Burmann. ad Valer. Flacc. II, 56. Veneris autem adventu omnia rident. Sil. Italic. VII, 467 sqq.

186. *Lætitiæ*, id est, subitæ serenitatis, qua natura ridere videbatur. — *Ignorat*, nescit. Inversionem putat Barthius esse, pro, ignorare se dicit; quod languidum mihi videtur. Potest etiam *lætitiæ* etc. sic exponi: Subitæ lætitiæ, qua se correptum sensit miles, etiamsi causam ignorat, tamen illi indulget.

187, 188. Notum est, rebus lætis et militia prospera ornari signa militaria morem fuisse lauro, floribus, unguentis. V. Lips. ad Tacit. Annal. I, 24, in Excurs. L. Barth. ad Stat. Silv. V, 1, 92; Martial. VII, 5, 4 sq. Qui mos ansam dedit commento, quo usus est h. l. poeta. Quod enim milites facere solebant, nunc sponte fit insciis militibus. Verum res in majus aucta est, ut prodigii naturam indueret. E signis militaribus flores nascuntur,

Illa suum dictis affatur talibus agmen :
«Gradivum, nostri comites, arcete parumper,
Ut soli vacet aula mihi : procul igneus horror
Thoracum, gladiosque tegat vagina minaces ;
Stent bellatrices aquilæ, sævique dracones :
Fas sit castra meis hodie succumbere signis.
Tibia pro lituis, et pro clangore tubarum
Molle lyræ, festumque canant : epulentur ad ipsas

hastæque frondes agunt ; hoc bene per *animantur frondibus* expressum est, quum rebus etiam inanimis, quæ vi aliqua interna, structuraque solerti sustentari per se et augeri videntur, vita adscribatur.

190. *Nostri comites.* Heinsius rejecit hoc, et rescripsit *nostræ comites,* quia Nymphæ Idaliæ comites Veneris sint, laudans supra v. 100, et infra XXXI, 9. Verum Nymphis non uti solet Venus ad imperia sua promulganda; deinde poeta Nympharum nullam mentionem fecit, quum iter Veneris per mare describeret, quamquam proprio aliquo vecturæ genere opus fuisset ad illas trajiciendas, quo vel Nereides usæ sunt ; tandem a Ligurum litore per aerem Venus dicitur Mediolanum venisse, quo in volatu Amores quidem comites habere potuit, qui alis instructi sunt, verum non Nymphas. Potest autem objici, infra v. 202 sq. Hymenæi, Gratiæ et Concordiæ mentionem fieri, quorum quoque toto in itinere nullam rationem poeta habuit. Burmannus *nostri* vitiosum putat, et *nostræ* languere, erigique sententiam, si legatur :

Gradivum, nostis, comites, arcete parumper.

Explicandæ conjecturæ causa addit: quasi dubitaret Venus, an adulterum recte novissent. Difficile dictu est, utrum conjectura, an explicatio languidior sit. Hoc puto dandum esse, et *nostri* et *nostræ* frigere ; melius autem fortasse sententiæ consuleretur, si legi liceret :

Gradivum castris, comites, arcete parumper,

id est, omnem belli speciem a castris per aliquod tempus removete. Gesnerus notat, Venerem parum venustam esse, quæ Martem arceri velit a militibus, quum potius precibus aut blando nutu hoc a suo amatore impetrare debuisset, ut cum satellitio suo, Terrore, Pavore, Tumultu, paullulum secedat. Sed *Gradivus* non magis propria h. l. sumendus est, quam Ceres et Bacchus, quando illa pro fruge, hic pro vino ponitur.

193. *Stent*, non moveantur, non hostibus inferantur. — *Dracones;* supra N. ad V, 177.

194. *Succumbere*, parere. Ovid. Heroid. III, 91. — *Meis signis*, imperio meo.

195. *Clangore tubarum.* Virgil. Æn. II, 313, et XI, 192.

196. *Molle canant. Molle canere* non solum canticis militaribus oppositum est, sed proprie ad celebrandas nuptias pertinet, quæ carmina

Excubias, mediis spirent crateres in armis.
Laxet terribiles majestas regia fastus,
Et sociam plebem non indignata potestas
Confundat turbæ proceres. Solvantur habenis

requirunt, quorum argumenta et amore et voluptate absolvuntur. — *Festum canere* est ita canere, ut religioni et solennitati cujusdam diei accommodatum est. Cæterum puto, *faustum canere*, quod exponi potest: canere, quod boni ominis sit in nuptiis, huic loco æque bene convenire, atque illud prius, nec Burmanno accedere possum, qui *festum canere* nuptiis proprium esse dicit. Alienus est locus Ovid. Met. V, 3, quem laudat; non enim eodem redit *conjugialia festa canere*, et *festum canere*: illud est, cantu festa celebrare; hoc, festorum solennitati apte canere. — *Epulentur ad ipsas Excubias*, id est, non rebus bellicis curam intendant, hostemque cogitent, sed epulis vinoque toti vacent, tantaque sit eorum securitas, ut vel ad ipsas excubias, in stationibus ipsis, genio indulgeant.

197. *Spirent.* Sæpe *spirare* absolute poni, observat Burmannus. Accuratius autem dixeris, quando *spirare* idem significet, quod *vivere*, animam emittere, accusativum nullum locum habere posse; loca autem, ubi *spirare* illam vim habet, satis obvia sunt. Inde significationem trahit τοῦ emittere Lucret. VI, 890, et τοῦ æstuare Virgil. Georg. I, 327. Vid. Heins. ad Virgil. Æn. X, 291. Posterior potestas huic loco convenit. Etiam Nostrates dicunt: *der Becher schäumt*, *brauset*. Burmannus sic: Crateres spirant, ubi fragrat vinum, et odorem spargit. Eodem modo Gesnerus, qui laudat Spanhem. ad Aristophan. Plut. 809. — *Armis*, castris.

198. *Laxet terribiles fastus. Fastus* h. l. est conscientia fastigii supra res humanas pæne elati, in quo collocatos esse Imperatores, et qui proximum ab illis locum obtinerent, et ipsi credebant, et credi volebant; quæ conscientia et ipsos a reliquorum commerciis retinebat, et aliis summam reverentiam, vel terrorem adeo inspirabat. Hic itaque nihil vitii aut opprobrii illa vox habet, sed res significatur regiæ et procerum dignitati apta et conveniens, quæ legibus etiam erat sancta. — *Laxare* autem *fastus* eadem ratione dicitur, qua *laxare iram*, Stat. Theb. VI, 831, et *laxare temeritatem*, Petron. 82, pro, remittere. Sensus: paullum descendat majestas regia a summo dignitatis suæ fastigio, ne communis lætitia majestatis reverentia turbetur aut coerceatur.

199. *Potestas*, dignitas, qua proceres induti sunt. Burmannus Imperatorem intelligit. — *Sociam plebem*, id est, lætitiæ participem.

200. *Confundat turbæ proceres.* Sensus: nec dignitas procerum prohibeat, quominus plebem lætitiæ participem assumant ordinum discrimine remoto. — *Solvantur habenis Gaudia.* Nihil sit, quod gaudia coerceat, quominus effusa sint. Virgil. Æn. XII, 499. Conf. Stat. Silv. I, 2, 233 sqq.

Gaudia, nec leges pudeat ridere severas.
Tu festas, Hymenæe, faces; tu, Gratia, flores
Elige: tu geminas, Concordia, necte coronas.

201. *Nec leges pudeat ridere severas.* Vel leges in hac communi lætitia paullum a severitate remittant, nec curent, si quid in illa genio indulgentium turba justo plus sibi licentia arroget. Hanc legum facilitatem egregie exprimit illud *ridere*, qua vel ipsæ publici gaudii participes inducuntur.—*Ridet argento domus:* Hor. lib. IV, Od. II, 6.

202. *Hymenæe. Hymenæus* vel Calliopes, vel Clius, vel Uraniæ filius fuisse dicitur. De ejus parentibus vid. La Cerda ad Virgil. Æn. IV, 99. Cf. Doering ad Catull. LXI, 4. Nuptiis præesse credebatur. — *Festas faces.* Face seu tæda prælata fingebatur virginem ad novum maritum deducere. Eleganter eum inducit in Adonidis morte facem exstinguentem Moschus, Idyll. I, 87 sqq. ubi v. interpp. Ex pinu autem faces nuptiales potissimum factas fuisse, docuit Dempst. ad Senec. Med. 37. Cf. Catull. l. c. 3. — *Gratia.* Stat. Silv. I, 2, 19 sqq.

.... nec blandus Amor, nec Gratia cessat
Amplexum niveos optatæ conjugis artus
Floribus innumeris et olenti spargere nimbo.

In Jasonis nuptiis Nymphæ spargebant flores Apollon. Rhod. IV, 1143 sq.

203. *Elige.* Nempe optimos flores. — *Concordia. Concordiæ* tædam tribuit Stat. l. c. 240, ubi Heinsius legit *nodo.* Marklandus ad illum locum quærit, quid Concordiæ cum coronis, quæ Gratiarum partes sunt? Proponit *catenas.* Verum, quum sponsus et sponsa in nuptiis florum coronas gererent, omnesque convivæ iisdem caput cingerent ex ritu sane antiquo Apollon. Rhod. IV, 1158 sq. nescio, cur poetæ non licuerit plectendarum coronarum munus Concordiæ tradere, etiamsi id nemo ante eum fecerit. Mihi quidem hoc videtur pulcherrimum phantasma; Gratia, venustatis dea, eligit flores, et Concordia in lætissimum connubii auspicium nectit ex illis sponso et sponsæ coronas, quibus capiti imponendis matrimonii ineundi initium faustissimum capiant. Gesnerus non duas tantum, sed ex duabus textas virgulis, ut sint conjugii symbolum, coronas intelligit, cujus modi in nummis frequenter sibi deprehendisse videtur, et apud Cornel. in Thrasybul. cap. 4. Verum omnes coronæ ex virgulis sive oleaginis, sive aliis quibuscunque ex duabus constabant, nec, quod equidem sciam, ullam symbolicam rationem habebant. Probandum quoque fuisset aliunde, hujus modi coronarum in nuptiis usum fuisse. Aliæ Concordiæ vices sunt in Patric. Epithal. v. 85 sqq. Poet. lat. min. t. IV, p. II:

Ales at e medio revolans Concordia cœtu
Jungere nunc dextras, nunc oscula pangere mandat,
Primaque perpetuis mysteria tradere curis.

Ceterum apud Græcos corona illa vocabatur στέφος γαμήλιον, Bion. Idyll. I, 88. Cf. Schol. Aristoph. Aves, 160, et Euripid. Iphig. in Aul. 905. Vide omnino Paschalium de Coron. II, 16.

Vos, pennata cohors, quocunque vocaverit usus,
Divisa properate manu, nec marceat ulla
Segnities: alii, funalibus ordine ductis,
Plurima venturæ suspendite lumina nocti:
Hi nostra nitidos postes obducere myrto
Contendant; pars nectarcis adspergite tecta
Fontibus, et flamma lucos adolete Sabæos;

204. *Pennata.* Cf. ad XXXI, 10.

205. *Divisa... manu,* sc. ut alii alia curetis. — *Nec marceat ulla Segnities.* Nove dictum existimat Burmannus pro: *nec marceat ullus Segnitie*, ad vitandum hiatum. Sed doctius expressit Noster vulgare: ne sit ulla segnities; pro *sit*, posuit *marceat*, accommodate ad naturam segnitiei.

206, 207. *Funalibus ordine ductis.* Gesnerus animadvertit *funalia* h. l. non esse funes stuppeos cera obductos, nec candelabra, πολύμυξα, seu lychnuchos (ut forte apud Ovid. Met. XII, 246 sqq.), sed funes seu catenas, certo ordine, lineis directis, incurvis, circularibus ductas, a quibus penderent lampades. Hoc ex *ductis* et *suspendite* probare conatur. Confirmari hoc potest ex Stat. Theb. I, 520 sqq.

Ast alii tenebras et opacam vincere noctem
Aggressi, tendunt auratis vincula lychnis;

et S. Paullin. Nat. Felic. apud Gonsalium ad Petron. 30:

In ligno mentitur ebur, tectoque superne
Pendentes lychni spiris retinentur ahenis,
Et medio in vacuo laxis vaga lumina nutant
Funibus, undantes flammas levis aura fatigat.

Funalia etiam funes esse probavit Gesnerus ex Liv. XLII, 65. Sed et candelabra *ordine ducta* dici possunt, quæ funibus seu catenis ductis suspensa sunt. Isidor. XX, 10: « Funalia erant candelabra, exstantes stimulos habentia, quibus funiculi cera vel hujusmodi alimento luminis obliti figebantur. » Eadem fere habet Servius ad Virgil. Æn. I, 726. — *Lumina* lychni h. l. videntur esse.

208. *Nitidos postes.* Ad ritum nuptiarum antiquum forte spectat quo postes, a novis nuptis, adipe lupino aut unguento ungerentur. Plin. H. N. XXVIII. sect. 37; ibi v. Harduin. Servius ad Virgil. Æn. IV, 458. — *Nostra myrto.* Frondibus et corollis postes in nuptiis exornabantur. Juvenal. VI, 79 et 227. Nost. infra XLVIII, 28 sqq. Pollux III, 3. Cf. Lucan. II, 354 sqq. qui plures nuptiarum ritus tangit. — *Nostra*; nam Veneri sacra erat myrtus.

209, 210. *Nectareis adspergite... Fontibus.* Nuptiarum die domus novi mariti omni genere odorum vel liquidorum et sparsorum, vel crematorum, implebatur. Catull. LXVIII, 143 sqq. — *Adolete*, incendite. — *Lucos Sabæos*, thus, quod solum in Saba, Arabiæ Felicis regione, in frutice, quem putant juniperum Phœniceam Lin. esse, nascebatur. Virgil. Georg. I, 57; II, 117. Plin. H. N. XII, sect. 30 sq. — *Lucos*, indicat abundantiam thuris.

Pars infecta croco velamina lutea Serum
Pandite, Sidoniasque solo prosternite vestes.
Ast alii thalamum docto componite textu.
Stamine gemmato, picturatisque columnis
Ædificetur apex; qualem non Lydia dives
Erexit Pelopi, nec quem struxere Lyæo

211. *Velamina*. Velaminum et aulæorum, quibus parietes vestiebantur, frequens tunc temporis usus erat. — *Serum*; cf. N. ad I, 179. — *Infecta*, tincta. — *Croco*. Videtur hic color in nuptiis præcipue adhibitus fuisse. La Cerda ad Virgil. Eclog. II, 50. Broukh. ad Tibull. I, 7, 64. Valer. Flacc. VIII, 234 sqq. Quem colorem describit Ovid. A. A. III, 179 sq. Apud Ovid. Heroid. XXI, 162, nova nupta induta est lutea palla, quam tamen flammeolum esse Mycillus putat. — *Sidonias vestes*, stragulas purpureas.

213. *Thalamum* h. l. λέκτρον γαμικὸν, νυμφίδιον, torus genialis. — *Docto textu*. Lectulus sterni solebat veste purpurea acu artificiose picta. Huc pertinet illud *docto*. Vestem stragulam hujusmodi figuris intextis describit Catull. LXIV, 47 sqq.

214. *Stamine gemmato*. Gesnerus intelligit stemmata, sertas, seu funiculos, quibus inserti sunt fruges, fructus, folia, gemmis intermicantibus (*guirlandes*, *festons*); verum illa vix *stamina gemmata* dici possunt. Et quid sibi volunt gemmæ inter flores et folia? Sed. v. ad VIII, 595 sqq. Velamenta potius intelligenda sunt gemmis exornata, et e columnis, quæ apicem portant, suspensa. — *Picturatis*. Non coloribus obductas intelligo, sed opere tesselato, seu de marmore maculis distincto, Senec. Thyest. 647. Fieri tamen non potest, ut accuratam hujus thalami imaginem, qualis poetæ oculis forsan obversaretur, exhibeamus; nec locis ex aliis scriptoribus congestis quidquam proficitur, quum et thalamus ad illas res pertineat, quarum ratio pro locorum et temporum diversitate diversissima procul dubio fuerit. In Claudiano difficilior res expeditu est, quum sæpe nescias, utrum suæ ætatis ritus et mores, an tempora antiquiora spectarit, unde sæpissime colores ad sui temporis res exornandas mutuatur.

215, 216. *Apex*, fastigium thalami. — *Qualem non Lydia dives Erexit Pelopi*; scil. Pelopis thalamo. Pelops, Tantali filius, erat ex Phrygia: quid igitur *Lydia* h. l. sibi vult? Et, etiamsi sumas *Lydiam* latiori sensu esse positam (vocatur etiam Λυδὸς Pelops apud Pindar. Olymp. I, 37), difficultas tamen nullo modo tollitur. Pelopem in Phrygia seu Lydia uxorem duxisse, nusquam legitur, et, si nuptiæ ejus cum Hippodamia, Œnomai regis filia, intelliguntur, quæ in Elide celebratæ sunt, quomodo Lydia thalamum ejus exstruxisse dici potest? Num contra antiquitatis fidem. Noster rem finxit, an fabulam secutus est, quam nunc

Indorum spoliis et opaco palmite Bacchæ.
Illic exuvias omnes cumulate parentum,
Quidquid avus senior Mauro vel Saxone victis,
Quidquid ab innumeris, socio Stilichone tremendus,
Quæsivit genitor bellis, quodcunque Gelonus
Armeniusve dedit, quantum crinita sagittis
Attulit extremo Meroe circumflua Nilo,
Misit Achæmenio quidquid de Tigride Medus,
Quum supplex emeret Romanam Parthia pacem.
Nobilibus gazis opibusque cubilia surgant
Barbaricis: omnes thalamo conferte triumphos.»

nos ignoramus? an sub *Lydia* divitiæ et opes intelligendæ sunt, quas ex Phrygia secum abduxerit Pelops? Cf. Horat. Od. II, 12, 22. Miror sane interpretes hunc locum sicco pede transiisse.—*Lyæo*. Num, quum Ariadnen in Naxo insula a Theseo relictam in matrimonium duceret?

218. *Exuvias*, prædam.

219. *Avus senior*, Theodosius Comes.—*Mauro vel Saxone*; cf. supra VIII, 24 sqq.

220. *Socio Stilichone*. Hujus laudes cum laudibus Theodosii M. et Honorii semper miscet.

222, 223. *Crinita sagittis*; cf. supra N. ad VII, 21.

224. *Achæmenio*, ab Achæmenia, Persiæ regione. Cf. Herodot. VII, 11; Horat. Od. II, 12, 21; ibi v. Jani; Ammian. Marcell. XIX, 4.

225. *Quum supplex emeret...pacem.* Respicit Noster procul dubio legationem, quam Saporus III, Persarum rex, ad pacem petendam Constantinopolim misisse dicitur Richomore et Clearcho coss. A. C. 384. Cf. Fast. Idal. h. a. Marcell. Chron. h. a. Oros. VII, 34. Pacat. in Panegyr. Vet. XII, 22, 5: «Denique ipse ille rex ejus (Persidis) dedignatus antea confiteri hominem, jam fatetur timorem, et in his te colit templis, in quibus colitur; tum legatione mittenda, gemmis sericoque præbendo, ad hoc triumphalibus belluis in tua esseda suggerendis; etsi adhuc non est fœderatus, jam tamen tuis cultibus tributarius est.» Quis non sentit, quantopere res in majus sit elata?

226, 227. *Cubilia surgant*, nihil amplius puto, quam cubilia exstruantur. *Surgere* omnia ratione poetica dicuntur, quæ in altum struuntur, seu ædificantur, ut mœnia, turres, et h. l. *cubilia*, seu thalamus. Cf. supra III, 211. Gesnerus *surgant* ad acervos refert, ut in tanta opum multitudine non juxta se poni explicarique possint omnia, sed exstruantur in acervos. Barthius Bulengerum de triumpho, cap. I, secutus de spoliis hostium cogitat, quibus thalamus exornatus sit. Utriusque ratio mihi displicet. — *Triumphos*, opes bellis feliciter gestis quæsitas.

Sic ait, et sponsæ petit improvisa penates.
Illa autem, secura tori, tædasque parari
Nescia, divinæ fruitur sermone parentis,
Maternosque bibit mores, exemplaque discit
Prisca pudicitiæ, Latios nec volvere libros
Desinit, aut Graios, ipsa genitrice magistra,
Mæonius quæcunque senex, aut Thracius Orpheus,
Aut Mitylenæo modulatur pectine Sappho.
Sic Triviam Latona monet; sic mitis in antro
Mnemosyne docili tradit præcepta Thaliæ.

Gesner. etiam supellectilem pretiosam, tabulas pictas, statuas, quæ in triumpho portata aut vecta sunt, intelligit. Minus bene. — *Thalamo conferte*, i. e. in thalamo exstruendo et exornando consumite.

228. *Improvisa*, de improviso.

229. *Securæ tori*. Recte Gesnerus: nihil minus tum curans, quam torum, seu nuptias. — *Tædasque*, supra III, 83.

230. *Divinæ parentis*, Serenæ, filia adoptiva Theodosii M. — *Fruitur*, cum delectu: instituebatur enim matris sermonibus.

231. *Bibit mores*. Ductum a lana, quæ bibit colores, Ovid. A. A. III, 187 sq. ad animum translatum est, qui induit mores maternos.

233. *Magistra*, interprete legere.

234. *Mæonius*. Ovid. Trist. I, 6, 21 sq. Horat. Od. IV, 9, 5. Homerus a Mæone patre, vel potius a patria Colophone, sive Smyrna, oppidis Mæoniæ seu Lydiæ.

235. *Mitylenæo pectine*. Mitylene, Lesbi urbs, unde Sappho. Mosch. Idyll. III, 93 sq. Gesnerus dubitat, an Sappho hic commode interponatur, quum Dio Chrysost. in orat. de Regno II, pag. 24, neget, decere reges Anacreontis aut Sapphus carmina canere. Quidni licuit Nostro ab illius judicio discedere?

236. *Triviam*, Dianam, quæ in triviis colebatur. Spanhem. ad Callim. H. in Dian. 28. Cæterum deorum exemplis sæpe utitur Noster, quando de parentibus et liberis sermo est, licentiæque, quam recentiores poetæ frequentius pæne quam antiquiores sibi sumunt, in variandis atque adeo fingendis mythis interdum indulget. — *Mitis*, Musarum matri aptum epith. Ἠδυεπής vocatur ab Orph. Hym. 76, 6. Immerito *mitis* Barthio suspectum fuit: exprimit enim disciplinæ rationem, quæ pendet a miti docentis ingenio, quale Serenæ fuisse hac comparatione Noster docet. — *Antro*. Musæ enim montes habitant.

237. *Mnemosyne*, matre Musarum, quia omnis rerum scientia memoria nititur, Plutarch. de Liber. educ. c. 13, T. VII. ed. Hutt. Cf. Diodor. Sicul. V, 67. Docta est fictio et ingeniosa, Jovem serpentis, quæ prudentiæ symbolum erat, specie induta ex Mnemosyne procreasse Musas. Sidon. Apol. Carm. XV, 174 sqq.

Quum procul augeri nitor, et jucundior aer
Attonitam lustrare domum, fundique comarum
Gratus odor: mox vera fides, numenque refulsit.
Cunctatur stupefacta Venus: nunc ora puellæ,
Nunc flavam niveo miratur vertice matrem.

238. *Quum procul augeri* etc. Pertinet ad ea, quibus deorum præsentia arguitur. Heyne in Excursu XIII ad Virgil. Æn. I. Sil. Italic. VII, 467 sqq.

Adfulsit vultu ridens Venus: omnia circa
Et nemora et penitus frondosis rupibus antra
Spirantem sacro traxerunt vertice odorem.

— *Procul*, antequam Venus ipsa in conspectu esset, ita ut ille nitor Venerem longo intervallo præcederet. Ille *nitor* explicatur sequenti *jucundior aer*; i. e. lumen, seu splendor solito jucundior.

239. *Lustrare* hic pro, illustrare. Burmann. ad Grat. Cyneg. 221. — *Attonitam domum*, homines subito fulgore stupentes. Ex Veneris natura et ratione illa sumpta sunt; cf. Lucr. I, 8 sq. Ovid. Fast. VI, 5 sq.

240. *Comarum Gratus odor.* Etiam odor ambrosiæ, qua Veneris comæ erant delibutæ, totam domum implebat, deæque adventantia quasi nuncius erat. Illo odore se manifestat apud Virgil. Æn. I, 402 sq. Compara Sil. Italic. l. c. Ovid. Fast. V, 376 sqq. Stat. Silv. I, 3, 11 sq. — *Mox vera fides*, eodem sensu, quo apud Virgil. Æn. III, 309, *manifesta fides*, pro vulgari: mox manifesta res erat. — *Numenque refulsit*, ornatius, quam, adparuit, quoniam dii, insolito aliquo splendore ipsos ambiente, in conspectum venire solent. Virg. Æneid. II, 590, de Venere per noctem *refulgente*.

241. *Cunctatur stupefacta Venus.* Efficacius pulchritudo et venustas et Serenæ matris et Mariæ filiæ exprimi non poterat. Dea ipsa pulchritudinis et venustatis admiratione illarum adeo abripitur, adeoque animo et oculis in illis contemplandis hæret, ut aliquamdiu, quo consilio venerit, obliviscatur, tempusque in pascendis oculis consumat. Effectu sic pulchritudinem alia ratione, sed simplicitate divina descripsit Homer. Il. γ, 154 sqq.

242. *Nunc flavam niveo miratur vertice matrem.* Hic versus omnes, quos equidem inspicere potui, interpretes mirifice torsit. *Flava mater* nihil aliud esse potest quam mater flavis capillis, ut epithet. hoc sensu apud poetas sexcenties occurrit. Verum, quid facies de *niveo vertice*? Si de coma hoc omnino intelligendum est, corruptum se esse versus ipse clamat, quod contraria conjungit. Omnes quoque critici ad medicinam loco laboranti faciendam prompti erant. Barthius, quasi rebus desperatis, audaciora remedia adhibet, ita legens: *nunc ora puellæ Flammea, nunc niveo miratur vertice matrem.* Sed pulchritudo matris a *niveo vertice* vix potest laudari, nec probabile est, eam jam canos capillos habuisse, quum filiam haberet tenellam. Heinsius proponit *rutilo vertice*, rejiciens lectorem ad ea, quæ notavit ad Ovid. Met.

Hæc modo crescenti, plenæ par altera lunæ.
Assurgit ceu forte minor sub matre virenti
Laurus, et ingentes ramos, olimque futuras
Promittit jam parva comas; vel flore sub uno

V, 440. Non autem, existimo, Claudianum τῷ *flavam matrem* explicandi gratia adjecisse *rutilo vertice*, ne quis lector flavam in alium sensum detorqueret, quum vis illius vocis apud omnes fere poetas sit frequentissima. Gesnerus epitheta permutanda censet, locumque ita legendum :

Nunc flava niveam miratur vertice matrem.

Vix autem intelligas, quæ intemperies librarios adegerit, ut locum hunc tamperspicuum, conspiratione quasi inter se facta, lectoribus permutatione epithet. obscurum redderent, quum illa ab ipso poeta proficisci non potuerit. Duæ conjecturæ Burmannianæ mihi non magis probantur, quarum tamen posteriori loco proposita, *flavam nitido* melior videtur esse priori : *nunc gnavam niveo*. Persuasum mihi habeo, si versus corruptela laborat, vitium non in *niveo*, sed in *vertice* latere, quia *niveus* color cum *flavo* et ab aliis sæpe, et a Nostro conjungitur infra XXX, 125 sqq. Difficultas nulla esset, si *vertex* pro toto capite sumi posset, adeo ut *niveo* corporis colorem indicaret; verum enim vero, usus ejus vocis hoc sensu, addito præsertim ejusmodi epitheto, quod totum corpus spectat, nimis insolens merito judicabitur. Potest autem fieri, ut *verticem niveum* appellet poeta a velamento capitis, fascia, mitra alba, qua color comarum flavus illustrior etiam redditur. Serv. ad Virg. Æn. VII, 403, notat vittas crinales solarum matronarum fuisse, usumque earum meretricibus non fuisse concessum. Cf. Catul. LXIV, 63; Ovid. Metam. II, 413; IV, 6; V, 617; Broukh. ad Tibull. I, 6, 67 sq. Aristænet. I, 19: κόμην ἀφελῶς πεπλοκισμένην· καλύπτραν ἐπ' αὐτῆς εὖ μάλα σεμνήν. Et ille niveus capitis cultus non solum pulchritudini imaginis, quam adumbrat poeta, inservire, sed etiam modestum matronæ habitum indicare videtur.

243. *Hæc modo crescenti* etc. Suavis comparatio vultus nitentis cum luna sæpenumero facta est poetis. Homer. Hymn. in Vener. 89 sq. Musæus in Her. et Leandr. 55 sqq. Broukh. ad Tibull. III, 4, 29. Horat. Od. II, 5, 18 sq. Senec. Hippolyt. 743 sqq. Burmann. ad Petron. 127. Plura Barth. ad h. l.

244. *Assurgit* elegantius quam crescit. Verum comparationem cum lauru non inter felicissimas puto censendam. Eam tamen exornavit Coripp. in laud. Just. II, 78 sqq.

Arboris at matris quæ de radice propago
Nascitur, et celsis caput erigit ardua ramis,
Æquiparatque novis maternæ frondibus umbræ;
At mater proprio florentem germine natam
Gaudet habere parem, lætaque attollit in auras
Felices ramos, et vertice despicit arva.

246. *Promittit* h. l. spem facit. Ovid. Met. III, 603. Nemesian. Cyn. 163. — *Comas*, frondes; Sil. Italic. IV, 682. Sic etiam apud Græcos. V. Spanhem. ad Callim. H. in Del. 81. Anacreont. XXII, 3. — *Flore sub uno*, i. e. una flo-

Ceu geminæ Pæstana rosæ per jugera regnant,
Hæc largo matura die, saturataque vernis
Roribus indulget spatio, latet altera nodo,
Nec teneris audet foliis admittere soles.
Adstitit, et blande Mariam Cytherea salutat:
« Salve, sidereæ proles Augusta Serenæ,

rentes, seu eodem tempore uno loco florentes, ut Gesn. explicat.

247. *Regnant*, ita florent, ut pulchritudine inter reliquas longe emineant.—*Pæstana per jugera*. De *Pæsto*, seu *Posidonia*, V. Ruperti ad Sil. Italic. VIII, 579. Rosarum pulchritudine et copia apud poetas præcipue insignis fuit. V. La Cerda ad Virgil. Georg. IV, 119.

248. *Matura*, perfecta, foliis plene explicatis.—*Largo die*. Amœnitas summa, quam nacta est rosa paullatim ab eo tempore, quo in nodo adhuc lateret, usque ad id tempus, quo summa ejus pulchritudo oculis exponeretur, donum facit poeta spatii hujus præterlapsi; inde epith. *largo* interpretandum est.—*Vernis Roribus*, qui producere, alere et aperire rosas dicuntur, Auson. Idyll. XIV, 11 sqq.

249. *Indulget spatio* ornatius quam, amplitudo ejus crescit, seu laxior fit. Delectatur quasi aucta amplitudine. Simile aliquid est apud Virgil. Georg. II, 277, ubi v. Heyne. Cf. Auson. l. c. 29 sqq. Cum hujusmodi rosa Serena mater comparatur, et filia cum illa, quæ *latet nodo*, complicatis adhuc foliis. Roseo colore sæpe utuntur poetæ ad feminarum pulchritudinem describendam, Cf. Musæum de H. et Lean. 59 sqq. Apud Anacreont. LII, 20 sqq. ubi v. 30 sqq. origo rosæ fingitur, aliter apud Bion. Idyll. I, 66.

250. Rosæ complicatis adhuc in nodo foliis pudor puellaris adscribitur, quo non audet se oculis virorum cupidis exponere. Venustum hoc phantasma plane Barthius jugulat, quum argutatur in voce *admittit*, et de admissario cogitat. Pudor autem illi nodo tribuitur, quia rubor, pudoris signum, in eo maxime conspicitur. Pervigil. Vener. v. 25, Poet. lat. m. t. III:

Cras ruborem, qui latebat veste tectus ignea,
Unico marita nodo non pudebit solvere.

—*Soles*, solis radios.

251 sqq. Exponit Venus causam adventus sui, ut Mariam, propter præstantem corporis formam regio matrimonio dignissimam, Honorio jungeret.—*Sidereæ*. i. e. splendidæ, pulchræ. A Nostro sæpius vel Imperatoribus hoc epith. datur, vel iis, qui cognatione illos adtingunt, exprimitque fulgorem quemdam, et nimbum, qui divina illorum ora ambit, referrique potest omnino ad pulchritudinem, sed humana majorem. Cf. Apollon. Rhod. II, 40 sqq. Heins. et Burmann. ad Valer. Flacc. IV, 190; V, 467; VIII, 26. Cum astris heroes comparantur Homer. Il. ζ, 401; Pind. Isth. IV, 39 sqq. *Sidereæ*, divinæ, eximiæ. Sil. Italic. II, 696 sqq.

Magnorum soboles regum, pariturаque reges.
Te propter Paphias sedes Cyprumque reliqui;
Te propter libuit tantos explere labores,
Et tantum tranasse maris, ne vilior ultra
Privatos paterere lares, neu tempore longo
Dilatos juvenis nutriret Honorius ignes.
Accipe fortunam generis; diadema resume,
Quod tribuas natis; et in hæc penetralia rursus,
Unde parens progressa, redi. Fac nulla subesse
Vincula cognatæ; quamvis aliena fuisses
Principibus: regnum poteras hoc ore mereri.

253. *Magnorum soboles regum.* Respicit originem Theodosii a Trajano ductam.

254. Burmannus comparat Virgil. Æn. IV, 320 sqq. ubi idem orationis color est. — *Sedes* sæpissime de loco dicitur, ubi dii coluntur. Vide Burmann. ad Ovid. Met. X, 229; Virgil. Æn. I, 681.

255. *Explere*, perficere, usque ad finem sustinere. — *Tantum laboris*, ut in uno scripto est, Heinsius elegantius putat; sed v. Virgil. Æn. III, 368.

256. *Vilior.* Bene Gesnerus observat, poetam hac voce voluisse exaggerare fastigium domus Augustæ, et præsertim Honorii majestatem. Quibus etiam addas: sub Imperatoribus præsertim serioris temporis, ubi adulatio nec finem nec modum noverat, hominibus in certos ordines redactis, quorum sua cuique honoris verba assignata erant, quibus variæ dignitates in sermone honorarentur, multas voces propriam vim et potestatem amisisse, ita ut eæ, quæ homines supra humanam sortem extollere viderentur, invidiam amitterent consuetudine ipsa, et in sonos inanes abirent; quæ contra illos deprimerent, turpitudine liberarentur.

257. *Privatos paterere l.* in domo privata maneres. — *Paterere*, quasi indignum aliquid.

258. *Nutriret.* Virgil. Æn. IV, 2.

259. *Accipe fortunam generis.* Burmannus dubitat, an hæc Mariæ decenter dicantur. Verum non genere augusto, sed imperatoria dignitate inferiorem Mariam poeta agnoscit, et agnoscere debuit; quare nihil opus est Burmanni conjectura: Auspice fortuna generis diadema resume, quæ vix ex mente poetæ esse videtur. *Fortuna generis* h. l. est imperatoria dignitas generi debita, ut Barthius recte interpretatus est. Idem, sed aliter, exprimunt sequentia, *diadema resume.* Imperatoriam enim dignitatem Serena mater, filia adoptiva Theodosii M., amisit, quodammodo, quum Stilichoni privato nuberet; hoc innuitur per: *unde parens progressa.*

262. *Cognatæ*, cas. tert.

263. *Hoc ore.* Δικτικῶς.

Quæ propior sceptris facies? quis dignior aula
Vultus erat? Non labra rosæ, non colla pruinæ,
Non crines æquant violæ; non lumina flammæ.
Quam juncto leviter sese discrimine confert
Umbra supercilii! miscet quam justa ruborem
Temperies! nimio nec sanguine candor abundat.
Auroræ vincis digitos, humerosque Dianæ.
Ipsam jam superas matrem. Si Bacchus amator

264. *Propior*, throno dignior, aptior.

265, 266. *Violæ*. De nigris violis Gesnerus interpretatur Virg. Eglog. X, 39, dicitque, capillos valde et splendide nigricantes aliquid de colore violaceo trahere. Verum nigri crines non valde tunc temporis in honore erant, ita ut feminæ, quæ eos haberent, capillis adscititiis uterentur, aut arte colorem mutare studerent. Ego luteas violas respici puto; v. Martyn. ad Virgil. Eclog. II, 47. Cæterum hujusmodi comparationes sæpe apud poetas occurrunt. Ovid. Amor. III, 7, 7 sqq. Propert. II, 2, 19 sqq. Virgil. Æn. XII, 67 sqq. Tibull. III, 4, 29 sqq. Musæus H. et Leand. 55 sqq. Burmann. Antholog. lat. t. I, p. 697. — *Non lumina flammæ*, ὄμματα μαρμαίροντα Homeri (Il. γ, 379) intelligit. Tibull. IV, 2, 5 sq.

Illius ex oculis, quum vult exurere divos,
Accendit geminas lampadas acer Amor.

Cf. Ovid. Amor. III, 3, 9; Martial. IV, 42, 5 sqq.

267, 268. *Umbra supercilii*, supercilia, *confert leviter sese juncto discrimine;* nec nimis magno spatio inter se disjuncta, nec plane mixta sunt. Ad pulchritudinem hoc veteres referebant. Anacreon. XXVIII, 13 sqq. Petron. 126: « Supercilia usque ad malarum scripturam currentia, et rursus confinio luminum pæne permixta. » Quod nisi naturæ dono puellis esset, ars adhibebatur. Ovid. A. A. III, 201 sq. Ad coloranda et infuscanda supercilia, atque ad raritatem eorum emendandam, utebantur ursino adipe, et lucernarum fuligine, Plin. H. N. XXVIII, cap. 11, etiam formicarum ovis cum muscis tritis; id. XXX, cap. 15. Cf. Juvenal. II, 93 sqq. *Supercilia* in Junonis tutela esse veteres putabant, quod iis protegerentur oculi per quos fruimur luce, quam tribuit Juno, unde Lucina dicta fuit. En. — *Miscet;* sc. candido. Ovid. Heroid. XXI, 217 sq.

270. *Auroræ digitos*. Notum est Homeri ῥοδοδάκτυλος Ἠώς. — *Humerosque Dianæ*. Ad proceram Mariæ staturam Gesnerus illud refert, laudans Virg. Æn. I, 500, et Ovid. Met. III, 182 sq. Sed quanta statura tum debuit Serena mater esse, cf. supra v. 244 sqq. Equidem puto, non humeros h. l. proprie, sed totam superiorem corporis partem intelligi, præsertim pectus, cujus cum pectore Dianæ comparatione summa pulchritudo innuitur, qualis in virginibus solet esse. Confer. Hom. H. in Ven. 89 sqq. — *Superas*, non statura sed pulchritudine.

Dotali potuit cælum signare Corona,
Cur nullis virgo redimitur pulchrior astris?
Jam tibi molitur stellantia serta Bootes,
Inque decus Mariæ jam sidera parturit æther.
I digno nectenda viro, tantique per orbem
Consors imperii! Jam te venerabitur Ister;
Nomen adorabunt populi; jam Rhenus, et Albis
Serviet; in medios ibis regina Sicambros.

272. *Dotali.... corona.* Variæ fuerunt narrationes veterum de Ariadne Minois, Cretæ regis, filia, quarum illam Noster secutus esse videtur, secundum quam Bacchus, ut Ariadnen sibi conciliaret, votisque suis facilem redderet, coronam a Vulcano ex auro gemmisque affabre factam, dono illi dedit, eamdemque, ut Ariadne *perenni sidere clara foret*, inter stellas retulit. Ovid. Met. VIII, 177 sqq. Fast. III; 511 sqq. Coronam describit Manil. Astr. V, 250 sqq. Sunt quidem duæ coronæ; altera borealis juxta Booten seu Arctophylacta; altera australis ante pedes Centauri, quam posteriorem nemo, quod sciam, Ariadnes esse dixit. — *Dotali*, in dotem data; vid. infra vs. 281; Virgilius Æneid. IV, 104, et VII, 418; Ovidius Fast. V, 209; VI, 593. Ed.

273. *Pulchrior*, sc. quam Ariadne. — *Redimitur*, cingitur. — *Astris*, corona ex astris, qualis Ariadnes est. Cave hunc sensum verbis subesse existimes: cur deorum nemo Mariam, ut Bacchus Ariadnen, cælesti illo honore sibi devinxit? Non enim in mentem venire potuit poetæ, ut Honorium Augustulum infra deos poneret. Sed mirabundam Venerem induxit, ut pulchritudinem Mariæ extolleret, cur illa eodem honore non adficiatur, quem Ariadne, propter pulchritudinem suam, sit consecuta?

274. Jam se quasi revocans dicit; hoc maxime nunc fieri, quod, cur non fieret, mirata sit. — *Jam tibi molitur*, etc i. e. ecce Bootes jam tibi nectit coronam: qui scilicet suum esse putat, hoc dono Mariæ pulchritudinem agnoscere, atque illo officio Honorii gratiam demereri. Verum stellæ, quas quidem veteres nudis oculis videre poterant, signis cælestibus in illa plaga jam erant occupatæ. Hoc peperit versum sequentem.

275. Novæ jam parantur stellæ. — *Parturit æther.* Quoniam æther ignis est; unde quoque ex opinione quorumdam veterum stellæ sunt formatæ. Cf. Stobæum in Eclog. physic. I, 25. — *Decus*, honorem.

277 ... 279. *Ister.* Barbaros intelligit ad borealem Istri ripam habitantes. Cæterum per gradus assurgit, *venerabitur, adorabunt, serviet.* — *Sicambros*; v. N. ad VIII, 446, ut ferocissimi et indomiti nominantur. — *Ibis regina*; pompam regalem et triumphantem indicat. Barth. ad Stat. Theb. II, 361, qui laudat Valer. Flacc. III, 23 sqq. et sua Advers. X, 9; CXLVII, 17.

Quid numerem gentes, Atlanteosque recessus
Oceani? toto pariter dotabere mundo. »
Dixit, et ornatus, dederant quos nuper ovantes
Nereides, collo membrisque micantibus aptat.
Ipsa caput distinguit acu, substringit amictus;
Flammea virgineis accommodat ipsa capillis.
Ante fores jam pompa sonat, pilentaque sacram
Præradiant ductura nurum. Calet obvius ire
Jam princeps, tardumque cupit discedere solem.
Nobilis haud aliter sonipes, quem primus amoris
Sollicitavit odor, tumidus, quatiensque decoras

280, 281. *Atlanteosque recessus Oceani.* Intelliguntur ultima Hispaniæ, et Africæ ora maritima. *Atlanteos* dictum pro, occidentales, quia Atlas mons est, quem veteres in extrema occidentali plaga ponebant. — *Mundo*, orbe terrarum. In rebus augendis Noster statera non utitur, sed semper fere extrema sectatur.

282. *Ornatus.* Cf. supra 165 sqq. — *Ovantes.* Supra 172 sqq.

283. *Membris micantibus.* Gesnerus explicat : præ admiratione et gaudio trepidantibus. Equidem malim *micantibus* ad ipsum ornatum trahere, quo decorabantur membra, aut ad pulchritudinem eorum. Stat. Silv. I, 2, 141, *siderei artus Veneris.*

284. *Acu*, sc. crinali, quo capillorum flexus in vertice retinebantur. Martial. XIV, 24.—*Substringit amictus.* De cingulo hoc interpretor, seu zona virginali, quam deinde in thalamo solvebat maritus. Conf. Spanhem. ad Callimach. H. in Jov. 21; Burmann. ad Ovid. Heroid. II, 116; Schrad. ad Musæum v. 272.

285. *Flammea. Flammeum*, vestimenti genus, erat lutei vel flammei coloris, quo virgines nuptiarum die caput operire solebant. Juvenal. VI, 225; ibi vid. Schol. et interpp.

286. *Pompa*, deductura sc. sponsam cum facibus ad ædes novi mariti. — *Pilentaque.* Antiquioribus temporibus apud Romanos pedibus ibant sponsæ, recentioribus vehebantur carpento. Luc. Conv. c. 47, tom. III, p. 450, ed. Reiz. Jam antiquissimis temporibus apud Græcos curru novæ nuptæ ad maritum deducebantur, ut adparet ex Hesiod. Scut. Herc. 279 sq. Sponsæ deductio occurrit quoque apud Homer. Il. σ, 490 sqq. Cf. Polluc. III, 3. —*Sacram nurum;* Augusti sponsam. Cæterum conf. Stat. Silv. lib. I, 2, 229 sqq.

287. *Calet*, ardet, cupit.

288. *Tardumque solem.* Cf. Catull. LXII, sq. Stat. l. c. 217 sqq.

289, 290. *Primus amoris odor.* Honorius vixdum adolescens cum equo comparatur, qui primum sentit amoris stimulos. Pro stimulis posuit poeta *odorem*, quia equarum odore equi ad amorem

Turbata cervice jubas, Pharsalia rura
Pervolat, et notos hinnitu flagitat amnes,
Naribus accensis: mulcet fecunda magistros
Spes gregis, et pulchro gaudent armenta marito.

incenduntur. — *Tumidus*, elatus, ferox.

291. *Turbata cervice*, quod Heinsius recepit pro *curvata*, quamquam hoc meo quidem sensu h. l. melius est. Xenoph. de re equestr. X. 3, 4: Ἐὰν δέ τις διδάξῃ τὸν ἵππον ἐν χαλαρῷ μὲν τῷ χαλινῷ ἱππεύειν, ἄνω δὲ τὸν αὐχένα διαίρειν, ἀπὸ δὲ τῆς κεφαλῆς κυρτοῦσθαι, οὕτως ἂν ἀπεργάζοιτο ποιεῖν τὸν ἵππον, οἵοις περ καὶ αὐτὸς ἥδεταί τε καὶ ἀγάλλεται. Τεκμήριον δὲ, ὅτι τούτοις ἥδεται· ὅταν γὰρ αὖτις θέλῃ παρ' ἵππους, μάλιστα δὲ ὅταν παρὰ θηλείας, τότε αἴρει τε τὸν αὐχένα ἀνωτάτω, καὶ κυρτοῖ μάλιστα τὴν κεφαλὴν γοργούμενος. Accedit, quod *curvata* imaginem equi ferocientis absolutiorem reddat, *turbata* autem jam in *quatiens decoras jubas* lateat. Equus anterioribus pedibus elatis cervicem erigit, caputque ad collum adducit, quo summa cervicis pars curvatur. — *Pharsalia rura*. Pharsalia nobilium equorum mater. Varro de R. R. II, 7, 6. Ex Thessalia etiam erat Alexandri Bucephalus. Plin. H. N. VIII, sect. 64.

292. *Notos amnes*, id est, nota pascua, in quibus educatus est. — *Notos* Heinsium offendit: quærit enim, cur *notos amnes*, quum primum incipiat amare. Responderi autem potest: amoris stimulis, quos primum sentit, ad congregationem aliorum equorum compellitur, ideoque properat ad pascua nota. *Ignotosque*, quod idem proponit, difficilius explicatu est: qui enim potest equus *ignotos amnes flagitare*? Omnia fere loca, quibus utitur ad conjecturam firmandam, aliena ferme sunt.

293. *Naribus accensis*. Cf. supra VIII, 446. Oppian. Halieut. V, 183 sqq. ubi v. 187, θερμὸν δὲ διὰ στόμα κίδναται ἆσθμα. Sil. Italic. XIV, 209. — *Mulcet*, delectat, *fecunda spes gregis*, equus, qui præbet spem, gregem sua opera fecundum fore. Comparationem totius loci cum Hom. Il. ζ, 506 sqq. Virgil. Æn. XI, 493 sqq. aliisque instituit Columna ad Ennii Annal. lib. II; Fragm. Ennii ed. Hessel. p. 47. Cf. La Cerda ad Virg. l. c. Comparatio illa Augusti cum equo generoso veterum poetarum lectoribus neque indigna, neque indecora per se videri potest; verum quod amor principis, quo in virginem pulchram accenditur, cum equo libidine concitato et feroci confertur, habet utique, quo unusquisque offendatur, quandoquidem illa imagine non amor ratione temperatus, homineque dignus, sed libido pingitur bruta et effrenata. Quamquam autem poeta, si enim ad ætatis nostræ politioris sensum exigas, omni excusatione plane destitutus esse videatur, temporum tamen rationi, quibus vixit, aliquid concedendum esse existimo. Pertinet illa imago ad eas, quibus perpetuus poetarum usus, ab antiquissimis temporibus repetitus, dignitatem aliquam con-

Candidus interea positis exercitus armis
Exsultat socerum circa; nec signifer ullus,
Nec miles pluviæ flores dispergere ritu
Cessat, purpureoque ducem perfundere nimbo.
Hæc quoque velati lauro myrtoque canebant:
« Dive parens, seu te complectitur axis Olympi,
Seu colis Elysias, animarum præmia, valles,
En promissa tibi Stilicho jam vota peregit.
Jam gratæ rediere vices. Cunabula pensat,
Acceptum reddit thalamum, natoque reponit,

ciliavit, omnemque turpitudinem abstersit. Græci frequenter puellam cum πώλῳ comparant. Anacr. LIX. Euripid. Hippol. 546; ibi v. Schol. et Valken. Illos secutus est Horat. Od. III, 11, 9 sqq. Inprimis cf. II, 5, 3 sq. qui locus nulla temporum ratione habita magis etiam fastidioso nostræ ætatis judicio culpandus videtur.

295 sqq. Honorio et Maria in nuptiarum adparatu relictis, transit subito Noster in castra, ubi Stilicho versabatur. Inducit milites, fama de Honorii matrimonio accepta, habitu festo lætantes, ducis sui laudes celebrantes, et vota tempori congrua facientes. — *Candidus*, togis indutis; cf. N. ad VIII, 566.

297. *Pluviæ ritu.* Pingit hoc florum sparsionem, copiamque indicat. De hoc more solemni vid. Freinshem. ad Flor. II, 7, 14, eumdemque ad Curt. V, 1, 20; Lips. ad Tacit. Annal. XIV, 61; Casaub. ad Sueton. Ner. 25. Cf. Herodian. IV, 8, 19.

298. *Purpureo.* Ad colores florum vividos et splendentes refero. Tibull. I, 4, 29. — *Nimbus* idem est, quod supra *pluvia*.

299. *Velati lauro myrtoque.* Milites velut in triumpho lauro erant coronati; Martial. VII, 7. Celebrantes autem Imperatoris nuptias myrtum addiderant Veneri sacratam.

300 *Parens.* Theodosium M. appellant mortuum et consecratum. — *Seu te complectitur* etc, id est, sive inter stellas relatus es.

302. *Promissa vota;* quod tu optasti, et quod Stilicho tibi promisit, Mariam Honorio se juncturum.

303. *Jam gratæ rediere vices.* Stilicho acceperat in matrimonium Serenam, quam fratris sui filiam Theodosius adoptaverat; hujus beneficii remunerandi gratia, Stilicho Mariam, ex Serena prognatam, Honorio collocat. Inde quoque explicandum *cunabula pensat.* Theodosius enim, pater adoptivus Serenæ, eam ut verus pater sustulisse cogitatur, ut cum Stilichone eam jungeret; Stilicho Mariam educasse, ut Honorio eam nuptum daret. — *Cunabula* h. l. prima infantis cura, ejusque educatio est, forsan θρεπτήρια.

304, 305. Bis eadem, sed aliis verbis iterat; posterius est explicatio prioris. — *Reponit*, ut Virgil.

Quod dederas genitor. Nunquam te, sancte, pigebit
Judicii, nec te pietas suprema fefellit.
Dignus, quem legeres; dignus, cui pignora tanti
Principis, et rerum commendarentur habenæ.
Dicere nunc possem quæ prælia gesta sub Hæmo,
Quæque cruentarint fumantem Strymona pugnæ;
Quam notus clypeo, quanta vi fulminet hostem,
Ni prohiberet Hymen. Quæ tempestiva relatu,
Nunc canimus. Quis consilio, quis juris et æqui
Nosse modum melior? Quod semper dissidet, in te
Convenit, ingenio robur, prudentia forti.

Georg. II, 202; Æn. XI, 878, quæ loca Burmannus laudat; pro, rependit, reddit. — *Sancte*, Virgil. Æn. V, 80, solemne defunctorum epitheton.

306, 307. *Pietas suprema*, qua filiis prospexisti, quum dares illis Stilichonem tutorem. — *Pignora*, filii. — *Habenæ rerum.* Sil. Italic. VI, 611.

309, 310. Pertinere hæc ad res gestas Theodosii in principatus principio, existimat Barthius. Non recte tamen. Ut probarent milites, Theodosii judicio Stilichonem respondisse, primum de rebus bello gestis erat dicendum, quibus post electionem inclaruerit, quarum laudes nunc differre se milites aiunt propter nuptias, quia minus pertinent ad nuptiale carmen. Quæ tamen illa *prælia sub Hæmo* sint, me quidem ignorare fateor. — *Fumantem* calido hostium sanguine.

311. *Quam notus clypeo.* Barthius comparat Virgil. Æn. XII, 283 sq. Dicere voluit poeta: quanta virtute sit Stilicho in pugna, cladibus hosti illatis declarata. — *Clypeo*, cujus umbone omnia ante se prostravit. — *Fulminet hostem.* Virgil. Georg. IV, 561; Æn. XII, 654; ævi et rapiditate ductum, quo ensis ejus in hostium capita descendit, ut fulmine quasi icti corruerent.

312. *Hymen*, nuptiæ. — *Quæ tempestiva relatu Nunc* etc. Nunc ea canimus, quæ tempori magis accommodata sunt.

313, 314. *Quis juris et æqui Nosse modum melior? Modus* h. l. est administratio. Sensus: quis melius novit, quæ cuique ex legibus vel ex æquo et bono debeantur, illi tribuere? Claverius locum intelligit de justo temperamento inter jus et æquitatem, quæ ex jure multum remittere soleat. Hæc illustrari Burmannus putat a Lucan. IX, 190, ubi tamen libertatis et civitatis jura intelligenda sunt. — *Dissidet*, natura sua inter se contraria sunt.

315. *Ingenio robur*, corporis vires cum viribus ingenii. Marklandi solitum acumen desiderari potest, quum ad Stat. Silv. II, 6, 48, *ingenuo* scribendum putat pro *ingenio*. — *Prudentia* diligentiam h. l.

Fronte quis æquali? quem sic romana decerent
Culmina? sufficerent tantis quæ pectora curis?
Stes licet in populo, clamat, quicunque videbit:
Hic est, hic Stilicho: sic te testatur, et offert
Celsa potestatis species, non voce feroci,
Non alto simulata gradu, non improba gestu.
Affectant alii quidquid, fingique laborant,
Hoc donat natura tibi. Pudor emicat una,
Formosusque rigor, vultusque auctura verendos
Canities festina venit. Quum sorte remota

significat in cavendo sibi ab hostibus, quum in iis propulsandis, tum in aggrediendis, quam is, qui fortis est, seu pericula contemnit, negligere solet. Non magis idem *acute cordi* proponit pro *forti*.

316. *Fronte quis æquali?* *Frons æqualis* est, quæ nullo animi adfectu vehementiore turbatur; posita itaque est pro animi æquitate, cujus est signum. Huc pertinet Cic. Tuscul. Q. III, 31: »Socratem Xantippe aiebat eodem semper vultu se vidisse exeuntem domo et revertentem.»

317. *Culmina* h. l. summum imperium. — *Quæ pectora*, sc. præter tuum magnum et capax. *Pectore* dicuntur a poetis *curæ volvi* seu *agitari*.

318. *In populo*, multitudini immixtus, depositis imperii insignibus. Burmannus laudat Phædr. III, 9, et Hotomann. ad Cic. Divinat. 16.

319. *Hic est, hic.* Vid. not. ad Pers. I, 28; Virgil. Æn. VI, 792; Burmann. ad Ovid. Amor. III, 1, 20.

320. *Celsa potestatis species.* Dignitas corporis tanta est, ut ex ea summus imperator statim agnosci possit. — *Voce feroci*, superba et minaci, qua alii utuntur, ut intelligatur, qui viri sint.

321. *Non alto simulata gradu.* Non invenuste Gesnerus gressum gallorum gallinaceorum comparat. — *Improba gestu.* Ad nimios gestus et insolentes pertinet, quibus alii corporis dignitatem sibi negatam affectare solent. Male Barthius effeminatos intelligit.

323, 324. *Pudor*, modestia. — *Formosus rigor.* Cf. l. 91 sq. severitas cum venustate conjuncta.

325. *Canities festina.* Cf. Plin. Panegyr. IV, 7; ibi v. Schwarz. et Nost. XXVI, 459 sq. — *Cum sorte remota.* Sic utique legendum ex plurimorum scriptorum suffragiis; alii *consorte remota.* Burmannus vult: *consorte remoto*, quod ita explicat: omni, quicumque ejusdem sortis est, vel fuit, in tali dignitate posito: nulli hoc contigit, ut gravitatem senii, et vires juventæ haberet, præter te. Verum hoc paullo durius videtur. Conjecturæ Heinsianæ ingeniosæ quidem sunt, tamen non necessariæ. — *Sorte remota* ea sunt, quæ sorte, naturæ lege, a se invicem disjuncta sunt, ut senilis gravitas et vires juventæ, quæ *insignia*

Contingant gravitasque seni, viresque juventæ:
Utraque te cingit propriis insignibus ætas.
Ornatur fortuna viro. Non ulla nocendi
Tela, nec infecti jugulis civilibus enses.
Non odium terrore moves, nec frena resolvit
Gratia: diligimus pariter, pariterque timemus.
Ipse metus te noster amat, justissime legum
Arbiter, egregiæ custos fidissime pacis,
Optime ductorum, fortunatissime patrum:
Plus jam, plus domino cuncti debere fatemur,
Quod gener est, invicte, tuus. Vincire corona;
Insere te nostris, contempto jure, choreis.
Sic puer Eucherius superet virtute parentem;
Aurea sic videat similes Thermantia tædas;
Sic uterus crescat Mariæ; sic natus in ostro
Parvus Honoriades genibus considat avitis.

vocat illam senilis, has juvenilis ætatis.

326. *Contingant*, sc. tibi.—*Seni*, casu secund. pro, senii. Cf. Auson. Epist. I, 19 sqq.

328. *Fortuna*, h. l. dignitas, seu potestas. Stilicho ornat potestatem, non ab illa ornatur.

329. *Jugulis*, cruore.

332. *Ipse metus te noster amat.* Acute. Ille autem metus intelligitur, quem gravitas et reverentia justi cujusdam viri potest movere; hic metus cum amore conjunctus potest cogitari, ita ut, qui metuat hujusmodi aliquem, idem quoque eum amet.

335. *Domino*, Honorio.

337, 338. *Contempto jure.* Vide supra 199 sqq.—*Sic.* Vide ad I, 160. — *Eucherius*, filius Stilichonis, ut *Thermantia*, filia ejus altera.

339, 340. *Aurea*, pulchra. — *Natus in ostro*, πορφυρογεννήτης. VIII, 126 sq. Irrita abiere vota poetæ: nam liberos Maria non suscepit.

XI.

CL. CLAUDIANI
IN NUPTIAS
HONORII AUGUSTI
ET
MARIÆ FESCENNINA
ALCAICUM.

ARGUMENTUM.

Poeta Honorium laudat omnibus et corporis et animi virtutibus instructum; inprimis venustatem ejus effert, quæ tanta sit, ut deos vincat, deasque in amorem sui rapiat. Nemiuem esse tanta feritate, tam omnis humanitatis expertem, quin Honorio viso, amore in eum ardeat. Vel ipsas Amazonas, quum cominus eum vidissent, omnis pugnæ oblitas, statim imperata esse facturas. Uxor ejus felix prædicatur.

PRINCEPS corusco sidere pulchrior,

1. In Principe, præsertim apud veteres, pulchritudo corporis præcipue laudabatur; Plin. Panegyr. IV, 6 sq. eamque poetæ sæpe cum stellarum fulgore comparabant; Homer. Il. ζ, 400 sq. Apoll. Rhod. II, 40 seqq. Theocrit. XIII, 49 seq. Musæus H. et Leand. 22; Horat. Od. III, 9. 21 sq. Virgil. Æn. VIII, 589 sqq. Burmann. Anthol.

Parthis sagittas tendere certior,
Eques Gelonis imperiosior,
Quæ digna mentis laus erit arduæ?
Quæ digna formæ laus erit igneæ?
Te Leda mallet quam dare Castorem;
Præfert Achilli te proprio Thetis;
Victum fatetur Delos Apollinem;
Credit minorem Lydia Liberum.
Tu quum per altas impiger ilices

lat. t. I, pag. 669; Quint. Calabr. V, 131 seqq. Cæterum cum toto hoc carmine confer. Senec. Med. 75 sqq.

2. *Parthis.* Cf. Lucan. VIII, 300 sqq. Sagittandi artis peritum describit Sil. Italic. II, 96 sqq. — *Sagittas tendere*, pro, intendere sagittas. Virgil. Æn. V, 489. Lucan. VI, 214. — *Certior*, certius. Notum est, *certam* sagittam dici, quæ non aberret a scopo. Ovid. Met. I, 519 sq. H. l. ad sagittantem transfertur epith. positumque pro, dexterior. Cf. supra VIII, 527 sq.

3. *Geloni* sunt e Sarmaticis populis, qui ultra Borysthenem vagabantur. Equitandi erant peritissimi, inde vocantur *volucres* apud Lucan. III, 283. — *Imperiosior. Imperiosus* is est, qui imperium strenue exercet; eques *imperiosus* vocari potest, qui equo pro arbitrio utitur, ut semper frenis parentem habeat. Cf. supra VIII, 540 sqq.

4. *Mentis arduæ*, quæ rebus arduis semper occupata est.

5. *Igneæ*, splendorem Honorii simul et pulchritudinem indicat. Κάλλεί τε στίλβων, Homerus Il. γ, 392; et Ælianus Var. Histor. XIII, 1, de Atalante: τοσαύτη μετὰ τῆς ὥρας κατέλαμπεν ἡ αἴγλη τοὺς ὁρῶντας.

6. *Dare*, h. l. edere, parere. Barth. ad Nemesian. Cyneg. 118. Cf. VIII, 136. Gesnerus inde ductum putat, quod homines insignes munera velut sunt, quæ parentes terris impertiunt.

7. *Proprio*, filio. Cæterum conf. Sidon. Apollinar. Carm. IX, 65 sqq.

8, 9. Pulchritudinem incipientis juvenilis ætatis in Baccho, incipientis virilis ætatis in Apolline a veteribus esse expressam, notum est. Tibull. I, 4, 37 sq. Illorum autem pulchritudinem vincit Honorius. — *Lydia.* Bacchus ibi præcipue colebatur. Conf. Ovid. Met. XI, 87 sqq. et Nost. VIII, 603 sqq.

10. *Per altas ilices.* Tumidiorem locutionem Burmannus esse putat, quasi super arborum cacumina equitaret. Sed, quum recte dicatur, *per nemus*, *per silvam* ire, cur offendat *per altam silvam*, seu, quod hoc loco est, *per altas ilices ire*, non video. *Artas*, quod ille proponit, non probaverim, melius forsan *atras.* Hyperbole, quam Burmannus interpretando induxit, illam longe superat, qua utitur Euripides

Præda citatum cornipedem regis,
Luduntque ventis instabiles comæ;
Telis jacebunt sponte tuis feræ,
Gaudensque sacris vulneribus leo
Admittet hastam, morte superbior.
Venus reversum spernat Adonidem,
Damnet reductum Cynthia Virbium.
Quum post labores, sub platani voles
Virentis umbra, vel gelido specu
Torrentiorem fallere Sirium,

in Alcest. 586 sqq. Ἐχόρευσε δ' ἀμφὶ σὰν κιθάραν, Φοῖβε, ποικιλόθριξ νεβρὸς ὑψικόμων πέραν βαίνουσ' ἐλατᾶν σφυρῷ κούφῳ.

11. *Præda*. Burmannus probat *prædo*, quod Heinsius exemplorum nube confirmare studuit, quibus tamen docuit, *prædari* sæpe pro venari, et *prædatorem* pro venatore poni, quod nunc satis notum est; in nullo autem *prædo* occurrit, quæ vox nusquam non, si quid recte memini, turpitudinem includit, igitur aliena est. Contra autem equi venatici fera conspecta incitantur, cursuque acerrimo eam persequuntur.—*Præda citatum*, id est, cujus cursum fera (*præda*) accelerat conspecta.

12. *Luduntque*, ut Virgil. Æn. XI, 497.—*Instabiles* pro, mobiles. Paullo durius, ut puto.

13. *Jacebunt*. Cf. supra X, 112. Sensus: feræ vulneribus gloriabuntur tua manu sibi illatis.

14. *Sacris*, quæ Augustus inflixit.

15. *Admittet hastam*, sponte recipiet ferrum corpore.—*Morte superbior*, quod contigit illi tua manu occumbere. Similia occurrunt apud Martial. Spect. 10, 17.

16. *Reversum*, sc. ex Orco.—*Adonidem*, qui apri dente in femore percussus obiit. Bion. Idyll. I; ibi v. interpp. Cæterum *reversum* spectat ad sacra Adonia, quæ in compluribus Græciæ urbibus, præcipue Alexandriæ in Ægypto celebrabantur, in quibus Adonis fingebatur ex Orco reversus iterum cum Venere conjungi. Theocrit. XV, 136 sqq. et 143 sq. Schol. ad eumdem III, 48. Voss. de orig. et progress. Idol. II, 4, pag. 326.

17. *Damnet*, inferiorem judicet, et negligat præ te.—*Reductum*, sc. ex inferis. — *Virbius* heros indigena Ariciæ, quem Hippolytum seriores interpretati sunt, sive formæ, sive attributorum, sive fabularum similitudine adducti. Ovid. Met. XV, 532 sqq. Pausan. II, 27; cf. Heyne ad Virgil. Æn. VII, 761, et in excursu VIII, ad h. l. Narrant eum ab equis laceratum, ope deinde Æsculapii a Diana ex Orco reductum, et in nemore Aricino collocatum fuisse.

18. *Post labores*, venatu peracto.

20. *Fallere*, id est, vitare, subducere te. — *Sirium*, æstum æstivum.

Et membra somno fessa resolveris;
O quantus uret tum Dryadas calor!
Quot æstuantes ancipiti gradu
Furtiva carpent oscula Naides!
Quis vero acerbis horridior Scythis,
Quis belluarum corde furentior,
Quis, quum micantem te prope viderit,
Non optet ultro servitium pati?
Quis non catenas arripiat libens,
Colloque poscat vincula libero?
Tu si nivalis per juga Caucasi
Sævas petisses pulcher Amazonas,

21. *Membra somno resolveris.* Proprie somnus solvit, liberat membra a ministerio, facit ut quiescant.

22. *Calor*, amor vehemens. Huic apposite *urit.*—*Dryadas*, Nymphas in arboribus habitantes.

23. *Æstuantes*, sc. amore.—*Ancipiti gradu*, dubio, suspenso gradu. Ancipites proprie Nymphæ sunt, dum dubitant, utrum accedant ad oscula furtim libanda, an hanc voluptatem sibi negent, metuentes ne expergiscatur. Cf. X, 81.

24. *Carpent.* Flores proprie carpuntur, inde *carpi* ad delicias quascumque transfertur. Ovid. Heroid. XI, 117.

25, 28. Sensus totius loci hic est: quis tam ferus invenitur et immanis, quin pulchritudine tua motus servitium patiatur? pro, ferus, *horridior Scythis*, quia hic populus alios feritate superabat. Dicuntur *acerbi*, quia propter suas incursiones crebras molestissimi erant. Superiora fortius jam exprimit per: *quis furentior corde belluarum?* pro: quis belluas adeo vincit immanitate et furore (cf. supra 13 sq.)? *Quis non optet*, longe efficacius quam: quis non patiatur, *ultro servitium, quum te prope viderit micantem*, id est, cominus viderit, quanta sit tua pulchritudo? — *Micantem* a sidere ductum ad pulchritudinem spectat. Vid. not. ad. 1 et 5.

29, 30. Pergit: quid dico patiatur, immo servitium ultro petat; hoc efficacius per *catenas arripiat* et *poscat vincula* expressum, et auctum etiam magis addito: *collo libero.*

32, 33. *Caucasus*, notus Asiæ mons, pars Tauri. In ejus vicinia ad ostia Tanaidis Amazones habitasse narrantur. De Amazonibus vid. Herodot. IV, 116 sqq. Apoll. Rhod. II, 992 sqq. Diodor. Sic. III, 53 sqq. Justin. II, 4. — *Sævas*, fortes, ex indole antiqui sermonis, qui sævitiam cum fortitudine permutare solet. Vid. Heyne ad Virg. Æn. I, 99. Potest autem h. l. ad crudelitatem spectare, qua utebantur Amazones in viros bello superatos. Huic bene opponitur *pulcher*. Sævitia sua Amazones finitimis terrorem

Peltata pugnas desereret cohors,
Sexu recepto; patris et immemor
Inter frementes Hippolyte tubas
Strictam securim languida poneret,
Et seminudo pectore cingulum
Forti negatum solveret Herculi,
Bellumque solus conficeret decor.
Beata, quæ te mox faciet virum,
Primisque sese junget amoribus.

incusserunt; ipsæ vincuntur Honorii pulchritudine.— *Petisses*, sc. bello.

33. *Peltata cohors*, quæ peltis præcipue utebantur. Virgil. Æn. I, 490; XI, 661 sqq. Drakenb. ad Sil. Italic. II, 76; VIII, 428. — *Desereret*, omitteret.

34. *Sexu recepto*. Reminiscerentur sui sexus, cogitarent se feminas esse, amorem conjunctionisque appetitum pulchritudo Honorii in illis excitaret. — *Patris*, Martis.

35. *Hippolyte*, Amazonum regina Diodor. Sic. IV, 16; Apollod. II, 5, 9; quam interfecit Hercules, balteumque ei abstulit.

36. *Languida*, amore subito sancia et fracta. Huic bene opponitur, *strictam securim*, quam sustulerat jam ad Honorium prosternendum, subito autem, ipsa amore tacta, brachium sublatum languescit et torpet. Cæterum *securi* Amazones pro gladio utebantur, quæ σάγαρις proprio nomine dicebatur; Virgil. Æn. XI, 651; Ovid. ex Ponto III, 1, 95; Suet. in Ner. 44. Cf. Montef. tab. CX, n. 7. Quint. Cal. I, 158, eam vocat ἀμφίτυπον βουπλῆγα.

37. *Seminudo pectore*, habitum spectat Amazonum, quæ alteram mammam exsertam habebant. — *Forti Herculi* cum *negatum* jungendum. Hercules balteum Hippolytæ detrahere non potuit, priusquam extincta foret. Ed.

39. *Decor*, pulchritudo, venustas. De vi pulchritudinis cf. Anacreon. II, 9 sqq. Musæum de H. et Leand. 92; Bronkh. ad Tibull. IV, 2, 5; Burmann. ad Propert. III, 20, 3.

40, 41. Prædicat felicitatem puellæ, quæ tali viro nuptura sit. — *Beata*, sc. puella. — *Virum* h. l. maritum. Martial. VIII, 46, 47 sq. Longus de Daph. et Chl. III, p. 85, ed. Moll. καὶ μέμνησο ὅτι σε ἄνδρα ἐγὼ πρὸ Χλόης πεποίηκα. — *Primis amoribus*, id est, primis nuptiis, aut *primis ominibus*, ut Virgil. Æn. I, 345 sq. quo κουρίδιον ἄλοχον Homeri expressit.

XII.

ARGUMENTUM.

Poeta omnes terras ad celebrandas Honorii nuptias invitat; 1—5. Montes vicinos primum, deinde fluvios invocat, ut compti et ornati lætitiam suam testentur; 6—15. Tibris præcipue et Roma nuptiis gaudeant, ut festos clamores Hispani exaudiant, unde majores Honorii et Mariæ orti sunt; 16—25. Propterea Bætis, et Tagus, et Oceanus triumphent; 26—30. Oriens et Occidens communis lætitiæ participes fiant; 31—35. Omnes venti præter Zephyrum taceant.

Age, cuncta nuptiali
Redimita vere tellus,
Celebra toros heriles.
Omne nemus cum fluviis,
Omne canat prófundum.
Ligures, favète, campi;

1, 3. Primo universum terrarum orbem iuvitat ad coucelebrandas uuptias. — *Redimita*, cincta; pro floribus posuit *vere*, quod flores producit. Hoc autem vocat *nuptiale*, quandoquidem ver anni tempus est uuptiis aptissimum, quo omuis uatura amoris quasi stimulis agitatur. Cf. Pervigil. Veneris, v. 1 sqq. Poët. lat. min. T. III, p. 463 sqq. — *Heriles*, quasi Houorius dominus sit totius telluris; cf. I, 115 sqq.

4, 5. *Profundum*, mare. Sub *nemoribus*, *fluviis* et *mare* deos et Nymphas, qui ea incoluut, iutelligit, uisi malis *canat* ad souum froudium vento agitatarum, ad fluviorum murmur, et ad undarum strepitum referre, quorum concentu nuptias Houorii celebratas velit.

6. *Ligures campi*, pro, Ligurici. Ligures habitabant usque ad Padum, qui fluvius per planities delabitur. Has regiones potissimum designat, quia vicinæ sunt Mediolani, quæ urbs tunc temporis regia

Veneti, favete, montes;
Subitisque se rosetis
Vestiat Alpinus apex,
Et rubeant pruinæ.
   Athesis strepat choreis,
Calamisque flexuosus
Leve Mincius susurret,
Et Padus electriferis
Admoduletur alnis:
   Epulisque jam repleto
Resonet Quirite Tibris,

erat imperii occidentalis. — *Favete*, εὐφημεῖτε, non solum est: a verbis male ominatis abstinete, sed etiam: studia vestra ostendite acclamationibus faustis.

7. *Veneti montes*. Alpes Carnicas fortasse intelligit.

8, 9. *Rosetis*. *Roseta* loca sunt rosis consita, quæ a serioribus poetis sæpe pro rosis ponuntur, ut jam animadvertit Wernsdorf. ad Poet. lat. min. t. IV, P. II, p. 491 infra. Rerum naturam ipsam mutatam vult poeta; alioquin Alpibus, Rhæticis forsan, non mandasset, ut rosas producerent, quum nive sempiterna sint obrutæ. Ad augendum portentum posuit, *Alpinus apex*, atque, quum hoc nondum sufficeret, addidit, *Et rubeant pruinæ*, in ipsa nive efflorescant rosæ.

11. *Athesis*, Rhætiæ fluvius, nunc *Adige*, *Etsch*. V. ad 4, 5. — *Choreis*, cantibus.

12, 13. *Mincius flexuosus*. *Mincius* ex lacu Benaco procedens, lacus ipse fit non procul a Mantua, nec longe progressus Pado se jungit. Virgil. Georg. II, 198 sq. III, 15; Æn. X, 205, in quibus locis flexuum quoque hujus fluminis et arundinis mentio fit, qua ripæ ejus prætextæ sunt. — *Susurret leve*, ut fit, quando ventis arundo agitatur. Virg. Eclog. I, 56.

14. *Electriferis alnis;* cf. supra VII, 123 sq. Sequitur poeta antiquam de Phaethontis sororibus fabulam, quæ in populos mutatæ esse dicuntur, pro quo arborum genere aliud haud absimile priori posuit, *alnos*. — *Admoduletur*, accinat.

16, 17. *Tibris resonet*, acclamationes et cantus repetat. — *Epulis repleto Quirite*, id est, lætitia civium romanorum, qui epulis, quibus nuptias celebrarunt, saturi, inter pocula nunc hymnis studia sua profitentur. Barthius existimat, sportulas intelligendas esse, quæ plebi romanæ divisæ sint, quod soleret fieri in nuptiis virorum principum. Laudat Ammian. Marcell. XIV, 6, vers. fin. et Symmach. Epist. III, 24. Hoc Romæ factum esse, Honorio nuptias Mediolani celebrante, vehementer dubito, et, cur non privata impensa epulæ instructæ sint,

Dominique læta votis,
Aurea septemgeminas
Roma coronet arces.
Procul audiant Iberi,
Fluit unde semen aulæ,
Ubi plena laurearum,
Imperio fœta domus,
Vix numerat triumphos.
Habet hinc patrem maritus,
Habet hinc puella matrem,

causam video afferri posse nullam.

18, 20. *Roma aurea* vocatur a splendore templorum auratorum. Ovid. A. A. III, 113 sqq. Rutil. Itiner. I, 197 sqq. Auson de cl. Urb. I, 1, et XIII, 17. Lips. de magnitud. Rom. III, 4 sq. — *Domini votis*, Imperatoris Honorii nuptiis. — *Arces*, colles, sed h. l. templa, ædes publicæ collibus inædificatæ. — *Septemgeminas*, septem, nihil amplius. — *Coronet*. Aræ et templa deorum in publica lætitia coronabantur sertis corollis et infulis in postibus eorum suspensis. Heyne ad Virgil. Æn. II, 248 sqq. Gierig. ad Ovid. Met. VIII, 264. Barth. ad Stat. Silv. IV, 8, 1; qui mos erat antiquissimus; cf. Koeppen ad Homer. Il. α, 39. Aliter, sed minus recte, Gesnerus: septem colles, quibus inædificata est Roma; sunt quasi totidem illius capita, quæ coronat publica hilaritas.

21, 22. *Iberi*, Hispani, ab Ibero fl. nunc *Ebro*. — *Audiant*, sc. cantus solemnes. — *Fluit*. Heins. laudat Stat. Theb. I, 226 et 677; II, 436, et Nost. XXIX, 56; XX, 540. — *Semen aulæ;* confer. supra VIII, 18 sqq. Theodosii nati erant in Hispania. — *Aulæ*, familiæ imperatoriæ.

23, 25. *Domus plena laurearum*, id est, familia, unde plures orti sunt viri triumphales. Eadem ratione dicitur domus *imperio fœta*, quæ multos Imperatores protulit. — *Fœta* et *gravida* voces sunt poeticæ pro, plena. Virgil. Æn. I, 51. — *Vix numerat t.* Quæ enim infinita sunt, eorum numerus iniri nequit.

26, 27. Cf. supra VIII, 18 sqq. Verborum ordo: et *stemma Cæsareum*, (ab) *Gemina parte ductum ortu flumineo*, *recurrit*. Sensus: Honorius et Maria ambo ab Imperatoribus descendunt, quandoquidem a Theodosio Comite genus ab Trajano ducente, gentem repetunt, cujus Trajani origo Oceanus perhibetur, unde omnes fluvii oriuntur. Nunc *recurrit stemma*, sc. nuptiis Honorii et Mariæ, id est, duæ stemmatis lineæ rursus nuptiis illis junguntur. Gesnerus junxit: *recurrit flumineo ortu*, quod haud commode potest explicari, quamquam ne prior quidem ratio mihi satis placet; sed meliorem non habeo, qua locum difficilem, et, ut mihi quidem videtur, corruptum, expediam.

Geminaque parte ductum
Cæsareum flumineo
Stemma recurrit ortu.
Decorent vireta Bætin,
Tagus intumescat auro,
Generisque procreator
Sub vitreis Oceanus
Luxurietur antris.
Oriensque, regna fratrum,
Simul Occidensque plaudat.
Placidæ jocentur urbes,
Quæque novo, quæque nitent
Deficiente Phœbo.
Aquiloniæ procellæ,
Rabidi, tacete, Cori;
Taceat sonorus Auster;
Solus ovantem Zephyrus
Perdominetur annum.

31. *Bætis*, fl. Hispaniæ Bæticæ, nunc *Guadalquivir*.—*Decorent vireta*. Utraque fluminis ripa olivis consita est. Sil. Italic. III, 405, et Martial. XII, 100.

34, 35. *Vitreis antris*. Fluviorum diis aut maris suæ etiam domus sunt sub undis, quæ, naturæ aquarum accommodatæ, *vitrea antra* vocantur. Sil. Italic. IV, 344 sq. ibi vid. Ruperti in LL. VV. *Vitrea*, a colore; vide eumdem VII, 413 sqq. Nost. XXVIII, 147 sqq. — *Generis procreator*; cf. supra VII, 176; VIII, 22. — *Luxurietur*, lætetur, genio indulgeat. Cf. supra I, 263 sq.

36, 37. *Regna fratrum*, apposit. Occidentis et Orientis.

38, 39. *Placidæ*, quietæ, lætitiæ tantum deditæ. —*Novo*, oriente, ut *deficiente*, occidente.

42. *Cori*; supra V, 222.

43. *Sonorus*; Virgil. Æn. I, 53.

44, 45. Sensus: toto anno sit ver perpetuum. Hoc expressit ita: *Solus Zephyrus perdominetur*, id est, regnet, quandoquidem hic ventus vere solennis est. — *Annum ovantem*, quo nuptiæ Honorii celebrantur; cf. Stat. Silv. III, 2, 42 sqq.

XIII.

ARGUMENTUM.

Stilichonem poeta hortatur, ut caput cingat floribus, remotisque belli cogitationibus, nuptias Honorii et Mariæ acceleret, quæ ipsi nullam movere possint invidiam quum propter virtutem, tum quod jamdudum patris vices in Honorium gesserit.

Solitas galea fulgere comas,
Stilicho, molli necte corona.
Cessent litui, sævumque procul
Martem felix tæda releget.
Tractus ab aula rursus in aulam
Redeat sanguis patris officiis.
Junge potenti pignora dextra.

1, 2. *Necte molli corona* pro: cinge floribus. — *Molli*, coronarum epithet. Ovid. Met. III, 555. Sic *serta mollia* Ovid. Fast. V, 340, ubi v. Heinsium. — *Comas solitas fulgere galea.* Quod ad galeam pertinet, transtulit ad comas. Dicere voluit, galea tegi, aut, galea fulgente tegi; pro hoc posuit: *galea fulgere.*

3, 4. *Procul* junge cum *releget.* — *Tæda*; v. supra III, 83. — *Releget*, removeat.

5, 6. *Sanguis tractus ab aula.* Quum Serena, filia Theodosii M. adoptiva, Stilichoni nupsisset, e familia imperatoria in privatam domum transierat; quum porro Mariam Honorius in matrimonium duceret, redibat illa in familiam imperatoriam. *Tractus ab aula sanguis* est igitur puella e familia imperatoria oriunda. Redibat autem *patris officiis*, quandoquidem Stilicho pater eam Honorio collocaverat.

7. *Junge pignora.* Honorio enim patris loco erat Stilicho, aut *pignus* ejus Honorius dici poterat, quia fidei pignus erat, quam in eo collocaverat Theodosius, quum in ejus tutelam Honorium daret. — *Potenti*

Gener Augusti pridem fueras,
Nunc rursus eris socer Augusti.
Quæ jam rabies livoris erit?
Vel quis dabitur color invidiæ?
Stilicho socer est, pater est Stilicho.

dextra. Barthius videtur dextras Honorii et Mariæ intellexisse, ego Stilichonis puto qua filiam in manus Honorii tradebat.

8. *Gener Aug.*, Serenæ conjux.

10. *Rabies livoris*, invidia insana. Sensus: invidiæ nullus erit locus.

11. *Color*, causa, prætextus. Pedestri oratione pergere debuisset: Nam nulla causa subest invidiæ. Ratio affertur versu sequenti.

12. Sensus: nam pater jamdudum erat Honorii, quandoquidem ei patris loco erat; eo igitur, quod socer ejus factus est, ad dignitatem Stilichonis nihil accessit, quia patrem Augusti esse plus est, quam socerum ejus esse.

XIV.

ARGUMENTUM.

Hoc carmine prosequitur poeta Honorium ad thalamum euntem, utque fortis sit suadet contra puellam pudore repugnantem, quo ipso voluptatis magnitudo augeatur, donec tandem victoriam perseverando adeptus, victor prodeat. In sequentibus, et milites et cives omnes excitantur, ut ludis, cantu, omnique hilaritatis genere totam noctem consumant.

ATTOLLENS thalamis Idalium jubar,
Dilectus Veneri nascitur Hesperus.
Jam nuptæ trepidat sollicitus pudor;
Jam produnt lacrymas flammea simplices.

1. *Attollens thalamis ...jubar.* Hesperus exoriens signum dat deducendæ sponsæ ad thalamum novi mariti; *attollit* igitur *thalamis jubar,* facem quasi nuptiis. Cf. Cat. LXII, 1 sqq. et 20 sqq. et 26 sqq. Senec. Med. 71 sqq. — *Idalium jubar* vocatur, quia stella Veneri sacra est. Cf. infra XXXV, 121. Sic Cæsaris stella vocatur *Idalium astrum* Propert. IV, 6, 59. Cf. infra XXXV, 561 sqq. — *Nascitur*, oritur, aut omnino conspicuus fit solis occasu, quum hujus radii illam non amplius obscurent.

3. *Jam nuptæ trepidat sollicitus pudor.* Puella, jamjam toro imponenda, virginali verecundia anxia est.

4. *Flammea;* vid. supra X, 285. Flammei coloris vela. — *Produnt lacrymas*, non possunt amplius tegere lacrymas largius prorumpentes. — *Simplices*, non simulatas, sed innocentiæ indices. Indicat hoc morum simplicitatem novæ nuptæ, quæ ægre e parentis domo avulsa, in novam conditionem deducitur, maritoque jungitur, quem ipsa sibi non elegit, sed qui a parente datus est. Sunt hæc ex veteri matrimoniorum ineundorum ratione, non ex nostris moribus explicanda. Catull. LXII, 59 sqq.

Ne cessa, juvenis, cominus aggredi,
Impacata licet sæviat unguibus.
Non quisquam fruitur veris odoribus,
Hyblæos latebris nec spoliat favos,
Si fronti caveat, si timeat rubos.
Armat spina rosas, mella tegunt apes.
Crescunt difficili gaudia jurgio,
Accenditque magis, quæ refugit, Venus.
Quod flenti tuleris, plus sapit, osculum.
Dices o quoties : Hoc mihi dulcius,
Quam flavos decies vincere Sarmatas!
Adspirate novam pectoribus fidem,

5. *Aggredi* hæc ad puellam spectant.

6. *Impacata*, nondum subacta, indomita, quæ contra mariti preces adhuc obluctatur, ejusque complexus refugit. — *Sæviat unguibus*. In rixis amantium apud poetas, præsertim apud Ovidium, unguium sæpe fit mentio, quibus puellæ contra juvenes nimis protervos utebantur. Horat. Od. I, 6, 17 sq. Avit. adlocut. spons. Poet. lat. t. IV, P. II, p. 501 :

.... ne candida lædas
Unguibus ora viri; vel ne contacta repugnes.
Est in nocte timor, non est in nocte periclum;
Nec volo contendas, vinces, quum viceris ille.

Cf. infra XXXI, 135 sqq.

7. *Veris odoribus*, rosas intelligit.

8. *Hyblæos*. *Hybla* nomen est trium in Sicilia urbium. V. Cluver. Sicil. I, 11; II, 8; Drakenb. ad Sil. Italic. XIV, 200; Serv. ad Virgil. Eclog. I, 55. Si autem mons non fuerit, regio certe videtur fuisse ita ab una illarum urbium appellata. Lucan. IX, 231 sq. Martial. II, 46, 1 sq. — *Latebris*, ubi apes sedem fixerunt, alveariis, arboribus cavis. Constructio est inversa, pro : latebras spoliat favis.

9. *Fronti*, ne ab apibus compungatur. — *Rubos*, spinas. Respicit hoc, quod v. 7 dictum est.

10. *Tegunt*, protegunt, tuentur spiculis suis.

11. *Difficili jurgio*. *Jurgium difficile* est, quod nascitur, quando quis facilis esse nescit, id est, constanter recusat aliquid petenti, et semper instanti. Positum est pro, negando.

12. *Venus*, h. l. puella amata, sicut sp. Virg. Eclog. III, v. 68.— Virgo amplexus ardorem eo vehementiorem facit, quo magis eum recusare videtur.

14. *Dices*; confer. Propert. II, 11, 23 sqq.

16. *Adspirate novam fidem pectoribus*. *Nova fides* oritur ex amoris fructu, quem alter ex altero primum capit, qui fructus quasi novum amoris vinculum est, ejusque fidem confirmat. Haud absimili ratione illa gaudia *fœdera thalami* vocantur,

Mansuramque facem tradite sensibus.
Tam junctis manibus nectite vincula,
Quam frondens hedera stringitur æsculus,
Quam lento premitur palmite populus.
Et murmur querula blandius alite
Linguis assidui reddite mutuis.
Et labris animam conciliantibus,
Alternum rapiat somnus anhelitum.
Amplexu caleat purpura regio,

aut *fœdera lecti* Ovid. Met. VII, 403.

17. *Mansuramque facem tradite sensibus.* Mutuo illo amore, ejusque fructu sensibus percepto, jucundissimam ejus voluptatis memoriam invicem vobis tradite, quæ sempiterna erit. Ea autem memoria vocatur *fax*, quia inde novi ardores excitantur.

18, 20. Amoris amplexus sæpe cum hedera et vite comparati sunt, quæ arboribus implicantur. Catull. LXI, 34 sq. 106 sq. LXII, 49 sq. Horat. Od. I, 36, 20; Epod. XV, 5 sq. Cæterum mihi non placet *frondens æsculus*, quia epith. frigere videtur. Concinnius forsan legas *frondenti*, ut *frondenti hedera* (Ovid. Met. VI, 599) respondeat *lento palmite* sequentis versus.—*Stringitur* et *premitur* arctissimum complexum indicant. Comparentur Gallieni versus, quos servavit Trebellius Pollio in ejus vita, c. 11:

Ite, ait, o pueri, pariter sudate medullis
Omnibus inter vos; non murmura vestra columbæ,
Brachia non hederæ, non vincant oscula conchæ.

21, 22. *Querula alite*, columba. *Querula* nostrum *girrend*. Exemplum mutui amoris, osculorumque præsertim suavissimorum sæpe petitur a columbis; Catull. LXVIII, 125 sqq. Propert. II, 12, 27 sq. Ovid. Amor. II, 6, 56; Martial. XII, 66, 7 sq. et XI, 105, 9.—*Linguis mutuis*; cf. Tib. I, 8, 37 sq.

23. *Et labris animam conciliantibus.* Hoc optime explicabit Aristænetus II, 19: Οὐ μόνον στέρνῳ ἁρμόζοντες, ἀλλὰ καὶ φιλήμασι ἐπισυνάπτοντες τὰς ψυχάς. Τοῦτο γὰρ φίλημα δύναται, καὶ τοῦτο ἔστιν ὃ βούλεται· σπεύδουσι αἱ ψυχαὶ διὰ τῶν στομάτων πρὸς ἀλλήλας, καὶ περὶ τὰ χείλη συναντῶσιν· καὶ ἡ μῖξις αὕτη γλυκεῖα γίνεται τῶν ψυχῶν. Idem sæpius expressum est ab aliis poetis; Manil. V, 623; Propert. I, 13, 17; interpp. ad Petron. 79; Theocrit. XXVII, 61; Bion. I, 45 sqq. Cf. Gell. XIX, 10.

24. *Alternum anhelitum*, id est, utrumque ab amplexu mutuo lassum. — *Somnus rapiat*. Defatigatio indicatur, quæ celeriter somnum illis conciliat. Expressum est illud vulgare: lassi obdormiscant. Conf. Apul. Asin. Aur. l. 2.

25. *Purpura*, torus ipse.—*Regio*. Quamquam verum, tamen ineptum puto, et frigidum: fiat enim in illa colluctatione dignitatis mentio nequaquam operæ pretium est.

Et vestes Tyrio sanguine fulgidas
Alter virgineus nobilitet cruor.
Tum victor madido prosilias toro,
Nocturni referens vulnera prælii.
Ducant pervigiles carmina tibiæ,
Permissisque jocis turba licentior
Exsultet tetricis libera legibus.
Passim cum ducibus ludite, milites;
Passim cum pueris ludite, virgines.
Hæc vox ætheriis intonet axibus,
Hæc vox per populos, per mare transeat:
Formosus Mariam ducit Honorius.

26. *Tyrio sanguine*, purpura. Vestes stragulas intelligit.

27. *Alter virgineus nobilitet cruor.* Ex hoc versu, aliisque similibus, colligitCangius Famil. Byzant. p. 72, Mariam non obiisse virginem, contra Zosimum (V, 28), nuptiasque collocat in annum C. 394, Honorii decimum quartum. Verum ex hoc loco conclusio valde lubrica videtur, quum licuerit poetæ, immo necesse fuerit, qui nuptias illas carminibus celebraret, omnia ea fingere, quæ in illis accidere soleant, ut res majorem inde probabilitatem nancisceretur. Nec puto ejusmodi fictionem, etiamsi vera non fuerit, nuptiarum auctoribus vehementer displicuisse.

28, 29. Cf. Catull. LXVI, 14 sq.

30, 32. *Carmina.* Intelligit versus Fescenninos, qui versabantur in jaciendis dicteriis, jocisque obscœnis, et opprobriis petulantibus, et in nuptiis ad thalami fores cantari solebant. V. Doering. ad Catull. LXI, 126 sqq. — *Tetricis libera legibus*, licentiam illorum versuum exprimit.

33. Cf. supra X, 198 sqq.

35. *Intonet.* Burmannus quidem hanc vocem lætis cantibus non satis convenire putat, prætulitque *insonet*, quod quoque in quibusdam scriptis invenitur; verum magnitudini vocis convenit, quam sequens versus desiderat.

36. *Per populos*, i. e. per terras.

XV.

CL. CLAUDIANI

DE

BELLO GILDONICO

LIBER.

ARGUMENTUM.

Debellato Gildone, tertio tyranno, id quod Theodosii felicitati solum defuit, Africa rursus in ditionem Honorii venit, ita ut fidem pæne superet victoriæ celeritas. Hujus rei rationem poeta carminis argumentum constituit; 1—16. Roma dea, fame pæne consumpta, tristis et sordida in Olympum proficiscitur, genibusque Jovis provoluta, in hanc sententiam queritur: Non ut victoriam populo Romano impetret, sed ut famem ab eo arceat, supplicem se venisse; 17—36. Si pœnas, pergit, meruimus, cladibus satis multati sumus; pristinæ magnitudinis vix umbra adhuc superest. In præmium libertatis amissæ, Africam et Ægyptum nacta sum, quæ commeatus mihi præberent. Diviso imperio, Ægyptum amisi; Africam Gildo rapuit; salusque nostra pendet a superbo Maurorum arbitrio; 37—76. Itaque tot bella gessimus, ut Africa Gildoni procuraretur; 77—95. Victor igitur modo totius orbis terrarum nunc famem metuit, et misericordia hostium vivit; 96—105. Utinam adhuc angustis finibus essem inclusa, ut facilius possem sustentari! Dii, Cybele imprimis, rogate mecum Jovem, ut succurrat. Sin in fatis est, ut evertar, alia ratione me deleatis rogo; 106—127. Quibus dictis, dii moti sunt ad misericordiam,

et quum Jupiter, tumultu sedato, verba facere vellet, repente advolat Africa talia querens: cur non potius mari mergatur, si alia ratione Gildonis dominationi subtrahi nequeat, aut cur non potius zonæ torridæ pars fiat, quæ ardore suo tuta sit a Gildone; 128—153. Duodecim annos, pergit, tyrannidem jam pertuli: privatus iste tertiam orbis terrarum partem sibi vindicat; 154—162. Vitia, natura inter se contraria, in isto conjuncta inveniuntur. Prædator, adulter, locupletes tollit aut falsis criminibus, aut veneno præsertim, si uxores eorum venustæ sunt; 163—179. Luxuria interim perditus, inter epulas profusissimas gregesque virorum mollium, mulieres interemptorum sibi arridere cogit, fastiditasque Mauris jungit; 180—193. Pompa nititur majore quam regia, publicandisque civium bonis largitiones sumptusque maximos sustinet; 194—200. Jupiter Africam plura etiam questuram interrumpens: Utraque vestrum, inquit, non diu erit inulta. Honorius vindex paratus est. Africa Romæ semper subjecta erit. Quibus dictis Roma, Jovis adflatu pristinum splendorem recuperat; 201—212. Noctu Theodosii, Magnus et Comes, imperii res servaturi, ut Castor et Pollux navem tempestate deprehensam, Jovis jussu hic in Italiam, ille Constantinopolim ad Honorium et Arcadium tendunt; 213—226. Arcadius, ubi patrem agnovit, in amplexus ejus ruens, causam viæ rogat; 227—234. Accusat pater natum, quod in Gildonis gratiam dissidium inter eum et fratrem ortum sit, qui Gildo semper dubiæ fidei fuerit, olimque bellorum eventum exspectarit, ut victoris demum partibus se adjungeret; 235—252. Se supplicio illum adfecturum fuisse, nisi morte sua præventus fuisset. Imperium quidem ejus Gildonem augere multis urbibus traditis; verum nefas esse more majorum, cum proditoribus se conjungere, neque tutum, ut rerum annales doceant; 253—278. Mobile esse Gildonis ingenium, nec majori constantia Mauros. Precari se, ut fratrum dissidium tollatur. Stilichonem rebus suis gestis non commisisse, ut odio dignus habeatur; immo, se mortuo, illum res turbatas virtute et consilio composuisse, Rufinum tyrannum sustulisse, neque quemquam esse, a quo ipse tantopere vel post mortem colatur. Quibus rebus si non moveatur, at socerum et adfinem revereatur; 279—310. Debuisse quidem copias fratrem fratri in auxilium mittere, sed patiatur tantum Gildonem vinci; quibuscumque se iste copiis muniat, Stilichonem omnia superaturum;

311—319. Arcadius patri promittit, se jussis obtemperaturum, et in gratiam cum Stilichone rediturum esse; 320—324. Interea avus, quum in Italiam venisset, in somnis Honorio cum Maria cubanti adparet; 325—329. Ergone Gildo, inquit, victi fratris sui immemor, audet eum Italia contendere, Maurique rebellant, quos ego domui? Cape arma continuo; nam victoria de Afris familiæ nostræ fatis debetur. Dii gloriæ nostræ consulentes mihi Firmum, Gildonem tibi reservarunt. Quo dicto evanuit; 330—348. Honorius experrectus, animo mirifice se auctum sentiens, Stilichonem arcessi jubet, eique, quod vidit, somnium enarrat; 349—355. In Libya veuantem se ad latebras leonis esse delatum, ipsumque subitis catenis oneratum deprehendisse. Decrevisse itaque bellum contra Gildonem; omnes suæ ditioni subjectos ad arma esse vocandos: non passurum, ut se, quem puerum timuerint, juvenem derideant; 356—378. Stilicho contra, Imperatoris esse negat, cum Gildone confligere. Docet, isti fratrem esse Maszezel, cujus liberos ille per summum scelus obtruncaverit; hunc etiam atque etiam orare, ut dux contra fratrem constituatur, eique potissimum vindictam esse mandandam; 379—414. Placet Stilichonis consilium: robora militum deliguntur; 415—423. Honorius milites adloquitur, et ad virtutem eos hortatur, certæ victoriæ spe proposita, quum ipsi gravis armaturæ milites illos missilibus tantum armatos, equitesque propemodum nudos facili negotio sint superaturi; 424—441. Afros non pro conjugibus et liberis pugnaturos esse, ducemque illorum mollem et effeminatum invitum arma capturum. Summo dedecore Romanum imperium, cui terrarum orbis subjectus fuerit, Italia nunc contineri et Sicilia. Salutem rerum in eorum armis esse; eos debere, quæ amissa sint, recuperare; 442—466. Lætum augurium finito vix sermone ostenditur; milites ruunt in bellum; naves instructas alacriter solvunt, Honoriique freti auspiciis, omnia sinistra omina neglecturos esse gloriantur; 467—504. In altum tum profecti ad Sardiniæ urbem Caralin adpellunt, ventosque secundos exspectant.

Redditus imperiis Auster, subjectaque rursum
Alterius convexa poli: rectore sub uno
Conspirat geminus frenis communibus orbis.
Junximus Europen Libyæ. Concordia fratrum
Plena redit: patriis quod solum defuit armis,
Tertius occubuit nati virtute tyrannus.

Gildonis parens fuit *Nubel*, potentissimus inter Mauritaniæ regulos. Filiam habuit *Salvinam*, nuptam *Nebridio*, nato ex sorore Augustæ, Theodosii conjugis, condiscipulo Arcadii et Honorii. Qui *Gildo*, quum *Firmus*, frater ejus, arma cepisset contra Romanos circa A. C. 373, ad illos se adjunxerat, in cujus rei gratiam, quatuordecim ferme annis post, Comes et Magister utriusque per Africam militiæ a Valentiniano II constitutus est. Eugenio imperium Occidentis adfectante, Theodosium quidem dominum agnovit, nullis tamen copiis eum adjuvit. Infra v. 243 sqq. Narrat Zosimus (V, 11) Eutropium Arcadio persuasisse, ut Stilichonem hostem imperii decreto publico declararet, Gildonemque ab illo esse adductum, ut Africam Orientis imperio adjungeret. Quum Romam esset perlatum, illum aperte defectionem moliri, hostis publicus declaratur senatusconsulto prisco more facto. Cf. infra XXI, 325 sqq. et XXIV, 85 sqq. Symmach. Epist. IV, 4. In adparatu belli absumptus est annus 397. Interea fames Romæ orta est, retardato ex Africa commeatu. Symmach. Epist. IV, 54. Paullo aliter rem narrat Oros. VII, 36, atque ex eo Marcellinus in Chronico. Plura vide apud Gothofred. ad Cod. Theod. lib. VII, tit. 8, l. 7, et lib. XIX, de pœnis.

1. *Auster*, h. l. Africa, cujus tyrannidem arripuerat Gildo. — *Imperio*, scil. Occidentis.

2. *Alterius poli convexa*, id est, alterum cælum convexum, et hoc positum est pro ea terræ parte, quæ sub altero cælo jacet, pro Africa. Mera igitur est repetitio prioris verbis tantum variatis, qua sæpe uti Noster solet. Heinsius legi vult *alterni*, quod explicat, utriusque. Cf. supra VII, 58 sq. Juven. XII, 31. — *Rectore sub uno*. Sub Honorio, interfecto Gildone, qui Africam Arcadii nomine occupaverat.

3. *Geminus orbis*, Europa et Africa. — *Frenis communibus*, imperio communi. Cf. I, 59. Huic accommodatum *conspirat* pro, regitur.

4. *Europen Libyæ* pro, Libyam Europæ. — *Concordia fratrum* interrupta, sc. ab Eutropio eunucho, qui Gildonem excitaverat ad Africam ab Honorio alienandam.

5. *Plena*, perfecta. Burmann. ad Grat. Cyn. 246. Calpurn. Eclog. I, 63. — *Patriis quod solum defuit armis*. Omnia domuerat Theodosius præter Gildonem. Cf. Lucan. IX, 1016 sq.

6. *Tertius*, post Maximum nempe et Eugenium a Theodosio patre devictos.

Horret adhuc animus, manifestaque gaudia differt,
Dum stupet, et tanto cunctatur credere voto.
Nec dum Cinyphias exercitus attigit oras,
Jam domitus Gildon: nullis victoria nodis
Hæsit, non terræ spatio, non objice ponti.
Congressum, profugum, captum vox nuntiat una,
Rumoremque sui prævenit laurea belli.
Quo, precor, hæc effecta deo? robusta vetusque
Tempore tam parvo potuit dementia vinci?
Quem veniens indixit hiems, ver perculit, hostem.

7. *Horret adhuc animus*. Hoc et ad magnitudinem belli pertinet, simulque celeritatem, qua illud confectum est, exprimit. Adhuc sibi vix persuadere potest, ingenti Romanos periculo, quod capiti modo impenderet, liberatos esse, ideoque *manifesta gaudia differt*, i. e. gaudii significationem manifestam, ut solent, qui læto et insperato nuncio repente percelluntur. Eadem fere habet Stat. Silv. I, 2, 31 sqq.

8. *Tanto voto*, ut infra XXII, 379, tam felici rerum successu, seu victoria votis expetita.

9. *Cinyphius*, id est, Africanus a fluvio, qui vel *Cinyphus*, vel *Cinyps* vocatur, fertilibus agris, per quos fluit, celebrato. Vid. Ruperti ad Sil. Italic. II, 60. Conf. Herod. IV, 175 et 198.

10, 11. *Nullis victoria nodis Hæsit*. Nexus artificiose *nodus*, ut solvi et expediri ab imperito non possit, pro difficultate ponitur quacumque. Ex Homero notum est, nodis artificiose complicatis antiquos homines pro claustris et seris usos esse. Notissimus est nodus Gordianus. Curt. III, 1, 14 sq. Justin. XI, 7, 15. Senec. de Benef. V, 12. *Nodus* jungitur quoque cum *mora* Virgil. Æneid. X, 428, et Floren. IV, 9, 1, ubi v. Duck. *Nullis victoria nodis Hæsit* igitur est: nulla difficultate victoria retardata est, ideoque expedita fuit. Illæ difficultates in sequentibus nominantur, *non terræ spatio*, id est, longinquitate locorum. Poterat enim Gildo in immensas Africæ solitudines retrocedere, atque sic victoriam difficilem reddere. — *Objice*. *Objices* pessuli sunt, et pro quocumque obstaculo ponuntur. V. Weiz. ad Val. Flacc. I, 702. Cf. Lucan. X, 246.

12. Imitatus esse videtur illud Cæsaris: *Veni*, *vidi*, *vici*. Barth. Advers. IX, 3. Cf. Sil. Italic. XIV, 139. — *Congressum*, sc. hostem.

13. *Laurea*, literæ laureatæ. Cf. VIII, 101 sqq. not. ad Pers. VI, 43. Victoriæ nuncia. Victoria pæne ante rumorem belli nunciata est.

14. *Precor*. Intelligendum forsan: Musa mihi memores. Cf. supra I, 71 sq. — *Robusta vetusque.... dementia*. Cf. infra 153 sqq. Consilium illud demens jampridem ceperat Gildo, opesque ejus temporis diuturnitate confirmatæ erant.

16. *Indixit .... hostem*, id est, de-

Exitii jam Roma timens, et fessa negatis
Frugibus, ad rapidi limen tendebat Olympi,
Non solito vultu, non qualis jura Britannis
Dividit, aut trepidos submittit fascibus Indos :
Vox tenuis, tardique gradus, oculique latentes
Interius: sedere genæ, jejuna lacertos
Exedit macies; humeris vix sustinet ægris
Squalentem clypeum; laxata casside prodit
Canitiem, plenamque trahit rubiginis hastam.
Attigit ut tandem cælum, genibusque Tonantis
Procubuit, tales orditur mœsta querelas :

claravit hostem per indictionem. Sic Burmannus. — *Perculit*. Heinsius mavult *proterit*. Supra III, 376. Sil. Ital. XV, 529 sq.

17 sqq. Jam ipsam rei expositionem orditur poeta, Romamque deam in Olympum inducit proficiscentem, Jovique supplicantem, ut illa calamitate, qua pæne oppressa sit, se liberet. —*Roma*. Cf. supra n. ad I, 75, et cum toto loco compares Sidon. Apoll. Carm. VII, 45 sqq. — *Exitii timens;* sic infra XXXIV, 5, *metuens leonum*.—*Fessa negatis frugibus*, quas Gildo intercluserat, retentis in Africa frumentariis Romanorum navibus. Symmach. Epist. IV, 4.

18. *Rapidi*, propter rapidum ejus motum, quo circumagi videtur.

19, 20. *Non solito vultu*. Burmann. laudat Ovid. ex Ponto III, 3, 13. — *Jura dividit*, jura dat, dictat, quod vulgarius. Hoc autem imperans designatur. — *Britannos* et *Indos* vocat ut maxime feros, et tardissime debellatos. Cæterum victoriæ de Indis frequentius apud poetas mentio fit, quam apud rerum gestarum scriptores. Virgil. Georg. II, 170 sqq. Horat. Od. I, 12, 53 sqq. Propert. III, 3; ibi v. interpp. — *Trepidos* devictorum conditionem pingit.

21. *Vox tenuis*, quum fame vires deficerent. Adumbratur Roma fame pæne confecta. Cf. Ovid. Met. VIII, 814 sqq. Sil. Italic. II, 461; Sidon. Apoll. Il. c. 45 sqq. — *Latentes*. Apud Ovid. l. c. est : *cava lumina*.

22. *Sedere genæ:* alii legunt *fugere*.

24. *Squalentem clypeum*, sc. neglectu et incuria. — *Laxata casside*. Carne inedia decrescente cassis capiti male hærebat.

25. *Canitiem*, canos capillos curis et fame factos. — *Trahit*. Hoc quoque pingit languorem, quum viribus exhaustis ne gerere quidem aut ferre hastam posset. Stat. Theb. IX, 43. Sidon. Apoll. Il. c. 49 :

. . . . Et pondus, non terror fertur in hasta.

—*Rubiginis plenam*, eadem ratione qua supra *squalentem*.

26. *Tandem*, ægre enim molita erat iter, et vix illud perficere potuit.

«Si mea mansuris meruerunt mœnia nasci,
Jupiter, auguriis; si stant immota Sibyllæ
Carmina; Tarpeias si necdum respuis arces:
Advenio supplex, non ut proculcet Araxem
Consul ovans, nostræve premant pharetrata secures
Susa, nec ut rubris aquilas figamus arenis.
Hæc nobis, hæc ante dabas: nunc pabula tantum
Roma precor. Miserere tuæ, pater optime, gentis;
Extremam defende famem. Satiavimus iram,
Si qua fuit; lugenda Getis, et flenda Suevis
Hausimus; ipsa meos exhorret Parthia casus.

28. *Meruerunt* recte Gesnerus explicat: fato consecuta sunt. — *Mansuris.* Roma enim a Romulo auguriis condita est. *Mansura auguria* sunt, quæ perpetuitatem imperii portenderunt, quorumque vis semper durabit. Conf. Virgil. Æn. I, 278 sq.

29. *Sibyllæ.* De *Sibyllis* v. Heyne ad Tibull. II, 5, 15, et ad Virgil. VI, 9, et in excursu III. Cf. infra XXIV, 166 sqq. Illis veteribus vaticiniis, quorum diversi auctores et incerti fuerant, quæque omnia ad Sibyllas translata sunt, Romani imperii fata contineri arbitrabantur.

30. *Tarpeias arces.* Rupes Tarpeia, in qua Capitolium, templumque Jovis Capitolini. Ruperti ad Sil. Italic. I, 541.

31. *Proculcet Araxem;* v. ad I, 160.

32, 33. *Pharetrata Susa.* Propert. II, 10, 1 sq. — *Premant*, regant. — *Rubris arenis*, id est, in litoribus maris Erythræi, seu Indici. — *Aquilas figamus*, castra ponamus.

34, 35. *Pabula*, victum. Ad indignitatem miseræ illius conditionis augendam addidit: *Roma*, ego tanti nominis dea, quæ eo redacta sum, ut pane indigeam, fameque crucier. — *Tuæ gentis.* Jupiter Capitolinus *auctor et stator* Romani nominis vocatur Vellei. Paterc. II, 131, ubi v. Heins. et reliquos interpp. vel *gentes* ex te ortæ: nam Romulus Martis filius; Mars filius erat Jovis; sic Romani originem ducunt ab ipso Jove.

36. *Defende*, hoc loco arce, infra XVIII, 489 sq.—*Satiavimus iram*, i. e. iræ deorum satisfecimus cladibus nostris.

37. *Lugenda Getis* etc. i. e. acerbissimas calamitates et clades, quæ vel ferocissimas gentes, Romanoque nomini inimicissimas, ad misericordiam possent adducere, ut nostram vicem lugerent. Cf. Virgil. Æn. II, 6 sq.

38. *Hausimus*, perpessi sumus. Sic *haurire supplicia* Virgil. Æn. IV, 383; ibi v. Heyne in VV. LL.— *Exhorret Parthia*, quamquam humanitatis pæne expers, nec minus, quam Getæ, Romanis infesta.

Quid referam morbive luem, tumulosve repletos
Stragibus, et erebras corrupto sidere mortes?
Aut fluvium, per tecta vagum, summisque minantem
Collibus? ingentes vexi submersa carinas,
Remorumque sonos, et Pyrrhæ secula sensi.
Hei mihi! quo Latiæ vires, Urbisque potestas
Decidit? in qualem paulatim fluximus umbram?
Armato quondam populo, patrumque vigebam
Consiliis: domui terras, urbesque revinxi

39, 40. *Morbive luem.* Morbi contagiosi famem semper fere sequi solent; quia inopia homines ad alimenta parum salubria, aut saltem insolita, adigit, quibus humores eorum corrumpantur. —*Tumulosve repletos*, sepulcra repleta. Ovid. Met. VII, 613. — *Stragibus;* sic cadavera h. l. propter eorum frequentiam vocantur. — *Corrupto sidere*, id est, pestilenti sidere. Apud Virgil. Æneid. III, 138, *corrupto cæli tractu.* Cf. Petron. 11; Justin. XIX, 2. Positum pro, aere corrupto.

41, 43. *Fluvium vagum.* Horat. Od. I, 2, 18. Plin. Epist. VIII, 17. — *Vagum*, qui non amplius certis ripis coercetur. — *Per tecta.* Gesnerus, ut modestiæ poetæ consulat, non intelligit summas ædium partes, sed, *tecta* pro participio habens, ea quæ tecta sunt ab cæli injuriis. Verum non tam verecundus est Noster aliis in locis, ut h. l. interpretatione admodum dura eum adjuvemus. Solito sensu *tecta* posuisse Nostrum, indicant sequentia: quæri autem potest, num *per tecta* semper idem sit, quod *super tecta*. Cf. supra not. ad XI, 10.— *Tecta* h. l. domus et ædificia sunt, in vallibus posita, et aqua Tiberis submersa: hoc satis indicatur per, *summisque minantem Collibus.*—*Pyrrhæ secula;* Horat. I, od. 2, 6.

44, 45. *Latiæ*, Romanæ. Opes omnino intelligit antiquas. —*Urbisque potestas*, quæ alias *rerum domina* et erat, et vocabatur. — *Decidit*, devenit, descendit. Horat. Od. IV, 7, 14 sq. Burmann. ad Ovid. Heroid. IV, 94. Senec. Herc. Fur. 268 sq.—*Fluximus. Fluere* est sæpe, sensim minui. — *Umbram*, inanem effigiem et speciem.

46, 47. *Armato quondam populo* etc. Sensus perspicuus est: armis et consilio ditioni meæ subjeci orbem terrarum. Pro *armis* posuit, *armato populo*, quum quia populus senatui opponitur, tum quia legiones olim, ut notum est, e civibus Romanis conscribebantur. Cf. infra 96 sqq. Bentlei. ad Horat. Od. III, 6, 20, legendum existimat:

Armatis quondam populi patrumque vigebam
Consiliis..

Intelligit igitur comitia centuriata, quæ Gesnerus quoque per *armato populo* indicari existimat. Verum illorum comitiorum hic vix locus esse potest, quum sermo sit de opibus, quibus res Romana crevit,

Legibus; ad solem victrix utrumque cucurri.
Postquam jura ferox in se communia Cæsar
Transtulit, et lapsi mores, desuetaque priscis
Artibus, in gremium pacis servile recessi:
Tot mihi pro meritis Libyam Nilumque dedere,

quæque armis et consilio continentur. — *Domui terras* respondet priori *armato populo*, *urbesque revinxi* sequenti *patrum consiliis*. Illud *revinxi* latius expressit infra XXIV, 150 sqq. legibus et institutis cum imperio copulavi, partem imperii feci.

48. *Solem utrumque*, sc. orientem et occidentem.

49. *Jura communia*, id est, reipublicæ administrationem, cujus in libera civitate unusquisque civis est particeps; seu libertatem civilem. — *Ferox*, animosus, fortis, victor. Hæc et sequentia expressit Sidon. Apol. Carm. VII, 100 sqq.

.... et hinc jam
Proh dolor! excusso populi jure atque senatus,
Quod timui, incurri. Sum tota in principe, tota
Principis, et fio lacerum de Cæsare regnum,
Quæ quondam regina fui.

50. *Et lapsi mores*. Morum corruptela maxime ingravescebat, et in dies major majorque fiebat, Carthagine capta et deleta. V. Vellei. Paterc. II, 1, 1; ibi vid. interpp. — *Priscis artibus*. Sunt *priscæ artes* morum simplicitas, frugalitas, amor patriæ, et virtus bellica, omniaque, quæ disciplina majorum et publica et privata continebantur, quibusque res Romana crevit; in quorum locum luxuria, mollities, avaritia, cæteraque mala venerunt. Sallust. Catil. II, 5; ibi v. Corte.

51. *In gremium pacis servile recessi*. Heinsius *servile* Græcorum more adverbii loco, pro serviliter, positum sumit. V. infra 365. Verum dubito, an sic *servile recedere* dici possit. Videor enim mihi animadvertisse, non omnia adverbia, quibuscumque verbis juncta, ita in adjectiva mutari posse; exempla saltem desidero, quibus adjectivum pro adverbio positum sit, quod ad verba pertineat, quibus status motus et progressus corporis indicatur. Confer. Heins. ad I, 120. *Servile*, ut Gesnerus fecit, cum *gremium* jungo. *In gremium pacis recessi* est in pacem quietam, ubi tuta essem a bellis civilibus reliquisque incommodis, quæ libertas secum ferre soleat. Illud *gremium* vocatur *servile*, quia ista pax libertate civili erat comparanda. Cf. XX, 97; Plin. Panegyr. LVI, 4.

52. *Tot pro meritis*. Quod, toto terrarum fere orbe armis meis subacto, imperium in Principem omne contuli, et in servile otium recessi. — *Libyam Nilumque dedere*, Africam Ægyptumque frumentarias provincias constituerunt, aut fecerunt, ut frumentum ex illis provinciis classibus certis in Italiam quotannis deportaretur. Africam horreum populi Romani fuisse notum est. Iani ad Horat. Od. I, 9 sq. Lucan. III, 68 sq. ibi vid. Oudendorp. De ubertate Ægypti vid. Schwarz. et interp. ad Plin. Paneg. c. 30. Conf. Lips. Elect. I, 8.

Ut dominam plebem, bellatoremque senatum
Classibus æstivis alerent, geminoque vicissim
Litore diversi complerent horrea venti.
Stabat certa salus: Memphis si forte negasset,
Pensabam Pharium Gætulis messibus annum.
Frugiferas certare rates, lateque videbam
Punica Niliacis concurrere carbasa velis.

53—55. *Ut dominam plebem, bellatoremque senatum.* Per ironiam dictum hoc esse non potest, sed plebs *domina* vocatur, quia, ut dominus agrorum suorum proventus percipit, quos servi colunt, ita ut ipse sine ullis molestiis in otio vivat, sic alitur plebs romana frumento ex Africa et Ægypto adportato, sine ullo laboris tædio. Africani itaque et Ægyptii, coloni quasi sunt plebis romanæ, ipsaque plebs eorum respectu domina vocatur. — *Bellatoremque senatum.* Ejus enim auctoritate bella decernebantur, quem morem antiquum Stilicho retulisse dicitur. Cf. infra XXI, 325 sqq. Cæterum adparet, hoc versu conversum rerum statum esse indicatum, quum alias populus bellator, senatus vero dominus vocaretur (Burmannus laudat Martial. XIV, 1, 1; Sil. Italic. II, 45, apud quem tamen invidiæ causa senatus ita adpellatur). Verum nunc plebs romana non amplius cogebatur militiæ nomen dare, quum externi et barbari, ut robustiores, ad stipendia vocarentur, nec senatus rerum administrationem habebat, quæ penes Imperatorem erat. Herodian. II, 11, 6. Honestioribus igitur ad speciem verbis uti non poterat poeta, quam ut plebem, nil nisi panem et circenses morantem, *dominam*, senatum, cui pristinæ auctoritatis umbra tantum supererat, quique de bellis decernendis more antiquo ab Imperatoribus consulebatur, *bellatorem* adpellaret. Studia plebis romanæ et mores, ut tum erant, describit Ammian. Marcell. XIV, 6, in fine. — *Æstivis*, quæ æstate, messe peracta, frumentum adportabant. — *Gemino litore*, Africano et Ægyptiaco. — *Diversi*, a plagis diversis flantes. Eurum intelligit, qui ab Ægypto in Italiam navigantibus, et Africum, qui ab Africa in Italiam vela facientibus secundus est. — *Horrea*, quorum trecenta sex Romæ fuisse Barthius adfirmat.

56. *Stabat*, significantius pro, erat.—*Negasset*, sc. victum, seu frumentum. Dictum pro: quando in Ægypto frumenti inopia esset. Cf. Heyne ad Virgil. Georg. I, 149.

57. *Annum*, proventum, seu potius annum sterilem, agrorum sterilitatem; vid. interpr. ad Valer. Flacc. V, 425, ed. Burmann. Barth. ad Stat. Theb. IX, 406.—*Gætulis*, Supra III, 226.

58. *Certare*, in frumento advehendo. Hoc et sequens *late* ad copiam navium frumentariarum, *frugiferatum* spectat.

Quum subiit par Roma mihi, divisaque sumpsit
Æquales Aurora togas; Ægyptia rura
In partem cessere novam. Spes unica nobis
Restabat Libye, quæ vix ægreque fovebat
Solo ducta Noto, nunquam secura futuri,
Semper inops, ventique fidem poscebat, et anni.
Hanc quoque nunc Gildon rapuit sub fine cadentis
Autumni. Pavido metimur cærula voto,
Puppis si qua venit, si quid fortasse potenti

60, 61. *Par Roma*, Constantinopolis. — *Subiit.* Auson. in clar. Urb. II, 5. Notum est, Constantinopoli omnia ita comparata fuisse a Constantino M. ut ea urbs Romæ speciem referret. Zosim. II, 30 sq. Cf. Spanhem. ad Julian. Orat. I, p. 8; Nicephor, VIII, 4; Philostorg. II, 9. De situ urbis et regione circumjacente, qualis quidem olim fuit, vid. Polyb. IV, 38 sqq. Herodian. III, init.

62. *In partem novam.* Arcadii imperio cessit.

63—65. *Quæ* non ad Libyam, sed ad *spem* referendum est. — *Vix ægreque.* Bene observat Burmannus, *vix* ad tempus spectare, *ægre* ad modum agendi, in quo difficultas quædam sit. *Vix ægreque* itaque significat: raro et difficulter. Tenendum autem, poetam de industria rem exaggerare, ut iniquitas Gildonis, aut potius Arcadii, ab Eutropio eunucho instigati, eo luculentius adpareat; qui id agebat, ut Africa, unica urbis Romæ spes, nec ea quidem satis certa, ab imperio occidentali disjungeretur, quum imperium orientale uberrimo commeatu ex Ægypto frueretur. — *Fovebat.* Pro vulgariori, *spem fovebamus*, h. l. ratione inversa dixit *spes fovebat nos.* — *Solo ducta Noto.* Quam spem, id est, classem frumentariam, solus Notus adducebat; Symmach. Epist. III, 82. — *Nunquam secura futuri*; semper incerta, num classes venturæ essent. — *Semper inops* superius spectat *vix ægreque.* — *Venti fidem poscebat*, id est, pendebat a fide venti et anni. Omnibus enim, a quibus aliquid speramus, aut cui confidimus, fidem tribuimus, quam solvunt, quando spes nostras non frustrantur, eamque imploramus aut poscimus, quando ea petimus, quæ ab illis exspectare solemus.

66. *Hanc*, spem.

67, 68. *Pavido metimur cærula voto*, id est, voto nostro mare transimus, dum ea vovemus, quæ trans mare nobis adportanda sunt. Cf. infra XXVI, 46 sq. — *Metiri æquor* pro, navigare, notum est sæpius poni. Virgil. Georg. IV, 389. Odyss. Hom. γ, 179. Burmann. subintelligit, oculis; aliud autem esse videtur, *oculis aliquid metiri*, quo pertinent, quæ idem laudat Lucan. IV, 32; Quintil. Declam. CCLV. — *Pavido* pro, pavidi, timentes, ut voti compotes fiamus. — *Puppis si qua*

Vel pudor extorsit domino, vel prædo reliquit.
Pascimur arbitrio Mauri, nec debita reddi,
Sed sua concedi jactat, gaudetque diurnos,
Ut famulæ, præbere cibos, vitamque famemque
Librat barbarico fastu, vulgique superbit
Fletibus, et tantæ suspendit fata ruinæ.
Romuleas vendit segetes, et possidet arva
Vulneribus quæsita meis. Ideone tot annos

venit, id est, si compertum nobis alicunde est, navem frumentariam in itinere esse. Navis enim in propinquo quominus cogitetur, quæ oculis jam prospici possit, prohibet *pavido voto*. Sed et sic quæri potest, quid sibi velit *pavido*. Nam si compertum est, navem advenire, pavoris nullus est locus, nisi hactenus, ut vel naufragium timeas, vel timeas, ut frumenti aliquid adportet. Etiam hoc perspici nequit, unde exploratum esse potuerit, navem adpropinquare, nisi in conspectu sit. Proinde puto, *si* h. l. Græcorum more pro, num, positum. Apud Græcos nempe εἰ interrogationibus servit obliquis, et nihilominus tamen indicativo jungitur, contra vulgarem Romanorum consuetudinem, qui subjunctivo fere uti solent. Exempla v. apud Zeune ad Vigerum VIII, 6, 4. Cf. Lambin. ad Horat. Epist. I, 5, 30. Sensus: Semper vota facientes, ut inopia nostra sublevetur, simulque timentes, ut rata illa sint, mare cogitamus, num forte navis aliqua veniat, num forte pudor domino aliquid extorserit, aut prædo reliquerit. Barthius *metimur* interpretatur: prospectamus oculis, ut solent, qui aliquem exspectant. Gesnerus ita: metimur oculis, et computatione spatii ac temporis, ventique æstimatione conjecturam facimus, quando venire possint naves frumentariæ.

69. *Pudor*, sc. infamiæ et summæ iniquitatis. — *Prædo*; infra 162 et 458. Cæterum hoc paucitas frumenti in Italiam deportati exprimitur, quum raro *dominus potens* pudore moveri, et *prædo* raro aliquid relinquere soleat.

70. *Pasci* de parasitis et servis proprie dici Juvenalis ait, III, 141. vid. Burmann. ad Petron. 57.

71, 72. *Diurnos*. Servos quaternos frumenti modios accepisse in singulos menses notum ex Donato ad Terent. Phorm. I, 1, 9. Alii diurna servis dabant; Hor. Epist. I, 13, 40. — *Vitam famemque librat*, id est, lancibus veluti æquat vitam et famem, ne fames vitam elevet aut superet. Sensus: hoc tantum nobis concedit, ut vitam toleremus, sed semper esurientes.

73. *Barbarico*, insolenti.

74. *Et tantæ suspendit fata ruinæ*, id est, extrahit, differt cladem plebis romanæ, ut rem sui arbitrii. Ita Barthius. Possis, ut puto, etiam sic verba explicare: facit, ut *fata tantæ ruinæ* nobis impendeant, semper-

Flebile cum tumida bellum Carthagine gessi?
Idcirco voluit contempta luce reverti
Regulus? hæc damnis, genitor, Cannensibus emi?
Incassum toties lituis navalibus arsit
Hispanum Siculumque fretum? vastataque tellus,
Totque duces cæsi, ruptaque emissus ab Alpe
Pœnus, et attonitæ jam proximus Hannibal Urbi?
Scilicet, ut domitis frueretur Barbarus Afris,
Muro sustinui Martem, noctesque cruentas
Collina pro turre tuli? Gildonis ad usum
Carthago ter victa ruit? hoc mille gementis
Italiæ clades, impensaque secula bello,
Hoc Fabius fortisque mihi Marcellus agebant,
Ut Gildon cumularet opes? Haurire venena
Compulimus dirum Syphacem, fractumque Metello

que minentur. Cf. infra 101 sqq.

79. *Regulus;* v. ad VIII, 411. —*Damnis Cannensibus;* vid. Polyb. III, 113 sq. Liv. XXII, 46; Appian. rer. Hannib. c. 19. *Tumulum Hesperiæ* Cannas vocat Sil. Italic. I, 50.

80. *Lituis navalibus*, pugnis nav. — *Arsit* a pugna ad mare translatum est, nisi emotum mare intelligere mavis remorum pulsu, concursuque navium. Haud scio, an alia ratio sit ejus loci, quem Barthius laudat; Virg. Æn. VII. 644. Omnino autem respiciuntur prælia navalia primi belli Punici.

82. *Ruptaque emissus ab Alpe.* De transitu Hannibalis per Alpes v. Polyb. III, 49 sqq. Liv. XXI. 32 sqq. Cf. Sil. Italic. III, 477 sqq.

83. *Proximus Hannibal Urbi.* Polyb. IX, 6. Liv. XXVI, 9. Cf. Sil. Ital. XII, 545 sqq.

85, 86. *Noctesque cruentas Collina pro turre tuli.* Fulvius Flaccus inter Æsquilinam Collinamque portam castra opposuit Hannibali. Liv. l. c. 10. Sil. Italic. XII. 555 sqq. Sid. Apollin. Carm. VII, 129 sqq.

87. *Hoc*, sc. agebant.

89. *Fabius*, Cunctatoris cognomine celeberrimus, cujus ingenium depinxit Sil. Italic. I, 679 sqq. — *Marcellus*, de cujus virtute vid. Liv. XXIII, 14 sq. Sil. Italic. XII, 158 sqq. Virg. Æn. VI, 855.

91, 92. *Syphacem.* Hunc in triumphum ductum esse a Romanis, narrant Polyb. XVI, 23; Appian. r. Punic. 28; Valer. Max. VI, 2. Cf. Sil. Ital. XVI, 272. Verum Livius XXX, 45, multo ante triumphum Scipionis mortuum eumdem tradit. Ad venenum hauriendum compulsum fuisse, nemo, quod sciam, memoriæ prodidit. De Hannibale hoc notum est ex Cornel. XXIII, 2, et iis, qui in edit. Staveriana ad

Traximus immanem Marii sub vincla Jugurtham?
Et Numidæ Gildonis erunt? Proh funera tanta!
Proh labor! in Bocchi regnum sudavit uterque
Scipio? romano vicistis sanguine Mauri?
Ille diu miles populus, qui præfuit orbi,
Qui trabeas, et sceptra dabat, quem semper in armis
Horribilem gentes, placidum sensere subactæ,
Nunc inhonorus, egens, perfert miserabile pacis
Supplicium, nulloque palam circumdatus hoste,
Obsessi discrimen habet. Per singula letum
Impendet momenta mihi, dubitandaque pauci
Præscribunt alimenta dies. Heu prospera fata!

illum locum laudantur. Accedit, quod media syllaba h. l. correpta ab aliis semper produci solet. Barthius igitur et historiæ et metro consuluisse saltem putandus est, quum proponit *Hannibalem*, quæ conjectura etiam probatur Broukhusio ad Propert. III, 9, 61. Cum eodem epitheto occurrit Hannibal apud Horat. Od. II, 12, 2, ubi tamen Jani *durum* legendum putat. Vix autem aliqua ratio potest cogitari, qua librarius inductus fuerit, ut pro *Hannibalem* substitueret *Syphacem;* eum enim somniasse de Sophonisba, Syphacis uxore (de qua vid. Liv. XXX, 15), ut Gesnerus opinatur, mihi quidem non sufficit; atque existimo, quamquam reliqui scriptores de veneno sileant, cujus commemoratio Romanis honori esse non poterat, tamen *Syphacem* esse retinendum, præsertim quum neminem fugiat, in producendis et corripiendis nominibus peregrinis poetas interdum variare. — *Fractumque Metello*, etc. Res nota est ex Sallustii Jugurtha. — *Immanem* ad mures et facinora illius pertinet.

94. *In Bocchi regnum sudavit;* i. e. bellum strenue administravit, ut Bocchus, aut aliquis illi similis regulus Africa potiretur.

97. *Trabeas, et sceptra*, consularem et imperatoriam dignitatem.

99, 100. *Perfert miserabile pacis Supplicium. Supplicium pacis* est calamitas, quæ propter pacem acciderat, quum Honorius, fratrem timens, non ausus esset Gildonem vi et armis statim adgredi. Verba quidem eadem fere sunt apud Juvenalem, VI, 292, quo loco propterea in fraudem actus est Gesnerus, ut *miserabile pacis supplicium* interpretaretur, intermissas per pacis tempus exercitationes bellicas.

101. *Discrimen*, periculum, nempe fame moriendi.

102, 103. *Dubitandaque pauci Præscribunt alimenta dies;* i. e. pauci dies jubent dubitare, an iis elapsis adhuc supersint alimenta; dubium est, an alimenta post paucos dies superfutura sint.

Quid mihi septenos montes, turbamque dedisti,
Quæ parvo non posset ali? felicior essem
Angustis opibus: mallem tolerare Sabinos
Et Veios: brevior duxi securius ævum;
Ipsa nocet moles. Utinam remeare liceret
Ad veteres fines, et mœnia pauperis Anci!
Sufficerent Etrusca mihi Campanaque culta,
Et Quincti Curiique seges, patriæque petenti
Rusticus inferret proprias dictator aristas.
Nunc quid agam? Libyam Gildon tenet, altera Nilum.
Ast ego, quæ terras humeris, pontumque subegi,

104. *Septenos.* Stat. Silv. I, 5, 23. — *Turbam*, civium multitudinem.

106, 107. *Tolerare Sabinos Et Veios.* Sabini et Veientes hostes erant populi Romani sub regibus et primis reipublicæ temporibus. — *Brevior*, minor. VIII, 572.

108. *Ipsa nocet moles.* Cf. Livium in præfat. Propert. III, 11, 60; Horat. Epod. XVI, 2; Petron. de Mutat. reip. Rom. v. 82. sqq. Poet. lat. min. T. III.

109. *Pauperis Anci.* Anci regia opes h. l. æstimantur ex recentioris temporis divitiis.

110. Ab Hetruscis et Campanis primis temporibus sæpius frumentum petitum est. Cf. Liv. II, 34; IV, 12 etc.—*Culta*, agri.

111, 112. *Et Quincti Curiique seges, patriæque... aristas.* Positi sunt *Quinctii Curiique* h. l. pro omnibus qui illis viris similes erant, ut *rusticus dictator* pro omnibus magistratibus summis. Dicere voluit Noster, tunc segetes principum virorum, quamquam per se parvæ, necessitati tamen reipublicæ suffecisse, omnesque viros primores, qui illa tempestate agros ipsi colerent, libenter, patria petente, fruges suas in publicum protulisse. Gesnerus locum de Curio et Quinctio ipsis intelligit; indeque illi difficultas suborta est, quam dura admodum interpretatione removere conatur. Etenim uterque pauper patriam non poterat frumento suo sublevare, qui neuter latifundia possidebat, quæ in hanc rem opus fuissent. Existimat igitur, *petenti Romæ* ita absolute positum esse, ut *ipsos* subintelligendum sit, hoc sensu: patriæ ipsos imploranti, et dictaturam illis offerenti inferebant ipsi segetes suas: quo tempore patria ipsos petebat, eo illi occupati erant in messibus colligendis, et invehendis in Urbem frugibus. Ut omittam, *petere* vix hoc sensu occurrere, totus locus hac interpretatione inter frigidissimos refertur.

113. *Altera*, sc. Roma, Constantinopolis. Vid. supra v. 61.

114. *Quæ terras humeris.* Explicari hoc quodammodo potest ex eo, quod Sesostris statuæ subscriptum

Deseror; emeritæ jam præmia nulla senectæ.
Di, quibus iratis crevi, succurrite tandem;
Exorate patrem; tuque o, si sponte per altum
Vecta Palatinis mutasti collibus Idam,
Prælatoque lavas Phrygios Almone leones,
Maternis natum precibus jam flecte, Cybebe.
Sin prohibent Parcæ, falsisque elusa vetustas
Auspiciis; alio saltem prosternite casu,

fuisse memoriæ prodidit Herodot. II, 106, quem locum jam laudavit Barthius, cujus conjectura *juvenis*, quam juvenis ipse fecerat, ingeniosa sane est, egregieque commendatur versu sequenti, ubi opponitur *emeritæ senectæ*. Commendant quoque eam verba Ammiani Marcellini, XIV, 6: « Ejus (Romæ) populus ab incunabulis primis adusque pueritiæ tempus extremum, quod annis circumcluditur fere trecentis, circummurana pertulit bella; deinde ætatem ingressus adultam, post multiplices bellorum ærumnas, Alpes transcendit et fretum: in juvenem erectus et virum, ex omni plaga, quam orbis ambit immensus, reportavit laureæ triumphos; jamque vergens in senium, et nomine solo aliquoties vincens, ad tranquilliora vitæ discessit. » *De humeris*, quamquam scripti constanter hanc vocem servant, tamen potest dubitari, quum hujusmodi usus ejus fortasse sine exemplo sit.

115. *Deseror*, sc. a diis.

116. *Quibus iratis crevi.* Quia incrementa imperii romani in ejus ipsius perniciem verterant, ea repetit Noster a diis iratis. Cf. not. ad Pers. IV, 27, et Lambin. ad Horat. Serm. II, 3, 8.

117. *Patrem*, sc. Jovem exorate.

118—120. *Cybebe*, seu *Cybele*, quæ Pessinunte pulcherrimum templum habebat (Diodor. Sic. III, 58 sq.), bello Punico secundo, quia alia ratione hostis ex Italia pelli non posset, ex libris Sibyllinis Romam est accersita. Rem narrant Liv. XXIX, 10—14; Ovid. Fast. IV, 249 sqq. Sil. Ital. XVII, 1 sqq. Herodian. I, 11. — *Idam*, Phrygiæ montem, gratissimam Cybeles sedem. Cf. infra XXXIII, 199 sqq. — *Palatinis collibus.* Templum Cybeles erat in monte Palatino. Liv. l. c. 37. — *Sponte*; Ovid. l. c. 219 sqq. — *Prælatoque Almone. Almo*, seu *Almon* (Heins. ad Ovid. Fast. II, 601) rivulus non longe a Roma in Tiberim influens, in quo signum deæ illius, adverso Tiberi Romam vectæ, ablutum est; qui mos deinde annuus mansit, ut VI calendarum april. simulacrum ablueretur. Vid. interpp. ad Valer. Flacc. VIII, 239 sqq. Spanh. ad Callim. Hymn. in Pallad. — *Leones Phrygios*; Lucret. II, 600 sq. — *Maternis*; erat nempe mater deum. — *Natum*, Jovem.

121. *Parcæ*, seu fata.

122. *Auspiciis*, quibus perpetuitas imperii romani promissa est.

Et pœnæ mutate genus. Porsenna reducat
Tarquinios ; renovet ferales Allia pugnas ;
Me potius sævi manibus permittite Pyrrhi ;
Me Senonum furiis, Brenni me reddite flammis:
Cuncta fame leviora mihi. » — Sic fata, refusis
Obticuit lacrymis. Mater Cytherea, parensque
Flet Mavors, sanctæque memor Tritonia Vestæ.
Nec sicco Cybele, nec stabat lumine Juno.
Mœrent Indigetes, et si quos Roma recepit,
Aut dedit ipsa Deos. Genitor jam corda remitti
Cœperat, et sacrum dextra sedare tumultum :

124. *Allia.* Vid. Heyne Excurs. VIII, ad Virgil. Æn. VII, 717 ; de clade Romanorum ad illum fluvium vid. Liv. V, 37 sq.

127, 128. *Refusis Obticuit lacrymis.* Sidon. Apollin. Carm. VII, 118 sq.

....Lacrymæ vocem clausere precantis,
Et quidquid superest luctus rogat.

129. *Flet Mavors.* Euripides quidem, quem Barthius laudat (Hippol. 1396), Dianam inducit dicentem, deos non flere; eademque sententia occurrit apud Ovid. Met. II, 621 sq. idem Fast. IV, 521 sq. dicit, lacrymare non esse deorum ; nihilominus tamen lacrymæ guttam ex oculis Cereris stillantem facit. Facile apparet, fletus et lacrymas deorum ad ea referenda esse, quæ a poetis pro arbitrio ad ingenium cujusque et consilium varie constituta sint. Plura super hanc rem congessere Burmann. ad Ovid. Met. l. c. Broukh. ad Propert. II, 13, 54; Spanhem. ad Callim. H. in Dian. 149. Mars h. l. lacrymans inducitur, quia ad Romuli Remique patrem res romanæ tantopere pertinent. — *Sanctæque memor Tritonia Vestæ.* In templo Vestæ Palladium, simulacrum, ut putant, Palladis, nemini viro, præter pontificem maximum, videndum, custodiebatur, Vestaque ipsa sæpe cum Palladio repræsentata est. Vid. Heyne in Excursu IX, ad Virgil. Æn. II.

131. *Indigetes*, homines inter deos recepti, Æneas, Romulus etc. Barthius laudat Macrob. Somn. Scip. I, 9. Imperatores autem h. l. sub iis intelliguntur, quos *Roma dedit Deos.* Cf. interpp. ad Virgil. Georg. I. 498. — *Si quos Roma recepit*, peregrinos, quos Romani ab aliis gentibus receperunt, Æsculapium, Isidem etc.

132, 133. *Genitor jam corda remitti Cœperat. Corda* plur. pro singul. ut Virgil. Æn. VI, 49. Cor Jovis miseratione erat commotum, ut reliquorum deorum, sed primus se colligere cœperat, atque in eo erat, ut sedato corde (Virgil. Æn. XII, 18) ad Romæ querelas responderet. — *Tumultum*, indignationem deorum dearumque. — *Dextra sedare.* Cf. Lucan. I, 298.

Quum procul insanis quatiens ululatibus axem,
Et contusa genas, mediis apparet in astris
Africa: rescissæ vestes, et spicea passim
Serta jacent; lacero crinales vertice dentes,
Effractum pendebat ebur, talique supernas
Irrupit clamore fores: « Quid, magne, moraris
Jupiter, avulso nexu, pelagique solutis
Legibus, iratum populis immittere fratrem?
Mergi prima peto: veniant prærupta Pachyno

134 sqq. Inducitur nunc Africa, magno clamore deorum opem contra Gildonis tyrannidem jam intolerabilem petens. Apte huic Noster narrationem tribuit de istius facinoribus; quippe quæ optime scire deberet et pravos tyranni mores, et calamitatem, qua diu oppressa fuerit. Vix autem monere attinet, non ad historiæ fidem Nostrum hæc scripsisse, sed ad invidiam Gildoni faciendam. *Quatiens;* v. n. ad X, 154.

135. *Contusa.* Pectus aut faciem contundere palmis, luctus erat gravissimi signum. Heins. laudat Lucan. II, 335 sqq. IX, 105; Juvenal. XIII, 128. Eodem pertinent *rescissæ vestes.*

136. *Africa.* Africam specie muliebri Curtio Rufo se obtulisse narrat Plin. Epist. VII, 27. Compara Sidon. Appollin. Carm. V, 53 sqq. qui Nostrum imitatus est. — *Spicea serta*, fertilitatis symbolum. — *Passim* est sine ordine, confuse. Sic Burmann. quem v. ad Phædr. V, 1; Quintil. Declam. IV, 13.

137. *Crinales dentes.* Barthius pectinem eburneum intelligit, cui explicationi refragatur, quod explicandi gratia adjectum est *effractum ebur.* Gesnerus dentes in exuviis capitis elephantini, quas pro casside in capite gerat dea Africa; huic repugnare videtur et *lacero vertice*, et epithet. *crinales*, quod commune est omnium, quæ ad ornatum crinium adsumuntur. Equidem proprium hujus deæ ornatum intelligo, dentes elephantinos diademati forsan infixos seu religatos, qui nunc effracti pendebant. Cæterum loquendi rationem *crinales dentes*, *effractum ebur* multis exemplis illustrat Heinsius, ex quibus profero Virgil. Eclog. II, 3; III, 3; IX, 9.

139. *Irrupit fores.* Sic Lucan. V, 127; Stat. Thebaid. VI, 641. Cum casu quarto sæpe hoc verbum construi docuerunt Heins. et Drakenb. ad Sil. Italic. II, 378; Burmann. ad Virgil. Æn. VI, 528.

140. *Avulso nexu*, quo pelagus retinetur, ne inundet terram.

142. *Pachyno* pro, a Sicilia; Pachynum enim ejus insulæ promontorium Africæ proximum. — *Prærupta.* Heinsius vel invitis membranis legendum putat *prorupta* ex Virgil. Æn. I, 245 sqq. Equidem conjecturam non necessariam, immo alienam, puto. — *Prærupta* undarum vim exprimit aliarum super

Æquora ; laxatis subsidant Syrtibus urbes.
Si mihi Gildonem nequeunt abducere fata ,
Me rape Gildoni. Felicior illa perustæ
Pars Libyæ, nimio quæ se munita calore
Defendit , tantique vacat secura tyranni.
Crescat zona rubens : medius flagrantis Olympi
Me quoque limes agat : melius deserta jacebo
Vomeris impatiens : pulsis dominentur aristis
Dipsades, et sitiens attollat gleba cerastas.
Quid me temperies juvit? quid mitior æther?
Gildoni fecunda fui : jam Solis habenæ
Bis senas torquent hiemes , cervicibus ex quo
Hæret triste jugum ; nostris jam luctibus ille
Consenuit, regnumque sibi tot vindicat annos ;
Atque utinam regnum ! privato jure tenetur ,

alias irruentium, montiumque instar versus Africam se volventium. Bene laudat Gesnerus Virgil. Æn. I, 109.

143. *Laxatis Syrtibus.* Gesnerus: Syrtes aggerem præstant terris, quas præcingunt; his laxatis solutisque, irrunnt undæ, urbesque submergunt.

147. *Secura vacat tyranni*, simpl. pro, vacat tyranno, aut secura est tyranni, nullum tyrannum timet. Gesnerus *vacat* absolute dictum putat, pro: vacua est cultoribus, frugibus, bonis aliarum regionum.

148. *Zona rubens*, ignea, torrida. Eadem zona vocatur *medius limes flagrantis Olympi*. Describit illam Tibull. IV, 1, 158 sqq. Cf. Virgil. Georg. I, 233, et infra XXI, 337.

149. *Agat*, auferat, involvat, ut pars illius sim.

151. *Dipsades. Dipsas*, διψὰς, serpens, cujus morsus dicebatur sitim excitare adeo inexplebilem, ut indesinenter bibentes rumperentur. Lucr. IX, 737 sqq. Ælian. H. A. VI, 51. Dioscorid. VIII, 119. Plin. H. N. XXIII, 8; XXXV, 5. -- *Cerastas;* Lucan. IX, 717 sqq. Plin. H. N. VIII, sect. 35. — *Attollat*, generet, nutriat, incitet, ut se adtollant ad nocendum.

153. *Gildoni fecunda fui.* Heins. laudat Ovid. Met. XIII, 105.

154. *Bis senas torquent hiemes*, i. e. bis senas hiemes adduxit sol, cursu suo ad tropicum Capricorni toties remotu.

156. *Consenuit* h. l. potentiam notat annis inveteratam et confirmatam ; alias, decrementum virium.

157. *Atque utinam regnum! privato jure tenetur*, etc. Sensus: Si Gildonis potestas regnum vocari pos-

Exigui specie fundi, quod Nilus et Atlas
Dissidet; occiduis quod Gadibus arida Barce,
Quodque Parætonio secedit litore Ganges,
Hoc sibi transcripsit proprium: pars tertia mundi
Unius prædonis ager. Distantibus idem
Inter se vitiis cinctus; quodcumque profunda
Traxit avaritia, luxu pejore refundit:
Instat terribilis vivis, morientibus hæres,
Virginibus raptor, thalamis obscenus adulter.
Nulla quies: oritur præda cessante libido,
Divitibusque dies, et nox metuenda maritis.

set, tolerabilior res foret; verum totam Africam patrimonii instar possidet. Etenim in regno, sua cuique res propria est, quanquam rex in possessores et fundorum dominos imperium exercet; in fundo autem omnia pertinent ad dominum fundi. Gildo quum rebus privatorum, ut suis, uteretur, nec ab alienis abstineret manus, non regem agebat, sed fundi possessorem.

158. *Specie*, instar. — *Quod*, quantum. — *Quod Nilus et Atlas.* Locutionem hanc Noster amat; v. infra XVIII, 196; XXVIII, 543 sq. Cf. Lucan. III, 294; Stat. Theb. XI, 80 seqq.

159. *Barce*, urbs mediterranea Cyrenaica; Herodot. IV, 160: ibi v. not.—*Arida*; Sil. Italic. II, 62, et III, 251.

160. *Parætonio. Parætonius* Libyci nomi urbs, quæ etiam Hammonia vocatur, inter Cyrenaicam et Ægyptum sita, non procul ab Alexandria. Cf. Schol. ad Lucan. III, 295. —*Ganges* h. l. ineptum est, quia de tertia parte mundi, de Africa, agitur versu sequenti. Hujus fines ab oriente ad occidentem, et rursus ab occidente ad orientem poeta expressit. Hoc jam satis superque erat. Quare hunc versum, ut plane alienum, intrusum existimo. Adscriptus forsan erat margini, ad simile genus loquendi notandum. Burmannus suspicatur, legendum esse vel *Gorge*, vel *Tinges*. Sed etiam vel sic versus friget.

161. *Transcripsit.* Pecuniam alicui *transcribere* proprie is dicitur, qui a mensa alicui pecuniam solvit; Burmann. ad Quintil. Declam. XII, 18. Ergo significat, proprium alicui aliquid dare, et h. l. positum est pro, sibi vindicare.

162. *Distantibus*, contrariis.

163. *Cinctus*, præditus. — *Profunda*, quæ voraginis instar omnia ad se trahit et devorat. Huic accommodate posuit *traxit*, et *refundit*.

165. *Morientibus hæres.* Hæc explicari possunt ex Sueton. Calig. 38, et Domit. 12; quæ loca Barthius laudat.

166. *Thalamis*, uxoribus.

Quisquis vel locuples, vel pulchra conjuge notus,
Crimine pulsatur falso: si crimina desunt,
Accitus conviva perit: mors nulla refugit
Artificem; varios succos spumasque requirit
Serpentum virides, et adhuc ignota novercis
Gramina. Si quisquam vultu præsentia damnet,
Liberiusve gemàt, dapibus crudelis in ipsis
Emicat ad nutum stricto mucrone minister.
Fixus quisque toro tacita formidine libat
Carnifices epulas, incertaque pocula pallens
Haurit, et intentos capiti circumspicit enses.
Splendet Tartareo furialis mensa paratu,
Cæde madens, atrox gladio, suspecta veneno.

170. *Pulsatur*, agitatur, vexatur.

171, 172. *Perit*, sc. veneno.— *Mors nulla refugit Artificem.* Hoc Barthius sic explicat: nemo tam callidus tamque cautus est, qui artificem cædis fugerit, excogitatis omnibus viis et speciebus mortis. Equidem *refugit* pro simplici *fugit* positum puto, et *nulla mors* pro, nullum mortis genus. Possit tamen sensus esse: nullum mortis genus incassum tentavit. Pertinet hoc ad artis veneficæ scientiam, cujus peritissimus Gildo inducitur, qui omnes rationes calleat, qua homines veneno tollantur. — *Varios* aptius sane h. l. est, quam *validos*, quod Burmannus proponit.—*Spumas Serpentum virides*; Stat. Th. V, 508. sq.

.........Tumidi stat in ore veneni
Spuma virens.

Cf. Silv. I, 4, 102 sq.

173 *Novercis.* Novercarum in veneficiis infamia vulgata fuit; Ovid. Met. I, 147; Virgil. Georg. II, 128, et III, 282; Juv. VI, 628 sqq.

174. *Gramina*, herbas venenatas, quas *mala gramina* vocat Virgil. Æn. II, 471. — *Damnet*, respuat, recuset edere, vel bibere.

176. *Emicat*, prosilit. Hominem ad nutus heriles promptum exprimit.

177. *Libat*, bene de edente, qui venenum timet.

178. *Carnifices epulas.* Exemplorum, quibus substantivum adjectivi vices sustinet, magnam copiam collegit Ruperti ad Sil. Italic. I, 173. Cf. supra X, 88. et infra XXI, 121.— *Incerta pocula*, quæ nescit, utrum venenata sint, nec ne.

179. *Intentos*, ut Damoclis capiti.

180. *Furialis mensa*, quam insana rabies a Furiis mota exstruxit. Sic Atrei *mensæ furiales* appeliantur Ovid. Amor. III, 12, 39. Ad scelus enim immane et atrox, ex antiquorum ratione, nemo nisi Furiis instinctus, se accingit. Possunt quoque venena spectari, quibus omnia erant condita.

Ut vino calefacta Venus, tum sævior ardet
Luxuries; mixtis redolent unguenta coronis.
Crinitos inter famulos pubemque canoram
Orbatas jubet ire nurus, nuperque peremptis
Arridere viris. Phalarin, tormentaque flammæ
Profuit, et Siculi mugitus ferre juvenci,
Quam tales audire choros: nec damna pudoris
Turpia sufficiunt. Mauris clarissima quæque
Fastidita datur: media Carthagine ductæ
Barbara Sidoniæ subeunt connubia matres.
Æthiopem nobis generum, Nasamona maritum
Ingerit: exterret cunabula discolor infans.
His fretus sociis, ipso jam principe major
Incedit: peditum præcurrunt agmina longe;

182. *Calefacta Venus*. Cf. Ovid. A. A. I, 244; ibi Heins.

183. *Mixtis redolent* etc. In conviviis paullo lautioribus vina, flores et unguenta semper fuisse notum est ex Horat. Od. II, 3, 13 sq. III, 14, 17 et 29, 2 sqq.

184. *Crinitos famulos*, pueros delicatulos, qui pocula ministrabant. — *Pubemque canoram*, symphoniacos. Vid. interpp. ad Petron. Sat. cap. 31.

185, 186. *Nuperque peremptis Arridere viris*; id est, lætas esse, quanquam mariti nuper interfecti essent. — *Phalarin*, tyrannum Agrigentinum. Ovid. A.A. I. 653 sqq. Lucian. Phalar. prior. cap. 11, p. 197, T. I. ed. Reiz. — *Tormentaque flammæ* pertinet ad illum bovem ex ære, cui ignis subjiciebatur.

187. *Profuit*, sc. magis; *profuit ferre*, pro, tolerabiliora fuere.

188. *Choros*, illa gaudia, epulas. Conf. XXII, 421.

190. *Fastidita*, cujus amore satiatus est Gildo. Cur hæserit h. l. Burmannus, dispicere non possum.

191. *Subeunt*, ineunt, quasi jugum aut servitium. Ad atrocitatem rei augendam additur, hoc fieri Carthagine ipsa, in conspectu civium, cognatorum.

192. *Nasamon*, accola Syrtis majoris. Illa gens ex naufragiis spoliisque navium ditescere solebat; Herodot. II, 32; IV, 172, 183; Lucan. IX, 438 sqq. 891.

193. *Ingerit*, obtrudit. De hac voce v. Schwarz. ad Plin. Panegyr. LXXXVI, 2. — *Exterret cunabula*. Num ipsæ culcitellæ et fulmenta, quibus infans fovetur, exterrentur? — *Discolor*; est enim hybrida, *ein Blendling*.

194. *His sociis*, Mauris, quos sibi nuptiis illis conciliavit. — *Major*. Cf. supra V, 344. Regum potentiam superare se putat.

Circumdant equitum turmæ, regesque clientes,
Quos nostris ditat spoliis: proturbat avita
Quemque domo, veteres detrudit rure colonos.
Exsiliis dispersa feror: nunquamne reverti
Fas erit, errantesque solo jam reddere cives?»
Iret adhuc in verba dolor, nisi Jupiter alto
Cœpisset solio: voces adamante notabat
Atropos, et Lachesis jungebat stamina dictis.
«Nec te, Roma, diu, nec te patiemur inultam,
Africa; communem prosternet Honorius hostem.

198. *Veteres colonos*. Virgil. Eclog. IX, 4.

199, 200. *Nunquamne reverti Fas erit, errantesque* etc. Turbata hæc esse suspicatur Heinsius; est enim in cod. Ambr. optimæ notæ lacuna, seu versus imperfectus relictus: *Fas erit — Errantesque solo natali reddere cives*. Alii Mscrpt. aliter. Pro *Fas erit*, Burmannus proponit *Spes erit*. Cæterum ex verbis, ut nunc quidem leguntur, vix alius sensus potest erui, quam: Nunquamne *fas erit*, licebit, illis patria pulsis in eamdem reverti, ut nunc profugi tandem aliquando reddant cives solo patrio, quum revertantur?

201. *Iret adhuc in verba dolor*, pro, diutius questa esset.

202, 203. *Cœpisset*, sc. fari. — *Voces adamante notabat Atropos*. Atropos, quæ fati immutabilitatem exprimit, notat Jovis verba. Recentiores poetæ fictionem de Parcis ita mutasse videntur, ut eas Jovi a manu esse fingerent, quæ ejus effata, ut firma manerent, neque oblivione delerentur, literis mandarent. Adumbratum hoc fortasse est a consuetudine Imperatorum, quibus scribæ ad eamdem rem semper præsto essent. Vid. Pacatum in Panegyr. Vet. XII, 18, 4; Martianum Capellam a Gronovio laudatum ad Gell. III, 16. Apud Ovid. Met. XV, 810, in templo Parcarum sunt

Ex ære et solido rerum tabularia ferro;

sed illic *inclusa adamante perenni fata* Jupiter in Veneris gratiam mutare non potest. Hæc rursus ex Saturni templo ficta videntur, ubi senatus, decreta æneis tabulis incisa, custodiebantur. Noster conjungit veterem rationem cum recentiori. Atropos *adamante notat*, id est, ære inscribit Jovis voces; *Lachesis stamina jungebat dictis*, id est, Jove dicente, Lachesis nebat stamen, seu filum fatale. — *Jungebat*, mea quidem de opinione, nihil aliud exprimit, quam Lachesin eodem tempore id fecisse, ut stamen Jovis dictis congruum esset. Burmannus obscura hæc esse fatetur; proponit itaque: *pingebat stamina dictis*, id est, ut ipse explicat, dicta Jovis intexuit staminibus. Gesnerus *jungebat* interpretatur: talia ducebat, qualia jusserat Jupiter. — *Lachesis*, ἀπὸ τοῦ λαγχάνειν, sortiri.

Pergite securæ: vestrum vis nulla tenorem
Separat, et soli famulabitur Africa Romæ.»
  Dixit, et afflavit Romam meliore juventa.
Continuo redit ille vigor, seniique colorem
Mutavere comæ: solidatam crista resurgens
Erexit galeam, clypeique recanduit orbis,
Et levis excussa micuit rubigine cornus.
  Humentes jam Noctis equos, Lethæaque Somnus
Frena regens, tacito volvebat sidera curru.
Jam duo Divorum proceres, seniorque minorque
Theudosii pacem laturi gentibus ibant,

206. *Tenorem.* — *Tenor* est velut continuitas, συνάφεια, quum sine interstitio res sibi succedunt. Sic Gesnerus. H. l. igitur positum est pro nexu mutuo Africæ et Romæ, qui nexus, qualis sit, in sequentibus explicatur.

208. Ex Virgil. Æn. I, 591 sqq. ubi Heyne vocem *adflare* uberius explicat, ab oris anhelitu ductam, quo alteri vis aliqua præternaturalis impertiri cogitabatur.

209. *Senii colorem;* vid. supra v. 24 sq. et Rutil. Itiner. I, 115 sq. ibique Wernsdorf. Poet. lat. min. T. V, P. I.

210, 211. *Crista resurgens Erexit galeam.* Docte hoc, et exquisite, quia crista alta staturæ magis proceræ speciem præbet. — *Solidatam;* ante enim erat *laxata*, v. 24; nunc vero capiti rursus apta.

212. *Levis;* v. supra v. 25, ubi contraria ratione *traxit* positum. Viribus restitutis, gravis ante hasta levis reddita est. Hoc non cogitasse videtur Heinsius, quum proponebat legendum *Levis et.* Hoc quoque jam latet in *micuit.*

213, 214. Somnum aurigam Noctis jam induxit Stat. Theb. II, 59, et XII, 305 sqq. Cæterum Nocti bigas aut quadrigas a poetis traditas esse notum est; Broukh. ad Tibull. II, 1, 87; Heyne ad eumdem, III, 4, 17. — *Lethæaque*, quia somnus curarum oblivionem adducit. Hinc Callimach. H. in Del. v. 234, Ληθαῖον πτερὸν somno tribuit, et Sil. Italic. X, 356, *Lethæam virgam.* Virgil. Georg. I, 78, ipsum somnum *Lethæum* vocat. Cf. eumdem Æn. V, 854 sq. et Heyne in Excursu VIII. — *Volvebat sidera.* Sidera enim Noctis currum comitantur; Theocrit. II, 166; Tibul. II, 1, 87 sqq. ibi v. Heyne. Procedunt itaque simul cum Nocte, atque idcirco *volvi* dicuntur a Noctis curru. Sed varia ratione, in adumbranda Noctis imagine, versati sunt poetæ; v. Burmann. ad Valer. Flacc. V. 567, et Broukh. ad Propert. III, 19, 10.

215. *Duo Divorum proceres.* Theodosium Comitem et Theodosium Magnum intelligit: ille avus erat Arcadii et Honorii, hic pater.

Qui Jovis arcanos monitus, mandataque ferrent
Fratribus, et geminis sancirent fœdera regnis.
Sic quum præcipites artem vicere procellæ,
Assiduoque gemens undarum verbere nutat
Descensura ratis, cæca sub nocte vocati
Naufraga Ledæi sustentant vela Lacones.
Circulus ut patuit lunæ, secuere meatus
Diversos. Italas senior tendebat in oras;
At pater, intrantem Pontum qua Bosporus arctat,
Arcadii thalamis, urbique illapsus Eoæ.
Quem simul ut vidit natus (nam clara nitebat
Cynthia), permixto tremuerunt gaudia fletu,
Complexuque fovens, quos non speraverat, artus:
«O mihi post Alpes nunc primum reddite, dixit,
Unde tuis optatus ades? da tangere dextram,
Qua gentes cecidere feræ. Quis tale removit
Præsidium terris? ut te mortalia pridem
Implorant, lugentque pium, fortemque requirunt!»
Cui pater in tales rupit suspiria voces:

218. *Et geminis sancirent fœdera regnis*, id est, occidentale et orientale imperium, Eutropii scelere alterum ab altero alienatum, novo fœdere conjungerent.

219—222. *Artem*, gubernatoris prudentiam et dexteritatem. Cf. Lucan. V, 645 sq. Stat. Theb. VI, 451 sqq. Licent. Carm. ad August. v. 78 sqq. Poet. lat. m. T. IV, P. II. — *Verbere*. Horat. Od. III, 27, 23 sq. — *Descensura*, quod displicet Heinsio; sed v. Oudendorp. et Burmann. ad Lucan. III, 630. — *Naufraga Ledæi* etc. Cf. n. ad I. 239.

223. *Circulus Lunæ*. V. n. ad VII, 164. — *Secuere*, forma loquendi a sulcis agrorum petita; Sil. Italic. II, 171; Burmann. ad Quintil. Instit. III, 1. Sic Græci τέμνειν ὁδόν.

228. *Tremuerunt gaudia*. Ipse Arcadius gaudio trepidavit, gestiit.

230. *Post Alpes*, post expeditionem contra Eugenium; vid. supra ad I, 74, et ad VII, 63. Cæterum color orationis petitus est a Virg. Æn. II, 281 sqq.

231. *Tangere dextram*. Virgil. Æn. VII, 266.

233. *Mortalia*, homines.

234. *Pium*, clementem, civium amantem.

235. Comparant Virgil. Æn. I, 371; II, 129; IV, 553; Ovid. A. A. I, 539; Valer. Flacc. I, 508;

« Hoc erat? in fratres medio discordia Mauro
Nascitur, et mundus germanaque dissidet aula?
Gildonisne salus tanti sit palma furoris?
Scilicet egregius morum, magnoque tuendus,
Et cujus meritis pietas a fratre recedat.
In primo genitore, vide: civile calebat
Dissidium; dubio stabant Romana sub ictu.
Quis procul Armenius, vel quis Mæotide ripa
Rex ignotus agit, qui me non juvit euntem?
Auxilio fovere Getæ, venere Geloni.
Solus at hic, non puppe data, non milite misso,
Subsedit, fluitante fide: si signa petisset

IV, 42. Cf. Nost. infra XXVI, 520.

236. *Hoc erat.* Color orationis idem est apud Virgil. Æn. IV, 645. V. Burmann. ad. Petron. 93; Barthium et hic, et in Advers. XLV, 8. Nostrates, *das war es also?—In fratres;* structuram hanc vocat Barthius meliorem usum voculæ *in*, qui deceperit librarios, capitque pro, in fratribus. Gesnerus verum vidisse videtur, quum explicat: non tantum inter fratres, sed contra illos, ut sua invicem grassentur in viscera, discordia nascitur. — *Medio Mauro*, Gildone auctore, qui sollicitatus ab Eutropio non in fide manserat, sed, quum Honorium perfidia sua graviter offendisset, Arcadium autem promissis ad se tutandum pellexisset, discordiæ causa inter illos fratres erat.

237. *Mundus*, imperium Romanum universum. — *Germana aula*, fratres Augusti, quum Arcadii Gildonem tuentis, tum Honorii eum oppugnantis.

238. *Palma*, præmium, — *Furoris*, dissidii.

239, 240. *Magnoque* sc. impendio, pretio, h. l. fratris offensione. —*Pietas a fratre;* universe dictum molliendæ exprobrationis gratia, pro, propter quem desinas pius esse in fratrem.

241. *In primo genitore, vide;* subintellige, virtutem ejus et fidem. Cognosce, quanta ejus merita fuerint, et fides in me primum. Illud *primum* respicit sequens iterum v. 257. — *Civile calebat*, bellum contra Maximum.

242. *Dubio sub ictu*, id est, in discrimine magno, unde dubium erat, an salva essent evasura. Lucan. V, 729 sq. VI, 613. Ruperti ad Sil. Ital. IV, 42. — *Romana*, τὰ τῶν Ῥωμαίων.

244, 245. Valde mihi arridet Burmanni conjectura: *qui me non juvit euntem Auxilio? venere Getæ, venere Geloni*. Cf. infra XXI, 207. Burmannus laudat Virgil. Eclog. X, 19 sq. 24 sq. Stat. Silv. III, 5, 62, et IV, 3, 125 sq.

247. *Subsedit*, sc. in insidiis, ut est apud Liv. I, 14. Plura vide

Obvia, detecto submissius hoste dolerem.
Restitit in speculis fati, turbaque reductus
Libravit geminas, eventu judice, vires,
Ad rerum momenta cliens, seseque daturus
Victori. Fortuna simul cum Marte pependit.
Et si non cupidis essem præreptus ab astris,
Exemplum sequerer Tulli, laniandaque dumis
Impia diversis raptarem membra quadrigis.
Germani nunc usque tui responsa colebat:
En iterum calcat! tali te credere monstro

apud Ruperti in VV. LL. ad Sil. Italic. III, 221; Oudendorp. ad Lucan. V, 226.

248, 249. *Si signa petisset Obvia*, id est, si transiisset ad hostes. *Signa obvia* hostilia sunt, seu exercitus hostium VIII, 484. Tres libri scripti apud Heins. *tulisset*, quod Heinsio probatum, et a Gesnero receptum est. Frequentius sane hoc est; sed ob id ipsum non verisimile videtur librarios *tulisset* mutasse in *petisset*. — *Submissius*, remissius, minus. — *Restitit in speculis*, id est, speculatus est.—*Fati*, quo fatum, seu fortuna rem inclinatura esset. — *Reductus*, remotus (VIII, 80) a *turba*. Minus bene Gesnerus explicat, sine arbitris; est potius, a pugnæ tumultu remotus. Remotus a pugna, eventum ejus speculabatur, ut victoris partibus se addiceret. Hoc sequens versus exprimit.

250. *Libravit*, æstimavit tanquam bilancis ope, eventusque erat ei pro bilancis examine.

251. *Ad rerum momenta cliens*. *Momentum* proprie est id, quòd facit, ut in alterutram partem bilanx deprimatur aut vergat. *Ad rerum momenta* igitur significat ad rerum inclinationes; quo rem inclinaret fortuna, ejus partis semper erat cliens. Cum fortuna fides ejus mutabatur.

252. *Fortuna simul cum Marte pependit*, id est, fortuna in neutram partem inclinata hærebat, cujus partes sequeretur; igitur a bello tamdiu abstinuit. Cf. Ovid. Met. VIII, 12 sq.

253. *Cupidis astris*. Cf. supra VII, 171 sq.

254. *Tulli*. V. supra VIII, 402. — *Dumis*. Barthius explicat per, loca senta. Burmanno non placet *dumis*, proponitque vel *duris*, vel *diris*. Dubito, an Noster *duris diversis quadrigis* dixerit. Melius forsan foret *viri*. Virgil. Æn. VIII, 544. — *Diversis*, in diversa actis.

256. *Responsa*, tanquam dei oracula, pro, imperia, rescripta. Cf. XVII, 35.

257. *Calcat*, plus quam, contemnit. Morem loquendi tamen a victore, qui hosti jacenti per insolentiam insultat, non repetam cum Ruperti, quem v. ad Sil. Italic. III, 85, qui ad hunc locum docet, et

Post patrem fratremque paras? sed magna rependit,
Inque tuam sortem numerosas transtulit urbes.
Ergo fas pretio cedet? mercede placebit
Seditio? taceo, læsi quod transfuga fratris,
Quod levis ingenio: quamvis discrimine summo
Proditor apportet suspensa morte salutem,
Nunquam gratus erit: damnamus luce reperta
Perfidiam; nec nos patimur committere tali.
Hoc genus emptori cives cum mœnibus offert;
Hoc vendit patriam: plerique in tempus abusi

Græcos πατεῖν pro καταφρονεῖν ponere. Cf. Aristoph. Equit. 569; Anacreont. XLVI, 6.—*Iterum;* v. supra v. 241.

258. *Post patrem fratremque*, qui illi monstro erediderant, sed graviter delusi et decepti.

259. *Sortem*, partem imperii paterni, quæ tibi obvenit. — *Numerosas*, multas. Cf. Zosim. V, 11, 3; Oros. VII, 36; Symmach. Epist. IV, 4.

260. *Fas*, pietatis et justitiæ officia.—*Mercede*, utilitate. Lucan. I, 37.

261. *Seditio.* Bene monet Burmannus, seditionem h. l. notare discordiam domesticam inter duos fratres Arcadium et Honorium, laudatque Terent. Andr. V, 1, 11; Manil. II, 197, et Græv. ad Cic. Epist. ad Attic. II, 1. — *Fratris*, Honorii.

263. *Suspensa morte.* Sensus: quanquam proditor morte, quæ nobis jam imminet (hoc notat *summo discrimine*), dilata, vitæ periculo nos eripiat, salutemque adferat proditione sua, tamen factum ejus, salute licet recuperata, probare non possumus, quia sit traditoris.

264. *Luce*, salute, meliori tempore, quod post pericula summa adparere iterum incipit. Sic Burmannus, qui laudat Horat. Od. IV, 5, 2, ubi v. Jani, et Homer. Il. ζ, 6; θ, 282; loca ibi laudata.

265—267. *Nec nos patimur committere tali. Hoc genus*, etc. Heinsius hunc locum sanum non putat. Gesnerus Heinsium secutus et Barthium ita interstinxit: *nec nos patimur committere tali Hoc genus emptori. Cives cum mœnibus offert? Hoc vendit patriam* (Barthius post *offert* majus interstinctionis signum ponit). Idem Gesnerus monet, *Hoc genus* non cum *emptori*, sed cum *committere* jungendum, atque *hoc genus* explicat per, hunc in modum, hoc modo, ex Græco τοῦτον τὸν τρόπον. Verum etiamsi hoc ita sit, tamen non omnes interpretandi nodos hac ratione solutos invenias. Burmannus ex Barthii ratione sensum ita constituit: Non patimur *vos* (nam ita legit cum Barthio, pro *nos*) committere hoc genus, i. e. meam posteritatem, Arcadium, tali emptori Gildoni,

Mox odere tamen. Tenuit sic Graia Philippus
Oppida; Pellæo libertas concidit auro.
Romani scelerum semper sprevere ministros.
Noxia pollicitum domino miscere venena
Fabricius regi nudata fraude remisit,
Infesto quem Marte petit; bellumque negavit
Per famuli patrare nefas: ductosque Camillus
Trans murum pueros obsessæ reddidit urbi.

qni, oblata Africa, Arcadii gratiam inire tentat, et contra fratrem concitare. Sed pater cnm filio loquens altero, alterum filium vix δεικτικῶς per *hoc genus* significare potest; deinde haud facile dixeris, quid sit *committere hoc genus*, seu talem filium, *emptori*. Quocuuque modo te converteris, sensnm commodum vix ernas. Tandem, qui potest Gildo *emptor* dici, quum offerat *cives cum mœnibus*, patriamque *vendat?* Hoc loco quidem possis dicere: offert illa quidem et vendit, sed pretio, sed ut emat gratiam Arcadii. Equidem pnto, locum ita distinguendum esse: *nec nos patimur committere tali. Hoc genus emptori cives cum mœnibus offert; Hoc vendit patriam?... Nec patimur committere nos tali;* i. e. a nobis impetrare non possumns, ut nos committamus tali, fidem uostram iu ejusmodi homine reponamus, aut nos nostraque ejus fidei credamus, quanquam salutem nostram ei debeamus. Simili formula utitur Noster supra I, 86 et infra XVII, 184. Jam pergit: etenim proditori omnia sunt venalia, modo emptorem inveniat. *Hoc genus*, scilicet hominum, seu proditorum, *cives cum mœnibus offert*, proditione traditurum promittit, *emptori* ei, quicumque mercedem polliceatur. De ipso Gildone h. l. non agi, sed de proditore in uuiversum, patet ex v. 258 sq. ille enim Gildo non *offerebat* urbes, sed jam *magna rependit*, jam *transtulit urbes*, v. 258, 259. *Hoc*, sc. genus, *vendit patriam*, non solum singulas urbes. Hæc a me inita ratio eo etiam commendari videtur, quod cum sequentibus bene cohæret. — *Plerique in tempus abusi*, etiamsi plerique in tempus hoc hominum genere abusi sint, ex proditione illorum aliquam utilitatem ceperint, *tamen mox odere*.

268, 269. *Tenuit sic Graia Philippus Oppida.* Cf. Valer. Max. VII, 2, ext. 8. Notum est illius dictum, nullum locnm inexpugnabilem esse, quo adigi possit asellus auro onustus. Cic. Epist. ad Att. I, 16. Horat. Od. III, 15, 13 sqq. — *Sic*, proditione. — *Pellæo;* vide uotam ad VIII, 375.

271, 272. Rem narrat Plutarch. in Pyrrho, c. 21, t. III, ed. Hntt. Cicer. de Offic. III, 22; Gell. III, 8.—*Nudata fraude*, i. e. cum literis, quibus Pyrrho insidias a medico ipsi factas indicaverat.

274. *Patrare*, h. l. ad finem producere.

275. *Trans murum*, extra urbem. Egregium illnd Camilli factum nar-

Traduntur pœnis alii, quum prælia solvant :
Hic manet, ut moveat? quem respuit alter in hostem,
Suscipis in fratrem? Longi proh dedecus ævi!
Cui placet, australes Gildo condonat habenas,
Tantaque mutatos sequitur provincia mores.
Quaslibet ad partes animus nutaverit anceps :
Transfundit secum Libyam, refluumque malignus
Commodat imperium. Mauri fuit Africa munus.
Tollite Massylas fraudes; removete bilingues

raui Liv. V, 27; Valer. Max. VI, 5, 1; Frontin. Strateg. IV, 4; Plutarch. in vita Camilli, c. 17, t. I, ed. Hutt.

276. *Prælia solvant*, sc. proditione sua. *Solvere prælia* Burmanno durius dictum videtur. Sed Propert. habet, IV, 4, 57,

Comminus acies ego possum solvere

277. *Hic*, Gildo. — *Moveat*, sc. prælia, bellum excitet inter vos fratres. — *Quod*, sc. scelus proditionis. — *Alter* et Fabricium et Camillum respicit.

278. *Longi dedecus ævi*; i. e. dedecus seu macula, quam longum ævum non est eluturum, cujusque ergo memoria per longum tempus vigebit.

279. *Australes habenas*, imperium Africæ.

280. *Mutatos mores*, animum mutatum, alienatum nempe ab Honorio. Sensus : Africa provincia, tam magna, voluntati mutatæ unius Gildonis se accommodat, fidemque violat Gildone auctore.

281—283. *Animus anceps*. Heins. conj. *animi anceps*, quod mihi quidem placet. — *Refluum imperium*, æstus marini instar, nunc huc, nunc illuc transferendum. Sic bene Gesnerus. Huic quoque respondet *malignus*, i. e. maligne commodat ad breve tempus, in brevem usum, cito rursus erepturus, aut secum abducturus. — *Mauri fuit Africa munus*. Cur Heinsio *fuit* non probetur, nullam equidem video rationem. Mavult *fluit* aut *Maurique fit*, quorum prius offendit, quia præcedenti versu *refluumque* inest, pro quo tamen *refugum* scribi vult; posterius mihi displicet, quia frigidissimam sententiam reddit. Sensus autem est : etiamsi Africam Gildonis proditione obtineas, hoc tamen cogita, *Mauri* munus fuisse. In *Mauri* nempe emphasis latet, pro, hominis bilinguis, qui fidem susque deque habet, cui ne honestum quidem est quidquam debere, quique eripere dolo malo non erubescit, quod per proditionem dederit.

284, 285. *Massylas fraudes*. Vid. Heyne ad Virgil. Æn. IV, 483. — *Bilingues insidias*. *Bilinguis*, δίγλωσσος, δίπτυχος γλῶσσα Eurip. Troad.

286. *Bilingues insidiæ* sunt, quæ ab hominibus bilinguibus struuntur. Cf. Drak. ad Sil. Italic. XVI, 157. — *Verba soli spirantia virus*. Ipsum Africæ solum venenatum videtur, quod animalia adeo noxia et vene-

Insidias, et verba soli spirantia virus.
Ne consanguineis certetur cominus armis,
Ne, precor: hæc trucibus Thebis, hæc digna Mycenis;
In Mauros hoc crimen eat. Quid noster iniquum
Molitur Stilicho? quando non ille jubenti
Paruit? an quisquam nobis devotior exstat?
Ut sileam varios, quos mecum gesserit, actus;
Quæ vidi post fata, loquar. Quum Divus abirem,
Res incompositas, fateor, tumidasque reliqui.
Stringebat vetitos etiamnum exercitus enses

uata prodncit. Cf. Lucan. IX, 619 sqq. Juvenal. III, 122 sqq.

287. *Ne, precor.* Heinsius laudat Virg. Æn. VI, 833; vid. eumdem ad Ovid. Her. XVI, 170. Gesnerus dubitat plane adsentiri Heinsio, exemplum desiderans, ubi sic abrupte τὸ *ne* positum sit. In libris scriptt. magna deprehenditur varietas; *Hæc precor; Deprecor;* Barthius in suo legit *Io moneo.* — *Hæc trucibus Thebis.* Adludit ad OEdipodis filios, Eteoclem et Polynicem. Cf. Schutz. in excursu I, ad Æschyli Sept. adv. Theb. Ab illorum ferocia epithet. *trucibus* translatum est. — *Mycenis;* vid. n. ad I, 171.

288. *In Mauros hoc crimen eat.* Ex antiquorum more adprecandi hostibus mala, quæ ipsi abominabantur. Virgil. Georg. III, 513. — *Noster* familiaritatem significat et adfinitatem.

289. *Stilicho.* Hunc Eutropius et Gildon et cum illis duumviris scelerum Arcadius studebat evertere.

290. *Exstat*, eminet. Bene sic Gesnerus.

291. *Actus*, res gestas. Sil. Italic. I, 459.

293. *Res incompositas.* Eugenio modo debellato, nec rebus satis dum compositis. — *Tumidas* a mare ductum, quod tempestate jam sedata, adhuc tumet; Senec. Herc. Fur. 1088 sq. Hercul. OEt. 710 sq. Stat. Theb. I, 479 sqq. Bentlei. ad Horat. Art. 197. Eugenius miti suo ingenio eloquentiaque non vulgari multorum animos, dum imperium obtineret, sibi conciliaverat adeo, ut superatum eum esse, et interfectum vehementer dolerent; milites que Occidentis, qui pro suo Imperatore successu infelici pugnaverant, illoque interfecto ad Theodosium transierant, exercitus orientalis, qui pro victore se gerebat, insolentiam ferre non poterant, ita ut summo ducis consilio et prudentia opus esset ad cavendum, ne male conciliata gratia quotidianis altercationibus et conviciis rursus in hostile odium verteret. Hoc autem est, quod versibus sequentibus indicatur.

294 — 296. *Exercitus* ex victis victoribusque compositus, *stringebat enses*, militibus scilicet altercatione ita exacerbatis, ut ad gladios prope res veniret. — *Vetitos*, quos stringere pace facta non licebat.

Alpinis odiis, alternaque jurgia victi
Victoresque dabant. Vix hæc amentia nostris
Excubiis, nedum puero rectore, quiesset.
Heu! quantum timui vobis, quid libera tanti
Militis auderet moles, quum cæca remoto
Ferveret jam læta metu! dissensus acerbus,
Sed gravior consensus erat. Tunc ipse paterna
Successit pietate mihi, tenerumque rudemque
Fovit, et in veros eduxit principis annos;
Rufinumque tibi, quem tu tremuisse fateris,
Depulit: hunc solum memorem, solumque fidelem
Experior: volui si quid, dum vita maneret,
Aut visus voluisse, gerit; venerabilis illi
Ceu numen præsensque vocor. Si tanta recusas,

Faciebat autem exercitus hoc *odiis Alpinis*; i. e. odio hostili adhuc in animis residuo, a præliis circa Alpes commissis, quibus occidentalis exercitus cum orientali de imperio pugnaverat. — *Alterna jurgia dabant*, altercabantur inter se.

297. *Excubiis*, gravius, quam cura, imperio. Gesnerus existimat, Theodosium h. l. ita imperium suum eleganti extenuatione vocare.

298. *Moles tanti militis.* Exercitum intelligit ex copiis Orientis et Occidentis compositum. V. supra VII, 68 sqq. — *Libera*, quando se Imperatorem morte ab exercitu illo remotum cogitaret. Explicatur hoc in sequentibus per, *remoto metu*.

300, 301. *Quum cæca Ferveret*, quum nullius imperii, sed odii tantum sui ratione habita, inter se dissiderent. — *Læta remoto metu*, i. e. læti Imperatore amisso, cujus metu hactenus coercebantur. — *Dissensus acerbus*, sc. inter victos victoresque fuisset, quibus exercitus compositus erat. — *Sed gravior consensus erat.* Si nempe spreta Theodosii stirpe novum Imperatorem cunctis suffragiis constituissent. — *Tunc ipse*; cf. supra VIII, 432 sqq.

302, 303. *Pietate*, sc. in vos. — *Tenerumque rudemque*, Honorium intelligit: nam Arcadius vigesimum annum agebat, quum moreretur Theodosius. — *In veros principis annos*, qui moderatoris non amplius egent.

304, 305. *Rufinum... Depulit*; cf. supra V, 391 sqq.

307, 308. *Venerabilis illi... vocor.* Sensus: is me vivum semper coluit, mortuique memoria ei cara est. Hoc ex illius ætatis loquendi ratione, et Theodosii consecrationem respiciens expressit. Virgil. Georg. I, 42; Æn. I, 290. — *Præsensque* auget vim *numinis*, numenque tutelare exprimit, quod curam alicujus rei præcipue gerens ei sem-

At soceri reverere faces; at respice fratris
Connubium, pignusque meæ regale Serenæ.
Debueras etiam fraternis obvius ire
Hostibus, ille tuis. Quæ gens, quis Rhenus et Ister
Vos opibus junctos, conspirantesque tulissent?
Sed tantum permitte, cadat: nil poscimus ultra.
Ille licet sese prætentis Syrtibus armet,
Oppositoque Atlante tegat; licet arva referta
Anguibus, et solis medios objecerit æstus
(Novi consilium, novi Stilichonis in omnes
Æqualem casus animum); penetrabit arenas,

per adeat, eamque tuetur; vid. La Cerda ad Virgil. Eclog. I, 42. — *Tanta*, res gestas Stilichonis, ejusque in me pietatem.

309. *Soceri*, respectu Honorii fratris, cujus socer erat Stilicho. — *Faces*, nuptias, quibus Serena, filia Theodosii M. adoptiva, ei erat juncta.

310. *Fratris Connubium*, quo Honorius Mariam, Stilichonis et Serenæ filiam, sibi junxerat, quam vocat Theodosius *pignus regale meæ Serenæ*.

312. *Rhenus et Ister*; Germanos et Getas intelligit.

313. *Tulissent*, resistere potuissent.

314. *Sed tantum permitte, cadat* etc. Sensus: non postulo, ut Honorium fratrem tuis copiis adjuves, modo Gildonem non tuearis, quando frater hunc bello persequitur. Auxiliis Arcadii Gildonem hucusque sustentatum fuisse, latet in *cadat*, quod exitum belli certum exprimit, si Gildo sibi relictus fuerit. Rotundiorem fore sententiam Burmannus existimat, si hic versus post tres sequentes legatur, in quo me non habet sibi assentientem.

315. Sibi relictus Gildo, quibuscumque præsidiis se tueatur, a Stilichone superabitur. — *Ille licet* etc. Similem orationis colorem supra deprehendimus VIII, 104 sqq. — *Prætentis Syrtibus*. Syrtes pro munimento Africi litoris, provinciæ imprimis, cui Gildo præerat, h. l. habentur. Erant illæ, ut notum est, navigantibus periculosissimæ, præcipue Africo flante, aquamque a locis illis vadosis repellente. Lucan. I, 498 sqq. IX, 320 sqq. Sil. Italic. XVII, 634.

316. *Oppositoque Atlante tegat*, i. e. post juga Atlantis se recipiat, illaque præsidiis firmet, ut hostem transitu prohibeant.

317. *Anguibus*; Sil. Italic. III, 312 sqq. et loca ibi a Ruperti laudata. — *Et solis medios objecerit æstus*, i. e. se recipiat post zonam torridam, ut illa pro munimento utatur; cf. supra 147 sq. — *Medios*, a situ illius zonæ ductum.

318—320. Orationis color vim largitur sententiæ: consilio et for-

Inveniet virtute viam. » —Sic Divus, et inde
Sic natus : « Jussis, genitor, parebitur ultro ;
Amplector præcepta lubens ; nec carior alter
Cognato Stilichone mihi : commissa profanus
Ille luat : redeat jam tutior Africa fratri. »
  Talia dum longo secum sermone retexunt,
Hesperiam pervenit avus, castumque cubile
Ingreditur, Tyrio quo fusus Honorius ostro,
Carpebat teneros Maria cum conjuge somnos.
Adsistit capiti ; tunc sic per somnia fatur :
  « Tantane devictis tumuit fiducia Mauris,

titudine sua Stilicho superabit omnes difficultates naturæ. Pedestri oratione ita eadem efferrentur ; *penetrabit arenas* etc. uam *novi consilium* hujus viri, et *in omnes casus æqualem* ejus *animum*, i. e. fortitudiuem et auimi constantiam. — *Inveniet virtute viam.* Barthius laudat Curt. VII, 11, 10. Adde Ovid. Met. XIV, 113.

321. *Ultro.* Gesnerus quærit, an is *ultro* pareat, qui pareat *jussis?* Explicat igitur *ultro* per, statim, siue tergiversatione, sine exceptione. Mihi videtur iu sequentibus explicari per *lubens.*

322. *Nec carior alter.* Hoc saltem loco historiæ fidem non sequitur poeta.

323. *Profanus*, impius.

324. *Redeat Africa ;* erat euim jam prope amissa. — *Tutior*, iu posterum nou alienanda a fratre.

325. *Retexunt sermone*, loquebantur. Heinsius laudat Stat. Thebaid. III, 338 sq. IX, 148.

326. *Avus ;* v. supra v. 224 sq.

327. *Fusus.* Sæpe de jacente, ut apud Virgilium *fusi per herbam.* Heinsius laudat Stat. Theb. II, 90 sqq. Cf. Burmann. ad Valer. Flacc. I, 252.

328. *Carpebat somnos;* uota et frequens metaphora. — *Teneros*, γλυκὺν ὕπνον, placidam quietem. Plura exempla profert Heinsius ad Ovid. Heroid. XII, 170.

329. *Assistit capiti.* Ex Homero Il. β, 17 sqq. κ, 496; ψ, 68; ω, 682 ; Odyss. δ, 803. —*Per somnia*, ut in somniis ea audiret.

330, 331. Color orationis, ut Gesuerus bene auimadvertit, petitus est a Virgil. Æn. I, 132.

Tantane vos generis tenuit fiducia vestri?

Tumuit. Metaphora a mari, ventis agitato, ducta ad omnem graviorem auimi motum transfertur; h. l. cum delectu positum est pro, fuit. Sensus: tantum Mauri ausi sunt? Alii legunt: *tenuit fiducia Mauros.* Verum Noster ita imitari solet, ut semper aliquid ornamenti de suo addat. — *Devictis*, quos ipse Theodosius Comes devicerat. Cf. VIII, 34 sqq. Huc spectat etiam versu sequenti *post me.* — *In arma*, in bellum.

Care nepos? iterum post me conjurat in arma
Progenies vesana Jubæ, bellumque resumit
Victoris cum stirpe sui? Firmumne jacentem
Obliti, Libyam nostro sudore receptam
Rursus habent? ausus Latio contendere Gildon?
Germani nec fata timet? Nunc ire profecto
Nunc vellem, notosque senex ostendere vultus.
Nonne meam fugiet Maurus, quum viderit, umbram?
Quid dubitas? exsurge toris; invade rebellem;
Captivum mihi redde meum; desiste morari.
Hoc generi fatale tuo. Dum sanguis in orbe
Noster erit, semper pallebit regia Bocchi.
Jungantur spoliis Firmi Gildonis opima;
Exornet geminos Maurusia laurea currus;
Una domus toties una de gente triumphet.
Di, bene, quod tantis interlabentibus annis

332. *Progenies Jubæ.* Numidas intelligit, quorum rex olim Juba fuit. Populi enim sæpe regum suorum soboles dicuntur. Sic *Remi nepotes* Romani Catull. LVIII, 5. Cf. eumdem XLIX, 1.

333. *Firmumne jacentem. Firmus*, filius cujusdam inter Maurorum regulos potentissimi, frater Gildonis, Maurorum gentes, quæ Romanorum avaritiam diutius ferre non possent, ad novas res sollicitaverat, sed compressus est a Theodosio Comite, tunc Magistro equitum. Cf. Zosim. IV, 16; Ammian. Marcell. XXIX, 5, ubi Valesius notat, Firmum in numis Augusti nomine exhiberi.

336. *Germani fata.* Firmus, Gildonis frater, mortem sibi ipse intulit, caputque ejus Theodosio oblatum est.

340. *Captivum meum.* In bello contra Firmum, Gildo, frater ejus, a partibus Romanorum stabat; ad illud igitur bellum respicere non potuit poeta, quippe in quo Gildo a Romanis capi non poterat, nisi ante captus fuerit, quam se Romanis adjungeret. Aliam fortasse de hoc bello narrationem Noster sequitur, ut in multis, quæ aliter ab aliis memoriæ prodita sunt, atque ab illo proponuntur.

341. *Dum sanguis* etc. dum aliquis adhuc superfuerit ex nostra familia.

342. *Regia Bocchi*, Maurorum olim regis, ex Sallustio satis noti.

344. *Geminos currus*, quo ipse triumphans vectus est, Firmo debellato, et quo Honorius vehetur, Gildone superato.— *Laurea;* v. ad VII, 130. Currus triumphales lauro ornabantur.

346. *Di, bene*, sc. fecistis.

Servati Firmusque mihi, fraterque nepoti. »
Dixit, et afflatus vicino sole refugit.
At juvenem stimulis immanibus æmula virtus
Exacuit: jam puppe vehi, jam stagna secare
Fervet, et absentes invadere cuspide Mauros.
Tum jubet acciri soccrum, dextramque vocato
Conserit, et quæ sit potior sententia, quærit:
«Per somnos mihi, sancte pater, jam sæpe futura
Panduntur, multæque canunt præsagia noctes.
Namque procul Libyco venatu cingere saltus,

348. *Afflatus.* Sole oriente spectra et umbras diffugere etiam olim erat opinio vulgaris; Virgil. Æn. V, 738 sqq. Cf. Delrii Comm. in Senec. Herc. Fur. 123; Broukh. ad Propert. IV, 7, 89 sqq. — *Vicino*, jamjam orturo.

349. *Æmula*, sc. gloriæ avi. — *Immanibus.* In virtute et gloriæ cupidine Honorii exprimenda, modum sæpe poeta excedit. Cf. VII, 73 sq.

350. *Stagna secare*, sc. navibus.

351. *Et absentes invadere cuspide Mauros.* Tanta erat Honorii cupido Gildonem et Mauros bello persequendi, ut se jam tum contra illos pugnantem cogitaret, eodemque belli ardore agitaretur, ac si jam in media acie versaretur. V. Burmann. ad Petron. 123, et ad Valer. Flac. III, 583. Illud pugnæ studium imagine pulchra expressit Sil. Italic. IV, 331 sqq.

352, 353. *Dextramque conserit* h. l. dat, jungit dextram. Alio sensu eodem utitur Virgil. Æn. IX, 741. — *Potior*, sc. illa, quam ipse animo conceperat.

354. *Sancte pater*, reverentiæ adpellatio. Cf. Bulæum et Burmann. ad Valer. Flacc. I, 11.

355. *Canunt.* Proprie vates *canere* dicuntur. Virg. Æn. VI, 96. Lucan. I, 637 sqq.

356. *Libyco venatu cingere saltus.* Heinsio hæc displicent, conjicitque *visu distringere*, aut *venatu stringere.* Exemplis autem, quæ adfert, nihil probatur, recteque Burmannus *venatu stringere* ut inauditum, et h. l. alienum rejicit, vulgatam lectionem defendens. Sed *cingere* accipit pro, circumdare, et subintelligere videtur, indagine, ut est apud Virgil. Æn. IV, 121, in quo huic viro accedere non possum. *Cingere* non solum significat *circumdare*, sed etiam *circumire*, Luc. IX, 373, ut *gyros describere volando* apud Virgil. Æn. I, 398, et *lustrare.* Nam apud Ovid. Trist. IV, 1, 77 sqq. pro *lustrat* quidam libri scripti legunt *cingit*, ubi alterum alterius interpretamentum esse adparet. Etiam apud Rutil. Itinerar. II, 17, pro *cingere visu* perperam Heinsius *stringere visu* legendum putat. *Lustrare* autem venatores sæpe dicuntur, qui perscrutantur silvas aut montes. Virg. Eclog. X, 55. Eadem significatione puto interdum adhibitum esse *cin-*

Et juga rimari canibus Gætula videbar.
Mœrebat regio sævi vastata leonis
Incursu: pecudum strages, passimque juvenci
Semineces, et adhuc infecta mapalia tabo,
Sparsaque sanguineis pastorum funera campis.
Aggredior latebras monstri, mirumque relatu
Conspicio. Dilapsus honos; cervice minaces
Defluxere jubæ; fractos inglorius armos
Supposuit servile gemens, ingestaque vincla
Unguibus, et subitæ collo sonuere catenæ.
Nunc etiam paribus secum certare tropæis

gere. Forsan etiam apud Propertium, III., 2, 41 sq. *Aonium nemus Marte cingere* nihil aliud est, quam, cum strepitu bellico per Aonium nemus errare, prælia canere, quum poeta, qui carminibus scribendis operam dat, in Aonio nemore errare omnino cogitetur. Cf. etiam supra VIII, 35. — *Libyco*, ad saltum proprie pertinet.

357. *Juga Gætula*, Atlantis juga.

360. *Mapalia*, in quæ irruperat leo.

361. *Funera*, cadavera, ut Virgil. Æn. IV, 510; IX, 492; Burmann. ad Valer. Flacc. VII, 643.

363. *Honos*, dignitas, pulchritudo. Virgil. Æn. I, 591. — *Minaces*. Leo enim iratus jubas erectas solet excutere. Virgil. Æn. XII, 6, sq.

364. *Defluxere*, dependebant cervice, non erant erectæ. — *Fractos*, qui nullum robur amplius habere videbantur.

365, 366. *Supposuit*, ut canes herum ob delictum aliquod timentes, quando ab illo vocantur, ad pedes ejus solent accedere. — *Ingestaque vincla Unguibus*. Hæc ita intelligo: Honorius in somnis videt leonem viribus fractis et abjectum, dumque eum contemplatur, subito catenis pedes ejus et collum constringuntur. Hunc sensum *subitæ* postulare videtur. Gesnerus *subitæ* explicat: quas *subiit* leo.

367. *Nunc etiam* etc. id est, etiam hoc somnio. Verum unde scire poterat Honorius, hoc somnium sibi immissum esse ab avo? Dixeris: hoc facile colligere potuit ex visorum natura et ratione. Agebatur enim de recuperatione Africæ, cujus debellatæ gloriam reportaverat avus, ad quam servandam vehementer pertinebat, ut Africa in ditionem nepotis rediret. Sed alia ratione, et, ut equidem existimo, faciliori, hæc expediri possunt. Primum somnium vidit de leone capto; deinde avus ei adparuit illa disserens, quæ poeta retulerat. Prius tantum narrantem Honorium poeta inducit, quum posterius lectoribus jam notum esset. Sic ex hoc somnio,

Hortator me cogit avus. Quonam usque morati
Cunctamur? Decuit pridem complere biremes,
Et pelagi superare minas: transmittere primus
Ipse paro: quæcunque meo gens barbara nutu
Stringitur, adveniat. Germania cuncta feratur
Navibus, et socia comitentur classe Sicambri.
Pallida translatum jam sentiat Africa Rhenum.
An patiar tot probra sedens, juvenisque relinquam
Quæ tenui rexique puer? Bis noster ad Alpes
Alterius genitor defensum regna cucurrit.
Nos prædæ faciles insultandique jacemus?»
Finierat. Stilicho contra cui talia reddit:
«Adversine tubam, princeps, dignabere Mauri?

quo ad bellum suscipiendum excitatus fuerat Honorius, auctorem prioris somnii, quo belli hujus eventus ostendebatur, facile poterat colligere. — *Paribus secum certare tropæis*, id est, eamdem victoriam de Gildone reportare, quam ille de Firmo reportaverat.

369. *Complere*, ut Græci πληροῦν.

370. *Pelagi minas.* Sil. Ital. XII, 157. — *Primus*; cf. supra 351.

371, 372. *Quæcunque meo gens barbara nutu Stringitur.* Hoc explicat Gesnerus: ad nutum connivet; *stringi* enim nutu alicujus, qui ad illius nutum et conjectum oculorum oculos ipse submittat. Hæc interpretatio mihi videtur paullo durior. *Stringere* est vincire, et inde coercere, regere; *nutu* positum pro imperio. Hæc videtur esse explicandi ratio facillima.

373. *Sicambri*; v. ad X, 279.

374. *Rhenum*, Germanas gentes.

375. *Sedens*, id est, otiosus.

377. *Alterius.* Theodosius M. cum exercitu Valentinianum II in regnum restituit, pulso et occiso Maximo; deinde iterum, ejus necis ulciscendæ causa, contra Eugenium et Arbogasten profectus est. Utriusque belli sedes Alpes erant.

378. *Nos prædæ faciles.* *Prædæ* potest esse casus tertius, ut sit pro, expositi prædæ, aut *prædæ faciles* per appositionem τῷ *nos* adjectum. Prius præfert Burmannus, quia, si posterius poeta voluisset, usitatiori modo debuisset singulari numero uti. Laudat Ovid. Heroid. VIII, 66 et 82; A. A. I, 125; Nost. XX, 565; XXIV, 342. — *Faciles* explicat idem ad Valer. Flacc. I, 151, et IV, 6.

380 sqq. Etiam h. l. id agere Noster videtur, ut nemo fortitudinem Honorii, quod non ipse contra Gildonem profectus sit, in dubium vocet. Inducit igitur Stilichonem, qui pluribus verbis a pugnandi consilio eum abducat. Cf. supra VII, 73. — *Dignabere*, sc. audire. Cæte-

An feret ignavus clari solatia fati,
Te bellante, mori? Decernet Honorius inde,
Hinc Gildon? Prius astra Chaos miscebit Averno.
Vindictam mandasse sat est. Plus nominis horror,
Quam tuus ensis, aget: minuit præsentia famam.
Qui stetit, æquatur campo, collataque nescit
Majestatem acies. Sed quod magis utile factu,
Atque hosti gravius, sensus adverte, docebo.
Est illi patribus, sed non et moribus, iisdem
Mascezel, fugiens qui dira piacula fratris,

rum *tubam adversi Mauri* explico per classicum, quod contra Maurum, Gildonem, canitur. Sensus: hunc honorem habebis Gildoni, ut prælium ipse cum isto conseras?

381. *Clari fati* explicatur sequentibus. Cf. Virgil. Æn. X, 829 sq. XI, 688 sq. Val. Flacc. III, 169 sq.

382. *Decernet*, pugnet.

383. *Chaos*, rerum omnium confusio.

385. *Minuit præsentia famam.* Fama enim omnia solet in majus extollere; præsentia autem rei ipsam ostendit, qualis sit, famamque redarguit, et quo major et amplior prius cogitabatur, eo humilior et abjectior contemplantibus solet videri. Hæc bene per se, sed parum honorifice de Honorio, si rem penitius inspicias, quum ex ipsis poetæ verbis omnis ejus majestas, hominum, qui eum non viderint, persuasione nitatur, et cujus absentis terror plus effecturus sit contra hostes, quam si ipse cominus pugnaret.

386. *Stetit*, manum conseruit. Stat. Theb. II, 596, et VII, 322. —*Campo*, acie, pugna. Lucan. VII, 346 sqq. Sensus; Si Imperator in pugnam cum aliquo descendit, eum reddit sibi parem, nec majestas aut reverentia pro ipso amplius militat, sed omnia posita sunt in virtute et armis.

389. *Patribus*, majoribus, et patre et matre; pro: iisdem parentibus. Burmannus dubitat, annon præstet *patria*. Quanquam hoc per se probandum, numerumque suaviorem reddat, tamen non videtur præferendum esse. Quum enim Mascezel frater Gildonis sit, putidum sane est, illum eadem patria dici, quia hoc per se patet. — *Est illi*, sc. Gildoni, *Mascezel iisdem quidem patribus*, id est, frater.

390. *Fugiens qui dira piacula fratris.* Nati ejus a fratre Gildone per summum scelus interfecti erant, dum ipse ad Stilichonem confugeret. Stilicho, quum Gildoni Honorii nomine bellum indici sine offensione non posset, illum Gildonis fratrem valida manu adjutum in Africam remisit, ut injuriam sibi illatam vindicaret, simulque fratre interempto Africam in ditionem Honorii redigeret. Quæ res quoque prospere cessit. Cf. Zosim. V, 11; Oros. VII, 36. — *Piacula*, cædes,

Spesque suas, vitamque tuo commisit asylo.
Hunc ubi tentatis frustra mactare nequivit
Insidiis, patrias in pignora contulit iras;
Et quos ipse sinu parvos gestaverat, una
Obtruncat juvenes, inhumataque corpora vulgo
Dispulit, et tumulo cognatas arcuit umbras;
Naturamque simul, fratremque, hominemque cruentus
Exuit, et tenuem cæsis invidit arenam.
Hoc facinus refugo damnavit sole Mycenas,
Avertitque diem: sceleri sed reddidit Atreus
Crimen, et infandas excusat conjuge mensas.
Hic odium, non pœna fuit. Te prodita jura,
Te pater ultorem, te nudi pulvere Manes,

adulteria. *Piacula* interdum ea dicuntur, quæ expianda sunt.

393. *Patrias iras*, quas in patrem conceperat.

394. *Et quos ipse* etc. Hæc immanitatem sceleris augent. — *Sinu gestaverat*. Burmann. ad Ovid. Fast. III, 218.

396. *Dispulit vulgo*, lacerata cadavera in publicum dispersit.

397. *Naturamque simul, fratremque, hominemque.... Exuit*, pro: naturamque simul et fratris et hominis exuit.

398. *Et tenuem cæsis* etc. Notum est, nihil magis veteres exhorruisse, quam post mortem sepultura carere, quum sibi persuasissent, manes insepultorum incertis sedibus vagari, nec consistere posse, donec sepultura essent potiti.

399. *Hoc facinus* etc. V. ad I, 171 sqq. — *Refugo damnavit sole Mycenas*, effecit, ut sol a Mycenis refugeret.

400. *Avertitque diem*. Lucan. I, 543 sq. VII, 451 sq. — *Sceleri sed reddidit* etc. i. e. scelus scelere vindicavit, uxorisque suæ a Thyeste compressæ infamiam diris illis mensis, in quibus filiorum membra fratri epulanda apposuerat, ultus est. Quidam sic interpungunt: *Avertitque diem sceleri. Sed reddidit Atreus Crimen*, quoniam *avertere* cum tertio casu construat Stat. Silv. V, 3, 59 sq. dubiumque sit, utrum tertio an sexto casu junxerit Senec. Phœn. 540, observante Burmanno, atque *reddidit crimen* jam per se sufficiat, significetque: scelus sceleri reposuit. V. Burmann. ad Petron. 58.

402. *Hic odium*, id est, Gildonem non pœnæ sumendæ cupido, sed odium ad scelus admittendum impulit. — *Te*, Honorium adpellat. — *Prodita jura*, sc. rogant ultorem; id est, neglecta tua imperia et imminuta. Barthius legit *perdita*. Eadem varietas occurrit Luc. IV, 801.

403. *Pater*, Mascezel. — *Manes*, h. l. cadavera. Vid. ad I, 112.

Te pietas polluta rogat. Si flentibus aram,
Et proprium miseris numen statuistis, Athenæ;
Si Pandionias planctu traxere phalanges
Inachides, belloque rogos meruere maritis;
Si mœsta squalore coma, lacrymisque senatum
In Numidas pulsus solio commovit Adherbal:
Hunc quoque nunc Gildon, tanto quem funere mersit,
Hunc doleat venisse ducem, seseque minorem

404, 405. *Polluta* a Gildone. — *Si flentibus aram, Et proprium miseris numen statuistis, Athenæ.* Athenienses constituere aram Misericordiæ, βωμὸν Ἐλέους in miserorum gratiam, aut nepotes Herculis post ejus mortem id fecerunt, ut sibi ab insidiis eorum caverent, quos Hercules Atheniis offenderat. Sic Serv. ad Virgil. Æn. VIII, 342, et Pausan. in Attic. c. 17. Hanc aram luculentius describit Stat. Theb. XII, 481 sqq. ubi v. Barth. — *Numen*, illa est Misericordia, quæ numinis instar colebatur.

406, 407. Eteocle et Polynice, Œdipodis filiis, mutua cæde interfectis, quum Creon rerum potitus esset, corpora Argivorum, in prælio cæsorum, sepeliri vetuit. Horum autem viduæ Athenas contendebant ad Misericordiæ aram, lacrymisque movebant Athenienses, ut bello denunciato Thebanos cogerent Argivis sepulturam concedere. Quæ humanitas Atheniensium solemne argumentum fuit oratoribus, qui res illorum celebrandas sibi sumpsissent. Cf. Isocrat. Paneg. c. 15, et ibi Morum. — *Inachides*, mulieres Argivæ ab Inache, Argorum conditore. — *Planctu traxere*, lacrymis effecere, ut se sequerentur. — *Pandionias phalanges*, Athenienses armatos, a Pandione, vetere eorum rege. — *Bello*, sc. indicto et jam moto ab Atheniensibus, *meruere*, consecuti sunt, *rogos maritis*, sepulturam maritorum. Rem illam argumentum fecit Euripides fabulæ, quam Supplices inscripsit.

408, 409. *Si mæsta squalore coma.* Ita lego ex correctione Freinsh. ad Flor. III, 1; vulg. *Si mœstæ squalore comæ*, quod utique defendi potest, sed prius rectius puto, quia in illa subjecti variatione nullam elegantiam perspicio, quæ eam vel commendet, vel excuset. — *Mæsta*; vid. Heins. ad Virgil. Æn. XI, 35. — *Adherbal.* Rem narrat Sallust. Jugurt. c. 5 sqq. Orationem Adherbalis ad senatum Romanum lege apud eumdem l. c. c. 14 sqq. — *Pulsus solio* a Jugurtha. — *In Numidas senatum commovit*, effecit, ut senatus bellum contra Jugurtham et Numidas decerneret. Sensus a v. 404—409, ut equidem video, hic est: Si adhuc usquam est misericordia, si ea unquam quidquam valuit, opibus tuis Gildonis frater Mascezel adjuvandus est, ut pœnas a fratre scelesto repetat.

410. *Funere mersit*, h. e. calamitate. Dictio Virgiliana, Æn. VI, 512: *His mersere malis.*

411. *Minorem*, inferiorem viribus.

Supplicibus sciat esse tuis. Quem sede fugavit,
Hunc præceps fugiat; fregit quem clade, tremiscat;
Agnoscatque suum, trahitur dum victima, fratrem.»
Hæc ubi sederunt genero, notissima Marti
Robora, præcipuos electa pube maniplos
Disponit, portuque rates instaurat Etrusco.
Herculeam suus Alcides, Joviamque cohortem
Rex ducit Superum; premitur nec signifer ullo
Pondere; festinant adeo vexilla moveri.
Nervius insequitur, meritusque vocabula Felix,
Dictaque ab Augusto legio, nomenque probantes
Invicti, clypeoque animosi teste Leones.
Dictis ante tamen princeps confirmat ituros
Aggere conspicuus. Stat circumfusa juventus
Nixa hastis, pronasque ferox accommodat aures.

412. *Supplicibus tuis*, quos tu opibus adjuvisti.

414. *Victima*. Cf. Wernsdorf. ad Rutil. Itiner. I, 141; Poet. lat. min. t. V, p. I.

415. *Hæc ubi sederunt genero*. Hæc sententia animo Honorii hæsit; itaque placuit, ut eam exsequi statim pararet. Gesnerus comparat Virg. Æn. IV, 15. — *Notissima Marti*, rebus bello fortiter gestis clarissima.

417. *Portu Etrusco*. Pisarum intelligi adparet ex v. 483.

418, 419. *Herculeam Joviamque*, cohortes a Maximiano Herculio et a Diocletiano Jovio institutas, quarum signa deorum imagines erant, Herculis et Jovis, quæ illis præferebantur; id enim est *suus Alcides* et *Rex ducit Superum*. Sub *Jovia* fulminatricem forte intelligi credebant Barthius et Heinsius. Ille comparat Valer. Flacc. VI, 53 sqq. — *Premitur nec signifer ullo*. Signa militaria Romanorum alias prægravia erant, et nonnisi a robustissimis poterant portari. Herodian. IV, 7, 12. Cæterum ductum hoc fortasse ab omine infausto, quando signa convelli non possent. Vid. Valer. Max. I, 6, 8 et 11; Serv. et La Cerda ad Virg. Æn. XI, 19.

421. *Nervius*. Et hi etiam cum Jovianis et Herculianis inter palatinas legiones fuere, item *Felices* seniores et juniores.

422. *Dictaque ab Augusto*, ala, legio, cohors Augustæ. Sic *Invicti* et *Leones* seniores et juniores, quorum in clypeis insigne leo erat.

425. *Aggere*, tribunali e cespite congesto. Hoc corona militum circumstare solebat, Imperatorem concionantem auditura.

426. *Nixa hastis*. Virg. Æn. IX, 229. Sil. Italic. XIII, 308. — *Pronasque ferox accommodat aures*, ad militis habitum pertinet attente au-

«Gildonem domitura manus, promissa minasque
Tempus agi; si quid pro me doluistis, in armis
Ostentate mihi: justo magnoque triumpho
Civiles abolete notas. Sciat orbis Eous,
Sitque palam, Gallos causa, non robore, vinci.
Nec vos, barbariem quamvis collegerit omnem,
Terreat: an Mauri fremitum raucosque repulsus
Umbonum, et vestros passuri cominus enses?
Non contra clypeis tectos, gladiisque micantes

dientis, quid Imperator dicturus sit..

427, 428. *Promissa minasque Tempus agi.* Jam tempus est ad effectum perducendi, quæcumque et mihi promisistis, et hosti minati estis.—*Si quid pro me doluistis, in armis.* Gesnero probatur quoque, *Si quid Romæ doluistis*, explicatque: Romæ faventes ob illius calamitates famemque præsertim, quam Gildo ei indixit. Melius mihi videtur *pro me*, ut fides militum in Imperatorem suum indicetur. Verum *in armis* ad *ostentate mihi* pertinet, quo etiam Gesnerus traxit. Burmannus, nisi id operarum errore factum est, post *armis* distinguit. — *In armis*, armati, pugnantes.

429. *Justo triumpho*, pleno, omnibus numeris absoluto.

430. *Civiles abolete notas.* Maximam partem horum militum, qui nunc in eo erant, ut contra Gildonem ducerentur, Gallos fuisse constat et Germanos; vid. supra 372 sq. Hi quoque fuerant in exercitu Maximi et Eugenii, cladem que acceperant ab iis copiis, quas Theodosius M. ex Constantinopoli secum duxerat. Diviso deinde filiis Theodosii imperio, notam Occidentis exercitus ex illis cladibus sustinuit, militibus Orientis gloriantibus, illos a se bis victos esse. Hanc ignominiam ut deleant adhortatur Honorius milites, ostendantque militibus Eois, se tum non illorum robore, sed causa meliore victos esse. Illam ignominiam vocat *civiles notas.* — *Orbis Eous;* ab ejus enim militibus ignavia Gallis exprobrabatur.

433. *Mauri fremitum.* Hic *fremitus* clamor ille est, quem Romani milites ante impetum in hostem edere solebant, ut adversarios terrerent. Quo sublato, et pilis emissis, hostilem aciem strictis gladiis invadebant, atque in illo impetu umbone adversarium aut prosternere, aut saltem loco movere studebant. Huc pertinet *raucos repulsus umbonum.* Hunc conflictum bene expressit Sil. Italic. IX, 322 sqq.

. . . . galea horrida flictu
Adversæ ardescit galeæ, clypeusque fatiscit
Impulsu clypei, atque ensis contunditur ense.
Pes pede, virque viro teritur;

et Stat. Theb. VIII, 398 sqq.

Jam clypeus clypeis, umbone repellitur umbo,
Ense minax ensis, pede pes, et cuspide cuspis.

Cf. Valer. Flacc. VI, 182 sq. Sensus autem est: an putatis, Mauros vobiscum collato pede pugnaturos?

435. *Gladiisque.* Hanc Vaticani

Ibitis : in solis longe fiducia telis;
Exarmatus erit, quum missile torserit, hostis.
Dextra movet jaculum, prætentat pallia lævâ,
Cætera nudus eques: sonipes ignarus habenæ;
Virga regit : non ulla fides, non agminis ordo:
Arma oneri, fuga præsidio : connubia mille;
Non ulli generis nexus, non pignora curæ;
Sed numero languet pietas. Hæc copia vulgi.
Umbratus dux ipse rosis, et marcidus ibit

cod. lectionem restitui pro vulgari *galeisve*, quam Heinsius, Burmannus et Gesnerus retinuerunt. Præcedit enim, Mauros neque umbonum, neque ensium impetum esse sustenturos. Cujus ratio jam subjungitur, quia ipsi neque clypeos gerunt, neque gladiis pugnant. — *Gladios* et *galeas* sæpe commutari docuit Burmannus, ad Valerium Flaccum, l. c.

436. *In solis longe fiducia telis.* Barthius *longe tela* jungit, explicatque : e longinquo utilia. Hunc sequitur Gesnerus nitens Terent. Andr. I, 2, 4, *semper lenitas*. Sunt et alia ej. g. *late regem* Virgil. Æn. I, 21; *late tyrannus* Horat. Od. III, 17, 9. Quæ tamen Burmannus damnat ad ea provocans, quæ dixit ad Lucan. V, 576.— *Longe esse*, seu *abesse* eleganter sæpe id dicitur, quod nihil omnino, aut nihil certe in præsentia adjuvare possit, ut contra adesse, παρεῖναι, pro juvare ponitur. Vid. Drakenb. ad Sil. Italic. XVII, 80. Ex hac ratione *longe fiducia*, sc. illis erit, *in solis telis*, hunc sensum haberet : fiduciam inutilem in telis habent repositam. Jam vero *tela* verbum generis est, omniaque complectitur, quibus hostes petuntur. *Telis* itaque, saltem hoc loco, uti poeta non potuit, sine aliqua determinatione, quæ certam illorum speciem indicaret; jacula autem intelligi ex versu sequenti patet. Quæ quum ita sint, Burmanno accedere non possum, sed vel cum Barthio et Gesnero *longe telis* pro, telis e longinquo mittendis, accipiendum puto, vel *longe* ita sumendum, ut sit pro, eminus, dum eminus stant, positum. In utraque ratione per *longe* species telorum declaratur. Cf. supra VII, 137.

437 — 440. *Missile*, singul. pro plur. Cum his comparanda sunt loca, quæ Ruperti laudat ad Sil. Italic. I, 215 et III, 239 sqq. quibus adde Liv. XXXV, 11, et Nemesian. Cyneg. 259 sqq.— *Prætentat pallia læva*, i. e. pallium circa brachium lævum tortum. V. Burm. ad Petron. 80, et ad Valer. Flacc. III, 18. — *Non ulla fides*, nulla fiducia in milite ita leviter armato.

441—443. Cf. Sallust. Jugurth. c. 80. — *Hæc copia vulgi* pro : talis est multitudo. Hactenus de plebe egerat, nunc incipit de ipso Gildone.

444. *Umbratus*, coronatus. Lu-

Unguentis, crudusque cibo, titubansque Lyæo,
Confectus senio, morbis stuprisque solutus.
Excitet incestos turmalis buccina somnos;
Imploret citharas, cantatricesque choreas,
Offensus stridore tubæ, discatque coactus,
Quas vigilat Veneri, castris impendere noctes.
Nonne mori satius, quam vitæ ferre pudorem?
Nam quæ jam regio restat, si, dedita Mauris
Regibus, Illyricis accesserit Africa damnis?
Jus Latium, quod tunc Meroe, Rubroque solebat
Oceano cingi, Tyrrhena clauditur unda.
Et cui non Nilus, non intulit India metas,
Romani jam finis erit Trinacria regni?
Ite recepturi, prædo quem sustulit, axem,

crel. II, 627 sqq. el III, 926. — *Marcidiis*, enervatus, mollis.

446. *Confectus senio*, non senili ætate, sed ea imbecillitate et stupore, qui semper luxuriei comes esse solet. Quæ sequuntur *morbis stuprisque solutus* explicant prius.

447. *Excitet . . . somnos* pro: enm e somno excitet. — *Incestos* eos adpellat pro, impudicos, forlasse ob alienas mulieres propter cubantes.

448. *Imploret citharas*, ut clangorem tubarum vincant, ne eum exaudiat.

451, 452. *Nonne mori satius*, mililes rogat. — *Vitæ pudorem*, vitam ignominiosam. Barthius hunc versum cum prioribus junxisse videtur; ut non ad milites, sed ad Gildonem pertineret. Dicit enim, *Nam quæ jam regio restat*, etc. esse abruptam orationem indignationis repentino obortæ. Sed *nam* ad priorem versum pertinet, qui hoc sequenti explicatur. Quæ enim provincia nobis superest, *si dedita*, Africa, *Mauris ?*

453. *Illyricis damnis*. Clades intelligit, quas Alaricus imperio romano intulit. Sedem belli Illyricum aliquandiu fuisse, et occupatum ab Alarico, constat ex Zosim. V, 26; Paull. Diac. XIII, 26.

454. *Jus Latium*, h. l. Imperium Romanum. — *Meroe;* vide not. ad VII, 21.

455. *Oceano Rubro* seu Indico, et *unda Tyrrhena* inter se opponuntur.

456. *Non intulit metas*, i. e. quod supra Nilum et Indiam se extenderet.

457. *Trinacria*, Sicilia, sic dicta ἀπὸ τῶν τριῶν ἄκρων a tribus promontoriis.

458. *Prædo*, Gildo XXI, 358 sq. — *Axem*, cæli partem, hoc l. regionem, quæ illi subjacet, Africam, quam clarius designat per: *Ereptumque Notum*. Vid. Gesnerus ad h. l.

Ereptumque Notum; caput insuperabile rerum
Aut ruet in vestris, aut stabit Roma, lacertis.
Tot mihi debetis populos, tot rura, tot urbes
Amissas: uno Libyam defendite bello:
Vestros imperium remos, et vestra sequatur
Carbasa: despectas trans æquora ducite leges.
Tertia jam solito cervix mucrone rotetur,
Tandem funereis finem positura tyrannis.»
Omina conveniunt dicto, fulvusque Tonantis
Armiger, ad liquidam, cunctis spectantibus, æthram,

459. *Caput insuperabile rerum.* Romam intelligit.

460. *Stabit;* cf. Sil. Italic. III, 173, et VII, 743.

461. *Tot mihi debetis populos*, etc. Non puto milites idcirco debere Imperatori suo tot populos, quia ignavia eorum amissi essent, sed quia milites strenui ea deberent recuperare, quæcunque hostes occupassent. Sensus est: Vos, qui debetis tot tantaque armis repetere ab hostibus, uno tantum bello recuperate Africam.

462. *Defendite*, sc. a prædone, et tyranno.

463. *Vestros imperium remos* etc. Quum milites in Africam proficiscerentur, ut eam rursus imperio Honorii, ejusque legibus restituerent, bene sententiam ita convertit poeta, ut imperium et leges diceret militibus comites esse adjunctas, quas illi in Africam reducerent.

464. *Carbasa*, vela.

465. *Tertia jam cervix*, post Maximum et Eugenium. — *Rotetur* non ad actionem referas carnificis, qui ad majorem impetum ensi conciliandum, superiorem corporis sui partem simul cum ense circumagat, ut vehementius collum feriat. Debet hanc loquendi rationem Noster Lucano VIII, 673, qui ait, nondum artis fuisse, caput uno ictu demetere. Miles decollandi artifex occurrit apud Sueton. in Calig. c. 32. Quintil. Declam. I, 10: « Raro contingit semel ferire carnifici, quamvis componat ipse cervicem, et exercitata manus homicidium novissime, velut quoddam genus artis, exerceat. » *Rotari* res dicuntur, quæ, dum cadunt, se circumagunt. *Rotare mucrone cervicem* itaque nihil aliud significat, quam caput ita ense demetere, ut in terram cadens rotetur, seu circumagatur.

466. *Positura*, illa cervix, seu caput amputatum. — *Funereis*, crudelibus. Sensus: post Gildonis necem, nemo tyrannidem occupare sustinebit.

467. Cum his compares Homer. Il. μ, 200 sqq. Virgil. Æn. XI, 751 sqq. Sil. Italic. XII, 55 sqq. ibi vid. Drakenb. — *Fulvusque armiger Tonantis*, aquila. Sil. Ital. c. *ales fulva Jovis.*

468. *Ad liquidam æthram.* Gesnerus putat indicari, certo et distincte visum esse illud portentum, cælo

Correptum pedibus curvis innexuit hydrum;
Dumque reluctantem morsu partitur obunco,
Hæsit in ungue caput, truncatus decidit anguis.
Ilicet auguriis alacres per saxa citati
Torrentesque ruunt: non mons, non silva retardat.
Pendula ceu parvis moturæ bella colonis.
Ingenti clangore grues æstiva relinquunt
Thracia, quum tepido permutant Strymona Nilo;

sudo, aere puro, comparatque illud vulgari sermone tritum: *ad lumen candelæ*. Quæ tamen interpretatio nescio quid frigidi habet. Heinsii undecim codd. habent *ab liquida æthra*, ubi subintelligendum est, lapsus. Comparat Heinsius Nostr. XVII, 116; Virgil. Æn. XII, 247 sqq. Equidem *ad liquidam æthram* retinendum puto, supplendumque: evolans, seu tendens. Non conspiciebant enim aquilam cælo lapsam, anguemque corripientem, sed cum correpto angue alta petentem. Pro *correptum*, quidam legunt *collectum*, quod non displicuit Heinsio, quem vid. ad Virg. Æn. XII, 862; non tamen idem est cum priori, ut Gesnerus probare conatur ex Sil. Ital. X, 3, ubi *per vulnera* explico: vulneribus excipiendis, dum irruit in tela infesta, et *colligit hostem*: hostibus se quasi cingit in medios se injiciendo.

469. *Pedibus curvis innexuit hydrum.* Virgil. l. c. *Implicuitque pedes atque unguibus hæsit.* Cf. Val. Flacc. I, 156 sq.

470, 471. *Morsu obunco*, ob rostrum obuncum. — *Partitur*, lacerat. — *Caput*, sc. anguis lacerati. — *Truncatus decidit anguis*, truncus anguis laceratus decidit. Hoc omine indicatur, caput Gildonis iri amputatum.

472, 473. Dum militum alacritatem poeta exprimit, ceu œstro percitos, sive lymphatos pingit, ut semper in colorum delectu eos solet adhibere non qui oculos delectant, sed qui eos perstringunt. Cf. Pan. Vet. VI, 18.

474 — 476. Comparat militum agmen cum gruibus in bellum contra Pygmæos proficiscentibus. Cf. Homer. Il. γ, 6 sqq. Virg. Æn. X, 264 sqq. Lucan. V, 711 sqq. Val. Flacc. II, 359 sqq. Stat. Theb. V, 11 sqq. VII, 287 sqq. et XII, 515 sqq. ibi v. Barth. — *Pendula bella*, quæ peraguntur a gruibus alis se sustinendo. — *Parvis colonis*, Pygmæis. Aristot. H. A. VIII, 12. Juvenal. XIII, 167 sqq. Fragment. Ctesiæ ex Indic. 11. Voss. ad Melam III, 8. — *Moturæ bella* Hom. l. c. ἀνδράσι Πυγμαίοισι φόνον καὶ κῆρα φέρουσαι. — *Ingenti clangore*; Hom. l. c. κλαγγῇ ταίγε πέτονται. Stat. Theb. V, 13 sq. XII, 517 sq. — *Æstiva Thracia*, ubi æstatem egerant. Cf. Barth. ad Stat. Theb. I, 363, et V, 15 sq. — *Strymona*, Thraciæ fluvium in finibus Macedoniæ. — *Tepido Nilo*, ut apud Lucan. III, 199 sqq. et VIII, 823 sqq.

Ordinibus variis per nubila texitur ales
Litera, pennarumque notis inscribitur aer.
Ut fluctus tetigere maris, tunc acrior arsit
Impetus: arripiunt naves, ipsique rudentes
Expediunt, et vela ligant, et cornua summis
Associant malis: quatitur Tyrrhena tumultu
Ora, nec Alpheæ capiunt navalia Pisæ.
Sic Agamemnoniam vindex quum Græcia classem
Solveret, innumeris fervebat vocibus Aulis.
Non illos strepitus, impendentisque procellæ

477. *Ordinibus variis.* Hoc explicatur a Lucani V, 712:

....primoque volatu
Effingunt varias, casu monstrante, figuras.

—*Ales litera*, quam efficiunt ordine suo grues volantes. Cf. Cic. d. N. D. II, 49. Illud triangulum, seu illam figuram, comparabant vulgo cum literis triangularibus Λ, Δ, A, V, Y. Hinc explicari potest Martial. IX, 14, et XIII, 75, ubi gruem *Palamedis avem* vocat.

478. *Notis*, figuris illis.

479. *Tetigere*, sc. milites.

481, 482. *Et vela ligant, et cornua summis Associant malis.* Vel *ligant* et *associant malis* unum idemque opus nauticum est, ita ut hoc illud explicet, vel *vela ligant antennis*, earumque extremitates (*cornua*) *summis malis*, id est, ad summas malorum partes adligant. Illud *vela ligant* de summis velorum partibus, quas pedes vocabant, quæque navium lateribus adligabantur, intelligi nequit, nisi simul statuas, quod prius sit, poetam posterius posuisse. Prius enim antennæ cum velis complicatis adligabantur malis, deinde vela solvebantur et deducebantur. Vide Silium Italicum lib. III, 129:

Et promota ratis, pendentibus arbore nautis,
Aptabat sensim pulsanti carbasa vento.

Lucan II, 697:

Strictaque pendentes deducunt carbasa nautæ.

Ibi v. Oudendorp. Cf. Ovid. Met. XI, 476 sqq. — *Quatitur.* Cf. not. ad X, 154.

483. *Alpheæ Pisæ.* Virg. Æn. X, 179; ibi vid. Heyne, et eumdem in Excursu I. *Pisa*, Italiæ urbs, ab iis condita esse dicitur, qui Pisa Elidis profecti erant. — *Navalia*, apparatum nauticum.

484. *Vindex*, vindicatura Helenæ raptum. — *Agamemnoniam.* Summa rerum, ut notum est, in expeditione Græcorum contra Trojanos Agamemnoni erat delata.

485. *Aulis* urbs et portus Bœotiæ, unde Græcorum classis solvit Trojam oppugnatura. — *Fervebat* pro: vocibus ferventium seu trepidantium itineris cupidine repleta erat. Virgil. Æn. IV, 409 sq. — *Vocibus*, clamore nautico. Luc. II, 683 sqq. Vid. Burm. ad Val. Flacc. II, 186 sq. Imitatus est Nostrum Sid. Apollin. Carm. V, 448 sqq.

486. *Illos*, milites Honorii.

Signa, nec adventus dubii deterruit Austri.
«Vellite, proclamant, socii, jam vellite funem.
Per vada Gildonem quamvis adversa petamus.
Ad bellum nos trudat hiems: per devia Ponti
Quassatis cupio tellurem figere rostris.
Heu! nimium segnes, cauta qui mente notatis,
Si revolant mergi, graditur si litore cornix.
Ora licet maculis adsperserit occiduus Sol,
Lunaque conceptis livescat turbida Coris,
Et contusa vagos jaculentur sidera crines,

487. Sinistra illa signa, tempestatemque classem solnturis portendentia fingit fortasse Noster, ut militum alacritatem declaret.—*Dubii Austri*, fallacis, inconslanlis, qui tempestates adferre solet.

488. *Vellite* non solnm concinnins est, quia præcessit *solveret*, verum etiam ardens studium proficiscenlium melius exprimit. Majorem vim habet *rumpite*, quo utuntur Virgil. Æn. III, 639, et Luc. V, 422. Non omnino tamen improbandum est: *Solvite jam socii, clamant, aut rumpite funem*, nt in quibusdam legitnr, qni *clament* exhibent.

489. *Vada adversa*. Auster enim adversus flabat Africam ex Italia petentibus, nisi v. 487 *Auster* pro qnocumqne vento positns sit, nt verisimile videtnr esse ex versu sequenti. *Adversa* igitur possunt esse navigantibus periculosa.

490. *Trudat;* vox hiemi, id est, tempestati, accommodata. — *Per devia ponti*, non recto cursn, sed navibus, ut fit in tempestate, huc illuc agitatis.

491. *Rostris*, navibus. — *Figere*, rostris accommodatnm. Impetnosum et hoslilem navium adpulsum indicat. Cf. Virgil. Æn. X, 295 sq. et 300.

492. *Cauta mente*, providi.

493. *Si revolant mergi*. Futuræ tempestatis signnm; Virg. Georg. I, 361, qui ipse hoc snmpsit ex Arat. Phæn. 182.—*Cornix;* Virgil. l. c. 388. Arat. l. c. 217 sqq. Lucan. V, 555 sq.

494, 495. V. not. ad VIII, 426 sq. Valer. Flacc. II, 55 sq. Plin. H. N. XVIII, sect. 78, 79.—*Conceptis Coris*. Num luna tempestate gravida dici potest, qnando tempestatem minatur, aut indicat? — *Turbida*, puræ lnnæ opponitur.

496. *Contusa sidera*. Gesnerus existimat, *contusa* h. l. pro, obtusa, positum esse. Verum hoc vix ullo exemplo potest confirmari, et est etiam contra rerum naturam. Etenim non languidus stellarum fulgor, sed stellæ crebro micantes ventos et tempeslates indicant. *Contusa* omnino defendi potest; magis tamen mihi probatur *concussa*, nt in quibusdam scriptis, teste Heinsio, legitur. Utraque lectio confirmatur

Imbribus humescant Hædi, nimbosaque Taurum
Ducat Hyas, totusque fretis descendat Orion;
Certa fides cæli, sed major Honorius auctor.
Illius auspiciis immensa per æquora miles,
Non Plaustris Arctove regor: contemne Booten,
Navita, turbinibus mediis permitte carinas.
Si mihi tempestas Libyam ventique negabunt,
Augusti Fortuna dabit.» — Jam classis in altum
Provehitur: dextra Ligures, Hetruria læva
Linquitur, et cæcis vitatur Corsica saxis.

simul et explicatur versibus Luc. V, 563 sq.

. . . sed summis etiam quæ fixa tenentur
Astra polis, sunt visa quati,

sc. ad motum ventorum. *Concussa*, *refixa* habet Virgil. Æneid. V, 527 sq. — *Jaculentur vagos crines*; eodem modo idem exprimit Manil. I, 844 sqq. — *Crines* de flamma dici radiisque stellarum et longo ignis tractu notum est ex Val. Flacc. II, 42; V, 415 sq. Sil. Ital. VIII, 636. Cf. Vulpium ad Catull. LXI, 78; Dorvil. ad Chariton. pag. 656 ed. Reiz. Sequitur Noster vulgarem opinionem de stellis transcurrentibus, ἀστέρων διαδρομαῖς et ἀποῤῥοίαις, de quibus plura v. apud La Cerda ad Virgil. Georg. I, 365, et Spanhem. ad Callim. H. in Del. 38; Scholiast. ad Arat. Diosem. 359.

497, 498. *Imbribus humescant Hædi.* Quando Hædi, juxta signum, cui Aurigæ nomen est, occidunt, quod fiebat sub medium Decembrem, tempestates cum pluviis oriri solent. V. Heyne Virgil. Æn. IX, 668 sq. et quæ ab eo laudantur. — *Nimbosa Hyas.* Hyades stellæ in fronte Tauri. Serv. ad Virgil. Æn. I, 744. — *Ducat*, quia in fronte Tauri sunt. — *Orion*; v. ad I, 28. Cf. Heyne ad Virgil. Æn. I, 535; Jani ad Horat. Od. I, 28, 21. De sideribus, quæ ortu aut occasu suo pluvias et tempestates adferre credebantur, vid. Columell. IX, 2; Plin. H. N. XVIII.

499. *Certa fides cæli.* Signis cælestibus, quæ futuras tempestates indicant, fides quidem habenda est; verum omnes tempestates negligendæ sunt, profectoque superabuntur Honorii auspiciis; aut cælestia signa pericula quidem nobis minitantur; verum major est felicitas nostri Imperatoris, qua illa superabimus. Erat nempe eo anno Honorius quartum consul. Cf. VII, 87 sqq. VIII, 626 sqq. — *Certa fides*; cf. Burmann. ad Valer. Flacc. I, 307. — *Auctor*, qui nobis felicem successum promittit. Cf. Luc. V, 577 sqq. infra v. 503 sq.

501. *Non Plaustris Arctove*; v. n. ad I. 26; interpp. ad Valer. Flacc. I, 17 et 19. — *Bootes*; interpp. ad eumdem II, 68.

506 sqq. Ante oculos habuit Noster, ut Gesnerus bene observat,

Humanæ in speciem plantæ se magna figurat
Insula; Sardoam veteres dixere coloni:
Dives ager frugum: Pœnos Italosve petenti
Opportuna situ: quæ pars vicinior Afris,
Plana solo, ratibus clemens; quæ respicit Arcton,
Immitis, scopulosa, procax, subitisque sonora
Flatibus: insanos infamat navita montes.
Hinc hominum, pecudumque lues; hinc pestifer aer
Sævit, et exclusis regnant Aquilonibus Austri.
Quos ubi luctatis procul effugere carinis,
Per diversa ruunt sinuosæ litora terræ.
Pars adit antiqua ductos Carthagine Sulcos;
Partem litoreo complectitur Olbia muro.
Urbs Libyam contra Tyrio fundata potenti
Tenditur in longum Caralis, tenuemque per undas
Obvia dimittit fracturum flamina collem.

Sil. Ital. XII, 355 sqq. Vid. quæ ibi laudavit Ruperti, imprimis Pausan. X, 17.

507. *Humanæ in speciem plantæ.* Inde Ἰχνοῦσα, Σανδαλιῶτις vocatur Plin. H. N. III, sect. 13.

509. *Pœnos Italosve*, id est, Africam Italiamve.

512. *Procax* et *sonora* epitheta ab Austris ad ipsa Sardiniæ litora translata sunt. *Procax* est petulans, protervus, ἀσελγὴς. Heyne ad Virgil. Æn. I, 536. Jani ad Horat. Od. I, 26, 2.

513. *Insanos infamat navita montes*, propter naufragia, quæ ibi tempestate fieri solebant. Inde loci propter hujusmodi pericula *infames*, δυσώνυμοι, κακώνυμοι sæpe vocantur. Jani ad Horat. Od. I, 3, 20. *Insanos montes*, Ptolemæus III, 3, τὰ μαινόμενα ὄρη. Liv. XXX, 39: « A Corsica in Sardiniam trajecit (Consul). Ibi superantem insanos montes multo et infestioribus locis tempestas exorta disjecit classem. » Cf. Flor. III, 7, 35. Hi montes salubres Aquilonis flatus arcent, indeque locorum insalubritatem faciunt, ut ex sequentibus adparet. Cf. Sil. Ital. l. c. 372 sqq.

515. *Austri.* Ventus insalubris. Horat. Od. II, 14, 15 sq. Sermon. II, 6, 18 sqq. Nost. infra XLIV, 91.

516. *Luctatis*, navibus remorum opere properare certantibus, periculumque effugere.

517. *Per diversa litora*, per diversas litoris partes.

518, 519. *Sulcos. Sulci* Sardiniæ urbs a Carthaginiensibus condita, sic quoque *Olbia.*—*Litoreo muro*, situm urbis maritimum exprimit.

520, 521. *Caralis*, nunc *Cagliari*, cujus portus in sequentibus describitur.

Efficitur portus medium mare, tutaque ventis
Omnibus ingenti mansuescunt stagna recessu.
Hanc omni petiere manu, prorisque reductis
Suspensa Zephyros exspectant classe faventes.

525. *Prorisque reductis.* Virgil. Æn. VI, 3: *Obvertunt pelago proras.*

526. *Suspensa classe.* Secundum Barthium funibus subintelligendum est. Sed positum pro: suspensi, avidi.

XVI.

CL. CLAUDIANI

IN

FL. MALLII THEODORI

CONSULATUM

PROLOGUS.

ARGUMENTUM.

Increpat poeta Musæ audaciam, quæ procerum senatusque judicium, qui tum Mediolani essent, ad pompam consularem Mallii celebrandam, nou reformidet. Quemadmodum enim Jupiter, aquilis duabus in diversas partes missis, totum terrarum orbem cognoscere potuerit, sic, ait, Honorium illo procerum concilio certius imperium æstimare posse.

Audebisne, precor, doctæ subjecta catervæ
Inter tot proceres, nostra Thalia, loqui?

1. *Subjecta*, exposita. — *Doctæ catervæ*, judicio doctæ catervæ, virorum doctorum, procerum et senatus, qui tum Mediolauum couvenerant ad celebrandam consularem pompam. Solebant enim tunc temporis consules amplissimos quosque arcessere, qui præsentia sua magistratus initia decorarent. Symmach. Epist. V, 5, et 11, et 15. In postrema ipse Symmachus ad honores suos concelebrandos Mallium invitat. Cf. XXII, 409 sqq.

2. *Inter tot proceres*, hæc verba

Nec te fama vetat, vero quam celsius actam
Vel servasse labor, vel minuisse pudor?
An tibi continuis crevit fiducia castris,
Totaque jam vatis pectora miles habet?
Culmina Romani majestatemque senatus,
Et, quibus exsultat Gallia, cerne viros.

explicaut quid sit prius *caterva docta.*

3, 4. *Fama*, sc. ingenii, facultatis poeticæ, exspectatio, quam aliis de illa facultate fama excitavit. — *Vetat*, sc. loqui. — *Vero quam celsius actam.* Plerique libri scripti apud Heins. *auctam* exhibent, quod ipsi probatur. Prius a Burmanno defenditur laudante Gratian. Cyneg. 324; Sallust. Jugurth. 93 (ubi v. Corte), et multa præterea loca, quorum nullo probari videtur, *actam* esse præferendum. Hoc autem retinendum esse puto propterea, quia accomodatius est τῷ *celsius*, et quia *celsius actam* facile explicari potuit per *auctam*, quod margini adscriptum illam vocem, cujus interpretamentum fuerat, fortasse loco movit. Nonnulli etiam habent *altam*, a verbo *alere*, ut arbitror, deductum. *Acta autem fama celsius vero* est facultas poetica Claudiani supra modum celebrata, quæ magnam exspectationem excitaverat illius carminis, quod recitaturus erat in honorem Mallii. — *Celsius vero.* Sub modestiæ specie arrogantia quædam latere videtur. — *Vel servasse labor.* Quo major enim fama est, eo difficilius potest integra servari. Exspectationi autem non satisfecisse, idem pæne est ac displicuisse; hoc sensisse videtur poeta quum diceret: *vel minuisse pudor.*

5. *Fiducia*, qua aucta aures etiam doctorum virorum vel maxime teretes non reformidet. — *Crevit.* Burmannus laudat Nost. XXXII, 9, et Ovid. Met. VIII, 82. — *Continuis castris.* Idem negat, colligi ex his posse, Claudianum quoque meruisse stipendia; sed existimat, poetam hunc panegyricum in castris recitasse, eamque ob rem rogasse Musam, an olim *subjecta doctæ catervæ*, id est, quæ Romæ habuisset judices doctos, nunc auderet loqui inter duces militum. Verum, si hoc est, quidni auderet poeta? Num forte militum ducibus aures limatiores erant, quam illis viris doctis Romæ? Sensus nullo modo est impeditus. Quærit poeta ex Musa, an forte inde audacia ejus creverit, quod diu in castris inter milites sit versata. Cogitari enim potest poeta in comitatu Stilichonis diu fuisse, etiamsi miles non fuerit. Animadvertit præterea Burmannus, ne ex lapide quidem probari posse militasse Claudianum, quo dicatur *Tribunus* et *Notarius*, sed fuisse eum forsan Tribunum diplomaticum, ut aliquo gradu inter militum duces frueretur, et Notarii munere esse functum apud Stilichonem.

6. *Miles*, h. l. audacia militaris, ut Barthius jam vidit. Rogat Musam suam, num jam plena sit militaris audaciæ.

7, 8. Monet Musam, eamque

Omnibus audimur terris, mundique per aures
Ibimus. Ah! nimius Consulis urget amor.
Jupiter, ut perhibent, spatium quum discere vellet
Naturæ, regni nescius ipse sui,
Armigeros utrinque duos æqualibus alis
Misit ab Eois Occiduisque plagis.
Parnasus geminos fertur junxisse volatus;
Contulit alternas Pythius axis aves.
Princeps non aquilis terram cognoscere curat;
Certius in vobis æstimat imperium.
Hoc ego concilio collectum metior orbem;
Hoc video cœtu quidquid ubique micat.

respicere jubet, quam augustum sit illud concilium, coram quo canere sibi in animum induxit. — *Exsultat*, gloriatur.

9. *Omnibus audimur terris*, quandoquidem auditur a viris illustribus, qui undique Mediolanum convenerant. — *Mundi per aures* idem est, sed alio modo elatum.

10. *Ah! nimius* etc. Hæc lineola transversa ab *ibimus* separata cogites. Vel cum periculo famæ imminutæ conabor, quia magno Mallii amore ita ad canendum impellor, ut resistere nequeam.

11—14. Jovem memorant, ut exploraret, quinam medius terrarum locus esset, duas aquilas velocitate æquali ab Oriente et ab Occidente eodem tempore emisisse, illasque circa Parnasum convenisse, unde constaret, Delphos medium terrarum locum obtinere. V. Scholiast. ad Pindar. Pyth. IV, 6; Strab. IX, pag. 289. Inde Delphi ὀμφαλὸς γᾶς vocantur, Pindar. l. c. 131, et VI, 3; Euripid. Ion. 223 sq. 461 sq. Sophocl. Œdip. Tyr. 488; ibi v. Schol. Ovid. Met. X, 167 sq. XV, 630 sq. Schol. ad Luc. V, 71. Suo consilio hæc accommodans Claudianus, Jovem dicit amplitudinis imperii cognoscendi causa id fecisse, quod ex antiqua narratione fecit, ut medium terrarum locum exploraret. — *Æqualibus alis*, pari velocitate.

16. *Pythius axis*; v. n. ad XV, 458. — *Alternas*, ambas.

17. *Princeps*, Honorius.

18. *In nobis*. Cod. Vatic. prim. *in vobis*, quod Gesnero adridet, quia sic honorificentius in concilium et modestius de se loquatur. Sensus: Imperator non spatio metitur imperii sui magnitudinem; quare aquilis illi nihil opus est, sed multitudine virorum omni dignitate præcellentium, quos Mediolani collectos videt ex omnibus terrarum locis.

19. *Collectum*, proprie dicendum fuisset *concilio collecto*.

20. *Quidquid ubique micat*. Lumina seu culmina imperii; præstantissimos viros intelligit.

XVII.

CL. CLAUDIANI

DE CONSULATU

FL. MALLII THEODORI

PANEGYRIS.

ARGUMENTUM.

Virtus quidem se ipsa contenta, nullo eget externo honore; sed hic illam sponte sequitur, ut nunc Mallium, qui iterum consul et virtutum et honorum summa attigit; 1—16. Præclara ille indole vir, optimeque institutus eloquentia mature excelluit, fori negotia tractavit, Libyam rexit, deinde Macedoniam; 17—32. Tum Quæstor sacri Palatii factus, et Comes sacrarum largitionum, provinciis Occidentalibus præfuit; 33—60. Otio redditus, ad philosophiæ studia incubuit; 61—112. Ex quo tamen otio literario Mallium excitavit Justitia, cælo delapsa, quum eum astronomiæ intentum deprehendisset; 113—134. Hortatur virum juris peritissimum, ut, omissis abstrusarum rerum studiis, curiam repetat, nec sibi, sed hominibus vivat; 135—148. Philosophum enim neminem rebus humanis tam profuisse, quam rerum publicarum prudentes, neque quemquam esse ex veteribus, quin cum Stilichone vivere voluisset, omnium virtutum fautore, cujus opera pax et fides in terras rediissent; 149—173. Cunctatur quidem Mallius, vitam rusticam per tot annos actam excusans, et, se nolle, inquit, de gloria dudum parta periclitari, nec esse se amplius parem huic oneri ferendo. Nihilominus tamen, velut se

revocans addit, nefas esse Justitiæ aliquid denegare; 174—197. Fit igitur rector Italiæ, Libyæ, Illyriæ, Sardiniæ, constans, incorruptus, moderatus, a studio æque atque ira remotissimus; 198—231. Lenitas ejus cum gravitate conjuncta laudatur; 232—255. Fit consul, indeque apparet, suum virtuti honorem constare; 256—269. Nuncio Musis de Mallii consnlatu allato, Urania sorores hortatur, ut omnes consulatus initia celebrent; Erato Neptunum equos curules roget, Calliope Alciden palæstritas, Clio Dianam venatores; 270 — 309. Curent quoque, ne risus, facetiæ, comœdi, tragœdi desint, neque ullum ludorum genus desideretur; 310—331. Optat tandem poeta, ut posteri patris similes sint, atque consulatum velut jure hereditario consequantur.

IPSA quidem virtus pretium sibi, solaque late
Fortunæ secura nitet, nec fascibus ullis
Erigitur, plausuve petit clarescere vulgi.
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,

1, 2. *Ipsa quidem virtus pretium sibi.* Imitatur Noster Sil. Ital. XIII, 663 sq. ut Burmannus notat, quem vid. ad Ovid. ex Ponto II, 3, 33. Innnmera pæne loca Barthius ex veterum scriptoribus congessit, quibus eadem fere sententia expressa est. — *Solaque*, per se, nullis fortunæ ornamentis commendata.Barthius explicat: ἀδέσποτος, suum in se imperium nemini cedens. Quid secutus sit, nescio. Dicere poeta voluit, virtutem satis per se splendere, ejusque splendorem proprium a fortuna neque augeri, neque imminni posse. Hoc expressit per: *Fortunæ secura*, id est, fortnnam non curans; eodem igitur sensu quo *securus vulgi* Pers. VI, 12. Cf. Horat. Od. I, 26, 5 sq. Non plane eamdem vim habet illa vox apud Lucan. II, 287, quem locum Burmannus laudat. — *Fascibus ullis*, id est, ullo honorum genere, quorum insignia sunt fasces. Gesnero placuit *fastibus*, quod tamen priori præferendum non videtur.

3. *Erigitur*, majorem dignitatem et amplitudinem accipit. Infra v. 150, et XVIII, 502 sq. Simpliciter: nullis crescit bonoribus. Minus bene Barthius subintellexit: in arrogantiam.—*Plausuve petit* etc. pro: neque auram popnlarem captat. Senec. Hercul. Fnr. 169 sqq.

4. *Nil opis externæ cupiens.* Non ita accipiendum, quasi virtus nullis fortunæ subsidiis egeat; verum hoc volnit Noster, illa ad ipsam virtutis naturam nihil pertinere, sed iis tantum virtutem uti pro instrumentis.

Divitiis animosa suis, immotaque cunctis
Casibus, ex alta mortalia despicit arce.
Attamen invitam blande vestigat, et ultro
Ambit Honos: docuit toties a rure profectus
Lictor, et in mediis quæsitus Consul aratris.
Te quoque naturæ sacris mundique vacantem,

5. *Animosa* cum delectu, pro: contenta, excitats.

6. *Ex alta arce.* Quandoquidem virtus fortunæ casibus non subjecta est, et ab omni vi externa tuta cogitatur, in alta quadsm et inexpugnabili arce sedes ejus locatur, unde omnia mortalia infra se posita despicit. Cf. Lucret. II, 5 sqq. Stat. Silv. II, 2, 132 sq. Cæterum cum toto hoc de virtute loco conferas Horat. Epist. II, 7, 83 sqq. Sil. Italic. XV, 101 sqq. Senec. Epist. 82 et 98.

7, 9. Sententia hæc est: virtus non ambit honorem, sed hic illam sectatur. Hoc exprimitur imagine suavissima, a juvene puellam ambiente sumpta.—*Vestigat* cum delectu pro: quærit, sequitur.—*Invitam*, quia sibi ipsa sufficiens omnem splendorem extrinsecus adjectum respuit.—*Ambit Honos.* Iterata quidem sententia est, sed ita variata, ut novitate feriat animum, quum vulgo honores ambiantur. — *Docuit toties a rure profectus Lictor, et in mediis* etc. Displicuit Burmanno, lictorem consuli jungi, quia tanta illius dignitas non fuerit, ut ea uteretur poeta, ad probands ills, quæ præmisit. Itaque legendum putat *Victor*, vel potius *Ductor*. Optat etiam, in codice aliquo exstare: *docuit toties od rura profectus*, quam Cujacianam lectionem Gesnerus esse notat, reique et historiæ accommodatiorem existimat. Vulgata tamen lectio omnino potest defendi, et melior mihi videtur conjecturis Burmannianis, fors. etiam lectione Cujaciana. Etenim, an recte dici possit, *proficisci ad rura*, dubito, saltem exempla hujus rei in præsentia desidero. Voluit dicere Noster: consulem sæpe in Urbem rure esse accersitum, aut consules sæpe ex agricolis esse factos. Hoc ita extulit: sæpe aliquem, quum operibus rusticis intentus esset, rure consulem factum, atque relicto aratro, cum insignibus consularibus Urbem esse profectum. Ad insignia autem consularia pertinebant duodecim lictores, qui singuli, alius post alium, consulem, ad turbam submovendam, ordine præcedebant. — *Lictorem* igitur posuit Noster, quia exprimere voluit, consulem dignitatis suæ insignibus indutum, et duodecim lictoribus præcedentibus in Urbem venisse. *A rure profectus lictor et consul* igitur dictum pro vulgari: consul quæsitus in mediis aratris, cum lictoribus a rure profectus est in Urbem. Cæterum exempla hujusce rei suppeditant Liv. III, 26, et Valer. Max. IV, 4, 5 sq.

10. *Naturæ sacris mundique*, id est, physicis et astronomicis cognitionibus, quss *sacra* vocat, quia non nisi artis peritis notæ sunt.

Emeritum pridem, desudatisque remotum
Judiciis, eadem rursus complexa potestas
Evehit, et reducem notis imponit habenis.
Accedunt trabeæ : nil jam, Theodore, relictum,
Quo virtus animo crescat, vel splendor honore.
Culmen utrumque tenes : talem te protinus anni
Formavere rudes, et dignum vita curuli
Traxit iter, primæque senes cessere juventæ.
Jam nunc canities animi, jam dulce loquendi

11. *Desudatis*, in quibus sudare, id est, quibus operam dare jam olim desiisti. De opera forensi sermo est. — *Emeritum pridem*, militiæ togatæ annis velut emensis. Sic Barthius.

12. *Eadem potestas*. Fuit Theodorus iterum Præfectus Prætorio, ut indicant inscriptiones legum 45 et 46 Codic. Theodos. de Hæreticis. Cæterum Constantinus M. omni imperio in quatuor Præfecturas diviso, singulis Præfectum Prætorio præfecit, cui, adempto militari imperio, potestatem solum civilis imperii, eamque liberam et sine provocatione attribuit. Cf. Bacch. H. Jur. p. 504, ed. secunda. — *Complexa* accommodate iis, quæ dixerat Noster v. 7 sq.

14, 15. *Trabeæ*, consulatus. Vid. supra VIII, 640.—*Nil jam.... relictum, Quo virtus animo crescat*. Ex nulla re amplius virtus tua incrementa capere potest. — *Vel splendor honore*, vel claritas nominis tui augeri ullo honore, quum consulatu fungaris, qui summus est honos. Cic. in Catilin. III, 11 : « Mihi quidem ipsi quid est, quod jam ad vitæ fructum possit acquiri, præsertim quum neque in honore vestro, neque in gloria virtutis quidquam videam altius, quo quidem mihi libeat ascendere? »

16. *Culmen utrumque tenes*, sc. et virtutis et honoris. Burmannus videtur ita accepisse, ut *culmen utrumque* significet, Mallium et Præfectum Prætorio et Consulem fuisse. — *Anni rudes*, id est, pueritia; et, pueritia te formavit, dixit pro : præclara tua Indoles jam puerili institutione tanta cepit incrementa, ut *talis* fieres, qualis nunc es.

17, 18. *Curuli*. Summis honoribus. — *Et dignum vita curuli Traxit iter. Traxit* Barthio jam suspectum fuit. Heinsius proponit, *stravit*, laudatque Stat. Theb. XII, 822, unde tamen illud vix potest probari. Burmannus vult *rexit ;* Gesnerus existimat, *trahere iter* tenorem quemdam æquabilem vitæ tranquillæ notare, id quod huic loco non convenire videtur. Fortasse *trahere* nihil amplius h. l. est, quam, eligere, ut apud Persium V, 17. — *Primæque senes* etc. id est, senes jam a puero superabantur.

19. *Canities*, maturitas. Callim. H. in Jov. 57 :
Ἀλλ᾽ ἔτι παιδνὸς ἐὼν ἐφράσσαο πάντα
τέλεια.
Conf. ad X, 325.

Pondus, et attonitas sermo qui duceret aures;
Mox undare foro victrix opulentia linguæ,
Tutarique reos: ipsa hæc amplissima sedes
Orantem stupuit, bis laudatura regentem.
Hinc te pars Libyæ moderantem jura probavit,
Quæ nunc tota probat: longi sed pignus amoris
Exiguæ peperere moræ, populumque clientem
Publica mansuris testantur vocibus æra.

20. *Dulce pondus*, gravitas eum venustate conjuncta. Cf. Sil. Italic. VIII, 609 sq.

21. *Undare.* Dicendi copia enm flumine sæpe comparatur; unde quoqne illud dnctum est. Conf. Wernsdorf. sd Saleii Bassi c. ad Pison. v. 77 sq. Poet. lat. minor. tom. IV, part. I.

22. *Amplissima sedes.* Rubeuius in vita Mallii (ed. Lips. Platner.) intelligit tribunal Præfecti Prætorio; Barthius euriam, eui Burmannus accedit. Saltem *hæc* loeum indicare videtur, ubi Claudianus panegyricum snum recitat, qui etiam idem fuisse debet, ubi Præfectus Prætorio jus dieere soleret.

23. *Orantem stupuit*, causas agentem admirata est. Rnbenius l. e. p. 9. putat, Mallium inter advoeatos ordinarios sen statutos prætorianæ sedis fuisse, quorum erant centum quinquaginta, ex quibus Præfecti Prætorio eos eligere solebant, qui Imperatoribus ab ipsis commendati, acceptis codicillis, regendis provinciis præficerentur. Cf. Vales. ad Amm. Marcell. XXVIII, pag. 350, et Paulinum in Vita Ambros. apud Ruben. « Postquam edoctns liberalibns disciplinis urbe egressus est, professusque in auditorio præfecturæ prætorii, ita splendide eausas perorsbat, ut eligeretnr a viro illustri Probo, tunc Præfecto Prætorio, ad consilium tribuendum. Post hæc, consulsritatis suscepit insignia, ut regeret Liguriam etc. » Adde Guther. de Offic. dom. August. II, 4. — *Regentem*, jus dicentem. Bis fuit Præfectns Prætorio per Italiam.

24. *Hinc te pars Libyæ* etc. Ruben. l. c. p. 10, putat, fuisse eum Consularem Byzaeii, vel Numidiæ, vel Tripolitanæ, vel Mauritaniæ Sitisensis, aut Cæsareæ provineiæ Præfectum, de quo genere administrationis vid. Gronov. Obs. eccl. c. 21, p. 226, et Jacob. Gothofred. Not. Dignit. Cod. Theodos.

25. *Quæ nunc tota probat.* V. infra 201. — *Pignus amoris*, explicatur v. 27.

26. *Exiguæ moræ*, breve spatium temporis quo Libyæ præfuisti, peperit tibi pignus et monnmentum amoris Libycorum.

27. *Publica æra*, sive tabulæ æreæ, sive tituli puhlici in statuis sut aliis monumentis æreis. — *Mansuris vocibus*, quæ expressæ erant literis ære incisis. Bnrmannus laudat Lucan. III, 220. V. interpp. ad Sueton. Vespas. I.

Inde tibi Macetum tellus, et credita Pellæ
Mœnia, quæ famulus quondam ditavit Hydaspes.
Tantaque commissæ revocasti gaudia genti
Mitibus arbitriis, quantum bellante Philippo
Floruit, aut nigri cecidit quum regia Pori.
Sed non ulterius te præbuit urbibus aula;
Maluit esse suum. Terris edicta daturus,
Supplicibus responsa, venis: oracula regis
Eloquio crevere tuo, nec dignius unquam
Majestas meminit sese Romana locutam.
Hinc sacræ mandantur opes, orbisque tributa

28. *Macetum*; v. n. ad V, 279. —*Pellæ*, ad VIII, 375. Rubenius l. c. p. 12, censet, Mallium non fuisse Præfectum Prætorio Illyrici, sed tantum Macedoniæ præfuisse, quia postea factus sit Quæstor, et inde Comes sacrarum largitionum, quæ minores dignitates essent, quam Præfectura Prætorii.

29. *Famulus Hydaspes.* Oriente nempe ab Alexandro M. subacto. Hæc ornatus causa adjecta sunt, non ut indicaretur, quemadmodum Gesnerus existimat, æque felicem et gloriosam fuisse Mallio præside Macedoniam, quam sub Philippo suo vel Alexandro fuerit.

32. *Pori.* VIII, 375. — *Nigri.* Indorum perpetuum fere epithet. apud poetas. Cf. Arrian. Hist. Ind. c. 6, in fine; Senec. Œd. 122.

34. *Terris edicta daturus.* Describit Claudianus quæsturam sacri palatii a Mallio gestam. Barth. laudat Cassiodor. Epist. VI, 5: « Quæsturam toto corde recipimus, quam nostræ linguæ vocem esse censemus. Hæc nostris cogitationibus necessario familiariter applicatur, ut proprie dicere possit, quod nos sentire cognoscit, et ita mentis nostræ velle suscipit, ut a nobis magis putetur exisse quod loquitur. » Cf. Coripp. in laud. Justin. I, 24 sqq. Zosim. V, 32; Cassiodor. VIII, 13 et 14; Guther. de Offic. dom. Aug. II, 18, p. 377. De officio Quæstoris sacr. pal. consule Novel. 53, et 114. Vocabatur ab Imperatoribus *Justitiæ custos*, *Armarium legum*, *Vox legum*; petitionibus subscribebat, aut petentibus responsum reddebat, leges dictabat, preces et responsa subnotabat.

35. *Oracula regis*, rescripta et constitutiones Principis.

36, 37. *Nec dignius unquam* etc. Cl. Rutil. Itiner. I, 171 sq. de Rufio Quæstore S. P.

Hujus facundæ commissa palatia linguæ
Primævus meruit principis ore loqui;

ubi vid. Wernsdorf. Poet. lat. min. T. V, P. I, pag. 108.

38. *Hinc sacræ mandantur opes.* Hinc factus est Comes sacrarum largitionum, de quo officio vide Guther. de Off. dom. Aug. III, 16. Cassiodor. Epist. V, 40. Huic erat

Possessi, quidquid fluviis evolvitur auri,
Quidquid luce procul venas rimata sequaces
Abdita pallentis fodit sollertia Bessi.
  Ac velut exsertus lentandis navita tonsis
Præficitur lateri custos; hinc ardua proræ
Temperat, et fluctus tempestatesque futuras
Edocet; assiduo quum Dorida vicerit usu,
Jam clavum totamque subit torquere carinam:
Sic quum clara diu rerum documenta dedisses,

thesaurorum Imperatoris administratio commissa, curamque gerebat publicæ pecuniæ, in varios usus erogandæ.

39. *Fluviis.* Cf. Plin. Hist. Nat. XXXIII, cap. 4.

40, 41. *Venas sequaces* pro, venas sequacis, id est, ductilis, metalli, quale est aurum. — *Luce procul*, in altis puteis. — *Abdita sollertia*, latens in cuniculis. Veget. II, 11; IV, 24, laudat Bessorum in aurariis tractandis sollertiam, Panegyr. Vet. XII, 28, 2. Sunt autem Bessi Thraciæ populus Hebro vicinus, ipsaque Thracia inter auriferas regiones olim erat insignis. Nota sunt Thasiorum metalla ex Thucyd. I, 100. — *Pallentis*, communis auri fossorum color. Sil. Italicus, I, 231 sq. et Statius Silv. IV, 7, 15.

42. Comparatur Mallius gradatim ad summos honores evectus, cum strenuo remige, qui tandem propter rei nauticæ experientiam gubernaculo præficitur; quæ comparatio eo facilius in mentem poetæ venire poterat, quo frequentius rei publicæ administratio cum navis gubernatione comparari solet. — *Exsertus* est apertus, inde conspicuus, promptus, acer. V. interpp. ad Pacat. in Panegyr. Vet. XII, 35, 1. Cf. Casaubon. ad Scrr. Hist. August. T. I, pag. 592. Burmannus præfert *excitus*, quod procul dubio deterius est. — *Lentandis*, ducendis, sed illud vim exprimit, quo adducuntur remi, ut aqua resistente inflectantur et curventur. Cf. Virgil. Æn. III, 384; Senec. Med. 437 sq. — *Tonsis*, remis. Schol. ad Lucan. III, 527.

43, 44. *Præficitur lateri custos*, τοιχάρχος, operarum nauticarum inspector; Stat. Theb. X, 176 sqq. Turneb. Advers. XXVIII, 43. — *Ardua proræ temperat*; fit inde *proreta*, seu *proreus*, cujus erat ventos, scopulos, pericula prospicere: hoc liquet ex iis, quæ sequuntur. Cf. Xenophon. Œcon. VIII, 14; Suidam in voce πρωρεύς; Scheffer. de re nautica IV, 6 et 7.

45. *Dorida*, mare, ejusque pericula. Doris est dea marina, Nereidum mater.

46. *Subit.* Recte Gesnerus: *Subit* non modo successionem notat, sed illud etiam, onus esse illam gubernatoris provinciam. Plura de hac voce adnotavit Barth. ad Stat. Theb. X, 251.

Non te parte sui, sed in omni corpore, sumpsit
Imperium, cunctaque dedit tellure regendos
Rectores. Hispana tibi Germanaque Tethys
Paruit, et nostro diducta Britannia mundo;
Diversoque tuas coluerunt gurgite voces
Lentus Arar, Rhodanusque ferox, et dives Iberus.
O quoties doluit Rhenus, qua barbarus ibat,
Quod te non geminis frueretur judice ripis!
Unius fit cura viri, quodcumque rubescit
Occasu, quodcumque dies devexior ambit:
Tam celer assiduos explevit cursus honores!
Una potestatum spatiis interfuit ætas,
Totque gradus fati juvenilibus intulit annis.

48, 49. *Imperium sumpsit te.* Cf. v. 7 et 12. — *In omni corpore*, ut non singula membra, sed totum corpus regeres. Comparatur autem imperium corpori. Cf. Coripp. in laud. Just. II, 195 sqq.

50. *Regendos Rectores*; v. Barth. ad Rutil. Itiner. I, 555 sqq. Describi h. l. præfecturam prætorii, speciatim Galliarum, ostendit et illustrat Ruben. l. c. p. 14.

51. *Et nostro diducta Britannia mundo.* Imitatur Virgil. Eclog. I, 67: *toto divisos orbe Britannos.*

52. *Coluerunt voces*, obtemperaverunt tibi.

53. *Lentus Arar, Rhodanusque ferox.* Cf. supra ad V, 111; Sil. Ital. III, 447 sqq. et IV, 61. — *Ferox* opponitur h. l. *lento Arari*; Sil. Italic. XV, 501. Alias fluvii sæpe *feroces* vocantur a barbaris gentibus, quæ accolunt. Nost. V, 26. Lucan. I, 465, et VI, 308. Senec. Hercul. Fur. 1323 sq. ut hic versu sequenti *Rhenus barbarus.* Rhodani cursum describit Ammian. Marcellin. XV, 11, in fine. — *Dives*, aurifer.

55. *Geminis ripis.* Erat nempe Rhenus limes imperii, populique Germanorum trans Rhenum imperio non erant subjecti. — *Qua barbarus ibat;* ulteriorem ripam describit. Cf. Martial, X, 7, 7.

56, 57. *Quodcumque rubescit Occasu.* Similem orationis colorem invenies apud Ovid. Met. I, 62 sq. Quæ Heinsius laudat, huc minus pertinere videntur. — *Dies devexior*, de vespera. Lucan. IV, 155. — *In medium surgente die*, de meridie.

58. *Tam celer cursus explevit* pro vulgari: tam celeri cursu explevit Mallius etc.

59, 60. Burmannus fatetur, se locum hunc non recte intelligere, et habet sane difficultatem, quam Rubenius in dissertatione sua, qua plures removit, intactam reliquit, non tamen, ut equidem arbitror, insuperabilem. Nemo facile nega-

Postquam parta quies, et summum nacta cacumen,
Jam secura petit privatum gloria portum:

bit, h. l. sermonem esse de decursu honorum celeriter peracto. Instituti et moris, quo Claudianus eadem, sed aliter expressa, repetere solet, haud immemor interpres, etiam ex his tricis se expediet. Quæritur primum, quidnam sit *una ætas?* In diversa abeunt interpretes. Barthius spatium XV annorum intelligit, Gesnerus XXX circiter annorum; Heinsius et Burmannus adeo existimant, meliorem sententiam emersuram esse, si legatur *æstas*, et habent sane, quod sequantur. Hunc nempe sensum constituunt, unum tantum annum in cursu celeri honorum ab anno C. 374, ætatis Mallii XXIV, ad annum 382 intercessisse, quo nullos honores gesserit. De hac sententia Fasti Rubenii consulendi sunt. Omissis aliorum rationibus, quibus *ætas* explicare conati sunt, quas omnes quidem recensere nec instituti nostri est, nec temporis, quod equidem sentio, proponam. *Una ætas* est ætas juvenilis (XVIII, 66), ut explicatur versu sequenti per: *juvenilibus annis interfuit*, illamque vitæ partem designat, quæ gerendis honoribus insumpta est. Illa vitæ pars, seu illa *ætas* dicitur *interfuisse*, id est, adfuisse honoribus; nam hanc vim τὸ *interesse* quandoque habere, ex lexicis vulgaribus notum est. Et *interfuit spatiis potestatum*, id est, honorum decursui. Potest autem spatium *potestatum* illud tempus significare, quod inter primum et ultimum honorem, quos gessit Mallius, intercessit. Jam vero hoc tempus incidit in juvenilem ætatem Mallii; sequitur inde, proprie dici a Nostro, *unam* Mallii *ætatem* (juvenilem videlicet) interfuisse spatio (*spatiis*) honorum, pro: Mallium juvenili ætate totum honorum decursum confecisse. — *Totque gradus* (honorum) *fati juvenilibus intulit annis*. Nominativus procul dubio ex præcedentibus repetendus est. Esse debet *ætas*. Quid autem sibi vult: *ætas intulit juvenilibus annis?* Esset enim: ætas juvenilis ætati juvenili intulit, id quod utique absurdum est. Hac igitur ratione nihil potest confici. Audiendus sane Burmannus videtur, qui *fatum* legit pro *fati*, quo facto omnis difficultas evanescit. Sensus: fatum omnes honores contulit in juvenilem ætatem Mallii. Alia lectio, *induit*, quam Heinsius quoque probat, elegantior sane est. V. infra XXVIII, 67 et 650 sq. Qua lectione recepta, *Mallius* potest subintelligi. *Induit*, sc. Mallius, *juvenilibus annis*, id est, juvenis, *tot gradus fati*, id est, tot honores, quos fatum alium post alium in eum contulit. Vocantur autem honores *gradus*, quia semper ab inferiore ordine ad altiorem quasi per gradus adscenditur.

61. *Parta quies*. Virgil. Æn. III, 495. Laboribus quasi peractis, aut decursu honorum facto, quum otio se dare honeste posset Mallius. — *Summum nacta cacumen*, summis sc. honoribus bene gestis.

62. *Jam secura*, sc. tempestatum et fortunæ casuum. Similitudo enim sumpta est a navi, peracto cursu por-

Ingenii redeunt fluctus, aliique labores,
Et vitæ pars nulla perit: quodcumque recedit
Litibus, incumbit studiis, animusque vicissim
Aut curam imponit populis, aut otia Musis.
Omnia Cecropiæ relegis secreta senectæ,
Discutiens quod quisque novum mandaverit ævo,

tum jam intrante. Hic *portus* vocatur *privatus*, quia Mallius peractis honoribus, in vitam privatam recedebat.

63. *Ingenii redeunt fluctus*, ut Heinsius malebat, quem Gesnerus secutus est. Burmannus *fructus* restituit. — *Ingenii fluctus* opponuntur fluctibus civili tempestate excitatis, quos portum intrando effugerat. *Ingenii fluctus* autem sunt literarum studia, quæ, dum honoribus fungeretur, seposuerat, atque in futurum otium distulerat. — *Aliique labores* et ingenii fluctibus opponuntur, et iis laboribus, quos in honorum decursu exhauserat.

64. *Et vitæ pars nulla perit. Vitæ pars* h. l. est vitæ tempus. Indicare vult, totum hoc otium bene collocatum fuisse. — *Quodcumque recedit litibus* significare videtur omne tempus post depositum magistratum, qui in jure dicendo occupatus fuerat. Cf. infra 138 sq. Illud, aut per illud tempus, *incumbit studiis* Mallius. Suspicatur Gesnerus *incumbit* hoc loco positum esse pro: additur, adjicitur. Burmannus existimat Claudianum scripsisse: *quodcumque recidit litibus, impendit studiis*. Ita sane ei scribendum fuisset, si planius scribere, et ad pedestrem rationem propius accedere voluisset. Nam inde, quod alias hac dicendi ratione usus est, ut XXIX, 112, et XVIII, 451; non sequitur, eamdem etiam h. l. adhibitam fuisse.

66. *Aut curam imponit populis, aut otia Musis.* — *Imponit* h. l. videtur esse idem, quod, dicat, offert. Ovid. Fast. I, 127 sq. *cui* (Jano)

..........quum Cereale sacerdos
Imponit libum, mixtaque farra sali.

Plaut. Curcul. I, 1, 73: *Quid? an te pones Veneri jentaculo.* Ubi Taubmannus Passeratium ad versum Propertii laudat, qui est Tibulli I, 1, 14, ubi v. interpp. Nulla vitæ pars desidiæ datur; etenim *curam*, id est, tempus negotiosum et laboriosum, quo magistratus gerit, populis, populorum saluti et commoditatibus insumit; *otium* autem, vitæ tempus a publicis negotiis liberum, Musis tribuit. Heinsius legendum censet *impendit;* Burmannus nihil mutandum putat, provocatque ad Barthium, qui tamen nihil expedire videtur.

67. *Relegis*, retractas. — *Secreta*, a vulgari cognitione remota. *Cecropiæ senectæ*, Atticæ antiquitatis. Intelligit autem philosophorum antiquorum libros, quibus legendis occupatum Mallium esse dicit. Cf. VIII, 397 sq.

68. *Quisque*, illorum philosophorum. — *Mandaverit ævo*, exquisitius, quam literis mandaverit. Heinsius conj. *quod quisque novi.*

Quantaque diversæ producant agmina sectæ :
Namque aliis princeps rerum disponitur aer ;
Hic confidit aquis; hic procreat omnia flammis :
Alter, in Ætnæas casurus sponte favillas,
Dispergit revocatque Deum, rursumque receptis
Nectit amicitiis, quidquid discordia solvit :
Corporis hic damnat sensus, verumque videri
Pernegat : hic semper lapsuræ pondera terræ

69. *Quantaque agmina*. Recte Barthius de multitudine discipulorum uniuscujusque sectæ interpretatur, qui iterum in diversas familias abierunt, quarum quæque diversas ab auctore sententias secuta est. Male proponit Burmannus *dogmata* pro *agmina;* etenim de sententiarum varietate, non multitudine sermo est, ut ex sequentibus patet.

70. *Aliis*, ab Anaximene, et qui cum secuti sunt. — *Princeps*, principium omnium rerum. — *Disponitur*, totus mundus conficitur, aut ostenditur, qua ratione ex aere omnia nata sint. Plutarch. de Placit. philosoph. I, 3, p. 350, t. XII, ed. Hutt. Cic. Academ. Q. II, 37.

71. *Hic confidit aquis*. Thales intelligitur, Plutarch. l. c. p. 348; Aristotel. Met. I, 3; Cic. de Nat. Deor. I, 10. — *Hic procreat omnia flammis*, Heraclitus, Plutarch. l. c. p. 355; Diogen. Laert. IX, sect. 6.

72. *Alter*, Empedocles. — *In Ætneas casurus sponte favillas*. Diverse narratur ejus mors. Vulgarem narrationem, qua traditur in Ætnam se præcipitasse, quum eruptionum ejus naturam et rationem investigare non potuisset, secutus quoque est Horat. Art. 465 sq. Luc. Dial. Mort. XX, 4, t. I, p. 416, ed. Reiz. De ejus placitis vid. Plutarch. l. c. pag. 357.

73, 74. *Dispergit revocatque Deum*. Docuit enim, animas hominum esse particulas naturæ divinæ, easque post mortem redire, iterumque cum divina natura conjungi. Idemque amicitia et discordia, id est, attractione et repulsione, universum contineri tradidit. Cf. Jo. Stobæi Eclog. physic. I, 21; Tiedemann. *Geist der speculativ. Phil.* p. 251. Cæterum hominum animos σπέρματα quasi et ἀποσπάσματα esse animæ mundi, plures, præsertim Stoici, docuerunt. Vide quæ hac de re collegit Ruperti ad Sil. Italic. XV, 71 sqq. Tiedemann. l. c. t. II, 490 sqq. Conf. Valer. Flacc. III, 378 sq.

75. *Corporis hic damnat sensus*. Heraclitum intelligit sensuum judicium rejicientem. Hoc nuper demum intellectum est, sensus in judicando nequaquam errare propterea, quia omnino non judicant. Epicurei contra omnia sensibus tribuerunt. Diog. Laert. IX, 7; Sext. Empiric. adv. Math. VII, p. 161; Lucret. IV, 480 sqq.

76—78. *Hic semper lapsuræ pondera terræ Conatur rapido* etc. i. e. hic explicare conatur, quemadmodum

Conatur rapido cæli fulcire rotatu,
Acceditque diem prærupti turbine saxi:
Ille ferox, unoque tegi non passus Olympo,
Immensum per inane volat, finemque perosus
Parturit innumeros angusto pectore mundos:
Hi vaga collidunt cæcis primordia plagis;

fulciantur, seu sustineantur *pondera terræ lapsuræ*, alioquin sua gravitate et nisu per inane lapsura, *rapido cæli rotatu*, e rapido circumactu cæli ambientis. Quis ille fuerit ex antiquis, Gesnerus ignorare fatetur. Cf. Manil. Astron. I, 173 sqq. Ovid. Fast. VI, 269 sqq. — *Accenditque diem*, id est, solis naturam explicat, quo terra illustratur. *Accendere* interdum pro illustrare poni docet Ruperti ad Sil. Italic. III, 671. Plutarch. l. c. p. 407. Anaxagoram, Democritum et Metrodorum docuisse narrat, solem esse μύδρον, ἢ πέτρον διάπυρον. Probabile quidem est, unum horum philosophorum et ejus sententiæ, ex qua terra cæli rotatione sustineatur, auctorem fuisse, quum ea, quæ hoc versu dicuntur, eidem tribui videantur, quem versu 76 intelligi voluerit; sed Aristoteles (de Cælo II, 13) eam sententiam et Empedocli vindicat: οἱ δὲ, ὥσπερ Ἐμπεδοκλῆς, τὴν τοῦ οὐρανοῦ φορὰν κύκλῳ περιθέουσαν, καὶ θᾶττον φερομένην τὴν τῆς γῆς φορὰν κωλύειν, καθάπερ τὸ ἐν τοῖς κυάθοις ὕδωρ· καὶ γὰρ τοῦτο κύκλῳ τοῦ κυάθου φερομένου πολλάκις κάτω τοῦ χαλκοῦ γινόμενον, ὅμως οὐ φέρεται, κάτω πεφυκὸς φέρεσθαι, διὰ τὴν αὐτὴν αἰτίαν.

79—81. Pulcherrimi sunt versus, egregieque sublimitatem mentis ejus exprimunt, qui circa vulgaria sensibusque subjecta non moratus, omnem rerum universitatem immensam atque infinitam animo complexus est. Metrodorum illum fuisse docet Plutarch. l. c. pag. 362. — *Ferox* ad mentis et cogitationis audaciam pertinet. — *Uno Olympo non passus tegi*, quum infinitos numero mundos in infinito inani esse statueret. — *Volat*, scilicet mente etcogitatione. — *Parturit*, præclare pro: concipit animo, excogitat. — *Angusto pectore* egregie opponitur τῷ *innumeros mundos*, ad vim et capacitatem humanæ mentis declarandam. Barthius errat, quum putat, Claudianum adjecto *angusto pectore* significare voluisse, conatus hominum ad talium rerum doctrinam ridiculos esse. Etiam Gesnerum in eadem opinione fuisse, colligi inde potest, quod dicit, *angusto pectore* pulchrum et *salsum* fuisse.

82. *Hi*. De Leucippo, Democrito et Epicuro sermo est. De re videndi Lucret. II; Cic. de Finib. I, 6; Plutarch. l. c. pag. 356; Lactant. Instit. III, 17, 23 sqq. — *Vaga primordia*, elementa, corpuscula, atomi, στοιχεῖα, quæ per inane suopte pondere deorsum feruntur, paullulumque, ut Epicurus, Cicerone teste, excogitavit, declinant, ut inter se cohærere possint. Hoc exprimit Noster per: *hi collidunt*, id est, ostendunt aut docent, illa

Numina constituunt alii, casusque relegant.
Graiorum obscuras Romanis floribus artes
Irradias, vicibus gratis formare loquentes
Suetus, et alterno verum contexere nodo.
Quidquid Socratico manavit ab ordine; quidquid
Docta Cleantheæ sonuerunt atria turbæ,

corpuscula inter se collidi, aut cohærere *cæcis plagis*, vi aliqua mente destituta, Lucret. II, 140.

83. *Numina constituunt alii.* Hi Stoici sunt imprimis, contra quos Velleium disputantem inducit Cic. de Nat. D. I, 20. — *Casusque*, hoc spectat prius *cæcis plagis*. — *Relegant*, removent, negant, quidquam casu seu fortuito fieri.

84—86. Burmanno in mentem venit, Ciceronem h. l. innui, conversamque ad eum orationem esse, quandoquidem sæpe glorietur Cicero, se græce tradita latino sermone illustrasse. Verum non est ita; ad Mallium illa referenda sunt. — *Graiorum obscuras.* Placita Græcorum philosophorum intelligit; eaque *obscura* hic dicit, quum, quia argumenta per se obscura et abstrusa, a vulgari cognitione cogitandique ratione remota erant, tum respectu illorum, qui græce nesciant. Lucr. I, 137 sq. — *Romanis floribus irradias* non simpliciter est, latino sermone tradis, sed et tractationem argumenti spectat exquisitam, dicendique genus, quo abstrusæ illæ res et tenues lectoribus commendantur. — *Formare loquentes*, h. e. inducere loquentes. Disserendi rationem per dialogos innuit, qua Plato et Xenophon usi sunt, et apud Romanos Cicero. — *Et alterno verum contexere nodo.* Barthius sub *nodo* Socraticas captiones intelligit, quæ locum hic habere nequeunt. Ex antecedentibus interpretatio petenda est, ubi sermo erat de dialogis. *Nodos* sermonis eos intellexit, ubi in dialogo alter alterius sermonem excipit, quæ loca quasi compages totius orationis et commissuræ adparent. *Alterno nodo* igitur interpretor: sermone alterno, id est, dialogo. Cic. Orat. 66: « His igitur singulis versibus quasi nodi apparent continuationis, quos in ambitu conjungimus. » — *Verum contexere* mihi nihil aliud videtur esse, quam, quid verum sit, in unaquaque re ostendere. Illud *contexere* formam totius orationis spectat, quæ est dialogus.

87. *Quidquid Socratico manavit ab ordine. Ordo Socraticus* est philosophorum successio, qui e Socratis schola prodierunt, Socratici, Academici, Peripatetici etc. — *Quidquid manavit ab* etc. quidquid ab illis excogitatum, literisque consignatum est. Cæter. cf. Sidon. Apoll. Carm. II, 155 sqq. et XV, 96 sqq.

88. *Docta Cleantheæ sonuerunt atria turbæ.* Zeno, Stoicorum princeps, in porticu (στοᾷ) docebat, quæ *pæcile* vocabatur, unde æmuli ejus Stoici vocati sunt. Cf. not. ad Pers. III, 53. Inde sæpe *porticus* aut *stoa*, aut, ut h. l. *atria* pro Stoicorum disciplina ponuntur. Stoici

Inventum quodcumque tuo, Chrysippe, recessu;
Quidquid Democritus risit, dixitque tacendo
Pythagoras, uno se pectore cuncta vetustas
Condidit, et major collectis viribus exit.

autem dicuntur *Cleanthea turba* a Cleanthe, Zenonis successore, de quo v. Diog. Laert. VII, sect. 168; ibi Menag. Illinanomine Stoicorum philosophia designatur apud Pers. V, 63 sq. ubi v. n.

89. *Chrysippe.* Stoicum intelligit. Diogen. Laert. l. c. sect. 179. — *Tuo recessu*, solitudine, in quam meditandi scribendique gratia recesserat. Inter polygraphos recensetur. Gesnerus *Chrysippi recessum* metaphorice intelligendum esse putat pro abstrusioribus et remotis a vulgari cognitione placitis. Verum hæc interpretatio ex Quint. Instit. I, 4, 5, quem laudat, probari nequit. Cæterum dicendi genere eum usum esse non satis luculento notum est ex Arrian. in Enchir. 73.

90. *Quidquid Democritus risit*, etc. Adludit ad illam fabulam, qua Democritus stultitiam hominum risisse dicitur, Senec. de Ira, II, 10; de Tranquill. an. 15; Ælian. V. H. IV, 20. Juv. X, 47. Imago quoque ejus vultu ridenti et pingitur et fingitur. V. Christodori statuarum recens. in Anthol. Græca t. II, pag. 166, v. 131 sqq. Conf. t. IV, p. 226, epigr. DXVIII, ed. Jacobs. — *Dixitque tacendo Pythagoras.* Ὀξύμωρον. Barthius id respici putat, quod ii, qui in disciplinam recepti erant a Pythagora, certum tempus tacentes audire juberentur. Gell. I, 9. Gesnerus existimat, id innui, quod per symbola illa nobilia quædam potius tradiderit, quam diserte elocutus sit. V. Menag. ad Diog. Laert. VIII, 17. Burmannus comparat illud τὸ σιωπᾶν λόγος Philost. de vit. Apollon. II, laudatque Ovid. ex Ponto II, 5, 51 sq. Hoc unusquisque, verbis rite perpensis, vel me tacente, intelligit, alterutrum verum esse, aut illos viros doctos in interpretando illo loco esse hallucinatos, aut poetam aliud sensisse, aliud verbis expressisse. Figurarum studium, cui poeta tantopere indulget, tenebris involvit sententiam per se planissimam, quæ tamen facili negotio dispelles, si animadvertas, *tacendo* Nostrum posuisse pro: tacendo sermone, id est, sermone, qui alios celandus erat, quem divulgare non debebant auditores. Pertinet hoc ad arcanam Pythagoræ disciplinam, de qua v. Menag. ad Diog. Laert. VIII, 15; Meiners de vero Deo p. 286. Planius idem efferre potuisset sic: *dixitque tacendum;* sed figura periisset. Elegans est epigr. gr.

Οὐ τὸν ἀναπτύσσοντα φύσιν πολύμητιν ἀριθμῶν
Ἤθελεν ὁ πλάστης Πυθαγόραν τελέσαι,
Ἀλλὰ τὸν ἐν σιγῇ πινυτόφρονα· καὶ τάχα φωνὴν
Ἔνθεν ἀποκρύπτει, καὶ τόδ' ἔχων ὀπάσαι.

Anthol. Gr. t. III, p. 202, epigr. XXXIV, ed. Jacobs.

91. *Uno se pectore cuncta vetustas Condidit.* Idem fere dicendi color qui versu 81.

92. *Major collectis viribus exit*, sc.

Ornantur veteres, et nobiliore magistro
In Latium spretis Academia migrat Athenis,
Ut tandem propius discat, quo fine beatum
Dirigitur; quæ norma boni, quis limes honesti;
Quænam membra sui virtus divisa domandis
Objectet vitiis; quæ pars injusta recidat,
Quæ vincat ratione metus, quæ frenet amores.
  Aut quoties elementa doces, semperque fluentis
Materiæ causas; quæ vis animaverit astra,

dum eam profert Mallius, comparando, digerendo, dijudicando, ornando, illustrando et amplificando quæ legisset.

93. *Ornantur;* vid. not. ad 84.

94. *Academia.* Quum Mallius Academicorum in scribendo morem sequeretur, et de quacumque re in utramque partem disputaret.

95. *Ut tandem propius discat.* sc. Latium, id est, ut Romani faciliori negotio erudirentur, nec opus haberent, tot philosophorum volumina, alieno sermone præsertim scripta, perlegere, quum nunc omnia, quæ quidem memoratu digna essent, in Mallii scriptis digesta et illustrata invenire possent. V. infra 115. — *Quo fine beatum Dirigitur*, id est, ad quem finem id referatur, quod beatum dicatur, aut quo tendere is debeat, qui beatus esse velit. Vis enim et potestas beati pendet a fine bonorum et malorum.

96. *Quæ norma boni, quis limes honesti. Norma boni*, id est, regula, ad quam exigas, quæ bona vocanda et habenda sint. — *Limes honesti*, quo honestum a turpi separatur.

97. *Virtus divisa.* Virtus est una, quæque vulgo virtutes vocantur, partes ejus sunt singulis vitiis oppositæ. Barthius laudat Sen. Epist. 66. Adde Cic. de Finib. V, 24.

98. *Quæ pars* (sc. virtutis) *injusta* (contra jus facta) *recidat.* Justitiam intelligit, quæ partem constituit virtutis.

99. *Quæ* (pars virtutis) *vincat ratione metus.* Est animi constantia et fortitudo. — *Quæ frenet amores;* temperantia est.

100 sq. Ab illa philosophiæ parte, qua morum disciplina continetur, ad illam transit, quæ posita est in natura contemplanda. Hæc, ut antiquissima, poetæ præcipue uti solent, quando philosophiæ studia designare volunt. Cf. Propert. III, 3, 45 sqq. Virgil. Georg. II, 475 sqq. Ovid. Met. XV, 65 sqq. Sil. Ital. XIV, 343 sqq. Stat. Silv. V, 19 sqq. Theb. VI, 355 sqq. — *Elementa*, στοιχεῖα, principia rerum. — *Semper fluentis materiæ.* Opinionem de materia perpetuo fluente Pythagoræ, Thaletis et Stoicorum disciplinæ tribuit Plutarch. loco c. p. 374, et Stobæus Eclog. Physic. I, 3. — *Quæ vis animaverit astra.* De geniis astrorum, ad quos Barthius hoc referre videtur, non cogitandum est. — *Animaverit*, i. e. impulerit, faciatque, ut motum,

Impuleritque choros; quo vivat machina motu;
Sidera cur septem retro nitantur in ortus
Obluctata polo: variisne meatibus idem
Arbiter, an geminæ convertant æthera mentes.
Sitne color proprius rerum, lucisne repulsu
Eludant aciem: tumidos quæ Luna recursus
Nutriat Oceani; quo fracta tonitrua vento;

quem semel nacti sunt, summa conservent constantia, ita ut animata rationeque prædita esse videantur. Cf. tamen Cic. de N. D. II, 20.

102. *Impuleritque choros.* Chori stellis propter motum earum consonum tribuuntur. Manil. Astr. I, 669; ibi v. Scalig. Tibull. II, 1, 88; ibi Vulpium et Heyne, qui laudat Lucian. de Saltat. c. 7. Conf. Valer. Flacc. V, 566; Stat. Silv. III, 3, 54; Achill. I, 643; Licent. carm. ad August. v. 7 sqq. in Poet. lat. minorib. t. IV, p. 2. Quæ Gesnerus h. l. adfert, ad Orphicam magis disciplinam, quam ad vulgarem poetarum rationem pertinere videntur. — *Quo vivat motu* eadem ratione dixit, qua supra *animata sit.* — *Machina* totius universi complexus. Sensus: quid sit id, quod totum siderum complexum moveat. Cf. Manil. Astr. II, 60 sqq.

103. *Sidera cur septem*, etc. Omnia corpora cælestia ab oriente ad occidentem moveri videntur, præter planetas, solem et lunam, qui cum stellis, quas fixas astronomiæ periti vocant, comparati, ab occidente ad orientem cursum suum quoque flectere videntur. Cujus planetarum cursus cognitionem Eudoxum primum in Græciam adtulisse animadvertit Scaliger ad Manil. Astr. I, 17.

104. *Obluctata polo*, quum rapido motui diurno, quo cælum circumagitur, obniti videantur; cf. Platon. Timæum p. 317, t. IX, ed. Bipont. Macrob. Somn. Scip. I, 18; Hygin. Poet. Astron. IV, 13; Plin. H. N. II, 8; Ovid. Met. II, 72 sqq. — *Variisne meatibus*, duobus illis contrariis motibus.

105. *An geminæ convertant*, etc. Utrum uni, an duobus auctoribus hi contrarii motus adscribendi sint? — *Mentes.* Ψυχὴ, νοῦς. Igitur, utrum una, an duæ animæ mundi cogitandæ sint. Cf. Heyne ad Virgil. Æn. VI, 724 sqq.

106. *Sitne color proprius rerum.* Veterum opiniones de coloribus collegerunt Plutarch. de Placit. phil. I, 15; Stobæus Eclog. phys. I, 17; cf. Gell. XVII, 16; Macrob. Sat. VII, 14. — *Lucisne repulsu*, i. e. lumenne a solis radiis receptum remittant oculis, itaque illos illudant, ut colores rebus inesse videantur.

107, 108. *Tumidos quæ Luna recursus Nutriat Oceani.* Gesnerus optat, ut in codice aliquo legatur *qui Luna.* Barthius *quæ luna* interpretatur: quota hora lunari, laudatque Varron. d. L. L. VIII, p. 132, ed. Bipont. Addi potest Lucan. I, 414, qui a v. 409 sqq. plures causas fluxus atque refluxus maris jungit.

Quid trahat imbriferas nubes; quo saxa rotentur
Grandinis; unde rigor nivibus; quæ flamma per auras

Pytheæ Massaliotis opinionem affert Plutarch. de Placit. phil. III, 17, secundum quam τῇ πληρώσει τῆς σελήνης τὰς πλημμύρας, τῇ μειώσει τὰς ἀμπώτιδας, fieri existimat. Equidem puto, h. l. de simplici accessu et recessu maris a lunæ cursu pendente sermonem non esse, sed poetam hoc voluisse: quo lunæ tempore (*qua luna*) illi accessus maris solito majores, quos vocamus *Springfluthen*, accidant. Hoc videtur indicare sequenti versu *nutriat*, quod interpretor: augeat. Cf. Plin. H. N. II, sect. 99, ubi v. Harduin. Recentiores de hac re scriptores laudat Ruperti ad Sil. Italic. III, 58 sqq.—*Quo fracta tonitrua vento. Fracta tonitrua* Gesnerus cum fragore existentia interpretatur. *Fracta* autem ad fragores repercussu iteratos modo vehementiores, modo remissiores pertinet, igitur ad naturam sonitus, quem tonitru vocamus. Hoc sensu vox occurrit apud Stat. Theb. VI, 29 sq. V. Heyne ad Virgil. Georg. IV, 72; Sil. Italic. I, 532; Stat. Theb. X, 323. Illud tonitru ventis effici veteres crediderunt, Lucret. VI, 123 sqq. Ovid. Met. VI, 695 sqq. et XI, 435 sq. Cf. Plutarch. l. c. III, 3; Stobæus in Eclog. physic. I, 30, qui plures veterum opiniones afferunt. *Quo fracta tonitrua vento* igitur dictum, pro: quo vento tonitrua frangantur, i. e. efficiantur.

109. *Quid trahat imbriferas nubes.* Gesnerus existimat, poetam ratione solis habita, posuisse *trahat*, ut vernacula sol dicatur nubes trahere, quando surgant vapores ita densi, ut videri oculis possint. Verum quum de nubium origine sermo sit, certam aliquam earum causam Nostrum respexisse probabile non est. — *Trahat* positum pro: contrahat. Ovid. Met. III, 299 sq. Nec proprie quæritur, unde nubes oriantur, verum unde imbres. Cæterum satis notum est, etiam veteres non ignorasse, solis ardore vapores in sublime trahi. Senec. Nat. Q. IV, 2 vers. fin. Plutarch. l. c. III, 4. Apud poetas Iris, arcus cælestis, traditur humores colligere. Lucan. IV, 79 sqq. Virgil. Georg. I, 380 sq. Tibull. I, 4, 44; ibi vid. Heyne in not. et obs.—*Quo saxa rotentur Grandinis.* Sic quoque Heinsio placuisse videtur pro vulgari *creentur*, quod ex interpretatione natum videri potest. Ut enim Noster *fracta* supra posuit pro, facta, ut simul naturam illius fragoris exprimeret, et post *trahat* pro, contrahat, ad tractum nimborum accommodate, sic *rotentur* h. l. scripsisse verisimile est, pro, creentur, oriantur, ut impetum, quo deferantur, exprimeret. Eamdem rationem sequitur quoque in sequentibus. — *Saxa grandinis* augendi gratia pro: grandines. Gesnerus laudat Columell. X, 329 sqq. Cf. Senec. Nat. Q. IV, 3 sq. Stobæi Eclog. I, 42, p. 667 ed. Heeren.

110, 111. *Unde rigor nivibus;* v. ll. cc. — *Quæ flamma per auras Excutiat rutilos tractus.* Barthius igneos tractus stellarum cadentium intelligit

Excutiat rutilos tractus, aut fulmina velox
Torqueat, aut tristem figat crinita cometen.
Jam tibi compositam fundaverat ancora puppim;
Telluris jam certus eras : fecunda placebant
Otia ; nascentes ibant in secula libri:
Quum subito liquida cessantem vidit ab æthra
Justitia, et tanto viduatas judice leges.

Cf. Apollon. Rhod. III, 1376 sqq. *Excutiat rutilos tractus* tunc esset ἕλκον ὑπαυγάζων. Melius autem illa intelliguntur de lumine, ut vocamus, boreali. Hoc respexisse quoque putandus est Seneca Nat. Q. I, 15, quum dicit : « Inter hæc ponas licet, et quod frequenter in historiis legimus, cælum ardere visum ; cujus nonnunquam tam sublimis ardor est, ut inter ipsa sidera videatur ; nonnunquam tam humilis, ut speciem longinqui incendii præbeat. »

112. *Aut tristem figat crinita cometen.* Gesnerus insolitam loquendi rationem, nec satis exactam putat, quam ita interpretatur : nucleum cometæ, densando se et coeundo, format flamma illa in crines sparsa. Hoc autem nihili esse videtur. Vulgari ratione a veteribus cometæ in meteoris numerabantur, ut hoc l. quoque fit. Jam vero in superioribus de illis meteoris sermo erat, quæ momento temporis oriuntur et evanescunt. — *Cometes* autem, ut loquitur Senec. N. Q. VII, 23 : « Habet suam sedem, et ideo non cito expellitur, sed emetitur spatium suum, nec exstinguitur, sed excedit. » Ut hoc igitur innueret, *figat* posuisse Noster videtur. Cf. Plutarch. l. c. III, 2; Stobæum in Eclog. physic. I, 29. — *Tristem.* Tristia enim portendere eum credebant. Sil. Italic. I, 461 sqq.; VIII, 636 sqq. ibi vid. Ruperti. Lucan. I, 528 sqq. infra Noster XXXIII, 230 sqq.

113. *Fundaverat ancora puppim* ut Virgil. Æn. VI, 3. H. l. ad vitam translata est similitudo, rerum publicarum tempestatibus subtractam, otioque et quiete compositam.

114. *Telluris jam certus eras.* Si sensus est : jam certus eras, te mox ad terram perventurum esse, frigida est similitudo, et antecedentibus quodammodo repugnat. Sed ita verba capienda sunt : jam decreveras in otio semper manere, neque unquam rursus te tempestatibus vitæ publicæ committere.

115. *Fecunda otia.* Stat. Silv. I, 3, 91. — *Nascentes* translatum a liberis ad libros. — *Ibant in sæcula.* Conf. Drakenb. ad Sil. Italic. III, 135; VII, 711; XII, 312; Heins. et Burmann. ad Valer. Flacc. II, 439; Schwarz. ad Plin. Panegyr. LV, 1. Simpliciter dictum pro : edebantur in vulgus ætatem laturi.

116. *Cessantem*, literis viventem sine munere publico.

117. *Judice.* Burmannus conj. *vindice.*

Continuo frontem nimbo velata pudicam,
Deserit Autumni portas, qua vergit in Austrum
Signifer, et noctis reparant dispendia Chelæ.
Pax avibus, quacumque volat, rabiemque frementes
Deposuere feræ: lætatur terra reverso
Numine, quod prisci post tempora perdidit auri.
Illa per occultum Ligurum se mœnibus infert,
Et castos levibus plantis ingressa Penates,
Invenit ætherios signantem pulvere cursus,

118. *Nimbo.* Isidor. Orig. XIX, 30: « Nimbus fasciola transversa ex auro assuta in linteo, quod est in fronte dominarum positum. » Heinsius nubem intelligit, ut apud Virgil. Æn. 12, 416. Hunc sequitur Gesnerus. Uterque niti potest v. 124. Sed v. 132 sq. procul jam Mallius cognoscit Justitiæ faciem. Equidem de fasciola accipere *nimbum* malo.

119, 120. *Deserit Autumni portas.* Cf. n. ad III, 364 sq. — *Et noctis reparant dispendia Chelæ. Chelæ* sunt brachia Scorpionis, qui apud Græcos duas duodecimas partes zodiaci, seu duo signa, obtinebat. Ovid. Met. II, 195 sqq. Heyne ad Virgil. Georg. I, 33 sq. Hygin. P. A. II, 26. Eratosthen. 7. Vel Græci recentiores, vel Romani Libræ signum in altero loco collocarunt. Illæ olim Chelæ, ut nunc Libræ signum, locus est, ubi sol in æquatore ad signa australia tendens æquinoctium facit, brevioresque æstate noctes longioribus hieme compensat. Cf. Lucan. IV, 58 sq.

121. *Pax avibus*, etc. Præsentia Justitiæ ab universa rerum natura agnoscitur, et quidem ejus numinis indoli accommodate, animalia bruta a vi sibi invicem inferenda abstinent.

123. *Prisci post tempora auri*, i. e. aureo seculo elapso. Aliter Ovid. Met. I, 149 sq. Fast. I, 249; Senec. Octav. 422 sqq.

124. *Per occultum.* Gesnerus ad nimbum, nubem obscuram, refert; vid. ad v. 118; pro: occulte. — *Ligurum mœnibus.* Barthius Mediolanum intelligit; verum ex iis, quæ ad opinionem suam confirmandam profert, id tantum, ut recte Gesnerus vidit, tuto colligas, illam urbem tum caput fuisse imperii Occidentalis, quum tamen illi probandum fuisset, eam esse Liguriæ caput. Nec verisimile est, Theodorum, quum statuisset in secessu vivere procul a negotiis, literisque ac Musis operam dare, Mediolani fixisse sedem suam. Sequor itaque potius Gesnerum, qui Genuam, vel Intimelium, vel quamcumque aliam Liguriæ urbem intelligit.

125. *Castos Penates*, domum sanctam. — *Levibus plantis*, ut virginis et alatæ.

126. *Signantem pulvere.* Veteres mathematici figuras suas pulveri radio inscribere solebant. V. n. ad Pers. I, 131. — *Ætherios cursus*,

Quos pia sollicito deprendit pollice Memphis;
Quæ moveant momenta polum, quam certus in astris
Error; quis tenebras Soli causisque meantem
Defectum indicat numerus; quæ linea Phœben
Damnet, et excluso pallentem fratre relinquat.
Ut procul adspexit fulgentia virginis ora,

cursus planetarum, solis et lunæ.

127. *Pia Memphis*, ἠγαθὶη vocatur Orph. Argonaut. 44. Religionibus plena erat tota Ægyptus. Cf. Juvenal. XV, 13 sqq. Etiam astronomiæ imprimis dedita fuisse traditur, ita, ut ejus scientiæ inventrix passim vocetur. Lucan. I, 640 sq.—*Pollice.* Barthius nihil explicat. Gesnerus quærit, an in radio seu circino tractando pecnliaris nsns fuerit pollicis? Burmannus laudat Ovid. ex Ponto, II, 3, 8. Calculum h. l. designari certum est; hic ducebatur numeris scribendis, atque infra XLI, 2, Noster per *pollice ducere* exprimit : scribere. Sidon. Apollin. Carm. V, 129 :

Ilicet explorat cælum, totamque volutis
Percurrit mathesin numeris.

Cicer. de Divinatione II, 6 : «Solis defectiones, itemque lunæ, prædicuntur in multos annos ab iis, qui siderum motns numeris prosequuntur; ea enim prædicunt, quæ naturæ necessitas perfectura est.» Conf. loca ad v. 130 laudanda. — *Sollicito* operosum calcnlum exprimit. Calculo quoque convenire videtur τὸ *deprehendit*.

128. *Quæ moveant momenta polum.* Quænam illæ vires sint, quibus sphæræ planetarum moveantur. —*Certus in astris Error* ad planetas spectat, quorum cursus vagi quidem vulgo videntur, sed diligentius attendenti certi sunt, et ad calculum revocari possunt. Cf. Cicer. de Nat. Deor. II, 20 princip.

129. *Causisque meantem*, a causis naturalibus profectnm. Sic Gesnerus, qui comparat Nostr. III, 186; et XXI, 10.

130. *Indicat*, defendit Heinsius landans Minnc. Fel. c. 17; qui tamen locus nihil mihi definire videtur; et Gronov. ad Senec. Œdip. 17. Cf. Burmann. ad Quintil. Declam. XIII, 5 et XIX, 10. — *Numerus.* Dierum et horarum numerus calcnlo inventus intelligendus est. *Indicat soli.* Certam calculi rationem significat, qui adeo non fallat, nt defectns solis vel a calculo pendere videatur, ita ut astronomi, qui ejns defectum prædicunt, quasi jubere solem videantur, deficere. Apnd Lucan. I, 640 *numeri* vocantur *moventes astra.* Sidon. Apollin. Carm. XV, 79 sqq.

Thales hoc etiam numeris inquirit et astris
Defectum, nt Phœbi necnon lunæque laborem
Nunciet anterius.

— *Quæ linea.* Illa linea intelligitnr quæ per terræ centrum et solis ducta in lunam incidat. Quum enim tunc luna in umbra terræ versetur, necesse est totam eam obscurari.

131. *Damnet*, damno adficiat, obscuret.—*Excluso fratre*, solis radiis a terra interceptis, quæ impedit ne luna lumen a sole mutuetur.

Cognovitque deam; vultus veneratus amicos
Occurrit, scriptæque notas confundit arenæ.
Quum sic Diva prior: « Malli, sincera bonorum
Congeries, in quo veteris vestigia recti,
Et ductos video mores meliore metallo,
Jam satis indultum studiis, Musæque tot annos
Eripuere mihi: pridem te jura reposcunt.
Aggredere, et nostro rursum te redde labori,
Nec tibi sufficiat transmissæ gloria vitæ.
Humanum curare genus quis terminus unquam
Præscripsit? nullas recipit prudentia metas.
Adde, quod hæc multis potuit contingere sedes.
Sed meriti tantum redeunt, actusque priores
Commendat repetitus honos, virtusque reducit,
Quos fortuna legit. Melius magnoque petendum

134. *Scriptæque notas confundit arenæ*, Dum occurrit, figuras arenæ, humi vel in tabula sparsæ, inscriptas confundit.

135—137. *Sincera bonorum congeries*, in quo omnes humanæ virtutes conjunctæ conspiciuntur. — *Veteris vestigia recti.* Vestigia antiqui candoris morumque simplicitatis. — *Ductos*, e re metallica. Virgil. Æn. VII, 634. Broukh. et Vulp. ad Tibull. I, 3, 48. — *Mores meliore metallo*, id est, mores aureos, aurei seculi.

139. *Jura*, jurisdictio, judicia.

142, 143. *Quis terminus unquam præscripsit*, indixit, quousque liceat progredi. — *Nullas recipit prudentia metas. Prudentia* rerum publicarum h. l. intelligitur, opposita scientiis, quæ in contemplatione tantum versantur, unde parum utilitatis ad vitam communem redundat. Hæc prudentia in consulendo civium saluti nullas metas agnoscit, nunquamque desinit rei publicæ prospicere.

144. *Sedes*, munus Præfecti prætorio.

145, 146. *Sed meriti tantum redeunt* etc. Sensus: ad præfecturam prætorio fortuna potest multos et indignos provehere; at bene tantum meriti aut digni ad illam redeunt, id est, iterum fiunt Præfecti prætorio. — *Actusque priores Commendat repetitus honos*, id est, et quod iterum ad illam dignitatem evehuntur, probat, quæcumque fecerint in priori magistratu, Principi esse probata.—*Virtusque reducit*, iterum vocat ad hoc munus, eos qui prius casu electi sunt.

147. *Quos fortuna legit*, Heinsius laudat Nostr. VIII, 47; X, 307; Vellei. Paterc. II, 103. Cf. Gron. ad Liv. XXXIX, 52.—*Magnoque*, sc. studio, labore.

Credis, in abstrusa rerum ratione morari?
Scilicet illa tui patriam præcepta Platonis
Erexere magis, quam qui responsa secutus
Obruit Eoas classes, urbemque carinis
Vexit, et arsuras Medo subduxit Athenas?
Spartanis potuit robur præstare Lycurgus
Matribus, et sexum leges vincere severæ,
Civibus et vetitis ignavo credere muro,
Tutius objecit nudam Lacedæmona bellis.
At non Pythagoræ monitus, annique silentes,
Famosum OEbalii luxum pressere Tarenti.

148. *Abstrusa rerum ratione*, philosophicis et mathematicis rebus.

149. *Scilicet* ironiæ inseruit, *illa præcepta Platonis*. Ea quæ præcepit Plato de optima reipublicæ forma, de legum natura et indole, et de aliis rebus rationi magis, res, ut esse debeant, spectanti, accommodatæ, quam consnetudini et receptis semel moribus.

150. *Erexere*, opibus auxere. — *Quam qui responsa secutus* etc. Themistoclem intelligit, qui mœnia lignea, quibus Apollinis oraculum Atheniensibus suasit, ut se defenderent, de navibus callide interpretatus est, atque vel hac sagacitate patriæ suæ profuit. Rem narrat prolixe Herodot. VII, 141 sqq.

151. *Obruit Eoas classes*, apud Salamina. Herod. VIII, 8 sqq. — *Urbemque carinis Vexit;* Herodot. l. c. 41.

152. *Arsuras*. Hoc vult poeta, Athenas, seu Atheniensium civitatem non muris et ædificiis, sed civibus et opibus, constitisse, quibus classe avectis, ferro Persarum et igni civitatem fuisse subductam.

153. *Robur præstare*, id est, bello fortes reddere. — *Matribus*. Virgines enim, ex legibus et institutis Lycurgi, iisdem fere corporis exercitationibus utebantur, quibus pueri. Crag. de republ. Laced. III, tab. 9, inst. 6, qui laudat. Propert. III, 12, 1 sqq. Xenoph. de rep. Lac. 4; Cic. Tusc. II, 15; Plutarch. in Lycur. 14 sq.

154. *Sexum vicere*. Exempla collegit Cragius l. c. III, tab. 12, inst. 11 sq.

155. *Ignavo muro*, qui milites ignavos facit. Crag. l. c. III, tab. 2, inst. 5. Liv. XXXIX, 37, ait, octingentis annis Spartam sine muris fuisse liberam, tunc muris veluti compedibus circumdatam esse a tyrannis.

157. *Annique silentes*. Disciplina Pythagoræ omnino intelligenda est, ex qua probati atque recepti discipuli per quinquennium audire tantum debebant, quæ traderentur, tacentes. Hi vocabantur ἀκουστικοί. Gel. I, 9. Verum silentii tempus non omnibus idem erat constitutum, ut apparet ex loco allato.

158. *Pressere* pro: oppressere. Ita sæpius utitur Noster hac voce. — *OEbalii Tarenti*, ab OEbalo, vetere

Quis vero insignem tanto sub principe curam
Respuat? aut quando meritis majora patebunt
Præmia? quis demens adeo, qui jungere sensus
Cum Stilichone neget? similem quæ protulit ætas
Consilio vel Marte virum? nunc Brutus amaret
Vivere sub regno; tali succumberet aulæ
Fabricius; cuperent ipsi servire Catones.
Nonne vides, ut nostra soror, Clementia, tristes
Obtundat gladios, fratresque amplexa serenos
Assurgat Pietas, fractis ut lugeat armis
Perfidia, et laceris morientes crinibus hydri

Lacedæmonis rege, Tyndari patre. Virgil. Georg. IV, 125; Sil. Italic. XII, 451. Eadem ratione *Tyndarium Tarentum* Sil. Italic. XV, 320, et *Lacedæmonium* Horat. Od. III, 5, 56, vocatur. Illud oppidum a Tarante heroe conditum occupavit Phalantus Lacedæmonius cum Partheniis. V. Heyne in Excursu XIV, ad Virg. Æn. III. Cf. Justin. III, 4, 11; Pausan. X, 10; Serv. ad Virgil. Æn. III, 551: — *Luxum*, interpp. ad Juvenal. VI, 296, unde vocatur *molle* Horatii Serm. II, 4, 34; *imbelle* Epist. I, 7, 45.

159. *Insignem curam*, i. e. munus publicum, cujus administratio insignem curam postulat. — *Tanto sub Principe*, Honorio.

161. *Jungere sensus*, consilia communicare cum Stilichone, et de ejus sententia rem gerere. Sic bene Gesnerus.

163. *Brutus*, Junius, Tarquiniorum expulsor. — *Succumberet*. Burmannus præfert *procumberet*; v. eum ad Ovid. Trist. IV, 2, 1. Sed illud præstare videtur. Fabricius, quem Pyrrhus, omni ratione tentatum, movere non potuit, ut libertatem proderet, is nunc libenter Honorii regnum toleraret. Melius etiam *succumberet* convenit sequenti *serviret*.

165. *Catones*. Uticensem præcipue intelligit, qui sibi mortem intulit ipse, ne libertati a Cæsare oppressæ superstes esset. Cf. Stat. Silv. I, 1, 27 sqq. Martial. XI, 6.

166. *Clementia*. V. Calpurn. Ecl. I, 59.

167. *Fratres*, Honorium et Arcadium. Spectant hæc et quæ sequuntur ad discordiam ab Eutropio inter fratres illos excitatam. Gesnerus notat, in honorum titulis ante *Felicium* et *Augustorum* honores esse *Pietatem*. In numis et aliis monumentis est PP. FF. AA. Cæterum ex Symmacho, Cassiodoro aliisque satis notum est, *Serenitatem*, *Tranquillitatem* titulos in usu fuisse.

169, 170. *Et laceris morientes crinibus hydri Lambant invalido* etc. Capillos Furiarum anguibus innexos fuisse notum est. Æschylum primum ita Furias in scenam produxisse notat Barthius ad Stat. Theb. I, 90, ex Pausan. I, 28, 6.

Lambant invalido Furiarum vincla veneno?
Exsultat cum Pace Fides : jam sidera cunctæ
Liquimus, et placidas inter discurrimus urbes.
Nobiscum, Theodore, redi.» —Subit ille loquentem
Talibus : « Agrestem dudum me, Diva, reverti
Cogis, et infectum longi rubigine ruris

— *Laceris crinibus* iudicare videtur, Furias rabiem in semetipsas vertisse, quum vidissent, consilia sua exitum nullum habuisse, seque a Pietate esse superatas. Inde quoque *morientes* facile potest explicari. — *Lambant Furiarum vincula*. Gesnerus sibi fingit Furias manibus post terga revinctis, et ad ipsam cervicem, vel ad collare, quo vincta ipsa cervix sit, alligatis. Hoc mihi videtur fecisse, ut hydri commodius vincla lambere possent. Quæri potest, num poetæ ipsi certa et accurata vinctarum Furiarum imago ante oculos versata sit; sed etiamsi res ita se habeat, liberum tamen lectori reliquit, quamlibet aliam sibi fingere. Quod autem hydros vincla lambentes induxit, respexit, ut Gesnerus arbitratur, ad vim veneni, quod liquidum licet, erodat tamen facile metalla, nostræ aquæ fortis aut regiæ instar. Huic rationi patrocinari videtur *invalido veneno*. Tentant quidem veneno suo vincla rodere, sed frustra; nam vim suam venena amisere. Mihi quidem vir doctissimus non persuasit. Totus locus explicari potest ex Sil. Ital. X, 293 sqq.

.... ceu vulnere tigris
Letifero cedens tandem, projectaque corpus
Luctatur morti, et languentem pandit hiatum
In vanos morsus, nec sufficientibus iræ
Ictibus, extrema lambit venabula lingua.

Pro *vincla* tres scripti apud Heinsium habent *colla*, quod ipse contra Barthium defendit. Prius tamen retinendum videtur.

171. *Exsultat*. Heinsius mavult *exsultet*, ut a superioribus oratio dependeat; concinnius tamen prius puto. Nam vers. 166, 167, priori enunciationi alteram junxit per encliti. *que*, iterumque vers. 168, 169, priori alteram per *et*. Quæ autem a versu 166 per interrogationes fusius expresserat, nunc paucis verbis complectitur, non interrogando, sed affirmando. — *Fides* enim respondet τῷ *fractis ut lugeat armis* etc. *Pace* autem τῷ *ut nostra soror* etc.

172. *Placidas urbes*, pacatas, *friedliche*. Heinsius mavult *placitas*. Prius indicat, deas jam versari inter homines aureo quasi seculo reducto.

173. *Nobiscum*, ut nos e cælo rediimus. — *Subit* h. l. simpliciter excipit, respondet. Gron. Observ. II, 4, in fin. alias insidiose agere, fallacem sermonem alicui ingerere; v. Burm. ad Valer. Flacc. II, 556.

174. *Agrestem dudum*, per longum tempus operibus rusticis intentum. Poeta oblitus videtur esse eorum, quæ a v. 61 tam prolixe dixerat, in quibus nulla rei rusticæ fit mentio.

175. *Longi ruris*, in quo tamdiu

Ad tua signa vocas? nam quæ mihi cura tot annos
Altera, quam duras sulcis mollire novales;
Nosse soli vires, nemori quæ commoda rupes,
Quis felix oleæ tractus, quæ gleba faveret
Frugibus, aut quales tegeret vindemia colles?
Terribiles rursum lituos veteranus adibo,
Et desueta vetus tentabo cærula vector?
Collectamque diu, et certis utcumque locatam
Sedibus, in dubium patiar deponere famam?
Nec me, quid valeat natura fortior usus,

versatus fuerat. — *Rubigine*, situ, quem ducere solet is, qui diu ab urbis humanitate remotus est. Non desidiam cum Barthio intellexerim, sed potius rerum urbanarum insolentiam.

177. *Novales*, agri, qui alternis annis vacant et renovantur. Heyne ad Virgil. Georg. I, 71.

178. *Nosse soli vires.* Virg. Georg. I, 53. Xenoph. OEcon. XVI, 2 sq. Columell. II, 2. — *Nemori quæ commoda rupes.* H. l. *rupes* collis est saxosus, qui neque oleis, neque vitibus conseri potest, sed tantum quercus, abietes et pineas fert, aliasque arbores silvestres.

181. *Veteranus*, emeritus, qui stipendia solita jam fecit. — *Terribiles lituos*, Juvenal. XIV, 199 sq.

182. *Vetus vector*, qui diu navicularìam fecit. Ad ætatem noli referre.

183, 184. *Deponere* h. l. est locare, credere. Horat. Od. I, 27, 17 sq. Præcedit quoque *locatam*.—*Patiar deponere*, impetrabo a me ut deponam; ita recte Gesnerus. Burmannus laudat Nostr. supra, V, 387; Ovid. Metam. XIV, 466, et Nostr. VIII, 3; XV, 266, et infra 276. A pecunia hæc sumpta esse, verba ipsa indicare videntur, sed ita, ut *deponere* significet: committere alicujus fidei, quod illæsum et integrum olim recipias, ut pecuniam *deponere* solebant apud mensarios et argentarios; hoc non idem est, quod *ponere* pecuniam, id est, pecuniam fenore occupare, seu fenori dare, quanquam Burmannus existimet, posse quoque legi *me ponere;* id enim et alium sensum haberet et alienum. — *Fama* enim deposita, seu certa sede *locata*, non potest comparari cum pecunia fenori data, bene autem comparatur cum pecunia fidei alicujus commissa. — *Utcumque* ad *certis* pertinet, ejusque potestati aliquantulum derogat, hoc sensu: *certis*, ut quidem fieri potuit. Fama autem certis sedibus erat collocata, quatenus ipse in otio vivens, ludibrio fortunæ eam non amplius exponeret, ita ut rerum bene gestarum infamia non posset deleri. — *In dubium ponere*, interpretor: in dubiam spem, id est, eo, unde tibi exploratum non est, utrum eam illæsam recepturus sis, nec ne.

185. *Quid valeat natura fortior*

Præterit, aut quantum neglectæ defluat arti.
Desidis aurigæ non audit verbera currus;
Nec manus agnoscit, quem non exercuit, arcum.
Esse sed injustum fateor, quodcumque negatur
Justitiæ: tu prima hominem silvestribus antris
Elicis, et fœdo detergis sæcula victu.
Te propter colimus leges, animosque ferarum
Exuimus: nitidis quisquis te sensibus hausit,
Irruet intrepidus flammas, hiberna secabit
Æquora, confertos hostes superabit inermis;
Ille vel Æthiopum pluviis solabitur æstus;

usus. Hoc vult Noster: indolem etiam ad aliquam rem aptam, consuetudine nimia cum aliis rebus contracta, aut vim priorem amittere, aut quandoque perire solere.

186. *Defluat*, egregie exprimit imminutionem paullatim factam.

187. *Non audit* Virgilianum esse, jam Barthius notavit. *Audire* sæpe pro, parere, obtemperare ponitur. Virgil. Georg. I, 514 (ubi Heyne laudat Pindar. Pyth. II, 21); Sil. Italic. XIV, 39 sq. Luc. III, 514; Ovid. Met. V, 382. Quædam ex his et plura alia jam adtulit Barthius ad Stat. Theb. V, 412. Sic ratione contraria *surdos arcus* dicit Stat. Theb. X, 864.

188. *Nec manus agnoscit arcum*, id est, non suum putat arcum, dum eum non familiariter obsequentem, ut alias, sentit. — *Non exercuit*, diu non tractavit. Cf. Burmann. ad Valer. Flacc. III, 162.

189, 190. *Esse sed injustum fateor... Justitiæ*, quandoquidem Justitia nihil nisi justa petere potest, et justa recusare injustum est. — *Tu prima hominem... Elicis.* Fieri hoc potuit, quando homines feri, per agros et silvas dissipati, et in antris viventes, consilio unius aut plurium, quorum prudentiam et æquitatem agnovissent, societatem inirent, ut controversias de victu aliisque vitæ necessitatibus non vi et dimicatione dirimerent, sed disceptationi illorum submitterent.

191. *Et fœdo detergis sæcula victu. Fœdus victus* h. l. est fœda vivendi ratio, ab æquitate et justitia remota. — *Detergis*, ornate pro: purgas.

192. *Te propter*, id est, tua opera. — *Colimus leges*, cum delectu pro: habemus leges. — *Animos ferarum*, feritatem.

193. *Exuimus.* Heins. mavult *exuimur.* — *Nitidis*, puris: — *Quisquis te sensibus hausit*, id est, quisquis præcepta tua mente pura hausit seu accepit, eorumque semper in sentiendo, dicendo agendoque memor est.

194, 195. Sensus: omnia pericula impavidus adibit. Cf. Horat. Od. III, 3, 1 sqq. — *Irruere* cum casu quarto jungi exemplorum nube Heinsius confirmavit.

196, 197. Sensus: animi tran-

Illum trans Scythiam vernus comitabitur aer.»
Sic fatus, tradente Dea, suscepit habenas
Quatuor, ingenti Juris temone refusas.
Prima Padum Tiberimque ligat, crebrisque micantem
Urbibus Italiam; Libyas Pœnosque secunda
Temperat; Illyrico se tertia porrigit orbi;
Ultima Sardiniam, Cyrnon, trifidamque retentat
Sicaniam, et quidquid Tyrrhena tunditur unda,

quillitas, quæ viro justo semper inest, nulla cæli iotemperie turbabitur. Hanc sententism, ut assolet, coloribus exprimit oculos perstringentibus. — *Solabitur æstus Æthiopum pluviis*, id est, animi tranquillitas vel gravissimos Africæ æstus tolerabiliores reddet, tanquam pluviis fuissent mitigati. Burmannus vitium latere putat in *pluviis;* nam hoc, ait, nihil insoliti esse, quum omnes ibi viventes pluviis solentur æstum. Conjicit itaque: *Ille nec Æthiopum pluviis* etc. hoc sensu: sine pluviis etiam æstum feret. — *Illum trans Scythiam* etc., id est, illi hiems extremæ borealis plagæ veris instar esset. Cæterum numeri æqualitas in hoc et præcedente versu non sine venustate est.

198, 199. Notum quidem est, sub currus seu navis imagine reipublicæ administrationem sæpe exprimi; verum h. l. ut Gesnerus quoque pulchre vidit, ad currum illum splendidum adluditur, quatuor equis juoctum, qui ad insignia pertinebat Præfecti prætorio per Italiam. v. n. ad V, 82. In notitia Orientis p. 44, et Occidentis p. 9, tres tantum diœceses memorantur; quarta omissa est, quæ hic occurrit, Sardiniam, Siciliam, Corsicam complectens, quæ h. l. inter XVII Italiæ provincias enumerantur. Gesnerus notat, hoc sibi servasse Augustos, ut ex suo arbitrio, vel ex reipublicæ usu, aliquid in distributione et admioistratione provinciarum mutarent. — *Habenas*, imperium civile, munus Præfecti prætorio, atque huic significationi aptum est *suscepit*, quum *habenæ* non *suscipiantur*, sed *accipiantur*, Ovid. Met. XV, 481. — *Temone*, curru. — *Refusas*. Munus seu magistratus vacuus describitur, quem Mallius nunc suscipit. Antecessor remotus currum habenasque in eo jacentes reliquerat, quas nunc Mallius, Justitia tradente, accipit.

200. *Ligat*. Manet in allegoria, etiam in sequentibus *temperat*, *se porrigit*, *retentat*, quorum singulis sua est emphasis, etiamsi omnia idem exprimant. — *Micantem*, distinctam.

202. *Temperat*, moderatur, atque regit.

203. *Cyrnon*. Græcis Corsica vocatur ἡ Κύρνος. — *Trifidamque* pro: triquetram, unde a Græcis vocabatur Trinacria, Trinacris, a tribus promontoriis.

204. *Tunditur* cum delectu pro: ambitur. Heinsius laudat Catull. XI, 3 sq. Virgil. Æn. V, 124 sqq.

Vel gemit Ionia : nec te tot limina rerum,
Aut tantum turbavit onus ; sed ut altus Olympi
Vertex, qui spatio ventos hiemesque relinquit,
Perpetuum nulla temeratus nube serenum,
Celsior exsurgit pluviis, auditque ruentes
Sub pedibus nimbos, et rauca tonitrua calcat :
Sic patiens animi, per tanta negotia liber
Emergit, similisque sui, justique tenorem

Tibull. II, 4, 9 sq. Stat. Theb. IX, 465. Intelligit autem reliquas insnlas in Tyrrheno mari sitas.

205. *Vel gemit*, pari delectu ac *tunditur ;* hoc enim undarum ad litus se frangentinm vis, illo sonus saxorum ab undis percussornm, vel potius mugitus maris exprimitur. Homer. Il. ρ, 10. Sophocl. Antig. v. 603. Sil. Italic. XV, 156. — *Nec te tot limina rerum*. Sic lego cum Burmanno. *Limina tot rerum* aditus snnt seu snsceptio tot et tantorum negotiorum, quæ quum auspicatus esset Mallius, eorumque molestiam sensisset, tamen animo non fractus est. Barthius frustra defendit *lumina*. Heinsius existimat *Nec te molimina rerum*, nt in quatnor codd. invenit, omnino legendum esse, laudatque Ovid. Met. XV, 578, et ex Ponto I, 2, 75; qnæ tamen lectio seqnentia *aut tantum turbavit onus* frigida reddit. Sensus planns est : nec multitudo rerum, nec earum onus, sen difficultas, te exterruit.

207. *Spatio*, h. l. altitudine. Solinns cap. 9 narrat, Olympnm supra regionem nnbinm ac ventorum adeo elatum esse, nt literæ in aræ Jovis cineribns scriptæ, anno elapso non diffusæ reperiantur. v. Salmas. ad h. l. p. 109. Cf. Nost. XXVI, 180. Idem Mela II, 2, narrat de Atho; ibi v. Vossium. Inde Olympi imagine utuntur poetæ ad animi tranquillitatem describendam; v. Lucan. II, 270 sqq. Cf. Senec. de Ira, III, 6. Comparari potest Noster cnm Stat. Theb. II, 32 sqq. nbi vide Barthium plura de Olympo disputantem.

209, 210. *Ruentes nimbos*. Conf. Sil. Italic. I, 251, ubi *cœli ruina* non potest esse tonitru, sed est imbris insani amplificatio. Sed vid. tamen Broukh. ad Propert. I, 8, 9; Burmann. ad Valer. Flacc. I, 663 ; La Cerda et Heyne ad Virgil. Georg. I, 324 ; Æn. I, 129. — *Calcat* efficacius quidem quam negligit, contemnit; v. supra XV, 257: sed paullo audacius ad montis cacumen translatum, quod *tonitrua* contemnit. Tempestates Noster, snper quas cacnmen eminere dicitur, ad radices montis depressit.

211, 212. *Patiens animi*. Burmannus mavult *animus*. Prius recte ex duorum codd. auctoritate Heinsius recepisse videtur. Burmannus laudat Ovid. ex Ponto IV, 10, 9. Verum h. l. non de patientia, sed de temperantia sermo est, ut ex se-

Flectere non odium cogit, non gratia suadet.
Nam spretas quis opes, intactaque pectora lucro
Commemoret? Fuerint aliis hæc forte decora;
Nulla potest laus esse tibi, quæ crimina purget.
Servat inoffensam divina modestia vocem;
Temperiem servant oculi, nec lumina fervor
Asperat, aut rabidas suffundit sanguine venas,
Nullaque mutati tempestas proditur oris.
Quin etiam sontes expulsa corrigis ira,
Et placidus delicta domas: nec dentibus unquam
Instrepis horrendum, fremitu nec verbera poscis.

quentibus liquet. — *Per tanta negotia liber Emersit*, id est, illa tanta negotia, quæ animum varia ratione perturbare potuissent, ita perfecit, ut semper manserit in potestate sui, et a quocumque affectu liber. — *Justique tenorem*, justi cursum directum semper et immutatum.

213. *Cogit* et *suadet* cum delectu, atque accommodate *odio* et *gratiæ*.

216. *Nulla potest laus esse tibi*, *quæ* etc. Laus illa, quæ te a vitiis immunem fuisse prædicat, non satis te digna est. Gesnerus laudat Horat. Art. 267. — *Crimina purget*, crimina a te removeat. Nihilominus tamen pergit Noster in illo genere laudis.

217. *Divina modestia.* Cf. infra 227 sqq. — *Vocem inoffensam*, id est, æquabilem, affectu aliquo gravi non exasperatam, sed naturalem suum tenorem servantem.

218 sq. *Temperiem servant oculi*, qui nec languidi sunt, nec scintillant. — *Nec lumina fervor Asperat*, incendit, ut radios ignis emittere videantur. De ira hoc solemne, nihilque frequentius. Homer. Il. α, 104; ο, 207; Odyss. δ, 662. Hesiod. Scut. Herc. 390. Apollon. Rhod. I, 1296 sq. Lucret. III, 290. Hæc laudavit Heyne ad Virgil. Æn. XII, 101, et plura alia La Cerda ibidem. — *Aut rabidas suffundit sanguine venas*. Burmannus conj. *aut rabies suffundit*, quia *fervor* huic verbo non satis apte accommodetur, et laudat Valer. Flacc. III, 216, ubi plura iræ a poetis expressæ exempla congessit, quibus addi possunt Silii Italici V, 275 sq. et XI, 218 sq. Verum *rabidas venas suffundit sanguine* et exquisitius, et Claudiani ingenio aptius puto, quam *venas suffundit sanguine rabido*, id est, concitato. — *Fervor* hoc l. ira est, et *suffundit sanguine* positum pro: implet sanguine, ut os rubicundum et tumidum videatur, quale est iratorum.

220. Sensus: non mutatum os tuum iram prodit, ut mutata cæli facies tempestatem.

221. *Expulsa ira*, sine ira.

223. *Instrepis*, frendes. — *Verbera*, flagella. — *Fremitu*, ut irati

Qui fruitur pœna, ferus est, legumque videtur
Vindictam præstare sibi; quum viscera felle
Canduerint, ardet stimulis, ferturque nocendi
Prodigus, ignarus causæ: diis proximus ille,
Quem ratio, non ira, movet; qui, facta rependens,
Consilio punire potest: mucrone cruento
Se jactent alii, studeant feritate timeri,
Addictoque hominum cumulent æraria censu.
Lene fluit Nilus, sed cunctis amnibus exstat
Utilior, nullas confessus murmure vires.
Acrior ac rapidus tacitas prætermeat ingens

solent, voce aspera et fremente.

224. *Fruitur pœna*, qui ea infligenda delectatur, vel qui gaudet punire.

225. *Vindictam legum præstare sibi*. Sensus: is videtur vindictam, quæ legibus debetur, suis affectibus præstare, id est, non leges vindicare, sed iræ suæ consulere. Cf. Senec. de Ira, I, 16. — *Quum viscera felle Canduerint*. Conf. Homer. Il. α, 103 sq.

226. *Stimulis* sc. iræ. — *Nocendi prodigus*, nec finem, nec modum in nocendo aliis noscens.

227. *Ignarus causæ*. Iracundia enim prohibet, quominus causam accurate perpendat, an digna sit, ob quam tantopere irascatur, et in innocentem sæviat.

230. *Studeant feritate timeri*. Cf. Senec. de Clement. I, 24.

231. *Addicto censu*, id est, publicatis bonis. — *Addicere* proprie prætoris esse, quum tradi jubet aut rem, aut hominem alteri, notum est.

232. *Lene fluit Nilus*. Virgil. Æn. IX, 30 sq. Lucan. X, 315 sqq.

233. *Utilior*. Cf. Tibull. I, 7, 21 sqq. Copiose de illo flumine disputat Herodot. II, 19 sqq.

234. *Acrior ac rapidus*. Hæc Burmanno displicent, quum quia Danubius in clementiæ exemplum h. l. profertur, tum quia *acrior*, *rapidus*, *ingens* cumulata non probat. Proponit *Acrior at tractu*, quum in quibusdam scriptis, teste Heinsio, inveniatur *tractas* et *tactas*, et quidem hoc sensu: acrior est Danubius Nilo; sed quia ingens est et spatiosus, *tractu*, id est, non rapiens, sed licet incitato, æquali tamen tenore labens, prætermeat ripas innoxius. Neque ego receptam lectionem defenderim, meliorem tamen codd. inspecti non suppeditant. Si conjecturæ locus est, legerim *Acrior at placidus*. — *Acrior*, sc. Nilo; *at placidus* non de toto flumine valet, aut de toto ejus alveo, sed de iis partibus, quæ ripis proximæ sunt, ubi omnia fere magna flumina lenius aquam trahere solent. Neque de superiori parte Danubii, qua saxis et montibus coercetur, sed de inferiori, qua per camporum

Danubius ripas: eadem clementia sani
Gurgitis immensum diducit in ostia Gangen.
Torrentes immane fremant, lassisque minentur
Pontibus, involvant spumoso vortice silvas:
Pax majora decet; peragit tranquilla potestas,

planitiem fluit, sermo esse videtur. Forsan hoc indicat *ingens*. — *Tacitas ripas* non bene explicat Burmannus per: quia non habent, quod querantur. Pertinet *tacitas* proprie ad aquam fluminis, quod sine murmure ripas præterlabitur. Cf. Ovid. Fast. III, 652; Lucan. X, 328 sq. Sil. Italic. IV, 350; Stat. Silv. IV, 3, 90 sq. Theb. III, 259; IV, 51; quæ loca Heinsius excitavit. Recte judicat Burmannus, non obstare Claudiano Valer. Flacc. VIII, 218 sq. ibi enim barbaras et feroces gentes ad utramque ripam intelligendas esse. At etiam VI, 329? Minime; sed ibi de medio flumine sermo esse potest. Senec. Nat. Q. III, 27, agit procul dubio de superiori parte Danubii. Cæterum negari non potest, uni eidemque flumini naturas diversas a diversis poetis tribui interdum, quod multis exemplis Burmannus probavit ad Valer. Flacc. V, 180.

235, 236. *Sani Gurgitis*, moderate fluentis. Insaniam etiam fluviis a poetis tribui nutum est ex Virgil. Georg. I, 481 sq. Eclog. IX, 43; Quint. Calab. V, 369. — *Diducit;* sic Heins. quanquam in omnibus fere scriptis *deducit* legitur, quod eam ob rem Burmannus recepit, et quia, si *diducit* legatur; epith. *sani* non satis conveniat huic flumini, quandoquidem et sævus fluvius uno alveo fluens, quum diducatur in ostia, placidior fieri debeat. Recte; rapiditas fluminis ita minuitur, verum in ostiis ipsis; diductam autem aquam, jamque in ostiis defluentem non intelligi, indicare videtur *in ostia*. Gangen ponit Noster, ubi latissimus est; est autem latissimus, ubi in plura ostia dividitur. Virgil. Æn. IX, 30 sq.

Ceu septem surgens sedatis amnibus altus
Per tacitum Ganges.

Lucan. VIII, 227, *Gangen* vocat rapidum. Cf. Curt. VIII, 9, 5 sqq.

237. *Fremant* ab iratis ad fluvios translatum et undas. Κῦμα βοάᾳ Homer. Il. ξ, 394; μεγάλα βρέμει, Il. δ, 425; μεγάλ' ἴαχε, Il. α, 482. Στόνῳ βρέμουσι δ' ἀντιπλῆγες ἀκταί, Sophocl. Antig. v. 600. Hæc et plura alia jam laudavit Ruperti ad Sil. Italic. III, 471. Cf. Virg. Æn. XI, 297 sq. Val. Flacc. VI, 329; Luc. IV, 102; ibi v. Oudendorp. — *Lassisque*, qui vix resistunt undis urgentibus.

238. *Involvant.* Talem torrentem describit Virgil. Æn. II, 305 sqq.

239. *Pax*, tranquillitas, status animi imperturbatus, si ad homines *pacem* referas. — *Majora*, ut flumina alta et lata, ita homines supra vulgus elatos, rerumque publicarum principes. — *Tranquilla potestas peragit* etc. quum considerate omnia agere possit, res accurate ante perpendat, viresque suas con-

Quod violenta nequit, mandataque fortius urget
Imperiosa quies. Idem prædurus iniquas
Accepisse preces; rursus, quæ digna petitu,
Largiri facilis; nec, quæ comitatur honores,
Ausa tuam leviter tentare superbia mentem.
Frons privata manet: non se meruisse fatetur,
Qui crevisse putat; rigidi sed plena pudoris
Elucet gravitas, fastu jucunda remoto.
Quæ non seditio, quæ non insania vulgi,
Te viso, lenita cadat? quæ dissona ritu
Barbaries, medii quam non reverentia frangat?
Vel quis non sitiens sermonis mella politi

silio prius inito accommodate adhibeat.

240. *Quod violenta nequit*, ex causis, quæ prioribus, quas adtulimus, contrariæ sunt. — *Mandata urget*, jussa ut peragantur, curat.

241. *Imperiosa quies*, exactor operum tranquillus, ira non commotus. — *Prædurus*, difficilis.

243. *Quæ*, sc. superbia. —*Comitatur* pro: comitari solet.

245, 247. *Frons privata manet.* Non superba est ut imperantis, sed modesta ut privati. — *Qui crevisse putat*, sc. se honoribus; qui existimat, dignitatem suam honoribus delatis esse auctam, (is) *fatetur*, *se non meruisse*, sc. honores. Alii legunt *nec se meruisse fatetur, qui* etc. quos Gesnerus secutus est. Hinc alius sensus potest elici minime absurdus; *nec fatetur*, sc. vultu et incessu, *se meruisse*, sc. honores is, *qui putat se crevisse*, honoribus auctum esse. Sed prius mihi magis placet. — *Rigidi pudoris. Rigidus pudor* idem videtur esse, quod *rigidum honestum* Lucan. II, 389. — *Gravitas plena rigidi pudoris* illa est gravitas, quæ ab acri pudoris sensu proficiscitur. — *Fastu jucunda remoto.* Heinsius prætulit *modesto*, quod Burmannus et Gesnerus retinuerunt. Heinsius illud explicat: aliquid temperati mediique inter fastum et modestiam. Patrocinatur huic lectioni, quod Claudianus verba, quorum potestates inter se contrariæ sunt, jungere solet. Verum de eo agitur, quo gravitas illa jucunda fieri possit; non fit autem jucunda fastu modestia temperato, sed fastu omnino remoto. Cæterum cf. Sil. Italic. VIII, 610 sqq. et Saleium Bass. in carm. ad Pison. Poet. lat. min. t. IV, P. I, p. 253, v. 90 sqq.

249. *Te viso* etc. Ante oculos fortasse habuit Virgil. Æneid. I, 151 sq.

250. *Medii*, intercedentis, et se interponentis. Barth. laudat Lucan. I, 100; supra V, 310. vid. Ruperti ad Sil. Italic. XVI, 221.

251, 252. *Mella*, id est, dulcedinem. Sic Nestoris eloquentiam

Deserat Orpheos blanda testudine cantus?
Qualem te legimus teneri primordia mundi
Scribentem, aut partes animæ per singula, talem
Cernimus, et similes agnoscit pagina mores.
Nec dilata tuis, Augusto judice, merces
Officiis: illumque habitum, quo jungitur aulæ
Curia, qui socio proceres cum principe nectit,
Quem quater ipse gerit, perfecto detulit anno,
Deposuitque suas te succedente curules.
Crescite virtutes, fecundaque floreat ætas

cum melle comparat Homer. Il. α, 249, quem imitatur Sil. Ital. XV, 455 sq. ubi vid. Drakenb. De versuum dulcedine eodem verbo utitur Lucret. I, 946, qui versus iterum occurrit IV, 22. — *Deserat Orpheos blanda testudine cantus.* Barthio locus suspectus est, et mavult *Deferat.* Burmannus proponit *Orphea blandos testudine cantus*, quo tamen locus mollior reddi non videtur. Optime Heinsius sensum constituit: quis Orpheos cantus non deserat auditor, tui eloquii melle delinitus? Hoc sane dicere vult, Mallii eloquentiam celeberrimi cujusque poetæ cantu dulciorem esse. Cicer. de Orat. II, 8. « Qui enim cantus moderatæ orationis pronunciatione dulcior inveniri potest? quod carmen artificiosa verborum conclusione aptius? »

253. *Teneri primordia mundi.* Cf. supra 100 sqq.

254. *Aut partes animæ per singula.* Burmannus edd. priores, ut ait, secutus, mutavit distinctionem *aut partes animæ: per singula talem.* Vellem adjecisset, quidnam sit *partes animæ?* Sed *partes animæ per singula* intelligi melius potest; est enim id, quod animæ mundi peragendum est per singulas universi partes. Agitur de libro, quem Mallius de rerum natura causisque naturalibus conscripsit.

255. *Talem Cernimus* etc. Ait in illo libro Mallium imaginem animi sui tam accurate expressisse, ut ex illo agnosci possit tanquam ex picta tabella. Suboriri autem potest quæstio, qua ratione fieri potuerit, ut in illo libro ejusmodi argumenti mores suos exprimeret? Forsan orationis æquabilitate, placida rerum perscrutatione, æquitate in dijudicandis aliorum opinionibus, etc.

257. *Illumque habitum*, trabeam consularem. Cf. Symmach. Epist. V, 10. — *Quo jungitur aulæ Curia*, quia hunc solum magistratum principes quoque gerere solebant.

259. *Quater.* Anno consulatum Mallii præcedente, quartum consulatum gessit Honorius. Hoc quoque ex sequentibus liquet. — *Perfecto anno*, ut Mallius esset consul ordinarius, non suffectus.

261 sqq. Mallii consulatum, ait poeta, posse docere, suum virtuti honorem sub Honorii imperio con-

Ingeniis : patuit campus, certusque merenti
Stat favor; ornatur propriis industria donis.
Surgite, sopitæ, quas obruit ambitus, artes.
Nil licet invidiæ, Stilicho dum prospicit orbi,
Sidereusque gener : non hic violata curulis,
Turpia non Latios incestant nomina fastos.
Fortibus hæc concessa viris, solisque gerenda
Patribus, et Romæ nunquam latura pudorem.
Nuntia votorum, celeri jam Fama volatu
Moverat Aonios, audito consule, lucos.
Concinuit felix Helicon, fluxitque Aganippe

stare, illiusque viri exemplum alios debere excitare, ut ingenia exerceant, bonasque artes colant. — *Crescite.* Multi libri scripti habent *crescant*, quod præferunt quidam propter sequens *floreat.* Verum illa modorum variatio vel apud Nostrum haud infreqnens est. Conf. Burmann. ad Rutil. Itin. I, 155; Luc. IV, 357. — *Fecundaque floreat ætas Ingeniis.* Sic Heinsius distingui jubet. Gesnerus et Burmannus cum Barthio post *ætas* ponunt (:), et *ingeniis* ad sequentia trahunt. Perperam hoc, ut equidem sentio. De *fecunda ætate*, id est, de prole numerosa non agitur, sed de *fecunda ingeniis ætate.* Sequitur jam argumentum, cur virtutes crescant, cur efflorescant ingenia : *patuit campus*, quo scilicet ingenia se exerceant.

263. *Propriis*, id est, suis, quæ industriæ soli debentur.

264. *Artes*, doctrinæ studia.

265. *Stilicho.* Conf. infra XXII, 119 sqq.

266. *Sidereusque gener.* Id est, Honorius Augustus gener. — *Non hic*, in imperio Occidentis. — *Violata curulis.* Hoc in invidiam dictum est aulæ Orientalis, quandoquidem eodem anno Eutropius eunuchus, consul constitutus est Constantinopoli. Plura de hac re infra dicentur. Cæterum translata imperii sede Roma Constantinopolim, quum duo tantum consules esse possent, illud instituit Constantinus M. ut unus Romæ, alter Constantinopoli esset. —*Curulis*, sc. sella, dignitas consularis.

268. *Fortibus viris. Viri* opponuntur eunuchis. Huc spectat quoque v. 269 *patribus.*

270 sqq. Fama de Mallii consulatu divulgata, Musæ ipsæ se ad consulatus initia celebranda accingunt; præsertim Urania, quam Mallius, astronomiæ deditus, præcipue coluit, sorores exhortatur ad ludos consulares exornandos. —*Votorum*, eorum, quæ omnes voverant, consulatus Mallii.

271. *Aonios*, supra V, 418. Musæ intelligendæ sunt.

272. *Felix Helicon*, lætus, quod Musarum cultori consulatus obtigerit. Cf. 276 sq.

Largior, et docti riserunt floribus amnes.
Uranie redimita comas, qua sæpe magistra
Mallius igniferos radio descripserat axes,
Sic alias hortata Deas: « Patimurne, sorores,
Optato procul esse die? nec limina nostri
Consulis, et semper dilectas visimus ædes?
Notior est Helicone domus: gestare curules,
Et fasces subiisse libet: miracula plebi
Colligite, et claris nomen celebrate theatris.
Tu Jovis æquorei submersam fluctibus aulam

273. *Largior*, forsan, ut largiores haustus Musis atque poetis præberet. — *Docti*, qui doctos faciunt; vide ad Persii prolog. — *Riserunt;* vid. Heins. ad Ovid. Met. XV, 205.

274. *Uranie.* Ex Schol. ad Apoll. Rhod. III, 1, notum est, Uraniam astronomiæ inventricem haberi, cui arti quum Mallius præcipue studeret (v. supra 126 sqq.), non sine causa Claudianus huic Musæ partes demandavit reliquas sorores excitandi ad ludos consulares exornandos.

275. *Igniferos axes;* v. ad I, 243. — *Radio*, supra v. 126. Cf. Heyne ad Virgil. Eglog. III, 41, et Æn. VI, 850 sq.

277. *Procul esse*, i. e. non adesse Mallio consulatum ineunti.

279. *Notior est Helicone domus.* Hunc versum ex optimis manuscripp. restituit Heinsius, assumpta conjectura Gasparis Gevartii, qui pro *Stilichone*, ut in Mss. legebatur, *Helicone* scribendum censuit, in epistola ad Heinsium (Syntagma epist. DD. VV. T. II, p. 472). — *Gestare curules.* Gronov. in Diatrib. Stat. c. 36, purpureum amictum sive prætextam explicat. Recte Burmannus ait, Uraniam hic velle, se cum sororibus gestare sellam curulem humeris suis et manibus fasces. Cf. supra VIII, 13 sq. Eo tempore consules lectica seu δίφρῳ καταστέγῳ gestabantur juvenum humeris. Vid. nott. ad Sidon. Apollin. epist. VIII, 8, et carm. II, v. 208.

280. *Miracula*, quæcumque plebs stupet; infra XXIV, 224 et 354; Symmach. Epist. X, 17.

281. *Et claris nomen celebrate theatris.* Miraculis illis colligendis spectatorum et auditorum favorem conciliate consuli, ut theatra nomine ejus personent. Huc non pertinere puto Horat. Od. I, 20, 3 sqq. quem locum Barthius citat. Compara XXIV, 284 sqq. Consules enim edebant ludos Circenses tanto sæpe sumptu, ut amplissima patrimonia in illis consumerent. Lactant. Institut. VI, 11, 22 sq. Vopisc. in Aurel. cap. 15. Ad ea, quæ his ludis erant necessaria, comparanda Urania reliquas sorores in diversas orbis terrarum partes mittit. — *Claris theatris.* Gesnerus interpretatur: resonantibus et illustribus. *Clara* autem possunt quo-

Oratum volucres, Erato, jam perge quadrigas,
A quibus haud unquam palmam rapturus Arion.
Illustret Circum sonipes, quicumque superbo
Perstrepit hinnitu Bætin, qui splendida potat
Stagna Tagi, madidoque jubas aspergitur auro.
Calliope, liquidas Alciden posce palæstras.
Cuncta Palæmoniis manus explorata coronis

que esse theatra miraculis illis comparandis insignia.

282. *Jovis æquorei*, Neptuni. Cf. X, 176.

283. *Volucres quadrigas.* Ludi Circenses in honorem Consi, qui deinde cum Neptuno equestri confusus est, celebrabantur. Liv. I, 9. Dionys. Halicarn. II, 31. Ipse Neptunus quoque equum produxisse dicitur; vid. n. ad V, 197. Inde non mirum est, Uraniam ad Neptunum sororem mittere, quadrigas petitum. Cf. Coripp. in laud. Just. I, 314 sqq.

284. *Arion;* v. n. ad VIII, 553. Equi generosiores et præstantiores recentiori etiam tempore suis nominibus erant insigniti. vid. Hemsterh. et alios ad Lucian. Nigrin. 29, t. 1, p. 68 sq. ed. Reiz.

286. *Bætin;* v. supra ad XII, 31. Magna cura hi equi curules alebantur. v. Jani ad Horat. Od. II, 16, 34. Optimi tunc temporis ex Hispania arcessebantur. Symmach. Epist. IV, 64; VII, 82. — *Splendida* propter aurum, quod devehere flumen dicebatur.

287. *Madidoque jubas adspergitur auro*, dum aqua Tagi aurifera abluitur. Quid Gesnerus sibi velit nescio; dicit enim: ramenta auri potata emicant per jubas.

288. *Liquidas palæstras;* i. e. palæstritas lubricos a perpetua unctione. Palæstritæ autem apud Romanos inter servos artifices numerabantur. Pignor. de Servis, p. 174, qui laudat Martial. VI, 39, 8 sq. Ulpian. lib. XVIII de Usufr. H. l. homines intelliguntur in hac arte exercitati.—*Alciden.* Hercules Athletarum deus erat; unde ejus ædes vulgo in ampitheatris erant exstructæ. Vitruv. I, 7. Lips. Saturn. II, 27. Etiam in gymnasiis Herculis, Mercurii et Amoris statuæ erant. Gladiatores rude donati arma sua figebant ad Herculis ædem, Horat. Epist. I, 1, 4. Illius palæstræ, quæ decentem statum mutumque corpori conciliat, Mercurium ἀγώνιον inventorem fuisse narrant. Jani ad Horat. Od. I, 10, 2 sq. Claverius putare videtur, Herculis ideo mentionem esse factam, quia ædes ejus in altera parte Circi Flaminii erat; laudat enim Ovid. Fast. VI, 209.

289. *Cuncta Palæmoniis manus explorata coronis.* i. e. omnes victores in ludis Isthmicis. — *Palæmoniis.* Sisyphus, Corinthi rex, ludos Isthmicos in honorem Palæmonis seu Melicertæ, quocum Ino mater metu Athamantis mariti in mare se projecerat, instituisse traditur. Pausan. in fin. Attic. et init. Corinth. Stat. Theb. VI, 10 sqq. ibi

Adsit, et Eleo pubes laudata Tonanti.
Tu juga Taygeti, frondosaque Mænala, Clio,
I Triviæ supplex: non aspernata rogantem
Amphitheatrali faveat Latonia pompæ.
Audaces legat ipsa viros, qui colla ferarum
Arte ligent, certoque premant venabula nisu.
Ipsa truces fetus, captivaque ducat ab antris
Prodigia, et cædis sitientem differat arcum.
Conveniant ursi, magna quos mole rudentes
Torva Lycaoniis Helice miretur ab astris;

vid. Barth. *Palæmoniis* igitur *coronis* victoriæ designantur in ludis Isthmicis reportatæ.

290. *Eleo Tonanti*, Jovi Olympio, ad cujus templum in Elide celeberrimum ludi Olympici agebantur. Omnes igitur convenire vult Urania, quicumque in ludis Olympicis et Isthmicis roboris et dexteritatis præmia nacti essent.

291. *Taygeti*. Laconiæ mons *Taygetus*, *Mænala* Arcadiæ, venatibus uterque sacer *Triviæ*, Dianæ seu Latoniæ; X, 236.

293. *Pompæ*, splendori, magnificentiæ. — *Faveat*, scil. præbendo venatores exercitatos et feras inusitatæ formæ et magnitudinis.

294, 295. *Qui colla ferarum arte ligent;* i. e. elidant fauces ferarum injectis manibus, aut circumjectis brachiis summa corporis agilitate, ut earum ungues dentesve evitent. Cf. Gronov. ad Stat. Silv. cap. 25. Barthius laudat Cassiodor. Epist. V, 42. — *Premant venabula*, i. e. firmiter teneant manu compressa. V. Oudendorp. ad Lucan. IV, 706; Burmann. ad eumdem VII, 562, qui laudat Stat. Theb. IV, 323. — *Certo nisu* pertinet ad statum venatoris, quo obnixus stabili gradu impetum feræ excipit, ne ab irruente prosternatur.

297. *Prodigia*, genera bestiarum inusitata ob immanitatem et formam. — *Differat arcum*, non utatur arcu, ne interficiat belluas, sed vivas captet.

298. *Rudentes. Rudere*, asinorum proprium; sed etiam leones rudere dici et boves monstrant loca ab Heinsio laudata ad Virgil. Georg. III, 374; Æn. VII, 16, qui illud etiam Caco tribuit Æn. VIII, 248. Burmannus existimat, hoc non convenire *magnæ moli;* proponit itaque *furentes* aut *ruentes*, si versu sequenti pro *ruant* legatur *cadant* solenni mutatione. Equidem non mutandum puto *rudentes; rudendo* enim convertunt *Helicen* in se, additumque *magna mole* vim rudendi auget, quum a majoribus bestiis major etiam sonitus edi soleat.

299. *Torva Helice* est Ursa major, celebre borealis cæli signum. Valer. Flacc. I, 18. Manil. I, 294 sqq. — *Lycaonia astra*, sunt illa astra in Ursa majore, in quam Callisto, Lycaonis filia, mutata est. Fabulam narrat Ovid. Met. II, 401

Perfossique ruant, populo pallente, leones,
Quales Mygdonio curru frenare Cybebe
Optet, et Herculei malint fregisse lacerti.
Obvia fulminei properent ad vulnera pardi,
Semine permixto geniti, quum forte leænæ
Nobiliorem uterum viridis corrupit adulter;
Hi maculis patres referunt, et robore matres.
Quidquid monstriferis nutrit Gætulia campis,
Alpina quidquid tegitur nive, Gallica quidquid

sqq. Quærendum igitur, quid sibi velit poeta? Hoc nempe. Distinguit Ursam ipsam a stellis, quæ locum tantum Ursæ indicant, et cum ipsa signi illius figura, quam phantasia pictam cælo collocat, præter locum nihil habent commune.

300. *Perfossique ruant.* Gesnerus explicat: vulnerati, sed in furorem potius concitati a vulnere quam debilitati. Hoc facit, ut *populo pallente* intelligi possit. Metuere nempe ait populum, ne fera, furore ob vulnus inflictum percita, clathra opposita perrumpat. Populus autem, dum spectat, venatori timet, qui vulnus feræ infligit. — *Ruant* cum Burmanno interpretor: cadant; accommodata est illa vox ad magnam bestiæ molem, quæ corruit. Confer infra XVIII, 305; XXI, 189 et 373.

301. *Mygdonio.* Teste Strabone (VII, p. 295, et XII, 575) Mygdones fuere antiqua Thraciæ gens, quæ, Europa relicta, Asiæ et quidem Phrygiæ partem occupavit. Inde Mygdones et Phryges sæpe commutantur. *Mygdonio* igitur pro Phrygio positum est. Cf. supra XV, 119.

302. *Herculei lacerti;* v. ad III, 285. Ad leonem Nemæum adludit.

303. *Fulminei.* — *Fulminea* dicuntur a poetis, quæcumque fulminis instar cum impetu irruunt. Multa hujusce rei exempla collegit Ruperti ad Sil. Italic. I, 421, et Gierig. ad Ovid. Met. X, 550. — *Obvia ad vulnera*, id est, in tela obvia, vulnera factura. Sed illud magis poeticum est. Vid. Heyne ad Virgil. Æn. II, 529. Sic quoque apud Sil. Italic. I, 397; II, 92; V, 251.

305. *Viridis adulter*, pardus. Gratii Cyneg. 164 sqq. Cf. XXIV, 345. Χλωρὸς. Descriptio hæc leonis non jubati, ex pardo et leæna geniti, quem, ut observat Gesnerus, Constantini ætate Leopardum dicere cœperunt. Conf. Plin. Hist. N. VIII, 15.

306. *Hi maculis.* Heinsius legendum putat *Qui maculis*, quod sane explicationem molliorem facere videtur.

307. *Gætulia* pars Africæ pro Africa ipsa. Plin. l. c. « In hac inopia aquarum ad paucos amnes congregantibus se feris, multiformes animalium partus. Unde etiam vulgare Græciæ dictum, semper aliquid novi Africam adferre. »

Silva timet, jaceat: largo ditescat arena
Sanguine; consumant totos spectacula montes.
  Nec molles egeant nota dulcedine ludi.
Qui lætis risum salibus movisse facetus,
Qui nutu manibusque loquax; cui tibia flatu,
Cui plectro pulsanda chelys, qui pulpita socco
Personat, aut alte graditur majore cothurno;
Et qui magna levi detrudens murmura tactu,

309. *Ditescat*, abundet, spargatur.

310. *Totos montes*, omnes feras in illis captas.

311. *Molles ludi*. Qui enim nunc recensentur ludi, opponuntur illis ludis gladiatoriis et venationibus duris et terribilibus. — *Nota dulcedine*, iis, quæ maxime homines tenent, quibus potissimum oblectantur.

312. *Qui lætis risum* etc. Barthius minus recte pantomimos intelligit; sunt potius ludiones dicteria jacientes, et Atellanis fabulis simile aliquid agentes, quibus id tantum propositum est, ut spectatorum risus capteut.

313. *Qui nutu manibusque loquax*. Pantomimus describitur; vid not. ad Pers. V, 123.

314, 315. *Qui pulpita socco Personat*, etc. Comœdus et tragœdus intelligitur, quorum alter, ut notum est, soccis, alter cothurnis indutus erat.

316—319. Describitur instrumentum musicum, quod organon hydraulicum vocabant, nostris organis pneumaticis haud absimile, nisi quod, ut in his per utres ventus compressus in fistulas compellitur, variosque sonos efficit, sic in illis per aquam machinatione aliqua ventus excitabatur. Inventorem hujus instrumenti omnes fere Ctesibium Alexandrinum, tonsoris filium, nominant: Vitruv. IX, 9. Athen. IV, 23. Plin. Hist. N. VII, cap. 37. Burmannus, in notis ad Petron. 36, nummos profert, in quibus externa species hujus organi hydraulici visitur, tibiæque seu fistulæ adparent. Hos nummos erudite explicuit Joannes Tristanus in Historia Imperatorum ex numis illustrata, T. I. p. 218. Quæ leguntur apud antiquos de hoc instrumento collegerunt Gesnerus in Chrestomat. Plin. 47, 12, p. 403. Wernsdorf in præfatione ad Publii Optatiani Organon. in Poet. lat. min. T. II, pag. 394 sq. qui multa de hoc instrumento docte disputat. His liceat mihi pauca addere. Vitruvii descriptio hujus organi hydraulici (X, 13) perquam obscura est et manca, magisque ad organon pneumaticum pertinere videtur, quam ad hydraulicum. Nam uno tantum loco aquæ mentio fit, atque ita, ut plane nescias, quem in usum adhibeatur, et quam vim habeat ad sonum efficiendum. Ventus utribus collectus in arculam ventosam (*Windlade*) compellitur, unde fistulas implet. Kircherus et Vossius

Innumeras voces segetis moderatur ahenæ,
Intonet erranti digito, penitusque trabali
Vecte laborantes in carmina concitet undas.

(ille in Musurgo t. II, p. 350, hic in libello de Poemat. cantu et virtute rhythmi, p. 99, germanice converso in *Sammlung vermischter Schriften zur Beförderung der schönen Wissenschaften und freyen Künste*, t. I, p. 67 sqq.) ad Vitruvii rationem, delineationem hujus instrumenti dederunt inter se diversam, dum utraque Vitruvii explicationi satis accommodata videtur. Hoc inter se commune habent, quod aquam adhibent, ita tamen, ut ea etiam carere potuissent, quandoquidem ejus nullus fere est usus. Uterque omnia vento peragit utribus collecto et condensato. In omnibus autem locis, quæ apud veteres de hoc instrumento occurrunt, si unum Vitruvium excipias, aquæ partes maximæ sunt, cujus concitatione ventus et excitatur, et in fistulas compellitur. Rationem autem, qua id fieri potuerit, interpretes vel omnino non attigerunt, vel frustra in explicanda illa laborarunt, quam tamen nisi prius ad liquidum perduxeris, in omni de organo hydraulico disputatione tempus et otium frustra consumetur. Ad hunc locum intelligendum sufficit notasse, fistulas seu cicutas, quæ vento impletæ sonum efficiebant, ut in nostris organis pneumaticis, arcæ, qua ventus collectus continebatur, fuisse infixas ita, ut earum epistomia pro arbitrio et claudi possent et aperiri. Claudebantur autem pinnarum seu plectrorum ope, quibus digito depressis aperiebantur, ventumque recipiebant. Hæc colligi possunt ex verbis Vitruvii, X, 13: « Hydraulica dicta, quod vento, qui aquæ motu creatur, inflata personat. Motione vectium vehementiore spiritus frequens compressus, epistomiorum aperturis influit et replet anima canales. Quum pinnæ manibus tactæ propellunt et reducunt continenter regulas, multiplicibus modulorum varietatibus sonantes excitant voces. » Hinc explicari potest *levi tactu*, sc. digitorum, quo pinnæ seu plectra depressa cicutarum epistomia aperiunt. — *Detrudens magna murmura*. Pseudo-Hieronymus in epistola ad Dardanum, cujus locum profert Barthius, ait, sonos illos per mille passuum spatia et amplius audiri. Loquitur autem procul dubio de organo pneumatico.

Innumeras voces moderatur. Sic existimo legendum, non *moderatus*; hi duo enim versus inserviunt periphrasi hydraulæ, id est, artificis, qui illo organo canebat. — *Moderatur*, regit, *innumeras voces*, dum multiplices modorum et vocum varietates ad consilium suum et concentum accommodate elicit. — *Segetis ahenæ*, fistularum seu cicutarum, Publii Org. Poet. lat. min. t. II, p. 406, v. 41 sq.

Perque modos gradibus surget fecunda sonoris
Ære cavo et tereti calamis crescentibus aucta

318. *Intonet erranti digito*. Hæc et numerus prioris versus egregie ad sensum pingunt levem et plectra percurrentem digitorum motum.

Vel qui more avium sese jaculantur in auras,
Corporaque ædificant celeri crescentia nexu;
Quorum compositam puer amentatus in arcem

— *Penitus.* Barthius *pedibus* legit, et Dempsterus in Etruria regali III, 60, notante Burmanno. Ipsi Heinsio *penitus* otiosum et supervacuum videtur. Est autem hoc pro, intus, positum, et pertinet ad *laborantes.* Athenæus l. c. δινουμένων ἀξόνων διὰ τοῦ ὀργάνου, et Vitruvius loc. cit. ait, aquam agitari per axes torno subactos. *Pedibus* Gesnero quoque placet, quibus, ut ait, urgendo aquæ receptacula aut folles adeo sibi ministrare aera ipse organœdus in minoribus organis potest. Sed, quum *vecte trabali* aqua concitaretur, necesse est hac ratione, ut ipsum vectem pedibus moveret. Verum, quum tota machinæ ratio, præsertim quæ ad aquam concitandam pertineret, ut venti moti et compressi tanta cum vehementia per epistomia in fistulas irrumperent, ignoretur, pro certo nihil disputari potest.

319. *Laborantes undas*, vecte motas, *in carmina concitet*, faciat ut pellatur ventus aquis motis in fistulas seu cicutas.

320. Gesnerus petauristas intelligit; cf. Manil. Astron. V, 438 sq. et interpp. ad Juvenal. XIV, 265 sqq. Barthius saltatores et funambulos, laudatque Advers. V, 19. Verum *jaculantur* se (sic enim lego pro: *jaculentur*) non tam de iis, qui petauro rapiuntur, aut per funes tensos incedunt, quam de salientibus, vel saltu vehementi in sublime se jaculantibus, dici potest. Videtur quoque hoc verbum ad sequentia carmina pariter pertinere.

321. *Corporaque ædificant* (alii *ædificent*). Gesnerus pegmata intelligit, fortasse Senec. Epist. 88 inductus, quem locum jam Claverius innuit. Sed pegmatis mentio fit infra 325 sq. Intelligo homines mira dexteritate alios super alios salientes, pedibusque humeris aliorum insistentes, ut vel trianguli vel pyramidis figuram referant, in cujus apicem, qui hoc loco *arx* vocatur, puer evadat. Ita hunc locum invenio jam a Scaligero explicatum ad Manil. V, 439, p. 405, quem Burmannus secutus esse videtur. Cf. Barth. h. l. et Bulengerum de Thetaro I, 36; Thesaur. antiq. roman. IX, p. 895. — *Celeri nexu* brachiorum fortasse, quæ conserebant, ut totum corporum ædificium, veluti compagibus vinctis, cohæreret.

322. *Puer amentatus.* — *Amentum* proprie lorum est hastarum et jaculorum, cujus ope majori cum vi vibrabantur. Cf. Lips. Poliorc. IV, 5; Barth. ad Stat. Theb. IV, 153. Inde *amentare* interdum ponitur pro: accelerare; Sil. Italic. XIV, 422, et IX, 508 sqq. et *amentatus* potest esse acceleratus. Gesnerus interpretatur: puer qui, ut hasta amenti ope torquetur, ita et ipse, funibus quibusdam e seta equina vel alioquin tenuibus ac visum facile fugientibus, subito raptatur in altum, ut saltum fecisse aut volare videatur. Nititur Juvenal. IV, 122. *Amentatus* potest quo-

Emicet, et, vinctus plantæ vel cruribus hærens,
Pendula librato figat vestigia saltu.
Mobile ponderibus descendat pegma reductis,

que esse petauro excussus, quo saltus pueri adjuvabatur. Ad liquidum res vix perduci poterit, quum machinæ illæ ipsæque artes nobis plane incognitæ sint, lubricumque sit, ex iis, quæ nunc visuntur, illa vetera velle explicare. — *Compositam in arcem*, in apicem ædificii ab hominibus aliis aliorum humeris insistentibus constructi.

323. *Emicet, et vinctus plantæ* etc. Hunc versum omnes, quos inspicere potui, interpretes, obscurum esse fatentur et corruptum. Gesnerus quidem confirmat, se pulchre versum intelligere, si legi liceat: *vinctu*. Narrat enim se vidisse mulierem funambulam casum ad spectantium terrorem simulantem, sed sudarii nodo alteri popliti alligato, cui uncus e metallo innexus forte fuisset, funi adhærescentem. Quod, quanquam per se probari possit, huic loco convenire non videtur. Primum enim *vel cruribus* explicatio fit frigidissima, deinde nihil est, quod funambuli mentionem nobis faciat. Burmann. proponit *et vinclis plantæ vel cruribus hærens* eodem sensu, quem Gesnerus constituit. Intelligit nempe funambulum non per funem extentum ambulantem, sed in fune ex utraque parte suspenso et laxiore varios motus et saltus dantem, et in hunc funem non per scalas, sed per arcem illam corporibus ædificatam enitentem. Totus versus mihi suspectus est, quum quia, quomodocumque eum interpreteris medicina critica liberius etiam adhibita, sensum languidiorem efficit; tum quia, rejecto illo, non solum nihil ad plenam sententiam desideratur, sed etiam totus locus pulcherrimus fit.

Quorum compositam puer amentatus in arcem
Pendula librato figat vestigia saltu.

— *Saltu figat vestigia* ornate pro: insiliat. — *Pendula*, suspensa, ut sunt eorum, qui in tenui fastigio alterutro pede nitentes per æquilibrium se sustinent. — *Librato* vel ipsum libramentum seu æquilibrium notat, vel explicat prius *amentatus*, ut *saltu librato* sit: saltu petauro adjuto. Versus hic, qui mihi suspectus videtur, vestigia servat fontis, unde fortasse natus est, nempe ex interpretatione τοῦ *amentatus* et τοῦ *saltu figat vestigia*.

325. *Mobile descendat pegma*. Pegmatis propriam vim cognosces ex Gesneri thesauro. Hoc loco ea pegmata intelliguntur, quorum usus erat in theatris. Atque hæ videntur fuisse contignationes, seu contabulationes diversissima ratione, sed semper certo consilio compositæ, ut similitudinem alicujus rei referrent vel montis, vel ædificii, vel turris etc. machinis quibusdam instructæ, quarum ope sponte in sublime crescerent, aut subito desiderent, aut in aliam formam ex inopinato mutarentur. Equidem arbitror, illa aut eadem fuisse, aut saltem similia nostris machinationibus in canticis theatralibus (vulgo *Opera*). Quamobrem ii egregie fal-

Inque chori speciem spargentes ardua flammas
Scena rotet: varios effingat Mulciber orbes
Per tabulas impune vagus, pictæque citato
Ludant igne trabes, et non permissa morari
Fida per innocuas errent incendia turres.

luntur, qui omnia veterum scriptorum loca, in quibus pegmatis mentio fit, ad certam rationem revocare student. Conf. Bulenger. de Theatro, I, 36 et de Venatione, 34; Lips. de Amphitheatro, c. 22; vid. t. IX Thesaur. antiq. Rom. et prælerea Scalig. ad Manil. V, 439 sqq. Ex illis tamen compilationibus ad rei, de qua agitur, naturam accuratius cognoscendam, parum aut nihil disci potest. Locus classicus est Senec. Epist. 89, ubi de genere universo pegmatum sermo est. Relictis virorum doctorum de hac re disputationibus, videamus potius, quid ex verbis Claudiani possit elici. *Pegma* vocatur *mobile*, quia, machinatione aliqua spectatoribus occulta, et moveri, et mutari poterat. Una ratio, qua id fieri potuerit, suppeditatur *reductis ponderibus*, quibus sublatis (*reductis*) necesse erat pegma descendere. Pro *descendat* mavult Heinsius *discedat*, probat etiam Lipsii lectionem *desidat* (de Amphith. c. 22; in Thesaur. A. R. t. IX, p. 1316, Lipsius proponit *desedit*). Causam tamen nullam video, cur a recepta lectione recedas.

326, 327. *Scena ardua rotet flammas spargentes in chori speciem.* — *Scena ardua* ad ipsum pegma pertinere videtur. Pegma h. l. ædificium videtur fuisse turribus ornatum, quod subito, quasi terræ motu, desederit, flammisque ex hiatu erumpentibus involutum sit. Flammæ autem circulis impositæ ex oleis aut spiritibus accensis erant, qui circuli, quum rapide torquerentur, flamma ubique per tabulata serpere videbatur, ligna tamen accendere non poterat, quia rotatione ipsa avocabatur, ut ejus apices semper extrorsum necessario vergerent, spectatoribus autem ardentis ædificii speciem præberent. Ardentium circulorum mentio fit apud Manil. V, 437, et Petron. 53. Magna cautio adhibenda erat, ne pegma aut tota scena conflagraret; Vopisc. in Carino, c. 19. — *Spargentes* sc. se; absolute h. l. ut sæpe transitiva apud poetas intransitive adhibentur. Heinsio illud h. l. non placuit, proponitque *parcentes*, monente Gronovio, ut notat Burmannus; vid. Syllog. epist. VV. DD. t. III, epist. 161. Negari nequit, et sic poetam scribere potuisse. Burmannus negat, *ardua* cum *scena* jungendum esse, et quia non habet præterea, quo illud referat, corrigit *arida*, jungitque *parcentes arida*. Quæ mutatio mihi quidem frigida videtur. — *In chori speciem* rotationem pingit. — *Varios orbes*. Fuerunt itaque plures circuli ardentes.

328. *Impune* h. l. active.

329. *Ludant igne trabes*, dum appetuntur flammis, sed non accenduntur.

330. *Fida incendia*, quæ, quod ab iis exspectaverant pegmatis ar-

Lascivæ subito confligant æquore lembi,
Stagnaque remigibus spument immissa canoris.
Consul per populos, idemque gravissimus auctor
Eloquii, duplici vita subnixus in ævum
Procedat, libris pariter fastisque legendus.
Accipiat patris exemplum, tribuatque nepoti
Filius, et cœptis ne desit fascibus heres.

tifices, tabulatis parcunt. — *Innocuas* h. l. passive. Vide Æneid. II, 683, et not. Ed. n. VII, p. 289. Ed.

331, 332. Describitur navale prælium non in lacu manu facto, quem Naumachiam vocabant, sed in amphitheatro aquis subito immissis. Hujusmodi pugnas navales et Nero et Domitianus edidisse dicuntur, Xiphilin. LXVII, pag. 762 D. etiam Titus, Xiphilin. LXVI. p. 757 B. Cf. Onuphr. Panvin. de ludis circens. II, 11, t. IX, antiq. Rom. — *Lembi*, parvi navigii genus, dicuntur *lascivæ* ob agiles motus, quibus invicem se appetebant. Ludebant enim prælia. Ovid. Trist. II, 330. — *Subito æquore* sequenti versu explicatur per *stagna immissa*. Cf. Burmann. ad Valer. Flacc. III, 101. — *Remigibus canoris*, qui ad cantus rhythmum aquam remis pulsabant. — *Immissa* contra Barthii lectionem *eversa* non tam exemplis ab Heinsio allatis defenditur, quam ex ratione Claudiana fere perpetua, qua semel dicta alio modo enunciata repetere solet, ut posterius explicationi prioris inserviat; ut infra 335.

333—335. Ordo verborum: *Consul idemque gravissimus auctor eloquii subnixus duplici vita in ævum procedat.* Duplici ratione prædicit Mallii immortalitatem, primum: fasti consulis nomen posteris tradent; deinde, scripta ob præstantiam nunquam interitura nomen ejus propagabunt. — *Gravissimus auctor eloquii* ad universum eloquentiæ genus pertinet, præcipueque eam eloquentiam spectat, quam in scriptis explicavit Mallius. — *Subnixus duplici vita. Subnixus* idem interdum est, quod fretus, saltem hanc mihi vim videtur habere apud Virgilium Æn. III, 402:
Parva Philoctetæ subnixa Petelia muro.
Recte Bormannus sub *duplici vita* et privatam vitam intelligit literis et studiis dicatam, et publicam in honoribus actam; utraque Mallius immortalitate se commendavit. — *Per populos* idem puto esse, quam id, quo utitur Virgil. Georg. III, 9: *per ora virum volitare.* Indicat gloriam Mallii omnibus populis notam. Pro *procedat*, si libri scripti concederent, mallem *procedit;* de immortalitate Mallii certa sermo esse debet, non de ea, quam poeta et vota publica ei adprecantor. — *In ævum;* v. quæ collegit Ruperti ad Sil. Ital. II, 511; Prudent. in Symmach. I, 153, et II, 167. *Ævum* sæpe æternitatem significat. Symmach. Epist. IX, 104. — *Libris pariter fastisque legendus;* conf. not. supra ad v. 332.

337. *Cœptis fascibus* significat

Decurrat trabeata domus, tradatque secures
Mutua posteritas, servatoque ordine fati
Mallia continuo numeretur consule proles.

consularem dignitatem genti a Mallio Theodoro primo illatam.

338. *Decurrat trabeata domus.* — *Decurrere* de tempore et de ejus partibus, ætate etc. dicitur. Sil. Italic. XV, 47. Prudent. Cathemer. II, 101, simulque continuitatem motus indicat. H. l. translatum est ad id, quod cum tempore procedit, ad domum Mallii. Sensus: consularis dignitas domo tuæ perpetua sit.

339. *Mutua* pro: mutuo, per vices. —*Servato ordine fati;* ut filii succedunt patribus, ita patres semper tradant consulatum filiis. Vid. Heins. et Burmann. ad Ovid. Heroid. I, 101: illud enim indicat *servato ordine fati.*

340. Explicatio prioris est τοῦ *Decurrat trabeata domus.* — *Continuo consule;* ita ut in serie cognationis descendente neminem consulatus prætereat.

XVIII.

CL. CLAUDIANI
IN EUTROPIUM
LIBER I.

ARGUMENTUM.

Eutropium, incipit poeta, monstrum esse omnibus diris et portentis majus; 1—8. Pontifices explorent, quam rerum conversionem portendat consul eunuchus, quibus piaculis monstrum procuretur? Sanguine ipsius consulis opus esse; 9—23. Fortunam accusat, quæ tam atrociter rebus humanis illudat. Quod si servum consulem facere decrevisset, virum saltem dare debuisset, unius domini servum; 24—31. Eutropii dominos innumerabiles fuisse, quum eos, dum vendi posset, frequenter mutarit, quumque emptores pretii semper pœnituerit; ætate confectum atque obsoletum, quum vendi amplius nequiret, dono invitis esse obtrusum; 32—41. Malo reipublicæ Eutropius puer parvulus exsectus est; etenim si vir mansisset, adhuc serviret; 42—57. Venditus tunc libidini inservit Ptolemæi militis, qui fastiditum tandem graviterque de sorte sua querentem Arinthæo donat; 58—77. Flore ætatis amisso, leno fit callidissimus, atque in corrumpendis uxoribus exercitatissimus; 78—89. Nihilominus tamen sæpe sævitiam domini expertus, genero ejus nutritor puellæ datur, cui diu eunuchi officia præstat; 90—109. Rugis tandem obsitus, fœdus adspectu, et ad quæcumque ministeria ineptus, ut canis scabiosus a pastore, domo extrusus, libertatem nactus est; 110—137. Ab omnibus deinde neglectus, variis artibus fortunaque adjuvante,

perfecit, ut inter famulos Palatii reciperetur; 138—150. Cujus primo conservos puduit, is tandem ad summos honores pervenit, Orientis imperii exitio; 151—156. Verum enimvero malum consilium auctori semper nocet; hoc Busiris, hoc tauri Siculi tyranni artifex testatur; hoc confirmat Eutropius eos opprimens, a quibus promotus est; 157—180. Humili loco natus, quando imperio potitur, sævire solet: terribilior servus est, quum imperat; eunuchus quando rerum summæ præest, omnes crudelitate longe superat; 181—191. Libidine exstincta, avaritia vigere cœpit, omniaque eunucho erant venalia; 192—209. Quasi omnes terræ imperio Romano idcirco fuissent subjectæ, ut auri cupiditatem eunuchi explerent; 210—221. Nullum tamen in usum opes cumulabantur, nemoque fortunæ Eutropii invidebat; 222—228. Judiciis quoque præfuit, res militares tractavit, indeque factum est, ut imperium Orientale barbaris in contemptum veniret; 229—251. Quasi victor cum exercitu redux, voce muliebriter fracta res gestas exponit, fassusque, se non amplius parem esse oneri ferendo, cedereque se velle invidiæ, consulatum petit obtinetque, quum ministeriis muliebribus aptior fuisset aut Cybeles sacerdotio; 252—286. Nihil fere potest excogitari tam mirabile aut fœdum, cujus exempla non exstent; nunquam autem spado aut dux belli, aut consnl fuit; 287—299. Jam ridet poeta novum consulem insignia dignitatis suæ induentem, solenni pompa prodeuntem, verbaque, ut moris erat, publice facientem; 300—316. Sed invitis diis hæc fiunt. Indignum quidem muliebre imperium, tamen quodammodo ferendum, nihil minus autem tolerandum esse, quam eunuchum imperantem; 317—345. Nuncio rumori, Eutropium consulem esse factum, fides omnino abrogatur; 346—357. Quidam facetiores rem in jocum vertunt; 358—370. Quæ quum explorata esset et certa, Roma dea ad Stilichonem tendit et Honorium Germanis jura dantes, quorum adspectu, quanquam dolore tristis venerat, exhilarata repente utrumque compellat; 371—390. Gratam se agnoscere imperium suum ab illis auctum. Eorum virtute perfectum esse, ut retentis a Gildone navibus frumentariis, Italia fame non laboraverit, damnaque illa transalpinis messibus esse compensata; 391—411. Sed Eutropium factum esse consulem, eunuchum, gemmarum vestiumque alias custodem, qualis nunquam res militares tractaverit, cui nemo navem regendam traderet. Precatur deinde,

ne Italia consulem illum agnoscat. Scilicet id egisse eos, quorum ductu et auspiciis res Romana creverit, ut Eutropio dignitas consularis pararetur; 412—449. Indignatione abrepta, omnes fere consules priores ex inferis nominatim excitat, ut illam fœditatem intueantur; 450—465. Omnes deinde eunuchos hortatur, ut comitentur Eutropium, et senatorum munia occupent. Omnibus prioribus consulibus injuriam fieri, pergit, istum Eutropium fastos consulares esse inquinaturum; 466—484. Quin ignominiam illam ad Imperatorem quoque pertinere, quia consulatus unicus sit magistratus, quem principes obire soleant; quare non patiatur Honorius illam dignitatem pollui; 485—493. Hoc consule rerum naturam plane inverti; 494—499. Convertit se tandem Roma ad Stilichonem, eumque ad vindicandum Eutropium adhortatur; 500—513.

Semiferos partus, metuendaque pignora matri,
Mœnibus et mediis auditum nocte luporum
Murmur, et attonito pecudes pastore locutas,

1. Quæcumque præter consuetudinem et ita accidissent, ut ex notis naturæ rationibus explicari posse non viderentur, ea rudis vetustas divinitus esse missa credebat, ad iram deorum seu calamitatem aliquam futuram denunciandam, eæque res *prodigia*, *monstra* aut *portenta* dicebantur. Cic. de Nat. Deor. II, 3. Sensus: multa monstra et prodigia semper observata sunt, sed portentum maxime dirum est consul spado. Inter portenta ea recenset poeta, quæ gravissima habebantur, et quæ maximæ calamitates ex pontificum observationibus secutæ fuerant. Cf. Ovid. Met. XV, 782 sqq. — *Semiferos partus.* Etiam Livius horum monstrorum, quæ accurate forsan notata in pontificum annalibus invenerat, mentionem sæpe facit; cf. Lucret. II, 699 sqq. Liv. XXVII, 4 et 11; Plin. H. N. VII, sect. 3. — *Metuendaque pignora matri;* Luc. I, 562 sq. Jul. Obseq. c. 38. Hi partus monstrosi publicis ceremoniis expiabantur, quum semper futuram calamitatem portendere crederentur.

2. Lupos in urbe visos inter prodigia habitum. Liv. III, 29; XXXIII, 12; XLI, 9. Dempst. laudat Virgil. Georg. I, 486; Luc. I, 559 sq. Sil. Italic. VIII, 640 sq. XIII, 130. De his atque reliquis prodigiis egregie disputavit Heyne in Opusc. vol. III, prolus. 11 et 14.

3. *Et attonito pecudes pastore locutas.* Liv. III, 10. Valer. Max. I,

Et lapidum diras hiemes, nimboque minacem
Sanguineo rubuisse Jovem, puteosque cruore
Mutatos, visasque polo concurrere lunas,
Et geminos soles, mirari desinat orbis:
Omnia cesserunt, eunucho consule, monstra.

6, 5. Sæpius id accidisse leges apud Plin. H. N. VIII, cap. 45. Conf. Virgil. Georg. I, 478; Tibull. II, 5, 78.

4, 5. *Et lapidum diras hiemes.* Tibull. l. c. 72. Juvenal. XIII, 67. Cf. Liv. I, 31; II, 28; XXV, 7; XXVII, 37. Plinius (H. N. II, 39) existimat illos lapides a vento vehementi raptos fuisse in sublime. Quæstio illa de ortu et natura lapidum ex aere quandoque cadentium et nuper eruditos vehementer exercuit, quorum quidam in aere illos generatos esse contendunt, quidam eo progressi sunt, ut montium lunarium eruptionibus magna cum vehementia expulsos in terram nostram delatos esse arbitrarentur.— *Nimboque sanguineo rubuisse Jovem.* Putant Claudianum ante oculos habuisse Petron. 122:

Sanguineoque repens descendit Jupiter imbre.

Jovem pro aere sæpe poni, observavit jam Barth. ad Stat. Theb. II, 154: *Sanguineo imbre.* Inter prodigia sæpe apud Livium nunciatur: *sanguine pluisse* e. g. XXIV, 10. Id quod jam apud antiquissimos cladis signum erat. Homer. Il. λ, 52 sqq. Cf. Ovid. Met. XV, 788. Hoc interdum accidere scimus, quando particulæ e rubro solo vehementi vento in altum elatæ, et humore in aere mistæ rursum decidunt; vid. Koeppen ad Homer. l. c. Heyne in Opusc. l. c. Cic. de Divinat. II, 27. « Sanguinem pluisse senatui nunciatum est, atratum etiam fluvium fluxisse sanguine; deorum sudasse simulacra; num censes his nunciis Thalem aut Anaxagoram, aut quemquam physicum crediturum fuisse? nec enim sanguis, nec sudor, nisi e corpore est. Sed et decoloratio quædam ex aliqua contagione terrena maxime potest sanguinis similis esse, et humor allapsus extrinsecus, ut in tectoriis videmus austro, sudorem imitari. » *Puteosque cruore* etc. Lacus et fluvios sanguine manasse obvium est apud veteres; de puteo vid. Virgil. Georg. I, 485.

6. *Visasque polo concurrere lunas.* Liv. XX, 1. Plin. H. N. II, sect. 31, 32. Quid veteres physici hac de re statuerint, leges apud Aristotel. Meteorol. III, 2 et 6; Senec. Quæst. N. I, 11. Nunc scimus, paraselenas probabili ratione inde oriri, quando radii lunæ ab humoribus gelatis in aere volitantibus, ceu speculo, excepti reflectuntur. V. plura in *Vollständiger und fasslicher Unterricht in der Naturlehre von Hube*, t. III, p. 429 sqq. Leip. 1801.

7. *Geminos soles.* Liv. XXIX, 14; XLI, 21. Plin. l. c. et quæ supra laudata sunt. — *Mirari desinat orbis*, non amplius mirentur homines.

8. *Eunucho consule* abl. pro dat. Barthius inter alia laudat Propert. III, 4, 24. Gesnerus Voss. de Anal.

Heu terræ cælique pudor! trabeata per urbes
Ostentatur anus, titulumque effeminat anni.
Pandite, pontifices, cumanæ carmina vatis;
Fulmineos sollers Etruria consulat ignes,
Immersumque nefas fibris exploret haruspex.
Quæ nova portendunt Superi! Nilusne meatu
Devius, et nostri tentat jam transfuga mundi
Se Rubro miscere mari? ruptone Niphate
Rursum barbaricis Oriens vastabitur armis?

II, 10 pr. Possunt esse ablat. absol. per syllepsin; v. Corte ad Sallust. Jugurth. LXIII, 1. Faciliorem explicandi rationem Gesnerus iniit: quum consul esset factus Eutropius spado, reliqua portenta pudore velut cesserunt, quippe quæ præ isto nulla essent habenda.

9. *Heu terræ cælique pudor.* Vid. supra ad VII, 65. Efficacius hoc pro: deos et homines pudeat tantam rei fœditatem non removisse, aut curasse, ne existeret. — *Trabeata*, consularibus insignibus induta; v. supra ad VIII, 640.

10. *Anus* de vetulo et rugoso spadone, cui nihil inest virilis vigoris. Sic quoque infra v. 240. — *Titulumque effeminat anni.* Anni titulus erat nomina consulum; effeminatur itaque Eutropii spadonis nomine.

11 sq. Quasi de illo diro portento sollicitus, subito se ad pontifices et haruspices convertit, ut explorent, quæ calamitas immineat, et qua ratione ira deum averti queat.—*Cumanæ vatis*, supra VIII, 147. — *Pontifices* laxiori sensu intelligendi sunt, pro quindecimviris sacrorum; v. Guther. de Jure pontif. I, 5; Gell. I, 19.

12. *Fulmineos ignes.* Auguria ex fulgoribus intelligit. Cic. de Divin. II, 18 sqq. Senec. Nat. Q. II, 39 sq. Quæ interpretes, imprimis Dempsterus, de fulguritis aut de fulminibus condendis, habent, huc non pertinere videntur. Cæterum *sollers Etruria* vocatur, quia hæc ars ab Etruscis ad Romanos venerat. Cic. de Divin. I, 42.

13. *Immersumque nefas fibris.* Ex victimarum extis futura prævidebant haruspices signis certis. Cf. Tibull. II, 5, 13 sq. Ovid. Met. XV, 136 sq. Senec. Thyest. 157. — *Nefas* rem diram sæpe significat et abominandam, quæ præter naturam accidit. Virgil. Æn. VII, 73: h. l. est infortunium seu calamitas, quam exta futuram indicant. Sie somnium mali ominis *nefas* vocatur Stat. Theb. IX, 602. Conf. Barth. ad eumdem X, 542. Miror sane, Barthium *nefas* ad eunuchum trahere. Vocatur autem *immersum*, quia latent signa illius futuræ calamitatis in extorum *fibris*, id est, in partibus jecoris et pulmonum. Comparandus est Luc. I, 616 sqq. præcipue v. 627 sq.

14 — 17. *Meatu Devius* simpliciter pro: cursu mutato. — *No-*

An morbi ventura lues? an nulla colono
Responsura seges? quæ tantas expiet iras
Victima? quo diras jugulo placabimus aras?
Consule lustrandi fasces, ipsoque litandum
Prodigio; quodcumque parant hoc omine fata,

stri mundi. Eas orbis terrarum partes intelligit, quæ imperio romano erant subjectæ, quas iis opponit, quæ trans æquatorem versus austrum sitæ sunt. — *Rubro mari.* Cf. XV, 454. Loquitur de immutatione totius fluminis, ut Nilus non amplius in mare internum seu mediterraneum decurrat, sed retro actus in orientalem oceanum deferatur. — *Tentat.* Injuria quædam in hac voce latet, ut Barthius recte existimat, et melius itaque τῷ *transfuga* convenit, quam *tendat*, cujus elegantiam multis exemplis illustrat Heinsius. — *Rupto* pro: perrupto. Vid. V, 389. — *Niphates* mons ad Armeniam et terminos Persici imperii designandos a poetis adhiberi solet. Situm Persidis, ut tunc erat, describit accurate Ammian. Marcellin. XXII, 6. — *Oriens*, provinciæ romanæ ad orientem solem. Partes autem Orientalis imperii posuit, quia in hoc Eutropius esset consul factus, portentumque ad Occidentale imperium nihil pertineret.

18. *Morbi lues*, morbus exitiosus. *Lues* enim, ut *pestis*, sæpe pro exitio, calamitate, infortunio quocumque ponitur.

19. *Responsura.* Agri *respondere* dicuntur, qui parent, aut ad vota agricolarum se accommodant. Virgil. Georg. I, 47, et sic sæpius præsertim apud Columellam. — *Iras* sc. deorum, qui illo portento misso, numina sua gravissime offensa esse ostenderant.

20. *Quo jugulo*, quo sanguine, qua victima. Jugulum enim locus erat, qui cultro petebatur, quando mactabatur victima, inde *jugulari* sæpe de victimis adhibetur. Virgil. Æn. XI, 199; XII, 214. — *Aras placabimus*, deos placabimus. Burmann. ad Ovid. Met. XV, 574. — *Diras* Burmannus: quia sanguine debebant placari humano. Audirem, si jam constaret, illud portentum sacrificio humano esse procurandum, aut omnino humana sacrificia in usu fuisse apud Romanos. Rectius igitur *diræ aræ* sunt deorum, portentis dira minitantium. Hanc quoque credo fuisse Barthii mentem. Codex Delrii vetus habuit *dirum* pro, *diras*, quæ lectio utique gratiorem auribus versum reddit.

21. *Consule lustrandi fasces.* In epistola Arcadii ad præfectum prætorio, quæ exstat in Cod. Theodos. lib. IX, tit. 40, l. 17, hæc verba leguntur: « quod divinum præmium consulatus lutulentum prodigium (*Eutropius*) contagione fœdavit. » Fasces polluti erant a consule spadone, ejus sanguine erant lustrandi. — *Litandum*, ita sacrificandum, ut diis acceptum sit sacrificium, aut iis omnino satisfiat.

22. *Quodcumque parant hoc omine fata.* Dicuntur *fata parare* aliquid,

Eutropius cervice luat. Sic omnia volvis?
Hoc regni, Fortuna, tenes? quænam ista jocandi
Sævitia? humanis quantum bacchabere rebus?
Si tibi servili placuit fœdare curules
Crimine: procedat laxata compede consul;
Rupta quirinales sumant ergastula cinctus.
Da saltem quemcumque virum: discrimina quædam
Sunt famulis, splendorque suus, maculamque minorem

quum triste aliquid minitantur, ut apud Luc. VI, 783. Sic bene Burmannus. Sed *parare* plus est quam *minari*. Fata jam cogitantur occupata esse in malis illis, quæ missura sint. Horat. Od. III, 5, 49 sq. Plura v. apud Burmann. ad Petron. 20, et Phædr. II, 4. Apud Virgilium Æn. II, 121, *fata* forsan haud absurde accipias pro casu quarto, ut nominativus intelligendus sit ex v. 115, *tristia dicta*, hoc sensu: *cui* (*tristia dicta* seu oracula) *fata* (mortem) *parent*. τῷ *Fata* pro morte usus est Virgil. Æn. XII, 507.

23. *Sic omnia volvis? Volvere* et *versare* sæpe pro agitare, vexare, ludibrio habere, poni, indicant loca ab Heinsio et Burmanno laudata. Lucan. II, 567 sq. Virgil. Eclog. IX, 5. Nost. XXXVI, 410.

24. *Hoc regni.* Virg. Æn. I, 78, ut *hoc juris* Lucan. VIII, 95; Ovid. Amor. II, 1, 5. Plura hujusmodi dedit Heins. ad Ovid. Heroid. VIII, 104. — *Tenere* proprie de regibus dici, qui possident, ditione tenent, regunt, ostendunt Heins. ad Ovid. Met. XI, 270, et Burm. ad Valer. Flacc. III, 658. — *Hoc regni* quoque invidiose dictum. Sensus: tanta superbia et ludibrio in nos uti tibi concessum est? — *Jocandi*; cf. Juv. III, 38; VI, 605 sqq. Horat. Od. III, 29, 49.

25. *Bacchabere* non solum ebrium furorem notat, sed et τὸ ὑβρίζειν. Majorem vim habet, quam illudere, pro quo positum esse videtur. Cf. Horat. Sat. II, 8, 61 sq. — *Rebus humanis*, hominibus. Quæ Burmannus ad Petronium 53, de rebus humanis commentatus est, quanquam lectores eo avocat, huc non pertinere videntur.

26, 27. *Servili crimine.* Ignominia, qua consulatus afficitur, quod servus sit consul. Gesnerus. — *Procedat* respicit processum aut pompam consularem. Spanhem. Dissert. d. V. et P. N. XII, p. 457. Cf. ad VII, 8. — *Laxata compede* pro: manumissus. — τῷ *Compes* pro servitium, usus est Horat. Od. I, 33, 14.

28. *Rupta ergastula* pro: servi ex ergastulo, loco, quo deterrima mancipia ad opus faciendum vincta erant. Juvenal. VI, 191; XIV, 24. Conf. Schol. ad eumdem, XI, 80. Erant plerumque illa ergastula in agris; vid. Lip. Elect. II, 15; Sen. de Ira III, 29; Flor. III, 19, 3; Juvenal. VIII, 179 sq. — *Quirinales cinctus*; vid. n. ad VII, 3.

29 — 31. *Quemcumque*, etiam

Conditionis habet, domino qui vixerit uno.
Si pelagi fluctus, Libyæ si discis arenas,
Eutropii numerabis heros. Quot jura, quot ille
Mutavit tabulas, vel quanta vocabula vertit!
Nudatus quoties, medicum dum consulit emptor,
Ne qua per occultum lateat jactura dolorem!
Omnes pœnituit pretii, venumque redibat,
Dum vendi potuit: postquam deforme cadaver
Mansit, et in rugas totus defluxit aniles;

vilissimum. Interpp. ad Val. Flacc. III, 64. — *Discrimina quædam.* Alii aliis servis honestiores sunt. — *Domino qui vixerit uno.* Sic Barthius, eumque secutus est Gesnerus. Heinsius et Burmannus prætulerunt *uni.* Illud tamen videtur doctius esse. Vid. not. ad Pers. II, 7. Sensus: qui ita se gesserint, ut apud unum dominum semper manserint. Potestas nempe dominorum in servos ab Imperatoribus, præcipue a Constantino M. erat circumscripta, ita ut domini, qui servum nequam haberent, eum vendere tantum possent, quum gravius in eum aliquid statuere iis non liceret.

32. *Si pelagi fluctus* etc. numerum infinitum indicant; cf. Homer. Il. β, 450 sqq. Ovid. Trist. V, 6, 37 sqq.

33. *Quot jura....mutavit.* Mutato domino servus alterius fit juris, itaque *mutat jus.*

34. *Mutavit tabulas*, catalogos intelligo servorum, qui necessarii erant in magnis familiis. V. interpp. ad Petron. 53. Magnam interdum servorum multitudinem singuli alebant, qui vincti vasta terrarum spatia colerent. Seneca de Benef. VII, 10 in fine. — *Quanta vocabula vertit! Quanta* h. l. quot; infra 60, l. 53; XXXV, 308. — *Vertit*, mutavit. Burmann. ad Val. Flacc. II, 572. — *Vocabula*, quum domini alii aliter eum appellarent. Burmannus argutari videtur, quum existimat, poetam in ponendo *vertit* ad Eutropii nomen adlusisse, quod veniat ab εὐτρέπειν.

35. *Nudatus quoties*, etc. Servos venales nudos venditoribus expositos esse, ut melius inspici possent, notum est. Senec. Controv. I, 2; Epist. 80; not. ad Pers. VI, 77. Brisson. de Form. VI, 5 et 6.

36. *Ne qua lateat jactura* sc. emptorem, i. e. ne imprudens jacturam faciat, servum male sanum emendo. — *Per occultum dolorem*, per morbum occultum. Inde plaudere solebant servos emptores et venditores, hi ad illos commendandos, illi ad explorandos.

38. *Dum vendi potuit* per ætatem et corporis speciem. — *Deforme cadaver* species corporis tam fœda, ut nauseam moveret videntibus. Talem Vetustinam aliquam describit Martial. III, 93. Cf. Barth. Advers. XXXIII, 15.

39. *Et in rugas totus defluxit aniles. Defluere* id dicitur, quod paul-

Jam specie doni certatim limine pellunt,
Et fœdum ignaris properant obtrudere munus.
Tot translata jugis submisit colla vetustum
Servitium, semperque novum, nec destitit unquam,
Sæpe tamen cœpit: cunabula prima cruentis
Debita suppliciis: rapitur castrandus ab ipso
Ubere; suscipiunt, matris post viscera, pœnæ.
Advolat Armenius certo mucrone recisos

latim minuitur et perit. Vid. Cor te ad Sallust. Jugurth. I, 4. Sensus: et totus in rugas abiit.

41. *Ignaris.* Nam servus dono datus non accurate inspici solet.

42. *Translata colla*, servitium ab uno domino alteri obtrusum.—*Tot jugis submisit colla*, toties in servitutem venit.

43. *Semper novum sc.* servitium respectu dominorum, quibus erat obtrusus. —*Nec destitit unquam*, sc. servus esse.

44. *Cœpit;* quum novo domino traderetur, ejus servus *cœpit* esse. Acute hoc quidem, sed frigide. Ad fœditatem Eutropii magis declarandam, per partes nunc exponere incipit poeta, quæ universe jam supra dixit, eum eunuchum servumque inutilem semper fuisse. Orditur igitur a prima ejus pueritia, totamque vitam omni dedecore inquinatam persequitur, ut turpitudinem spadonis insigniorem reddat, probetque, nihil quidquam unquam tam mali ominis fuisse, quam consulatum huic homini abjectissimo et spurcissimo delatum. — *Cunabula prima*, infantia prima.

45, 46. *Debita suppliciis.* Scripti meliores Heinsii *dedita*, quod ipse amplectitur et exemplis allatis confirmare studet. Gesnerus eum secutus est. Burmannos *debita* jure defendit. Est enim doctior loquendi ratio pro: fato destinata erat infantia ejus suppliciis; vid. Burm. ad Valer. Flacc. V, 21. — *Suppliciis*, mutilationi, exsectioni; pœnæ vim h. l. non involvit, ut Barthius existimasse videtur, qui subjicit: jam tum scelerato hominis ingenio supplicia promerito. — *Ab ipso ubere;* adultiores enim majore cum periculo castrantur. Martial. IX, 9, 3. — *Suscipiunt* etc. Idem aliter enunciatum repetitur. — *Pœnæ* i. q. supra *supplicia*. *Pœna* de omni cura, molestia, dolore dici potest, quæ supplicii instar sunt. Plura de hoc verbo disputat Burmann. ad Ovid. Trist. II, 507; adde Martial. libr. IX, Epig. 9, 5.

47. *Advolat Armenius*, etc. Ad divitum familiam spadonum etiam multitudo pertinebat. Alebantur enim in ministeria feminarum et ad eas custodiendas. Ovid. Amor. II, 3. Quæ insania adeo increbuit, ut Imperatores, hominum propagationi prospicientes, vetarent pueros exsecari. Suetoo. in Domit. c. 7. Martial. VI, 2. Stat. Silv. III, 4, 73 sqq. Hujus infandæ rei inventio Semiramidi, Babylonis conditrici,

Edoctus mollire mares; damnoque nefandum
Aucturus pretium, fecundum corporis ignem
Sedibus exhaurit geminis, unoque sub ictu
Eripit officium patris, nomenque mariti.
Ambiguus vitæ jacuit, penitusque supremum
In cerebrum secti traxerunt frigora nervi.
Laudemusne manum, quæ vires abstulit hosti?
An potius fato causam tribuisse queramur?

assignatur. Ammiauns, Marcellinus XIV, 6 et infra v. 339 sqq. Id saltem certum est, maximum eunuchorum usum apud Assyrios, Medos et Persas fuisse. Cyrus eunuchos corporis custodes elegisse dicitur Xenoph. Cyropæd. VII, 5, 58 sqq. Cf. Herod. VI, 32; VIII, 105 sq. Dio Chrysost. Orat. XXI, p. 505, edit. Reisk. Ex illis regionibus etiam postea Romanis eunnchi snppeditabantur. — *Armenium*, seu Persam, sen Parthum (nomina enim illa hoc tempore sæpe confundebantur), poeta posuit, quoniam exercitatum aliquem in hoc negotio vellet inducere. Petron. 119, seu Poet. lat. min. t. III, p. 20 sqq. — *Recisos mollire* pro : exsecare, castrare, quia inde omnis vis virilis aufertnr, corpusque ipsum effeminatur. — *Certo mucrone* dexteritatem innuit, qua sectio illa perficiebatur. — *Damno* sc. virilitatis. Diversa ratione exsectionem descripsit Stat. Silv. IV, 7, 14 sqq.

49. *Aucturus pretium.* Pretiosiores enim erant eunuchi reliquis mancipiis. Hinc Ulpianus l. 27, § 28 D. ad legem Aquil. : « Si puerum quis castraverit, et pretiosiorem fecerit, Vivianus scribit, cessare Aquiliam. » Ii, quibus testiculi tantum exsecti erant, feminis libidinosioribus interdnm magis placebant, quam viri. Jnvenal. I, 22 et VI, 365 sqq. — *Ignem*, semen, quod in Venerem accendit.

50. *Sub* h. l. παρέλκειν notavit Barthius. Vid. Burmann. ad Ovid. Met. V, 62; ex Ponto III, 6, 31.

51. *Officium patris*, quod consistit in procreanda sobole, ut pater possit jure dici. Burmannus pntat, legi posse :

...Officiumque maris nomenque mariti.

52. *Ambiguus vitæ jacuit.* In vitæ discrimen semper fere veniunt exsecti.

53. *Traxerunt frigora.* Partium, quæ homini ad propagandum genus datæ sunt, certns consensus est cum cerebro et medulla spinali. Hoc jam Platonis tempore innotuit; v. eum in Timæo p. 434, t. IX, ed. Bipont. Hoc vult Noster, exsectionem Eutropium non solum frigidum in Venerem (Virgil. Georg. III, 97) reddidisse, sed etiam omnem animi vigorem illi abstulisse.

54. *Quæ vires abstulit hosti.* Cum virilitate enim ingenii viribus amissis, etiam ad mala consilia et ineunda et exsequenda, ea quidem, quæ requirunt animi quemdam ardorem et impetum, hebetior est redditus.

55. *Fato causam tribuisse*, occasionem quasi fato præbnisse. Non

Profuerat mansisse virum : felicior exstat
Opprobrio; serviret adhuc, si fortior esset.
Inde per Assyriæ trahitur commercia ripæ.
Hinc fora venalis Galata ductore frequentat,
Permutatque domos varias. Quis nomina possit
Tanta sequi? miles stabulis Ptolemæus in illis
Notior: hic longo lassatus pellicis usu
Donat Arinthæo; neque enim jam dignus haberi,
Nec maturus emi: quum fastiditus abiret,
Quam gemuit! quanto planxit divortia luctu!
« Hæc erat, hæc, Ptolemæe, fides? hoc profuit ætas
In gremio consumpta tuo, lectusque jugalis,

enim inter anlæ ministros admissus esset, si spado non fuisset, neque unquam, nisi in aulam receptus esset, consulatum commaculare potuisset.

56,57. *Profuerat*, sc. rei publicæ. — *Felicior exstat Opprobrio.* Nam injuriæ debnit consulatum. — *Serviret adhuc* etc. Juvat explicationem præcedentium.

58. *Per Assyriæ commercia.* Emporia intelligit ad Euphratem sita.

59. *Galata ductore. Galatæ* maxime insignes erant mancipiorum mercaturis. Ammian. Marcellin. XXII, 7, in fine, de Juliano : « Snadentibns proximis, ut aggrederetnr propinquos Gothos sæpe fallaces et perfidos, hostes quærere se meliores aiebat : illis enim sufficere mercatores Galatas, per qnos ubique sine conditionis discrimine venundantur. » Hunc locum Barthius jam laudavit.

61, 62. *Nomina sequi* pro : persequi, enumerare. Virgil. Æn. I, 342. — *Miles Ptolemæus stabulis in illis notior. Stabula* h. l. sunt cauponæ, in quibus deversabantur mangones. Vide interpp. præcipue Burmannum ad Petron. 6. In his stabulis miles ille Ptolemæus notior erat, quam reliqui, qui Eutropium jam ante emerant, rursusque vendiderant. — *Pellicis*, Eutropii.

63. *Arinthæo.* Utrum is Arinthæus sit, qui apud Ammianum Marcellinum aliquoties occurrit, an alius quidam, nemo ad liquidum perducet. — *Haberi*, retineri, ali.

64. *Nec maturus emi.* Nec ætas ejns amplius, nec forma talis erat, ut emptorem facile inveniret.

65. *Quam* pro : quantopere.; vid. Burmann. ad Ovid. Met. VIII, 64. Cf. infra 481.

66. *Hæc erat, hæc.* Alii *hæc erat, heu.* Ad priorem lectionem confirmandam laudat Heins. Stat. Theb. X, 807; Ovid. Met. XI, 694. Cf. supra X, 319.

67. *In gremio consumpta tuo.* Loquentem inducit Noster spadonem, ut uxorem divortio pulsam. Tota hæc oratio profligatissimam hujus sæculi corruptionem declarat.

Et ducti toties inter præsepia somni?
Libertas promissa perit? viduumne relinquis
Eutropium? tantasque premunt oblivia noctes,
Crudelis? generis proh sors durissima nostri!
Femina quum senuit, retinet connubia partu,
Uxorisque decus matris reverentia pensat.
Nos Lucina fugit, nec pignore nitimur ullo.
Cum forma dilapsus amor: defloruit oris
Gratia. Qua miseri scapulas tutabimur arte?
Qua placeam ratione senex?» — Sic fatus acutum
Aggreditur lenonis opus: nec segnis ad artem
Mens erat, officiique capax, omnesque pudoris

68. *Inter præsepia.* Hoc nemo interpretum, quod sciam, explicavit. Gesnerus v. 61 junxit *miles stabuli* (et quidem in notis, in textu, vitio fortasse operarum, legitur *tabuli*, ut erat in Claveriana editione), atque intelligit militem stationis alicujus, cursui publico destinatæ, præfectum. Cui interpretationi favere existimat *inter præsepia.* Verum difficultas et sic manet. Præfectus enim stationis lectum non habuisset inter præsepia structum. Aliter res potest expediri. Miles ille habebat uxorem; hoc indicasse videtur poeta, quum diceret Eutropium *pellicem* v. 62. Ne igitur turpis consuetudo uxori innotesceret, rem cum Eutropio habuit inter præsepia, quum fortasse equorum curatio illi demandata esset aut agasonis munus. — *Ducti somni* forsan pro: adducti re Venerea; cf. quæ laudat Heyne ad Tibull. I, 2, 78.

69. *Viduum*; vid. supra ad v. 67. — As-tu donc oublié tant de si douces nuits? (Boileau, Lutrin, ch. 2.) Ed.

72. *Retinet connubia partu*; liberi, quos genuit, impediunt, ne repudietur a marito. Juvenal. II, 137 sq.

73. *Decus*, pulchritudo et venustas. — *Pensat*, compensat.

76. *Scapulas.* Timet sibi a loro et scutica. Terent. Phorm. I, 11, 26. Cf. infra v. 100 sq.

77. *Acutum.* Heinsius post Rubenium cum *fatus* jungit, ut vox acuta spadonum respiciatur. Barthius post *fatus* distinguit, trahitque *acutum* ad *opus.* Utrumque Burmanno displicet, qui præfert *avitum*, ut legitur in margine Isingr. Parentes enim et majores Eutropii lenones fuisse existimat, quia ipse ab ubere statim exsectus et venditus, deinde sub florem ætatis in turpes amores venditus sit. Quanquam de vi hujus argumentationis dubites, tamen lectio illa non omnino rejicienda videtur. Equidem Barthio potius quam Heinsio accedam, qui græcas loquendi rationes ubique sectatur.

79. *Officiique capax.* Omnes officii artes et scientia complecti, et ad effectum perducere potuit.

Hauserat insidias: custodia nulla tuendo
Fida toro; nulli poterant excludere vectes.
Ille vel æratа Danaen in turre latentem
Eliceret: fletus domini fingebat amantis;
Indomitasque mora, pretio lenibat avaras,
Lascivasque jocis: non blandior ullus euntis
Ancillæ tetigisse latus, leviterque reductis
Vestibus occulto crimen mandasse susurro;
Nec furtis quæsisse locum, nec fraude reperta
Cautior elusi fremitus vitare mariti.
Haud aliter juvenum flammis Ephyreia Lais
E gemino ditata mari, quum serta refundit

80. *Hauserat* sc. animo. Hæc, et quæ sequuntur, explicant prius.

81. *Vectes*, fores seris et vectibus munitas. Burmannus laudat Ovid. Amor. II, 12, 3 sq. et Torrent. ad Horat. Od. III, 26, 7.

82. *Danaen;* vid. Jani ad Horat. Od. III, 16, 1 sqq.

83. *Fletus domini*, fingebat dominum ob amorem dolore et fletu perire, ut misericordiam moveret. Cf. Horat. Od. III, 7, 9 sqq.

84. *Indomitasque*, quæ amori adhuc repugnabant, ἀδαμάστους; vid. Jani ad Horat. Od. II, 5, 1 sq.— *Mora*, perseveratione et constantia. Hoc quoque præcepit magister amoris Ovid. A. A. I, 471 sqq.

86. *Ancillæ tetigisse latus.* Quæ comparant, Ovid. A. A. I, 605 sq. Sidon. Apollin. carm. XI, 38 sq. huc non pertinere videntur. Sed cf. Tibull. I, 2, 93 sq. Spado ancillam humanitatis officiis studet corrumpere, ut ipsa dominam propensiorem reddat amori. — *Reductis*, a tergo prehensis vestibus, ut subsistat, auresque præbeat.

87. *Crimen mandasse susurro*, clam mandata adulteri dedisse ad dominam. Burmannus, ut adparere videtur ex locis, quæ laudat, *occulto susurro* pro casu tertio accipit. Flor. III, 1, *primum scelus mandat insidiis*, i. e. per insidias exsequi statuit, et Lucan. X, 345.

88. *Furtis;* v. ad X, 81.— *Fraude reperta*, i. e. deprehenso adulterio. Heins. ad Ovid. Fast. III, 846.

89. *Fremitus*, indignationem, iram.

90, 91. Verba sic ordines: *haud aliter Lais Ephyreia ditata flammis juvenum e gemino mari. Ephyreia*, Corinthia. Cf. VIII, 471. — *Lais.* Nicias, Atheniensium imperator, postquam Catinenses se sponte dediderant, Laidem tunc parvulam cum aliis captivis in Peloponnesum deduxit. Plutarch. in Nicia, cap. 15, t. III, ed. Hutt. — *Flammis*, amore. — *Ditata*, quod recte Burmannus contra Heins., *dotata* præferentem, defendit, quia *dotata* rectius virgini pudicæ conveniat. Vid. sup. VIII, 647; Ovid. A. A. II. 261, ubi illum

Canities, jam turba procax, noctisque recedit
Ambitus, et raro pulsatur janua tactu,
Seque reformidat speculo damnare senectus:
Stat tamen, atque alias succingit lena ministras,

vide. — *E gemino mari.* Ditata erat Lais juvenum spoliis, qui ex utroque mari ad eam confluebant. Pulchrum epigramma in Laidem exstat. in Anthol. Græc. ed. Jacobs. t. II, p. 29, ep. LXXXIII. Huc faciunt v. 5 sqq.

. . . . ἐφ᾽ ᾗ μνηστῆρες ἀγαυοὶ
Πλείονες· ἢ νύμφης εἵνεκα Τυνδαρίδος,
Δρεπτόμενοι Χάριτάς τε καὶ ὠνητὴν Ἀφροδίτην.

Conf. Propert. II, 5, 1. Nota est quum pulchritudo et venustas, tum et avaritia mulieris. Cf. Athenæum XIII, 3 et passim; Menagium ad Diog. Laert. II, 75; Gell. I, 8. Dicitur mortua esse, dum subigeretur. Cf. fragmentum ex Philetæri Venatrice apud Athenæum, p. 587, ed. Casaub. — *Quum serta refundit Canities. Refundit*, h. loco recusat. Hæc potestas hujus verbi ex aliis locis vix potest probari. *Canities* autem potest dici *refundere serta* quum, quando rara est, faciat, ut serta, quæ capillis acubus adfigi solent, capiti male hæreant, et subinde defluant. Duo scripti habent *refutat*, quod pro, recusare, sæpe adhibetur. V. Burmann. ad Valer. Flacc. VI, 123; Prudent. Hamart. 695 sq. in Diptycho II; Lindenbrock. ad Ammian. Marcell. XVII, 5; quæ loca Burmann. laudat. Vix autem videas, quomodo librarii a *refutat* ad *refundit* aberrarint. Gesnerus addit: rosæ et lilia lividum pallorem vetularum magis horribilem reddunt. Etiam huic docto viro placet *refutat*.

92. *Jam turba procax.* Intelligit amatores jam insolentes et insultantes.

93. *Ambitus*, sc. juvenum, ut admittantur. — *Et raro pulsatur janua tactu.* Solebant nempe amantes exclusi interdum vim adhibere, nec solum fenestras pulsare et januam, verum etiam effringere vectibus aliisque instrumentis. Propert. II, 15, 5 sq.; III, 23, 29 sq. Horat. Od. I, 25, 1 sqq. Ovid. A. A. III, 71 sq. Theocrit. II. 124 sq.

94. *Seque reformidat speculo damnare senectus.* Simpliciter pro: senectus timet inspicere speculum. Quia enim speculum veram faciem repræsentat, anum cogit fateri, se esse deformem; cogit itaque anum semetipsam reprobare et damnare. Sed et *damnante* bonum sensum fundit. Senectus suam formam, quam speculum veram reddit, et turpem repræsentat, ipsa reformidat. Horat. Od. IV, 10, 6. Ovid. Trist. III, 7, 37 sq. Propert. III, 23, 33 sq. Imprimis conf. elegans epigramma Ausonii 55 in Laidem Veneri speculum dicautem, et Antholog. Græc. t. I, p. 103, epigr. VII; t. III, p. 195 sq., epigr. III, IV, ed. Jacobs.

95. *Stat tamen. Stare* proprie meretrices dicuntur Horat. Sat. I, 2, 30; Juvenal. XI, 170 sqq. pro,

Dilectumque diu, quamvis longæva, lupanar
Circuit, et retinent mores, quod perdidit ætas.
Hinc honor Eutropio; quumque omnibus unica virtus
Esset in eunuchis, thalamos servare pudicos,
Solus adulteriis crevit: nec verbera tergo
Cessavere tamen, quoties decepta libido
Irati caluisset heri; frustraque rogantem,
Jactantemque suos tot jam per lustra labores,
Dotalem genero nutritoremque puellæ
Tradidit. Eous rector consulque futurus
Pectebat dominæ crines, et sæpe lavanti
Nudus in argento lympham gestabat alumnæ,

prostare, ut est apud Juvenal. VI, 122 sq. quando amatorem in fornice exspectant. — *Succingit*, instruit, format in artes meretricias. Sic Burmann.

97. *Circuit*, sc. ut amatorem inveniat. — *Et retinent mores, quod perdidit ætas. Mores* est consuetudo. Sensus: vita turpis adeo in consuetudinem abierat, ut illam ne tunc quidem posset relinquere, quum vetula voluptatis sensu jam esset destituta.

98. *Hinc*, ex illis lenonis artibus, quas exercebat.

99. *Thalamos servare pudicos.* Ad-ludi ad nomen eunuchi interpretes putant, ἀπὸ τοῦ εὐνὴν ἔχειν καὶ ἐπιμελεῖσθαι. Argutius fortasse quam verius.

101. *Decepta libido.* Quoties Eutropio lenoni negotium haud prospere cesserat, ipseque amoris desiderium, quod dominum ceperat, explere nequibat.

104. *Dotalem.* Cf. Taubmann. ad Plaut. Asinar. I, 1, 72. — *Nutritoremque.* In Burmanniana ed. est, *nutritorique*: unde hoc sit, nescio; nam in VV. LL. apud Heinsium, et in notis nihil, quod ad illam lectionem pertineret, inveni. Cæterum ex h. l. patet, puellis pro nutricibus, μαίαις, etiam eunuchos datos esse, qui illarum curam agerent, easque tuerentur.

105. *Eous rector.* Invidiæ causa Eutropium ita vocat. Huic enim ab Arcadio summa rerum in imperio Orientis erat commissa, aut ita se gesserat, quasi ipse Imperator Orientis fuisset.

106. *Pectebat dominæ crines.* Cf. n. ad X, 99 sqq.

107. *Nudus in argento lympham gestabat alumnæ.* Eunuchos in balneis feminis ministrasse, jam notum est ex Terent. Eunuch. III, 5, 29 sqq. atque hoc faciebant nudi, ut officii ratio postulabat. — *In argento.* Intelligit illud vasculum, quod *lavationem argenteam* vocat Phædr. IV, 4, 22, ad mundum muliebrem pertinentem, sub qua voce tamen Schefferus omnem balnearum supellectilem intelligi ma-

Et quum se rapido fessam projecerat æstu,
Patricius roseis pavonum ventilat alis.
Jamque ævo laxata cutis, sulcisque genarum
Corruerat passa facies rugosior uva.
Flava minus presso finduntur vomere rura,
Nec vento sic vela tremunt: miserabile turpes

vult. Quo ex loco etiam discimus, non solum eunuchos, verum etiam puerulos molles dominæ lavanti adfuisse. Hæc vasa etiam *conchæ*, ex forma puto, vocabantur. Cf. Nostr. LV; Juvenal. VI, 417 sqq. ubi mulier lavans ab alipte, eunucho fortasse, fricatur, digitorumque impressione flatibus liberatur. V. 421. Dempsterus has conchas cum illis confundere videtur, quæ puellis in deliciis fuisse constat; Ovid. Met. X, 260, et Amor. II, 11, 13. Verum nescio, cur Claverius eam lavationem intelligat, qua quum uterentur mulieres, *sumere aquam* dicebantur. De qua re vid. Heins. ad Ovid. A. A. III, 94; Burmann. ad Petron. 94.

109. *Patricius.* Erat dignitas a Constantino M. instituta; Zosim. II, 40; et dicebantur Principis patres. Nost. XIX, 50, et XX, 68. Hæc dignitas erat consulari proxima, mediumque locum obtinebat Patricius inter consulem et præfectum prætorio. Plura vid. apud Gothofred. ad Cod. Theodos. lib. VI, tit. 6; et in paratitl. Gesnerus excitat Philostr. H. E. XI, 4: καὶ ἦν λοιπὸν πατὴρ ὁ εὐνοῦχος βασιλέως, ὁ μηδὲ τὸν τυχόντα παῖδα φῦσαι δυνάμενος. Inde acerrime et cum acrimonia jocatur Noster infra XIX, 49: *Direptas quid plangis opes, quas natus* (Arcadius Augustus) *habebit?* Contumeliose autem hanc dignitatem, quam Eutropius postea obtinuit, nunc jam cum ministerio servili conjungit. — *Roseis pavonum alis*, flabello ex pennis pavonum facto. Broukhus. ad Propert. II, 18, 59 sq. Ventum autem facere dominæ dormienti aut cubanti, eunuchorum fuit. Terent. Eunuch. III, 5, 47 sq. 50 et 53. Heinsius mavult *pavonum ventilat alas*, laudatque Ovid. Amor. II, 1, 8, et Juvenal. I, 28.

110. *Ævo laxata cutis.* Juvenal. VI, 144; Ovid. A. A. III, 73; infra 258. Alii scripti *lassata*, quod defendit frustra Claverius.

111. *Corruerat facies* pro: contracta erat facies. Vix dubitandum esse, ait Heinsius, poetam scripsisse *Marcuerat passa facies rugosior uva*, laudans Martial. V, 110 (80, 12). Recte dubitavit Burmannus, ipseque proposuit *Horruerat*, quod, ni fallor, receptam lectionem nunquam expunget. — *Sulcis.* Cf. Virgil. Æn. VII, 417.

112. *Presso* pro: depresso. Virgil. Georg. I, 45; II, 203.— *Flava rura.* Barthius poeticum hoc putat, quia non flava sunt, quum finduntur. Mirum sane hoc videtur. — *Flavam* terram sulcatam posuit Noster, ut comparatio ejus cum rugosa eunuchi facie aptior esset.

113. *Nec vento* etc. Confer Ju-

Exedere caput tineæ; deserta patebant
Intervalla comæ, qualis sitientibus arvis
Arida jejunæ seges interlucet aristæ,
Vel qualis, gelidis pluma labente pruinis,
Arboris immoritur trunco brumalis hirundo.
Scilicet ut trabeis injuria cresceret olim,
Has in fronte notas, hoc dedecus addidit oris
Luxuriæ Fortuna suæ; quum pallida nudis
Ossibus horrorem dominis præberet imago,
Decolor et macies occursu læderet omnes,
Aut pueris latura metus, aut tædia mensis,
Aut crimen famulis, aut procedentibus omen,

venalem, Satir. X, vs. 193 et sqq.

114. *Tineæ*, pediculos intelligo. Cf. infra 136 et 260.

116. *Arida jejunæ seges... aristæ* est procul dubio seges arida, quæ aristas jejunas habet, et *interlucere* est intervalla habere. Frontin. Strateg. II, 3, 14: «ea ipsa intervalla expeditis velitibus implevit, ne interluceret acies.» Fortasse huc quoque trahi potest Virg. Æn. IX, 508 sq. Burmanno *seges* et *arista* idem notare videtur, et absurdum esse ait, aristam interlucere aristæ. Itaque proponit *Arida jejunæ gleba interlucet aristæ*. Ex iis, quæ supra dicta sunt, conjectura hac fortasse possumus supersedere.

117, 118. *Pluma labente*. Confirmat lectionem Burmannus, laudatis Sil. Italic. IV, 112; XIV, 598 sq. Plin. H. N. X, sect. 34: «Hirundines in vicina abeunt, apricos secutæ montium recessus; inventæque jam sunt ibi nudæ atque deplumes.» — *Brumalis hirundo* nihil amplius, quam: hirundo tempore hiemis.

119. *Cresceret*, augeretur etiam ipsa deformitate et turpitudine eunuchi.

120. *Has in fronte notas*. Frontem intelligo scabie et tineis exesam. Stigmata occulte innui non videntur; huic enim videtur repugnare *has*.

121. *Luxuriæ suæ*; dativ. Sensus: Fortuna addidit *luxuriæ suæ*, id est, ludibrio, quo eunuchum consulem fecit, etiam *hoc dedecus oris*, ut non solum eunuchus, sed etiam turpissimus, consul fieret.

124, 125. *Tædia mensis*, turpitudo et fœditas fastidium epulantibus aut cœnantibus movens. — *Crimen famulis*, opprobrium famulis, quod inter ipsos tam dirum et fœdum portentum versaretur, tanquam fœditas illa ad omnes pertineret. Prope eodem sensu *crimen* leges apud Propert. IV, 4, 41. Burmannus fatetur, se non satis intelligere locum, et turpe aliquid subesse suspicatur. — *Aut procedentibus omen*. Gesnerus laudat Lucian. Eunuch. c. 6, t. II, p. 355, ed.

Et nihil exhausto caperent in stipite lucri.
Sternere quippe toros, vel cædere ligna culinæ,
Membra negant: aurum, vestes, arcana tueri
Mens infida vetat. Quis enim committere vellet
Lenoni thalamum? tandem ceu funus acerbum,
Infaustamque suis trusere penatibus umbram.
Contemptu jam liber erat: sic pastor obesum
Lacte canem ferroque ligat, pascitque revinctum,
Dum validus servare gregem, vigilique rapaces
Latratu terrere lupos; quum tardior idem
Jam scabie laceras dejecit sordidus aures,

Reiz. ubi dicitur, inauspicatum speclaculum esse, si quia mane domo egressus eunuchum videat. Cf. eumdem Pseudol. cap. 17, t. III, pag. 175.

126. *In stipite* pro: e stipite; v. Burmann. ad Ovid. A. A. I, 736; exhausto sc. viribus.

127. *Sternere quippe toros* ad officia eunuchorum præcipue pertinebat. Coripp. III, 215 sqq. Apulei. X: « Quatuor eunuchi confestim pulvillis compluribus ventose tumentibus pluma delicata terrestre nobis cubitum prosternunt. »—*Cædere ligna culinæ* abjectissimorum servorum opus.

128. *Membra*, sc. viribus destituta. — *Aurum, vestes, arcana* hæc omnia eunuchorum custodiæ commissa erant. Coripp. l. c. Burmannus mavult *arcum;* infra 194 et 421.

130. *Funus acerbum*, ut cadaver, quod totam domum polluerat. — *Funus* enim sæpe pro cadavere ponitur. Ruperti ad Sil. Italic. II, 647.

131. *Infaustam umbram.* Umbram intelligo hominis mortui, quæ domum infestat, ubi remansit corpore elato, aut sedem fixit, quale fuit idolum, de quo narrat Plin. Epist. VII, 27. Opinionem hanc de umbris ex priscia Romanorum temporibus repetendam esse, monstrant Lemuralia, de quibus vid. Ovid. Fast. V. 419 sqq. ibique interpp.

132, 133. *Contemptu jam liber erat.* Manumissus est, quia eum retinere nolebant domini, nec vendere poterant, et donum obtrusum unusquisque recusabat.—*Obesum*, bene nutritum.—*Lacte* catuli præcipue alebantur; Virg. Georg. III, 405; Nemesian. Cyneg. 159 sqq. Gratian. Cyneg. 307 sq. Respexit Noster fortasse formam eunuchi, cujus corpus, dum juvenis est, obesum esse solet.

136. *Scabie sordidus.* Scabies vulgaris morbus canum vetulorum.—*Laceras aures*, tineis exesas, quas candenti cultro pellere docet Nemesianus Cyneg. 209. — *Dejecit aures*, de bestiis morbo ægrotantibus. Ex nube exemplorum, quæ

Solvit, et exuto lueratur vincula eollo.
Est, ubi despectus nimius juvat: undique pulso
Per eunctas licuit fraudes impune vagari,
Et fatis aperire viam. Proh! quisquis Olympi
Summa tenes, tantone libet mortalia risu
Vertere? qui servi non est admissus in usum,
Suscipitur regnis; et, quem privata ministrum
Dedignata domus, moderantem sustinet aula.
Ut primum vetulam traxere Palatia vulpem,

Heinsius collegit, apponere libet Virgil. Georg. III, 499; Stat. Thebaid. XI, 745, ubi quidem legitur *demittere aures*.

137. *Lucratur vincula*, quandoquidem iis nunc uti potest ad canem alium et sibi utiliorem vinciendum.

138. *Est, ubi.* Burmannus laudat Stat. Theb. X, 493. Vide eumdem ad Petron. 126. — *Despectus nimius juvat.* Despectus et contemptus negligitur. Qui negligitur, dum alii eum non observant, multa potest moliri, quibus non solum res possit reparare suas, verum etiam illos opprimere, qui se tutos ab ipso putarint. — *Undique pulso.* Hoc summum contemptum exprimit.

139. *Per cunctas fraudes vagari*, omnes fraudes adhibere. — *Impune*, libere, quandoquidem nemo eum observat.

140. *Et fatis aperire viam*, fortunæ ansam præbere, occasionem dare. Eadem ratione dixit *fatis cursum dare* Lucan. VII, 544. *Fata* enim ea sunt, quæ alicui olim sunt destinata, uti h. l. Eutropio, ut ad summos honores olim perveniret.

141, 142. *Tantone risu vertere.* Heinsius corrigere voluit *tantone nisu*, quod tamen h. loco minime convenire videtur, et plane alienus est Lucan. V, 654, quem laudat. *Tantone risu* dictum pro, *tantone ludibrio*, tam superbe irridere; et *vertere* est: mutare. Burmann. laudat Horat. Od. I, 35, 4. Nihil amplius fortasse est, quam illud vulgare, in risum vertere, id est, irridere, ludibrio habere. Apposite laudat Gesnerus Plant. Rud. III, 1, 1; Merc. II, 1, 1, et Capt. in prolog. 22. — *Servi in usum*, quem nemo servum habere voluit. Alii habent *ad usum*; vid. Heins. ad Ovid. Met. V, 111, qui *in usum* præfert.

143, 144. *Suscipitur* ab aula imperii Orientis. — *Regnis*, summis magistratibus; opponitur enim τῷ *servi usum*. — *Et quem* etc. ejusdem sententiæ repetitio. — *Moderantem*, rectorem. — *Sustinet aula*, se illi subjicit.

145. Pergit poeta in fatis Eutropii narrandis, quemadmodum in aulæ ministeria receptus, paullatim ad summos honores pervenerit. Theodosium autem eunuchorum multitudinem aluisse, eosque multum apud illum valuisse, narrat

Quis non ingemuit? quis non irrepere sacris
Obsequiis doluit toties venale cadaver?
Ipsi quin etiam tali consorte fremebant
Regales famuli, quibus est illustrior ordo
Servitii, sociumque sibi sprevere superbi.
Cernite, quem Latiis poscant annectere fastis;
Cujus et eunuchos puduit! sed vilior ante
Obscuræ latuit pars ignotissima turbæ,
Donec Abundanti furiis, qui rebus Eois
Exitium, primoque sibi produxit, ab imis
Evectus thalamis, summos invasit honores.
Quam bene dispositum terris, ut dignus iniqui

Zosim. IV, 28, 3. — *Traxere*, alii *texere*. Prius Heinsius defendit, verum alienis ab h. l. exemplis. Sumptum puto a vitio aut contagio, quod trahitur. Aula Eutropium quasi pestem traxit. Ovid. Trist. V, 13, 3. Alia ratione vix defendi et explicari potest. Gesnerus quidem ait: *traxere* cum effectu, ut haberent; sic traxit nidor canem in culinam. Verum, num cupide arripuit aula illum fœdum hominem? Minime. Etiam hoc non convenit sequenti *irrepere*.

146, 147. *Sacris Obsequiis*. Coripp. III, 214 sq.

150. *Sociumque sibi*. Usum dativi defendit Burmannus pluribus exemplis. Ovid. Met. XIV, 678. Virgil. Æn. XII, 881. Vide eumdem ad Ovid. Met. X, 347, et Virgil. Æn. V, 712.

151. *Poscant*. Gesnerus ambigit, utrum impersonaliter, ut grammatici dicunt, poeta locutus sit, an dii aut fata intelligendi sint. Neutrum, si quid video, sed ipse Arcadius et auctores intelligendi sunt, quos ille Augustulus sequi soleret; nam sui judicii nunquam fuit. Illi enim postulaverant, ut Eutropius consul etiam ab imperio Occidentali agnosceretur.

152. *Eunuchos*; cf. 149 sq.

154. *Abundanti*. Zosimus V, 10, 6, narrat, Abundantium sub Theodosio prætorem (στρατηγὸν) atque consulem (A. C. 393) fuisse. Plura de illo vid. in Prosop. Cod. Theodos. h. v. Ille imprudentia promotor Eutropii fuit.—*Furiis*, facinore, quod furiosi tantum esse potest. Virgil. Æn. I, 41.

155. *Primoque sibi*. In exsilium enim actus est.

156. *Evectus thalamis*. Veram lectionem puto. Alii *stabulis*, quod Gesnero arridet. Burmannus conj. *ejectus tabulis*, ut tabulæ serviles fastis opponantur. Sed addit, nihil temere mutandum esse.

157. *Quam bene dispositum terris*. *Terris*, hominibus, rebus humanis. V. Drakenb. ad Sil. Italic. III, 75. Sententia hæc est: bene comparatum est a diis, ut malum consilium

Fructus consilii primis auctoribus instet!
Sic multos fluvio vates arente per annos,
Hospite qui cæso monuit placare Tonantem,
Inventas primus Busiridis imbuit aras,
Et cecidit sævi, quod dixerat, hostia sacri;
Sic opifex tauri, tormentorumque repertor,
Qui funesta novo fabricaverat æra dolori,
Primus inexpertum, Siculo cogente tyranno,
Sensit opus, docuitque suum mugire juvencum.
Nullius Eutropius, quam qui se protulit, ante
Dereptas possedit opes, nullumque priorem
Perculit exsilio, solumque hoc rite peregit,
Auctorem damnare suum. Postquam obsitus ævo
Semivir excelsam rerum sublatus in arcem,

auctori sit pessimum: ita hi versus;
Οἷ αὐτῷ κακὰ τεύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων·
Ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.
Hesiod. Op. et D. 248 sq.

158. *Instet*, immineat.

159 — 162. Fabula de Busiride nota est ex Apollod. II, 4, 11, et Ovid. A. A. I, 647 sqq. — *Fluvio*, Nilo. *Quod* (sacrum) *dixerat*, pro: cujus auctor fuerat Busiridi. Burmannus dubitat, eodem sensu *dicere sacrum* inveniri (equidem illud non puto ab ingenio linguæ alienum); proponit itaque *quod struxerat*, de quo verbo egit ad Valer. Flacc. III, 586, docetque *dicere* et *struere* sæpe confudisse librarios ad Ovid. Met. III, 160, et ad Valer. Flacc. I, 429.

163 — 166. Non minus notus est taurus Phalaridis, tyranni Agrigentini, cujus artifex Perillus dicitur fuisse. Ovid. A. A. I, 653 sq. Trist. III, 11, 41 sq. Cic. in Verrem IV, 33. Sil. Italic. XIV, 211 sqq. — *Docuitque suum mugire juvencum*. Sil. Italic. l. c.

. . . . moriens immugit flebile tauro.

Cæterum cf. Lucian. Phalar. pr. 11, t. II, p. 197 sqq. ed. Reiz.

167. *Qui se protulit*, Abundantius. Vid. supra 154.

168. *Dereptas*; vulg. *direptas*, quod Burmannus recte improbat, quandoquidem opes Abundantii non distractæ nec multis prædæ cesserunt. Ipse probat *ereptas* laudans Ovid. ex Ponto IV, 7, 26, notatque, posse et *dereptas* legi, quod recepimus.

169. *Perculit*. *Percellere* proprium in hac re verbum esse docuit Burmann. ad Sueton. Tiber. c. 55. In Cicerone sæpius hoc verbum eodem sensu occurrit. — *Rite*, ita ut debuit.

170. *Auctorem*; vid. sup. not. ad VIII, 579. — *Obsitus ævo*. Cf. Burmann. ad Virg. Æn. VIII, 307, et nost. Edit. vol. III, p. 426. Ed.

171. *Semivir*, eunuchus, Juvenal.

Quod nec vota pati, nec fingere somnia possent,
Vidit sub pedibus leges, subjectaque colla
Nobilium, tantumque sibi permittere fata:
Qui nihil optasset plus libertate mereri,
Jam jam dissimulat dominos, alteque tumescunt
Serviles animi : procerum squalore repletus
Carcer, et exsulibus Meroe campique gemiscunt
Æthiopum; pœnis hominum plaga personat ardens;
Marmaricus claris violatur cædibus Ammon.
  Asperius nihil est humili, quum surgit in altum;

IV, 511 sq. Valer. Flacc. VI, 695. — *Arcem rerum* ;/summam dignitatem deuotat.

172. *Quod nec vota pati possent*, quod vota audacissima superat. Nam, quod quisque sibi vovet, id credat uecesse est sibi quodammodo posse coutingere. Euuucho autem vili et abjecto, quem nemo vellet accipere, ue dono quidem, non poterat in mentem veuire, fieri posse, ut ad summos honores perveniret, consulatumque obtineret. Natura igitur votorum hoc votum uon patiebatur. Gesnerus miuus recte : res uimis magna est, quam adeo nou petat aliquis voto, ut ne *pati* se quidem posse arbitretur, depreceturque adeo. Dempsterus et Burmaunus similium locorum farraginem congesseruut. — *Nec fingere somnia* eadem fere ratioue potest explicari.

173. *Leges*. Quum Arcadio jus diceuti adesset quasi iuterpres legum. V. infra 23o. Heiusius olim coujecerat *reges*; cf. XXXV, 3oo.

175. *Mereri*, consequi.

176. *Dissimulat dominos*, sc. priores nosse.

177. *Serviles animi*. Cf. infra 181 sqq. — *Procerum squalore* pro : proceribus reis. Reorum proprie est squalor, ut sexceuties in Cicerouis orationibus occurrit.

178, 179. *Meroe, campique Æthiopum*. Relegabantur et deportabantur nobilissimi quique in vastas Africæ solitudiues ultra Ægyptum. Conf. Heyue in opusc. Academ. vol. IV, p. 280 sq. Iu his est etiam Oasis, quam describit Zosim. V, 9, non procul ab Ammonis oraculo; v. Michaelis ad Abulfedæ descript. Ægypti, p. 21 sqq. ubi loca collecta sunt, in quibus de Oasi sermo est. His addi potest Olympiodori locus ap. Phot. cod. 80 et in Labii Scr. Byzaut. t. I, p. 150. Sed Photius ipse Olympiodori fidem elevare videtur.

180. *Marmaricus Ammon*. Herodot. IV, 174 et 183.

181. Locus communis est de superbia eorum, qui ex humili conditione ad ampliorem dignitatem evecti sunt, præcipue de vulgari euuuchorum indole, qui acerbiores esse solent, quum nullo pietatis vinculo contineautur, sed se tantum suasque fortunas spectent.

Cuncta ferit, dum cuncta timet; desævit in omnes,
Ut se posse putent: nec bellua tetrior ulla
Quam servi rabies in libera terga furentis.
Agnoscit gemitus, et pœnæ parcere nescit,
Quam subiit; dominique memor, quem verberat, odit.
Adde, quod eunuchus nulla pietate movetur,
Nec generi natisve cavet: clementia cunctis
In similes, animosque ligant consortia damni.
Iste nec eunuchis placidus, sed pejus in aurum
Æstuat: hoc uno fruitur succisa libido.

182. *Ferit*, a milite seu a gladiatore sumptum. Omnes aggreditur, quia omnes timet, et pro hostibus seu adversariis habet.

183. *Posse*, sc. desævire, potestatem sæviendi habere.

184. *In libera terga furentis*, liberos homines servili pœna afficientis.

186. *Quam subiit*, quam pœnam ipse servus sustinuit. — *Dominique memor*, a quo ipse sæpe plagis affectus est. — *Quem verberat, odit.* Judex, qui sontes punit, a studio et ira debet remotus esse. Ille eunuchus pœnas sumebat non tam ad leges vindicandas, quam nt odio suo satisfaceret, quod in omnes liberos homines conceperat, quandoquidem unumquodque supplicium conditionem ipsi pristinam in memoriam revocabat.

187, 188. *Nulla pietate.* Nullo enim caritatis vinculo tenetur. Explicatur hoc per: *nec generi natisve cavet.* Non est quod timeat, ne quando ex se geniti crudelitatis paternæ pœnas sustineant. Liberi enim tanquam obsides sunt reipublicæ earum rerum, quæ a parentibus geruntur. Sic Cicero in Catil. IV, 2, 3, filium suum obsidem vocat consulatus sui.

189. *In similes*, (est) in ejusdem fortunæ homines.—*Consortia damni*, communio malorum. — *Animos ligant.* Quum, quia homines de malis alienis recte judicant, quando ipsi iisdem affecti sunt, tum, quia quasi communibus rationibus in societatem compelluntur, ut conjunctis viribus se vel adversus aliorum injuriam muniant, vel ut mutuo solatio fruantur, quod iis a felicioribus adhiberi non potest.

190, 191. *Iste* contemptum indicat, nt ex Cicerone notum. — *Eunuchis*, sui similibus.—*Sed pejus in aurum.* Hæsi semper in explicando hoc loco. Sententiarum, quæ præcedunt, ordo hic est. Humilis, potentiam adeptus, in omnes solet crudelis esse. Servus, imperio potitus, sævior etiam est in omnes liberos. Eunuchus omni plane humanitatis sensu caret, quum illis affectibus sit destitutus, qui principia et semina humanitatis esse solent. Ut autem omnium pessimum Eutropium describeret, addidisse videtur, eum ne in illos quidem

Quid nervos secuisse juvat? vis nulla cruentam
Castrat avaritiam. Parvis exercita furtis,
Quæ vastare penum, neglectaque sueverat arcæ
Claustra remoliri, nunc uberiore rapina
Peccat in orbe manus: quidquid se Tigris ab Hæmo

homines *placidum* fuisse, qui idem damnum passi essent, quum tamen cuncti clementes solerent esse in sui similes. V. infra XIX, 45 :

Eunuchi jugulum primus secuisse fateris.

Ponamus, postremam sententiam bene se habere, etiamsi penitius excussa aliquid frigoris habere videatur; qua tandem ratione *sed pejus in aurum* etc. cum prioribus conjuncta esse dicamus? Etiam in ipsis verbis interpretandis difficultas sentitur. *Sed in aurum æstuat pejus*, quonam? num reliquis eunuchis? Verum hoc non contrarium est priori : *nec eunuchis placidus.* Deinde, quisnam æstuat? procul dubio Eutropius; nam de hoc sermo erat. At quæ sequuntur, *hoc uno fruitur succisa libido*, non ad unum Eutropium, verum ad omnes eunuchos pertinere videntur. Miror interpretes hæc omnia sicco pede præteriisse. Negari non potest, omnes difficultates, omissis *clementia cunctis ... placidus*, quæ omnino frigida totus sententiarum nexus reddit, evanescere. Eunuchus omnibus humanitatis affectibus caret, sed avaritia et divitiarum cupidine tenetur magis quam reliqui homines, quia unice illa in istiusmodi homine dominatur. Equidem non dixerim, rejicienda illa verba esse, quia nihil esse videtur in libris scriptis, quod cum cultro grassantem criticum excuset; sed hoc tantum profiteri candide volui, me locum sanum non existimare, nec mitiorem medicinam ad manum esse. Heinsius etiam corruptum locum putavit, pro *pejus* conj. *pronus* laudato Lucan. VI, 147, quo verborum quidem structura vulgarior fit, verum sententiarum nexui nihil consulitur. — *In aurum æstuat* eadem ratione dictum est, qua *putret in Venerem* Pers. V, 88, ubi v. n. pro: magna auri cupiditate tenetur. — *Pejus* pro vehementius posuit, quum respiceret illos, quos eunuchi avaritia miseros reddiderat.—*Libido*, quæcumque cupiditas vehemens; illa vocatur *succisa*, quoniam illæ ejus species, quæ ad consuetudinem cum feminis spectant, exsectione amissæ erant. — *Fruitur*, voluptatem capit ex . . . etc.

192. *Nervos;* Ovid. Amor. III, 7, 35; Petron. 131.—*Cruentam*, crudelem.

193, 194. *Parvis exercita* (manus) *furtis*, dum servus Eutropius esset. — *Arcæ.* In arcis ferratis et claustris munitis etiam veteres pecuniam et opes custodire solebant. Juvenal, IX, 26 sq.

196. *Peccat in orbe manus;* illud furtis domesticis oppositum est. Nunc autem universum Orientis imperium prædæ sibi datum putat Eutropius. Zosim. V, 10, 5: μεθύων δὲ ἤδη τῷ πλούτῳ, καὶ ὑπὲρ τὰ νέφη τῇ φαντασίᾳ φέρεσθαι δοκῶν ὁ Εὐτρό-

Dividit, hoc certa proponit merce locandum
Institor imperii, caupo famosus honorum.
Hic Asiam villa pactus regit; ille redemit
Conjugis ornatu Syriam; dolet ille paterna
Bithynos mutasse domo: suffixa patenti
Vestibulo pretiis distinguit regula gentes.
Tot Galatæ, tot Pontus eat, tot Lydia nummis.

πιος, ἐν ἅπασι σχεδὸν τοῖς ἔθνεσιν εἶχε τοὺς τὰ πραττόμενα πολυπραγμονοῦντας, καὶ ὅπως ἕκαστος ἔχοι τύχης· καὶ οὐδὲ ἦν καθάπαξ ὃ μὴ χρημάτων αὐτῷ κέρδος ἐπῆγεν. — *Quidquid se Tigris* etc. V. XVII, 56 sq. Luc. III, 261 sqq. pro: quantocumque spatio. *Tigris ab Hæmo* Orientalis imperii terminos designat.—*Hermo* pro *Hæmo* non ineptum putat Burmannos, ut duo fluvii jungantur; vide infra 214, sed h. l. propemodum ineptum videtur.

197, 198. *Institor;* Schol. ad Juvenal. VII, 221. Broukh. ad Propert. IV, 2, 38, qui laudat Ovid. A. A. I, 421 sqq. — *Certa proponit merce locandum;* v. infra 220 sq.— *Caupo honorum.* Honores, magistratus provinciales plus licitantibus addixit, et hi rursus in provinciis loculos suos replere studebant. — *Caupo* est quoque mercator sordidus, qui vilissimas res distrahit, lucroque inhiat. Plaut. Aulular. Act. III, Sc. 5, 35.

200. *Dolet ille* etc. Num: pœnituit illum redemisse Bithyniam? aut coactus fuit hoc facere? Minime; sed tantum dolebat, *paternam domum* pretium fuisse, quam retinuisse honestius fuisset.

201, 202. *Suffixa patenti ... regula.* Gesnerus explicat *regulam* per tabellam oblongam, quales sint fabrorum regulæ. Verum non a forma regulæ fabrorum translatio petita est. Regula etiam est præscriptum, ad quod rem aliquam exigas. H. l. *regula* est recensio seu catalogus provinciarum et magistratuum, adscripto singulis pretio, ut cupientibus aliquam provinciam aut munus obtinere, statim tabella visa innotesceret, quanta pecunia solvenda esset Eutropio. — *Putenti vestibulo suffixa.* Non solum indicat, nundinationem illam palam esse factam, sed Eutropium quoque consuluisse commoditati et suæ et emptorum, ne ipse ambientium precibus toties vexaretur, neve cupientes aliquod munus ambigerent, quanti illud constaret. Apposite laudat Barthius Ulpianum cap. XI, de Iustit. Act. « Proscribere palam, sic accipimus, claris literis, unde de plano legi possit, ante tabernam scilicet, vel ante eum (*forsan: locum*) in quo negotiatio exercetur, non in loco remoto, sed in evidenti. » —*Pretiis distinguit gentes*, id est, æstimat gentes pretio singulis addito. Bene igitur hæc proscriptio regula vocatur, quia Eutropius in animum adduxerat, ad eam proscriptionem provincias addicere.

203. *Eat.* Heins. conj. *eant*. *Eat*

Si Lyciam tenuisse velis, tot millia ponas;
Si Phrygas, adde parum. Propriæ solatia sorti
Communes vult esse notas, et venditus ipse
Vendere cuncta cupit: certantum sæpe duorum
Diversum suspendit onus; cum pondere judex
Vergit, et in geminas nutat provincia lances.
Non pudet, heu! Superi, populos venire sub hasta?

h. l. veneat. — *Galatæ;* nam numeri non semper conveninnt; infra 220, et XX, 246. Luc. III, 77 sq. quæ Burmannus laudavit.

204. *Ponas* pro: solvas. Burmannus ad Petron. 101, desumptum hoc esse a calculis putat, qui ponantur et fingantur valere, quod rationator velit. Idem ad eumdem 115. Paullo altius petiisse Burmannus videtur, quod propius deprehendi potest. — *Ponere* est coram sistere, exhibere, et translatum ad pecuniam, numerare, solvere pecunia præsenti, notat. Hoc sensu occurrit apud Terent. Phorm. IV, 3, 62.

205. *Adde parum*, sc. ei pretio, quo Lyciam possis emere. Heinsius sic distinctum vult: *Si Phrygas: adde parum.* Hoc Burmanno quoque probatur, qui addit, poetam habuisse ante oculos Horat. Sat. II, 3, 69 sq. H. l. quovis pignore certem, Horatii locum Nostro non observatum fuisse. Dicendi color, qui in Venusina satira egregius est, hic, prope dicam, jejunus et putidus esset. Pretia in illa proscriptionis tabula fixa erant, et quæ dicit, quasi ex illa tabula profert. Illa autem interpunctione Eutropius poscens, emptorque licitans inducitur, id quod hic locum non habet. Illa ratione paullo infra Noster utitur versu 207 et sequenti, *certantum*, etc.

206. *Notas*, h. l. maculam. Ita enim ipse poeta *notas* per sequentia interpretatus est. Ipse servus fuit, atque in solamen servilis conditionis, omnia vendidit, sicut ipse toties venditus est. Omnia voluit esse venalia, quia ipse olim venalis fuit. Maculam igitur, quam ipse sustinuit, omnibus rebus voluit inurere. Negari interim nequit, sententiam hanc esse speciosiorem quam veriorem.

207. *Certantum*, contra se invicem licitantium.

208, 209. *Diversum onus*, pretia intelligenda, quæ uterque obtulerat. — *Cum pondere judex Vergit.* *Vergit*, καταῤῥέπει, proprie dicitur de altera lance, quæ pondere imposito deprimitur. Virg. Æn. XII, 725 sqq. τὸ *vergere* sæpe veteres conjunxisse cum *pondere*, notat Heins. ad Val. Flacc. I, 289, ubi tamen *urgenti* cum Burmanno retinendum puto. Remota imagine, sensus est: addicit plus licitanti. — *Et in geminas nutat provincia lances.* Dum lances in motu erant, ita, ut modo hæc, modo illa vergeret, aut deprimeretur, incertum erat, utri provincia cessura esset. Inter duas igitur lances interea nutabat.

210. *Venire populos sub hasta;* vid. interpp. ad Juven. Sat. III, 33. H. l.

Vendentis certe pudeat. Quid jure sepultum
Mancipium tot regna tenet, tot distrahit urbes?
Pollentem solio Crœsum victoria Cyri
Fregit, ut eunucho fluerent Pactolus et Hermus?
Attalus heredem voluit te, Roma, relinqui;
Restitit Antiochus præscripto margine Tauri,

est in prædam cedere plus licitanti.

211. *Vendentis certe pudeat.* Res enim per se atrox et intolerabilis, auctore fiebat atrocior. Eunuchus, abjectus olim et perditus, gentes universas habebat pro ludibrio. — *Jure sepultum mancipium*, intelligo, qnod quoad jus sepultum est, nulla jura habet, civiliter mortnus est, nt Claverius et Heinsins loquuntur. Burmannus, cui dura hæc expositio videtur, proponit *jure repulsum*, ut pertineat ad illud, quod Eutropius crebro dominos mutavit, aut *jure sepulto*. Verum hac ratione durities quidem removetur, sed languor locnm ejus occupat, qni poetis magis etiam vitandus est. Mancipium, qnod non est persona, sed res, omnique jure destitutum est, *tenet* tamen *tot regna*. *Tenere* est in potestate habere et in ditione. Conf. XVII, 261. Amat Noster dissimilium et inter se quasi pugnantinm comparationes. Gesnerns *jure sepultum mancipium* explicat: quod non magis numerari in homines debebat, quam cadaver, ut vocatur v. 38 et v. 147. Forsan legendnm: *jure*, id est, si jus spectas, *sepulcrum mancipium*, silicernium mancipium. Sic Græci solent loqui. Euripid. Med. 1209, γέροντα τύμβον, quod Scholiast. explicat πλήσιον τοῦ θανάτου καὶ τοῦ τάφου. Cf. eumdem in Heraclid. 167, et Aristoph. Lysistr. 372. Etiam Lucianus (Dialog. Mort. VI, 2, t. I, pag. 347, ed. Reiz.) silicernium vocat ἔμψυχόν τινα τάφον.

213. *Pollentem solio*, regni opibus pollentem. — *Victoriæ Cyri.* Rem narrat Herodot. I, 71 sqq.

214. *Eunucho fluerent* etc. divitiis illorum eunuchus potiretur. Cf. Horat. Epod. XV, 20. De *Pactolo* et *Hermo* vid. n. ad III, 104. Bene Gesnerns animadvertit, non satis commode h. l. Cyri et Crœsi mentionem fieri, quum potius ii nominandi fuissent, quorum victoria in Romanornm ditionem Lydia venerit. Existimat Nostrum nominum splendorem secutum esse. Possis tamen dicere, illum posuisse Cyrum, ut regem fortem atque strenuum, qui Crœsum opibns pollentem regno expnlerat, opponeret servo spadoni ignavissimo, eamdem regionem nnnc obtinenti, ac quod præmium olim fuerat virtutis, nunc prædam ignaviæ esse declaret, eoque ipso invidia in ennnchum augeretur.

215. *Attalus.* Vid. Flor. II, 20, 2; Valer. Max. V, 2, 3; Justin. XXXVI, 4, 5; Vellei. II, 4; Plin. H. N. XXXIII, 11; Appian. in Mithridat. 62.

216. *Restitit Antiochus præscripto* etc. Lucius Scipio Antiochi regnum Tauro monte terminavit. Hujus

Indomitos curru Servilius egit Isauros,
Et Pharos Augusto jacuit, vel Creta Metello,
Ne non Eutropio quæstus numerosior esset?
In mercem veniunt Cilices, Judæa, Sophene,
Romanusque labor, Pompeianique triumphi.
Quo struis hos auri cumulos? quæ pignora tantis
Succedent opibus? nubas ducasve licebit;
Nunquam mater eris, nunquam pater: hoc tibi ferrum,
Hoc natura negat. Te grandibus India gemmis,
Te foliis Arabes ditent, te vellere Seres:

rei meminit Cicero pro P. Sextio, 27, et pro Dejotaro 13. Conditiones pacis memoriæ prodidit Liv. XXXVIII, 38. Bellum breviter narrant Justin. XXXI, 7 sq. Eutrop. IV, 1.

217. *Servilius.* Flor. III, 6, 3 sq. Valer. Max. VIII, 5, 6.— *Isauros.* Isauria regio inter Pamphyliam et Ciliciam, in qua urbs Isaurus, diu domicilium erat et receptaculum prædonum.

218. *Pharos.* Ægyptus. — *Jacuit,* post pugnam Actiacam. — *Creta.* Flor. III, 7, 4 sq.

220. *In mercem veniunt* etc. Ad Cn. Pompeii gesta venit. Dempst. laudat Lucan. II, 593 sqq. — *In mercem veniunt*, venduntur. Notæ sunt similes locutiones *in familiaritatem, in spem, in sermonem venire.* Notanda sane est cod. Oxon. lectio *in lapidem veniunt*, quæ saltem librarii cujusdam ingenio deberi non videtur. Nescio tamen, an aliæ quoque res venales, præter servos, a præcone in lapide stante venditæ sint; Plautus quidem (Bacch. IV, 7, 17 sq.), Columella (III, 3) et Cicero (in Pison. 15) servorum tantum mentionem faciunt. Cf. Brodæi Misc. VI, 5; Turneb. Advers. X, 3.—*Sophene*, Armeniæ pars inter Taurum et Antitaurum ad Euphratem. Vid. Oudendorp. ad Lucan. II, 593.

222. *Quo*, quem in finem.

223. *Nubas ducasve*, illud de femina, hoc de viro adhibetur, ut notum est. Sed *nubas* eodem sensu dixit, quo Juvenal. Sat. II, 134, et huc respicit sequens: *Nunquam mater eris.*

226. *Foliis.* Adponam Gesneri verba: Folia malabathri (Cf. Jani ad Horat. Od. II, 7. 8) hodie, ut videtur quibusdam, incognita, in pretio antiquis fuere propter *foliatum* unguentum (vid. Juvenal. VI, 464. ibi schol.), quod inde parabatur. Illud folium per excellentiam ita dictum non nardum, aut spicam nardi esse, ut ipse putarit Plinius, sed malabathrum, pugnat Salmas. ad Solin. pag. 749. Copiose idem de illo et hodierna ejus apud Arabes appellatione disputat Homon. hyles iatr. c. 87. Hactenus Gesnerus. Cf. Arriani Peripl. mar. Erythræi pag. 178 sq. ed. Blancardi; Barth. h. l. et Advers. II, 6. In margine Isingr. erat *spo-*

Nullus inops adeo, nullum sic urget egestas,
Ut velit Eutropii fortunam et membra pacisci.
Jamque oblita sui, nec sobria divitiis mens,
In miseras leges, hominumque negotia ludit.
Judicat eunuchus: quid jam de consule miror?
Prodigium, quodcumque gerit. Quæ pagina lites
Femineas meminit? quibus unquam secula terris

liis. Hæc lectio defendi possit ex Petron. 119:

. . . . illinc nova vellera Seres
Atque Arabum populus sua despoliaverat arva.

— *Te ditent vellere Seres*; vide notam ad I, 179.

228. *Ut velit Eutropii* etc. Bene Gesnerus: ut velit simul cum fortuna et divitiis Eutropii suscipere etiam *membra*, id est, conditionem mutilati corporis.

229. *Nec sobria*, ebria, superbiens. Cf. locum Zosimi ad v. 196 laudatum: μεθύων τῷ πλούτῳ.

230. *In miseras leges.... ludit.* Tmesin putat Gesnerus pro: illudit legibus. Verum quidni dixerit poeta *ludere in leges*, quamquam exempla hujus structuræ desint? Heinsio quoque id displicuisse videtur; quare conjecit *sævit* ex vestigiis duorum Mss.

231. *Judicat eunuchus.* Infra XX, 68, vocatur Eutropius *præsidium legum*, et v. 72 statuæ dicuntur ei positæ esse, judicis speciem referentes. Eutropium præfectum prætorio fuisse nusquam legitur; fuerat supremus cubiculorum præfectus; Arcadioque jus dicenti adesse solebat, sententiasque ejus temperare. Zosim. V, 9, 4: καὶ ὁ μὲν βασιλεὺς προυκάθητο δικαστής. Εὐτρόπιος δὲ παρεστὼς, ἐπειδὴ καὶ τὴν ἡγεμονίαν πάντων τῶν βασιλικῶν εἶχε κοιτώνων, τῆς πάσης ψήφου κύριος ἦν. Et ibid. V, 12, 2, dicitur Eutropius κυριεύων Ἀρκαδίου ὥσπερ βοσκήματος. Gothofred. hoc loco et aliis e. g. v. 105 inductus ea, quæ de Eutropio sub Theodosio M. in Cod. Theod. dicuntur, ad nostrum eunuchum retulit in Prosopographia, ut animadvertit Ritterus. — *De consule*, quod adtinet ad consulem. Sensus: quum judicaverit eunuchus, quid jam miror, eum consulem quoque factum esse.

232, 233. *Lites Femineas.* Gesnerus et Burmannus insolens et duriusculum dicunt, quod *lites femineas* pro litibus a femina decisis, pro judicis munere a femina gesto Noster posuit. Quæritur autem, an hujusmodi aliquid factum sit, cujus illi viri poetam insimulant. Accedit, quod, etiamsi non insolens esset, *femineas lites* pro litibus a femina dijudicatis ponere, nihilominus tamen locum nullum haberet, quandoquidem eunuchus non magis femina est, quam vir. *Lites femineæ* sunt lites inter feminas. Quis unquam legit, feminas in foro, coram prætore aut judicibus litigasse, aut suam ipsas causam egisse? Cf. Juvenal. II, 51 sq. ibi v. interpp. Noster dicere vult, si feminæ causas agerent, eunuchus posset in earum causis judex se-

Eunuchi videre forum? Sed ne qua vacaret
Pars ignominia, neu quid restaret inausum,
Arma etiam violare parat, portentaque monstris
Aggerat, et secum petulans amentia certat.
Erubuit Mavors, aversaque risit Enyo,
Dedecus Eoum, quoties intenta sagittis
Et pharetra fulgens anus exercetur Amazon;
Arbiter aut quoties belli pacisque recurrit,
Alloquiturque Getas. Gaudet, quum viderit, hostis,
Et sentit jam deesse viros: incendia fumant;
Muris nulla fides; squalent populatibus agri,

dere. Hoc per interrogationem expressit: *quæ pagina* (non honorum, ut vult Gesnerus ex Juvenal. X, 58, sed annalium) *lites femineas meminit?* sc. in quibus eunuchus judicem quodammodo agere potuisset.

234, 235. *Ne qua vacaret Pars ignominia.* Ut omnes imperii partes, etiam res militaris, eunuchi tractatione contaminarentur. Barthius laudat Ovid. Trist. V, 13, 4. Cæterum describit poeta in sequentibus, vastationem Asiæ minoris a barbaris factam, contra quos Eutropius dux cum exercitu profectus, insignia quidem victoriæ, sed victoriam ipsam non retulit. Quæ expeditio, quamquam ejus mentio ab aliis scriptoribus, quod sciam, facta non est, nihilominus tamen ficta non esse videtur.

236. *Portentaque monstris.* Quid intersit inter utrumque, nescio. Variandi causa, ut existimo, posuit pro, portenta portentis, aut, metri causa. Cf. tamen Cic. de Divinat. I, 42. et Escheub. ad Orph. Argon. 37.

237. *Et secum petulans amentia certat*, ut quasi se ipsam superet in omnibus rebus ludibrio habendis et contaminandis.

238. *Enyo.* Græcum nomen Bellonæ, Ἐνυώ. Minerva consilio bellum gerit, Mars fortitudine, Bellona furore. Plura de hac dea congessit Ruperti ad Sil. Italic. IV, 439: vocatur apud Petron. 120, *feralis.* — *Aversa risit.* Non erubuit, ut Mars, qui militiam ab eunucho temeratam cogitat, sed risit, quia animo jam prævidebat, clades eunucho duce futuras. Cf. infra 243 sqq. idque fecit *aversa;* in sinu nempe gaudebat, vultumque avertit, ne risum proderet.

239. *Eoum*, quod ad imperium Orientale spectabat. — *Intenta sagittis*, id est, collineans sagittas.

240. *Amazon.* Fortasse in nomine h. l. lusit poeta.

243. *Deesse viros*, hujusmodi nempe duce constituto.

244. *Muris nulla fides.* Nullam fiduciam ponunt homines in muris, illosque putant ab hoste cito iri superatum. —*Squalent* recte expri-

Et medio spes sola mari. Trans Phasin aguntur
Cappadocum matres, stabulisque abducta paternis
Caucasias captiva bibunt armenta pruinas,
Et Scythicis mutant Argei pabula silvis.
Extra Cimmerias, Taurorum claustra, paludes
Flos Syriæ servit; spoliis nec sufficit atrox
Barbarus; in cædem vertunt fastidia prædæ.
Ille tamen (quid enim servùm, mollemque pudebit?
Aut quid in hoc poterit vultu flagrare ruboris?)
Pro victore redit: peditum vexilla sequuntur,

mit faciem camporum vastatorum.

245. *Et medio spes sola mari*, id est, sola spes evadendi hostes, in navibus, aut in mari, ipsis posita est. Heins. conj. *In medio spes una mari.* Et sic sæpe poetæ. Silius Italicus VII, 1. Virgil. Æn. XII, 57. Ovid. Heroid. III, 142; Trist. III, 6, 49. — *Aguntur*, sc. captivæ.

247. *Caucasias.* Cf. VIII, 108. — *Bibunt pruinas.* Cf. I, 55.

248. *Argei* antique pro: Argivi; incolæ Asiæ minoris græce loquentes intelliguntur. Verum *Argei* non convenire videtur τῷ *pabula*. Itaque Heinsius conj. *Argeia*, laudatque Nostr. XXIX, 190 sqq. Mihi quidem videtur legendum esse *Argæi*, sc. montis, quandoquidem de Cappadocibus eorumque armentis a barbaro hoste abductis sermo est. Cf. infra XX, 114 sq.

249. *Cimmerias paludes*, Mæotidis propagines, quæ Chersonesum Tauricam ambiunt. — *Taurorum*, incolarum Chersonesi Tauricæ, quos innuit quoque Lucan. II, 594, ubi male Schol. Taurum montem intelligit. Versus hic Barthio suspectus est. Rationem non addidit aliam, quam quod putat, eam commodo sententiæ posse abesse. Forsan *Taurorum claustra* displicuerunt, quum Taurum montem intellexisset. Versus autem, si quid sentio, non est rejiciendus, quia locum indicat, ubi Syriæ juventus servitutem serviat.

250. *Flos*, ἄνθος. Pausanias, IV, 27, 2:

Καὶ κότε δὴ Σπάρτης μὲν ἀπ' ἀγλαὸν ἄνθος ὀλεῖται.

Juvenal. V, 56.

251. *In cædem vertunt fastidia prædæ*, sc. Barbaros. Sensus: tantam captivorum multitudinem hostes nanciscuntur, ut, quum plures abducere nolint, captos trucident.

252. *Servum*, quandoquidem pudor est proprium ingenuorum. — *Mollem* pristinam vitæ infamiam innuit, quam qui subiit, omnem pudorem amiserit necesse est.

253. *In hoc vultu*, tam rugoso et exsangui. — *Flagrare* de rubore omnino dicitur, sive illum ira, sive pudor excitaverit. Burmann. ad Valer. Flacc. III, 216, et ad VII, 410. Cf. Virgil. Æn. XII, 65. Legimus apud Sil. Ital. I, 126: *lacus flagrantes sanguine.*

254. *Pro victore redit*, id est,

Et turmæ similes, eunuchorumque manipli,
Hellespontiacis legio dignissima signis.
Obvius ire cliens, defensoremque reversum
Complecti. Placet ipse sibi, laxasque laborat
Distendisse genas, fictumque inflatus anhelat,
Pulvere respersus tineas, et solibus ora
Pallidior, verbisque sonat plorabile quiddam
Ultra nequitiam fractis, et prælia narrat,

tanquam vicisset.—*Peditum.* Num *tumidum?* Saltem legi sic posse videtur ex vestigiis quorumdam Msspt. Heins. conj. *truncum*, ut adludatur ad membra truncata. — *Vexilla.* Cf. not. ad XV, 420. Ceterum cf. XIX, 55 sq. ubi quoque Eutropii victoriam illudit.

255. *Et turmæ similes.* Hic versus alterutram conjecturam probare videtur. Si enim pro *peditum* legas vel *tumidum*, vel *truncum*, vexilla universum exercitum denotare possunt, et hoc versu partes ejus, equites et pedites, nominantur, molles et effeminati. Sin autem *peditum* retines, *eunuchorum manipli* proprie sumendi sunt, quorum magnus numerus in comitatu eunuchi ducis versaretur. —*Similes*, sc. eunucho et quidem mollitie.

256. *Hellespontiacis signis.* Signum Hellespontiacum est Priapus, quem Lampsaci ad Hellespontum potissimum cultum esse constat. Inde vocatur *deus Hellespontiacus* Ovid. Fast. I, 440. V. Heyne ad Virgil. Georg. IV, 111. Equidem existimo, milites imperii Orientalis, inter alia, etiam Priapi signum in vexillis suis gessisse, Claudianumque, qui in gratiam Honorii unamquamque occasionem cupide arripit res Orientales irridendi, hoc risisse; alioquin salsum illud dictum paullo longius petitum dixeris. Quod si autem id, quod conjectura sola nititur, probabile videtur, non illepide Noster dicere potuit, *legionem*, id est, exercitum omnem, mollem et effeminatum, signis suis dignum fuisse.

257. *Defensoremque.* Velut servata republica.

259. *Distendisse genas*; cf. XX, 449. V. Burmann. ad Lucan. IX, 792, et ad Petron. 96. —*Fictumque anhelat.* A gravissimo labore se fingit redeuntem. Cf. I, 117.

260. *Tineas*, supra v. 114.

261. *Solibus Pallidior.* Quum sani homines solis ardoribus rubicundiores fiant. Indicat igitur imbecillitatem illius corporis.—*Plorabile quiddam.* Persius, I, 33.

262. *Ultra nequitiam fractis.* *Frangi* dicitur res quæcumque, quæ suum rigorem et vim amittit, sive effeminatur et mollitur. De voce molli sæpe adhibetur. Juvenal. II, 111; VI, 195. Plura notant Heinsius ad Nostrum, et Burmannus ad Petron. 128. Cf. Horat. Sat. II, 3, 274. — *Nequitia* est amatoria levitas et mollities Horat. Od. III, 4, 78, et 15, 2; Martial. IV, 42,

Perque suam tremula testatur voce sororem,
Defecisse vagas ad publica commoda vires;
Cedere livori, nec sustentare procellas
Invidiæ, mergique fretis spumantibus orat.
Exoretque utinam! Dum talia fatur, ineptas

4, et IX, 69, 1 sq. *Ultra nequitiam* ergo est, ultra levitatem aut mollitiem amatoriam, quia imbecillitas et senectus illam per se jam tremulam reddiderat eunucho, qui omnino voce virili destitutus est. —*Prœlia narrat.* Nempe, quæ non commissa erant.

263. *Perque suam sororem. Soror* pro amica sæpe ponitur: v. Heyne in Obss. ad Tibull. III, 1, 26; Bronkh. ad eumdem I, 5, 49; Martial. II, 4. Quæ fuerit illa mulier, ignoramus; liquet hoc tantum, illam ab eunucho sororis nomine fuisse circumductam; cf. infra XIX, 41 sq. et XX, 88 sqq. Quod autem per amicam suam dux ille egregius testatur, vires suas defecisse, ridiculum habet ex ambiguitate, et exprimit summam mollitiem, moresque ita effeminatos, ut illos ne dissimulare quidem possit, quum maxime debeat. Huic sermoni egregie convenit adjectum *tremula voce*.

264. *Vagas vires. Vagæ* videntur esse *vires*, quarum usus fuit in diversis locis rebusve diversis. Saltem *vagæ puellæ* apud Propert. I, 5, 7, ita sunt explicandæ. Cave autem jungas *vagas* cum *ad publica commoda*; sed ordo est: *vagas vires defecisse ad publica commoda*, sc. promovenda seu curanda, hoc sensu: vires defecisse, ut non amplius publica commoda, i. e. bellum administrare possit. Cf. Ovid. Met. VIII, 492. Hæc fuit altera ratio Gesneri, qui tamen nequidquam laboravit in definienda potestate τοῦ *vagas*, in qua deligenda Noster ambiguitatem forsan de industria secutus est, respexitque vagantem Eutropii vitam, dum adhuc esset in ætatis flore.

265. *Cedere livori.* Ad ostentationem pertinet.—*Procellas invidiæ*, ob res scilicet egregie gestas.

266. *Mergique fretis spumantibus orat.* Obscure dictum. Barthius: devovet caput suum ad dictis fidem faciendam. Melius Gesnerus: in metu naufragii solus vult mergi, si servari navis reipublicæ possit. Fortasse etiam hoc non ineptum est. Poeta eunuchum tumidum etiam Asiatico tumore loquentem inducit. Ait, se *non sustentare procellas invidiæ*, cupit imperium deponere, atque, ut hoc sibi liceat, orat. Manet autem in allegoria, orat igitur, ut *fretis spumantibus obruatur*, i. e. invidiæ tempestate, quam rebus gestis excitarit, ut id eveniat, quod invidia optat, i. e. ut sibi liceat imperium deponere. Cæterum Heinsius ex uno Ms. mavult *spirantibus*, quæ lectio sane doctior est. Cf. Virg. G. I, 327: Æn. X, 291.

267. *Exoretque utinam.* Non temere illa loquendi figura utentem Claudianus Eutropium induxit, ut recte jam Barthius monuit, sed ut

Detergit lacrymas, atque inter singula dicta
Flebile suspirat. Qualis venit arida socrus
Longinquam visura nurum; vix lassa resedit,
Et jam vina petit. Quid te, turpissima, bellis
Inseris, aut sævi pertentas Pallada campi?
Tu potes alterius studiis hærere Minervæ;
Tu telas, non tela, pati; tu stamina nosse;
Tu segnes operum sollers urgere puellas,

proprie illa, quæ dicta erant, accipere, et hanc adprecandi formulam adjicere posset. Sed, num illum ritum respexit, ut idem vir doctissimus putat, quo prodigia mari solebant mergi; quamquam cum aliqua veri specie dici possit, pro certo tamen non adfirmaverim. Neque ille mos ad omnia prodigia, sed ad androgynos tantum spectasse videtur. Conf. Liv. XXVII, 37; XXXI, 12; Gell. IX, 4; Jul. Obseq. c. 92 et 94. Id fiebat etiam in flumine. Jul. Obseq. 89. — *Ineptas*, quæ nec tempori, nec loco, nec duci conveniebant, quamquam eunuchi effeminati mores bene exprimunt.

269. *Flebile suspirat.* Omnia hæc ad mollitiem spectant.—*Arida*, siticulosa. Cf. Ovid. Fast. III, 765 sq. Edit. Nost. tom. VI, p. 218. Ed.

271. *Et jam vina petit.* Comparatur eunuchus cum muliere vetula, quæ vinum non admodum aversatur, et itinere longo exhausta est. Qualis illa garrire solet voce fracta, et suspiriis orationem mollem interrumpentibus, insuperque faucibus siti aridis, talem eunuchum induxit. — *Turpissima.* Pathici aut eunuchi feminino nomine ignominiose sæpe appellantur. Vid. Heins. ad Ovid. Heroid. IV, 48, et infra 339.

272. *Inseris*, ut Ovid. Met. III, 117. — *Sævi Pallada campi. Pallas* h. l. posita est pro, studia Palladis, et *sævus campus* prælium, seu bellum est. Dixit itaque *sævi Pallada campi* pro vulgari, studia belli, seu bellum.

273. *Alterius Minervæ*, lanificæ, quasi illa diversa sit a Pallade. — *Hærere*, inhærere. Ovid. Trist. III, 7, 11.

274. *Tu telas, non tela, pati.* Verborum lusus h. l. saltem minime frigidus videtur, sed, ut Gesnerus bene animadvertit, auget contemptum ex illusione.—*Nosse.* Vel sine libris legendum putat Heinsius *nesse*, laudans Ovid. Fast. II, 771; Virg. Cir. 177. Recte tamen Burmannus *nosse* præfert, quod procul dubio exquisitius est. Vide eum ad Ov. Heroid. VI, 83.

275. *Sollers operum*, peritus operum femineorum.—*Urgere puellas*, diligentiam earum assidue excitare. Alio sensu dixit Ovid. Met. IV, 35, *famulas laboribus urgere.* V. Heins. et Burmann. ad Valer. Flacc. II, 138. Eunuchorum enim erat in gynæceis, sive mulierum atriis, pensa exigere a famulabus, domi-

Et niveam dominæ pensis involvere lanam.
Vel, si sacra placent, habeas pro Marte Cybeben;
Rauca Celænæos ad tympana disce furores.
Cymbala ferre licet, pectusque illidere pinu,
Inguinis et reliquum Phrygiis abscindere cultris.
Arma relinque viris. Geminam quid dividis aulam,

næque semper ad manum esse.

276. *Niveam lanam*. Tibull. I, 6, 80. Ovid. Heroid. VII, 100. Heinsius conjecit olim *unctam*, deinde *tinctam;* in locis autem, quæ laudavit, semper color additus est. Vulgata conjecturis præstat.—*Pensis involvere*, i. e. lanam in pensa involvere, eaque nentibus ancillis distribuere; Ovid. Met. VI, 19.—*Dominæ* casus tert. *für die Gebieterin* (pour la maitresse).

277. *Vel si sacra placent*. Si animum induxisti, deæ alicujus sacra celebrare, non Palladis sacra cole, sed cole *Cybeben*. Derivant hoc nomen a κυβηβᾶν, in caput dejici, ut solent furiosi et furore perciti. V. Marquardi Gudii not. ad Phædr. III, 20; Heins. ad Virgil. Æn. III, 111, et Heyne in VV. LL. et ad eumdem, X, 220.

278. *Celænæos furores*. Celænæ, Κελαιναί, caput quondam Phrygiæ fuit; migratum inde haud procul veteribus Celænis, novæque urbi Apameæ nomen inditum: Liv. XXXVIII, 13. Cf. Schol. ad Lucan. III, 206. Fuit etiam mons ejusdem nominis, in quo sita erat urbs; Ovid. Fast. IV, 363. *Celænæi furores* sunt Phrygii furores, aut eorum, qui sacra Cybeles cum enthusiasmo solito celebrabant. Hunc furorem solebant excitare instrumentis musicis, quæ præcipue aures vehementer feriebant, tympanis et cymbalis. Propert. III, 15, 35 sqq. cf. Doering. ad Catull. LXIII, 9; Perizon. ad Ælian. V. H. IX, 8, 6.

279. *Pectusque illidere pinu*. Gestabant in suis ceremoniis truncos pineos, quibus se tundebant. In illam arborem Atys sive Attin mutatus esse dicitur. Ovid. Met. X, 104. Cf. Stat. Theb. X, 170 sqq. Hinc dicti sunt *dendrophori*, de quibus vide Reines. ad Inscript. I, 40, p. 75.

280. *Inguinis et reliquum*. *Inguen* sæpe pro parte ponitur, qua mares sumus. — *Reliquum*, testibus jam olim exsectis aut elisis. Galli autem, aut sacerdotes Cybeles, totum virile membrum abscindere solebant. Juvenal. II, 115.—*Phrygiis cultris*, *Samia* forsan *testa* Juven. VI, 513; Martial. III, 81, 3. Fiebat hoc etiam *silice acuta;* Catull. LXIII, 5. *Saxo acuto* usus est ipse Attin. Ov. Fast. IV, 237, et not. pag. 250, t. VI. Ed.

281. *Arma relinque viris*. Burmannus putat, colorem ductum esse ex Ovid. Heroid. XVII, 254. — *Geminam aulam*. Constantinopolitanam et Romanam. Hoc autem fecerat Eutropius persuadendo Gildoni, ut ab Honorio deficeret. De hoc supra. Verum hujus rei mentio h. l. saltem videtur parum opportuna esse.

Conarisque pios odiis committere fratres?
Te magis, ah! demens, veterem si respicis artem,
Conciliare decet: gestis pro talibus annum
Flagitet Eutropius, ne quid non polluat unus,
Dux acies, judex prætoria, tempora consul.
Nil adeo fœdum, quod non exacta vetustas
Ediderit, longique labor commiserit ævi.
Œdipodes matrem, natam duxisse Thyestes
Cantantur: peperit fratres Jocasta marito,
Et Pelopea sibi. Thebas ac funera Trojæ
Tristis Erechthei deplorat scena theatri.
In volucrem Tereus, Cadmus se vertit in anguem;
Scylla novos mirata canes: hunc arbore figit,

282. *Committere. Committi* proprie dicuntur gladiatores; Sueton. in Claud. 34. — *Odiis*, quibus incitasse dicitur Arcadium in Honorium.

284. *Conciliare.* Hoc enim lenonum est et lenarum. Cf. supra 78 sqq. et interpp. ad Petron. 127 *concilio tibi sororem.*—*Annum*, consulatum.

286. Conf. 105 sq. 250 sq. et 297 sq.

288. *Longique labor ævi.* Pro: longum ævum. Virgil. Æn. XI, 425 sq. Barthius ad h. l. et ad Stat. Theb. II, 196, ad labores et ærumnas hominum, quas in ævo sustinerent, respici existimat. Hunc secutus est Burmannus ad Valer. Flacc. II, 619; dicitque, *laborem ævi* eodem fere sensu dictum esse, quo *laboratum ævum* Valer. Flacc. V, 226, et *laborata vita* Stat. Theb. I, 341. Rectius, ut equidem opinor, ita res expedienda est. Omnia, quæ in ævo seu tempore fiunt, eidem tempori adtribuuntur, atque ut ab ævo, seu a tempore effecta, a poetis cogitantur. In iis igitur producendis et perficiendis *ævi labor* continetur. Valerius Flaccus II, 617, sqq.

Hac etiam terras, consertaque gentibus arva
Sic, pelago pulsante, reor, Neptunia quondam
Cuspis, et adversi longus labor abscidit ævi.

289. *Œdipodes.* V. ad III, 84.

290. *Jocasta*, Menœcei filia, uxor Laii, quo a filio Œdipode interfecto, ipsi interfectori nupsit, eique peperit Polynicem et Eteoclem. Fabula per Æschylum et Sophoclem notissima.

291. *Pelopea*, uxor et filia Thyestis.—*Thebas*. Excidium ejus urbis intelligitur in bello τῶν Ἐπιγόνων.—*Funera Trojæ*, excidium Trojæ, aut labores et miserias Trojanorum.

292. *Erechthei*, Athenienses ab rege antiquo sic dicti. — *Tristis scena;* tragœdiæ enim intelliguntur.

293. *Volucrem*, upupam. Ovid. Met. VI, 512 sqq. — *Cadmus*, l. c. IV, 562 sqq.

294. *Scylla*, l. c. XIII, 730 sqq.

Elevat hunc pluma, squamis hunc fabula vestit,
Hunc solvit fluvio: nusquam spado consul in orbe,
Nec judex ductorve fuit: quodcumque virorum
Est decus, eunuchi scelus est: exempla creantur,
Quæ socci superent risus, luctusque cothurni.
Quam pulchre conspectus erat, quum tenderet artus
Exsangues onerare toga, cinctuque gravatus,
Indutoque senex obscenior iret in auro!

— *Mirata.* De exquisito hujus verbi usu exempla congessit Burmann. ad Ovid. Amor. II, 11, 1, et ad Valer. Flacc. I, 382.—*Hunc arbore figit*, ut Attin, Phaethontis sorores, Philemona et Baucidem, etc. Heinsius conj. *cingit;* Ovid. Met. I, 549.

295. *Elevat hunc pluma*, in avem mutat. Burmannus laudat Ovid. Met. IV, 410, et VIII, 543. Exemplo est Perdix.—*Squamis vestit*, in pisces mutat, ut nautas, qui Bacchum abductum vendere volebant, in delphinos.

296. *Hunc solvit fluvio.* Sic Acis in fluvium mutatus est.

298. *Scelus*, h. l. nefas, monstrum. Barth. ad Stat. Theb. X, 542. Sensus: quodcumque viros decet, id in eunucho nefas fit, et monstrum.

300, 301. *Pulchre conspectus*, περίβλεπτος (Perizon. ad Ælian. V. H. II, 12); cf. Burmann. ad Ovid. ad Liv. August. 122. Alii *pulcher conspectus.*— *Quum tenderet onerare*, eleganter et accommodate ad eunuchum vetulum, et omni vigore destitutum, pro: quum oneraret. Cf. XXVIII, 465; XXVI, 166; Ovid. Met. XI, 532; Valer. Flacc. III, 469, quæ loca, et plura præterea, laudavit Heinsius ad v. 15.—*Artus exsangues*, macilentos, tenues et infirmos, quibus bene convenit *onerare.*—*Cinctuque gravatus. Cinctumque gravatos* ex conjectura legendum censet Heinsius multis locis citatis. Idem adprobat Drakenbr. ad Sil. Ital. II, 598. *Gravari* etiam cum casu quarto jungi in vulgus notum est (Oudendorp. ad Lucan. V, 258), sed, ni fallor, alio sensu, quam qui hic requiritur. Ex Heinsii conjectura Claudianus priori loco posuit, quod posteriori ponendum fuisset, nisi quis statuat, super illum cinctum, quisquis tandem ille fuerit, togam esse indutam, atque hoc sequentia vix permittunt. Vid. ad VII, 3.

302. *Indutoque iret in auro.* Sic Ovid. Fast. VI, 688: *in longis vestibus ire.* Plura et e Græcis laudant Heins. et Burmann. ad Valer. Flacc. v. 349. *Auro*, consularem vestitum indicat. Sidon. Apollin. Carm. II, 2, *molem trabealis metalli* vocat.—*Obscenior.* Ad malum omen et auspicium triste pertinet. Sic Gesnerus. Nostrum existimo dicere voluisse, ornatu illo splendido fœditatem hominis magis etiam conspicuam esse factam. Hoc adparere videtur ex comparatione sequenti. Cæterum pluribus exemplis Bur-

Humani qualis simulator simius oris,
Quem puer arridens pretioso stamine Serum
Velavit, nudasque nates ac terga reliquit,
Ludibrium mensis, erecto pectore dives
Ambulat, et claro sese deformat amictu.
Candida pollutos comitatur curia fasces;
Forsitan et dominus : præbet miracula lictor
Consule nobilior ; libertatemque daturus,
Quam nondum meruit, scandit sublime tribunal;
Atque inter proprias laudes Ægyptia jactat

mannus probavit, non differre, utrum legas *induto*, an *inducto*, quod utrumque Mss. suppeditant.

303. *Simulator;* Burmannus laudat Ovid. Amor. II, 6, 23.

304. *Arridens* idem explicat : maligne ridens.

306. *Erecto pectore*, pedibus posterioribus insistens. — *Dives* ad ornatum divitem spectat.

308. *Candida curia*, senatores, vestitu puro et splendido.

309. *Dominus.* Heinsius dominum priorem Eutropii intelligit. Dominos autem multos habuit, et causam videre nequeo, cur unum tantum nominasset Claudianus, eumdemque nomine non definitum. Rectius Burmannus et Gesnerus Arcadium intelligunt, quandoquidem, ut supra vidimus, vel Imperatores solebant consulum processiones comitari. Cf. Panegyr. Vet. XI, 2, 4; Ammian. Marc. XXII, 7; Spartian. in Hadriano; 9. — *Forsitan.* Ex conjectura nempe Noster hoc posuit, quod exploratum non habebat. — *Præbet miracula lictor.* Quandoquidem inauditum hactenus fuerat, lictorem consule nobiliorem esse. Lictor enim saltem ingenuus, consul libertus et spado.

310. *Libertatemque daturus* sc. consul. Primus enim actus consularis erat manumissio. V. not. ad VIII, 611.

312. *Inter proprias laudes.* Bene Gesnerus ait, Eutropium veterum magistratuum morem esse secutum, ut in prima oratione vel gratiarum actione de suis etiam rebus gestis commemoraret (XXVIII, 587 sqq.), et inter illas *Ægyptia somnia.* Opportune laudat idem Sozomenum, H. E. VII, 22, narrantem, initio belli contra Eugenium Theodosium M. de eventu anxium, consiliis et oraculis Joannis, monachi Ægyptiensis, uti voluisse. Misisse itaque Eutropium, eunuchorum fidissimum, in Ægyptum. Hunc responsum retulisse, Theodosium victurum esse. De Joanne idem narrat Augustinus de Civit. D. V. 26. et Theodoret. H. E. V. 24, sine Eutropii mentione. Restat tamen scrupulus, quem Sozomeni locus laudatus non exemit. Qui poterat Eutropius dicere : *se vate?* Certe is, qui oracula consultum missus,

Somnia, prostratosque canit se vate tyrannos.
Scilicet in dubio vindex Bellona pependit,
Dum spado Tiresias, enervatusque Melampus
Reptat ab extremo referens oracula Nilo.
Obstrepuere avium voces: exhorruit annus
Nomen, et insanum gemino proclamat ab ore,
Eunuchumque vetat fastis accedere Janus.

responsum reportat, nullo modo potest *vates* dici. Res quidem, quam memoriæ prodidit Sozomenns, in dnbinm vocari nequit, Eutropinm eunuchum in Ægyptum missum esse, quandoquidem et Noster hujus itineris meminit. Forsan Entropins, laude illi monacho prærepta, renunciavit, se in Ægypto per quietem vidisse Theodosinm victorem, ant victoriam illius divinitus sibi esse per quietem prænunciatam. Cf. XIX, 39 sqq.

Miror, cur, aliis qui pandere fata solebas,
Ad propriam cladem, cæca Sibylla, taces.
Jam tibi nulla videt fallax insomnia Nilus.
Pervigilant vates nec, miserande, tui.

— *Tyrannos*, Eugeninm et Arbogastem.

314. *Pependit;* v. ad I, 11, et VII, 172. Sensns est : scilicet expeditio contra tyrannos tamdiu dilata est. Parnm h. l. convenienter Gesnerus Homeri ἑτεραλκέα νίκην memorat.

315. *Spado. Tiresias.* Præter id, quod Tiresias, qui inter celeberrimos vates censetur, ætate fuerat decrepita, etiam hanc narrationem spectasse Claudianns videri potest, qnum tam celebre nomen Eutropio imponeret, qua Tiresias femina factus e viro dicitur, et vir rursus e femina. Ov. Met. III, 323: *Venus huic erat utraque nota;* cf. supra 223 sq. Cæterum de Tiresia v. Burmann. ad Ovid. l. c. Spanhem. ad Callim. H. in Pallad. 82; Broukh. ad Propert. IV, 9, 57, et Barth. ad Stat. Theb. IV, 443 et 542. — *Enervatus*, qui nervos amisit. Cf. supra 192, qui spado factus est. — *Melampus.* Verum, cur hunc ex antiquis vatibus nominat? Num quia sacra Ægyptiaca in Græciam intulit, ut tradidit Herodot. II, 49; Plutarch. de malignitate Herodoti, c. 13. t. XII, ed. Hutt.? Non temere Claudiannm id fecisse existimo, sed ratio obscura est. Cf. infra 369 sq. et Barth. ad Stat. Theb. III, 573.

316. *Reptat.* Indicativum defendit Burmannus. Virg. Æn. IV, 52. Cæterum tarditatem senilem exprimit.

317. *Obstrepuere avium voces*, quasi obnunciavere. Contrarium vide supra VIII, 170 sqq.

318. *Nomen* supra ad 284. — *Insanum*, horrendum. *Insana* dicuntur sæpe ea, quæ modum excedunt. Cujus rei exempla collegit Ruperti ad Sil. Italic. I, 251. Indignitate rei graviter commotus est Janus.

319. *Fastis accedere.* Eo respicitur, quod nomen Eutropii, in ipso consulatu dejecti, in fastos referri

Sumeret illicitos etenim si femina fasces,
Esset turpe minus. Medis levibusque Sabæis
Imperat hic sexus, reginarumque sub armis
Barbariæ pars magna jacet: gens nulla probatur,
Eunuchi quæ sceptra ferat. Tritonia, Phœbe,
Vesta, Ceres, Cybele, Juno, Latona coluntur;
Eunuchi quæ templa dei, quas vidimus aras?
Inde sacerdotes; hæc intrat pectora Phœbus;
Inde canunt Delphi. Trojanam sola Minervam
Virginitas Vestalis adit, flammasque tuetur.
Hi nullas meriti vittas, semperque profani.
Nascitur ad fructum mulier, prolemque futuram;
Hoc genus inventum est, ut serviat. Herculis arcu
Concidit Hippolyte; Danai fugere bipennem

prohibitum, ita ut ille annus uno nomine Theodori Mallii signatus sit. Contrariæ partes Jano tribuuntur a Statio in Silv. IV, 1, 11 sqq.

321. *Sabæis*. VIII, 306: intelligit autem omnino populos barbaros Asiæ. Arrian. Alex. I, 24: νενομισμένον ἐν τῇ Ἀσίᾳ ἔτι ἀπὸ Σεμιράμεως καὶ γυναῖκας ἄρχειν ἀνδρῶν, quod recte interpretatur Gesnerus: ut viris qui in regno sunt, imperent feminæ. Cf. Curt. X, 1, 37. Parthi feminæ, cui nomen erat Erato, imperium tentaverunt; sed brevi pulsa est. Annal. Tacit. II, 4.

322. *Reginarumque sub armis*. Scytharum reginam Tamyrin et Amazonidum forsan intelligit, aliasque, quæ memoriæ non proditæ sunt.

323, 324. *Jacet*, sc. devicta. — *Gens nulla probatur, Eunuchi quæ sceptra ferat*. Lege tamen Plin. H. N. XIII, cap. 4, et Tacit. Annal. VI, 31. *Probatur*, traditur a certis auctoribus. Lucian. in Eunuch. c. 9, t. II, pag. 357, ed. Reiz. narrat, Hermiam eunuchum, Atarnensem tyrannum, adeo cultum esse, ut illi eodem modo, quo diis, sacra fecerint. Cf. Diog. Laert. V, 3, et ibi Menag. Utrum vera res sit, necne, hic non adtinet quærere; constat tamen, Hermiam eunuchum tyrannum fuisse.

327. *Inde*, sc. e feminis. — *Hæc pectora*, Sibyllas intelligit, et Pythiam.

328. *Canunt*, vaticinantur, et quidem per Pythiam. — *Trojanam Minervam*. Ex Lucano (I, 597) mutuatum hoc esse Claudianum Heinsius existimat. De *Minerva Troj.* vide Heyne in excursu IX ad Virg. Æn. II, Ed. Nost. vol. II, p. 337. Ed.

330. *Hi*, eunuchi. — *Meriti*, acceperunt. — *Vittas*, diademata sacra, a quibus infulæ dependent.

331. *Fructum*, utilitatem.

333. *Hippolyte*. XI, 35. Regina Amazonum victa ab Hercule.

Penthesilea, tuam; claras Carthaginis arces
Creditur, et centum portis Babylona superbam
Femineus struxisse labor. Quid nobile gessit
Eunuchus? quæ bella tulit? quas condidit urbes?
Illas præterea rerum natura creavit:
Hos fecere manus: seu prima Semiramis astu
Assyriis mentita virum, ne vocis acutæ
Mollities, lævesque genæ se prodere possent,
Hos sibi conjunxit similes; seu Parthica ferro
Luxuries vetuit nasci lanuginis umbram,
Servatoque diu puerili flore coegit

334. *Penthesilea.* Quia Amazones crebras incursiones fecerant in Asiam minorem, in Phrygiam potissimum, in Lydiam, quarum una inciderat in Priami tempora (Il. γ, 180), poetæ, qui post Homerum scripsere, præcipue Arctinus in Æthiopide, eas in belli Trojani historiam induxerunt. De Penthesilea plura invenies apud Quint. Calabr. cf. Heyne ad Virg. Æn. I, 490 sqq.

335. *Centum portis;* cf. Herodot. I, 179 sq.

339. *Seu prima Semiramis.* Præter Ammianum Marcellinum supra ad v. 47 laudatum, nemo veterum scriptorum hæc tradidit. Forsan fata et res gestæ hujus reginæ quærenti alicui scriptorum de eunuchorum origine, illam conjecturam suppeditaverunt, quam deinde alii pro explorata re arripuerunt. Gesnerus notat, Periandrum, Cypseli filium, Corinthium tyrannum, trecentorum principum Corcyræorum filios Sardes ad Alyatten ἐπὶ τῇ ἐκτομῇ misisse; Herod. III, 48. Et rursus Panionium Chium pueros speciosos emisse, et exsectos Sardes aut Ephesum deductos magno pretio vendidisse. Herodot. VIII, 105.

340. *Vocis acutæ*, quam *angustam* vocat, et lepide describit Juv. III, 90 sq.

341. *Lævesque genæ.* Barbam eunuchis non crescere notum est. Juvenal. VI, 370 sqq.

342. *Parthica.* Msspt. *Parthia*, dictioni poeticæ aptius. Retinent tamen prius Heinsius et Burmannus. Jam supra monitum est, Persas et Parthos pro iisdem sæpe poni, VIII, 213. Aliam narrationem de spadonum origine profert, quæ consentit cum iis, quæ alii scriptores de Persarum moribus retulerunt; cf. Brisson. de Regno Pers. II, 163 sqq. et infra 415. Delrius Stephanum de Urb. laudat Σπαδὰ, οὐδετέρως κώμη Περσικὴ, ἐν ᾗ πρώτης εὐνουχισμὸς γέγονεν.

343. *Lanuginis umbram.* Stat. Theb. IV, 336. Nost. infra XXXI, 42; e Græcis petitum Pind. Olymp. I, 109:

Πρὸς εὐάνθεμον δ' ὅτε φυὰν
Λάχναι νιν μέλαν γένειον ἔρεφον.

344. *Puerili flore*, ut Græci ἄνθος

Arte retardatam Veneri servire juventam.
  Fama prius falso similis, vanoque videri
Ficta joco: levior volitare per oppida rumor,
Riderique nefas, veluti nigrantibus alis
Audiretur olor, corvo certante ligustris.
Atque aliquis gravior morum: « Si talibus, inquit,
Creditur, et nimiis turgent mendacia monstris:
Jam testudo volat, profert jam cornua vultur;
Prona petunt retro fluvii juga; Gadibus ortum
Carmani texere diem; jam frugibus aptum
Æquor, et assuetum silvis delphina videbo;

κούριον. Hanc ætatem describit Homer. Odyss. λ, 318; Petron. 119:
Persarum ritu male pubescentibus annis
Surripuere viros, exsectaque viscera ferro
In Venerem fregere, atque ut fuga mobilis ævi,
Circumscripta mora, properantes differat annos.

246. *Falso.* Heins. conj. *falsæ*, quod Burmannus repudiavit, quum *falsum* sæpius ponatur pro rumore falso.

347. *Levior*, quia falso similis erat, neque ei fides habebatur.

348. *Nefas*, eunuchum consulem esse factum.

349. *Audiretur olor*, id est, audiretur sermo de olore. — *Corvo* subintelligo: de.—*Certante ligustris;* Virgil. Eclog. II, 18, pro: albo.

350. *Atque aliquis* etc. Burmannus comparat Ovid. Met. IV, 187, et Fast. IV, 929. — *Gravior morum*, qui risu et joco illum rumorem non exciperet, sed aliorum levitatem et credulitatem accusaret.

351. *Turgent*, quasi vento inflata, ut *turgida vela* Horat. Od. II, 10, 24. — *Monstris*, incredibilibus, fidem omnem superantibus.

352. Cf. n. ad I, 169 sq.

353, 354. *Prona petunt retro fluvii juga*, recurrunt sursum. Prov. Græc. ἄνα ποταμῶν ἱερῶν. Euripid. Med. 410. Cic. Epist. ad Att. XV, 4. Ovid. Heroid. V, 29 sq. Horat. Od. I, 29, 10 sq. — *Gadibus ortum Carmani texere diem*, id est, mutato cursu in occidente sol oriens, in oriente occidit. *Gadibus*, pro: Hispania, seu Occidente. Dionys. Perieg. 65: ἐσχατόωντα Γάδειρα. Sil. Italic. XVII, 637: *terrarum finis Gades. Carmani.* Dionys. Perig. 1082 sq.
Ἤτοι μὲν παρὰ χεῦμα τὸ Περσικὸν ὠκεανοῖο
Καρμανοὶ ναίουσιν, ὑπ' ἠελίῳ ἀνιόντι.
Cf. Wernsdorf. ad Prisciani Perieg. 604, et 991 sq. Poet. lat. min. t. V, p. I; Avieni Descript. orb. terr. v. 1281; l. c. t. V, pag. II. Eamdem sententiam expressit Noster infra XLI, 13 sq.

355. *Assuetum* et magis respondet τῷ *aptum*, judice Burmanno, et magis exprimit id, quod omnino fieri nequit, quam vulgata lectio *advectum*. Prope similia cecinit Horatius lib. I, Od. 2.

Jam cochleis homines junctos, et quidquid inane
Nutrit, Judaicis quæ pingitur India velis. »

356. *Jam cochleis homines junctas* sc. video. Barthio suspecta est scriptura, quam tamen Mss. constanter servant. — *Cochleæ* hoc loco sunt testæ cochlearum. Sensus quem verba exhibent, hic est : jam videbo homines testis junctos, quas pro domo circumducunt, ut cochleæ. — *Quidquid inane nutrit*, sc. *India ;* quæcumque monstra ficta India nutrit, quæ nusquam sunt, sed quæ ingenia ludibunda excogitarunt et expresserunt.

357. *Judaicis quæ pingitur India velis.* Hæc cum prioribus ita cohærent : Jam videbo quidquid inane nutrit India, quæ pingitur Judaicis velis. *Quidquid inane* jam supra explicatum est. Nunc quæritur, quidnam sit *India ?* Si monstra Indiæ Noster sub *India* intellexit, hic sensus oritur : quidquid inane illa monstra nutriunt, quæ pinguntur velis etc. Huc autem absurdum esse, unusquisque fatebitur. Ponamus autem, *Indiam* h. l. imaginem esse hujus terræ, humana figura expressam, qualis Roma fingitur et Africa, qualesque Italiam, Galliam, Britanniam poeta finxit XXII, et ita Indiam Claverius accepit. Illius Indiæ habitus fictus potuit esse ex moribus gentium Indicarum, ex cæli regionisque natura, ipsaque circumdata monstris illis, quæcumque a Græculorum ingeniis unquam fuerant excogitata. Sensus, qui nunc oritur, non tam absurdus est ille quidem ; verum, quam vim tum habeat *quæ pingitur velis Judaicis*, nemo facile expediet. Fateamur, necesse est, temere illa esse adjecta, quandoquidem de India, forma humana expressa aut picta, non dici potest, *nutrit*. Potest autem *India* esse pictura, regionem Indiæ referens variis monstris, quæ ibi esse perhibebantur, repletam. Velorum aut aulæorum frequentem usum tunc temporis fuisse constat, variis picturis exornatorum. Ars enim in linteo pingendi inventa jam erat sub Nerone. Plin. H. N. XXXV, sect. 33. At videamus de reliquis *Judaicis velis*. Barthius existimat, Claudianum *Judaicis* posuisse pro Babylonicis, quia inter Judæos ars textoria olim floruit, quod Pauli Apostoli exemplo probat, ut Juvenal. VI, 546, *Judæos* pro Chaldæis posuerit. Babylonia autem tapetia sæpe occurrunt. Laudantur Lucret. IV, 1023. et Petron. 55 : *Plumato amictus aureo Babylonico.* Verum magis huc pertinent Martial. VIII, 28, 17 sq. et XIV, 150. Barthio accedit Gesnerus, sed *Judaicis* proprie sumit pro : a Judæis acu pictis seu textis. Judæos enim hac arte insignes fuisse, tabernaculi Mosaici constructionem satis docere, illisque placuisse figuras monstrosas. Hugo Grotius, Heinsio teste, locum corruptum putavit, et pro *Judaicis* legit *Lydiacis.* Ipsi Heinsio olim placuit *Niliacis*, laudatis Plaut. Pseud. I, 2, 14 ; et Martial. l. c. et Ennod. epigr. LI : Omnia Memphitis retinentur secula textis. — Postea autem conjecit *quidquid inane Nutrit in Attalicis quæ pingitur India velis ;* laudat. Cicer. in

Subjicit et mixtis salibus lascivior alter:
« Miraris? nihil est, quod non in pectore magnum
Concipit Eutropius: semper nova, grandia semper

Verrem IV, 12: *Attalica periplasmata;* de iis quoque sermo est apud Propert. II, 23, 46; III, 16, 19; Sil. Italic. XIV, 659 sq. Verum hæ vestes ab auro intexto Attalicæ vocantur, quia ejus rei inventor Attalus rex fuisse dicitur. Plin. H. N. VIII, sect. 74, ex quo loco quoque adparet, non coloribus diversas fuisse, quia statim additur: « Colores diversos picturæ intexere Babylon maxime celebravit, et nomen imposuit. » Cf. eumdem XXXIII, sect. 29. Babylonios autem et Persas nihil pingere aut fingere præter bestias, venationes et cædes auctor est Ammian. Marcellin. XIV, 6: ejusmodi picturam describit Sidon. Apollin. IX, 13. Difficultates hujus loci tollere annisi sunt Cuperus de Elephant. ex. II, cap. 11, p. 240, et Voss. ad Catull. p. 197. Superest, ut meum qualecumque judicium super hunc locum proferam. Hi versus mihi videntur Claudiano indigni esse, immo ne genuini quidem. Quicumque aliquam consuetudinem cum illo poeta contraxit, fateatur necesse est, cum v. 355 hexametrorum continuationem, per quam illa sententia devolvitur, finitam esse. Accedit, quod in illis de iis rebus loquitur, quæ omnino fieri non possunt, aut legibus naturæ plane repugnant; in hoc autem panno adsuto, de monstris tantum sermo est, quæ tamen alicubi inveniri a nonnullis credebantur. Postremo Claudiani in versibus fundendis diligentia, et in rebus designandis elegantia in his duobus versibus ita desiderantur, ut, etiamsi statuas, hoc vel illud verbum a librariis corruptum esse, conjecturis, ut par est, adhibitis, vix ita illi versus restitui posse videantur, ut non melius sit, iis omnino carere.

358. *Mixtis salibus.* Omnia enim fere, quæ ab hoc dicuntur, ita enunciata sunt, ut sub specie honesta sensus lascivus lateat, et Eutropius laudari videatur, quum tamen, re penitius inspecta, omnium bipedum turpissimus describatur. — *Lascivior alter*, qui opponitur illi *morum graviori*, v. 350.

359. *Miraris? Nihil est, quod* etc. Heins. conj. *Mirari nihil est.* Vulgatam Burmannus defendit, laudans nott. ad Phædr. II, 7. Unde putat posse legi: *Miraris? nihil est. Quid non* etc. quod mihi quidem non videtur esse e Claudiani ingenio. — *In pectore magnum* male Barthius in sensum obscenum detorquet, locisque, quæ laudavit, interpretatio ejus nihil adjuvatur. Ambiguitas latet tantum in *magnum*, quidnam illud tandem sit, quum etiam scelus possis intelligere.

360. *Semper nova* ad ingenii sollertiam potest trahi, sed innuitur occulte fastidium varietatem in voluptatibus percipiendis sectans, et vulgaria contemnens. Suetonius in Tib. 43. — *Grandia* eodem sensu, quo adhibetur apud Plaut. Casin. V, 2, 35.

Diligit, et celeri degustat singula sensu.
Nil timet a tergo; vigilantibus undique curis
Nocte dieque patet; lenis facilisque moveri
Supplicibus, mediaque tamen mollissimus ira.
Nil negat, et sese vel non poscentibus offert.
Quidlibet ingenio subigit, traditque fruendum:
Quidquid amas, dabit illa manus: communiter omni
Fungitur officio, gaudetque potentia flecti.
Hoc quoque conciliis peperit meritoque laborum,

361. *Et celeri degustat singula sensu.* Et hoc Barthius de obscœnissimo libidinis genere intelligit; Martial. I, 9, 1; II, 50, 1. Quia novitatem et varietatem semper cupit, et quantum ejus fieri potest, omnem satietatem evitare studet, *celeri sensu* omnia debet et *singula degustare.*

362. *Nil timet.* Recte Barthius: quia cupit. — *A tergo.* Eo sensu, quo accepit Diogenes Cynicus versum Homer. Il. χ, 283, quum moneret puerum formosum in quem dormientem inciderat, ne temere id in posterum faceret. Vid. Diog. Laert. VI, 53. — *Curis*, desideriis amantium. Broukh. ad Propert. I, 10, 17.

363. *Patet*, facilis est aditu. Sed sensu obscœno Ovid. A. A. I, 64, ubi v. Heins. et eumdem ad Ovid. Amor. II, 19, 25. — *Moveri;* Juvenal. II, 21.

364. *Media ira moll. Ira* et *rabies* sæpe libidinem notat, ubi vehementissima est. Horat. Epod. XII, 9. Hinc explicatio est facilis, quum alioquin verba proprie sumpta aperte repugnantiam involvant.

365. Facilitas ejus, qua omnium libidini inservit, describitur.

366. *Quidlibet ingenio subigit.* Lectio sana est, et interpretatio ex sequentibus est petenda. Lenonis dexteritas occulte describitur. Cf. supra 78 sqq. — *Subigere* h. l. videtur esse, lenonis artibus commovere feminam, ut amatori se præbeat; hoc postulat: *traditque fruendum*, (cf. Lucret. IV, 1099 sq.) ei nempe, cujus libidini leno ipse consulit. Alio sensu eadem vox occurrit apud Sueton. in Cæs. 49.

367. *Quidquid amas, dabit illa manus*, eadem sententia est, sed aliter enunciata. Etiam h. l. nescio quid monstri Barthius subodoratur. Sed cf. Ovid. A. A. III, 657 sq. — *Communiter*, una, tecum.

368. *Officio* forsan eodem sensu positum, quo occurrit Ovid. Amor. III, 7, 23 sq. — *Potentia*, casus quartus plur. positus pro: potentem, nempe Arcadium, ut sensus esset ambiguus. Gaudet Arcadium posse flecti a se hujusmodi officiis devinctum, quocumque velit. Barthius singula verba suo more illustrat, parum sollicitus de sententia totius.

369. *Hoc quoque*, consulatum intelligit, ut sequentia docent. — *Conciliis.* Sic Heinsius ex emenda-

Accipit et trabeas argutæ præmia dextræ. »
Postquam vera fides facinus vulgavit Eoum
Gentibus, et Romæ jam certius impulit aures:
« Eutropiumne etiam nostra dignabimur ira?
Hic quoque Romani meruit pars esse laboris? »
Sic effata, rapit cæli per inania cursum
Diva potens, unoque Padum translapsa volatu

tione Alberti Rubenii pro *consiliis*. Cf. not. ad 284 sq. *Conciliis* autem h. l. est: lenonis artibus. Idem laudat Ovid. Amor. I, 13, 42; Remed. Am. 524; Met. I, 710. Conjicit etiam *meritumque laborum* pro: *meritoque laborum*. Mutandæ lectionis causam adeo non video, ut eam conjectura meliorem putem. *Meritoque laborum*, merito ex laboribus, quos suscepit et sustinuit. Hoc ambigue dictum esse, per se patet.

370. *Argutæ præmia dextræ*. Recte Gesnerus ad eunuchi officia hæc traxit, quæ describit Martial. III, 82, 15 sq. obscuritatem tamen loci non omnem sustulit. Solebant domini digitorum crepitu matellas petere ab eunuchis Martial. VI, 81, 1 sq.

Quum peteret seram media jam nocte matellam
Arguto madidus pollice Panaretus.

Cf. eumdem, XIV, 119. Plura dabunt interpp. ad Petron. 27. Inde explicatu facile est, quidnam sit *argutæ præmia dextræ*. Sunt nempe præmia, quæ emeruit, quum semper ad argutam dextram, ad digitorum crepitum, cum matula præsto fuerit, dominoque micturo officium eunuchi præstiterit.

371. *Vera fides*; vide notam ad X, 240.

372. *Impulit aures*. V. n. ad Pers. II, 21. — *Certius*; Heinsius conj. *nuncius*.

374. *Laboris*, ut quatuor Mss. apud Heinsium. Vulg. *doloris*. Recepi prius, quia antecedentis versus sententia iteratur, quod quum fit, semper fere Noster solet verba eligere, quibus major vis inest, quam in iis, quibus eadem jam expressit. *Doloris* post *ira* languidius mihi visum. Armis enim facinus vindicare Roma in animum induxit. V. supra 221; Lucan. VIII, 622, quem locum Burmann. jam citavit.

375. *Rapit cursum*. Drakenbr. ad Sil. Italic. I, 570. — *Cæli per inania*. Rectius putat Heinsius *celerem per inania*, laudato Ovid. Met. II, 506. Addi potest. Sil. Italic. I, 97; X, 151; XIV, 210 et 244; Valer. Flacc. I, 569; Virgil. Æn. XII, 906, ubi *cæli* non additum. Verum apud Lucan. IX, 473, legimus *magni per inania cæli*.

376. *Translapsa* recte Burmannus defendit contra Heinsium, qui mavult *transgressa*, quem sane non fugit, *translabi*, ut *labi*, de volatu avium sæpissime adhiberi; sed movit hunc virum elegantissimum, quod additum est *volatu*, et verum utique est, *transgredi volatu* poni posse pro *translabi*. Sed confer

Castra sui rectoris adit. Tum forte decorus
Cum Stilichone gener pacem implorantibus ultro
Germanis responsa dabat, legesque Caücis
Arduus, et flavis signabat jura Suevis.
His tribuit reges, his obside fœdera sancit
Indicto, bellorum alios transcribit in usus,
Militet ut nostris detonsa Sicambria signis.
Læta subit Romam pietas, et gaudia pæne
Moverunt lacrymas, tantoque exsultat alumno.
Sic armenta suo jam defensante juvenco,
Celsius assurgunt erectæ cornua matri;

etiam XXXVI, 3 et Virg. Æn. V, 216, de columba. Ed.

377. *Rectoris*, Arcadii. Barthius Stilichonem putat intelligi.

379. *Caücis*. Καῦχοι, Καῦκοι, Χαῦκοι apud Græcos. Oceani litora adcolebant, et quidem minores inter Amisium et Visurgim, majores inter Visurgim et Albim. *Chauci* vocantur apud Tac. Germ. 35, ubi situs populi et mores describuntur.

380. *Arduus*, superbus, victorem innuit. Virgil. Æn. IX, 53. Sil. Italic. XVI, 442. — *Signabat jura* non est h. l. fœdus inibat, ut Oudendorp. videtur accipere ad Lucan. III, 302. Sed idem, quod statuere, dictare jura. Sil. Italic. I, 650, id est, leges dare. De fœdere sermo est versu sequenti. — *Suevis*. Cf. VIII, 655. — *Flavis*; VIII, 54.

381. *His fœdera sancit*, cum his fœdera init.

382. *Indicto*, imperato. — *Transcribit* doctius pro: transfert, assumit. De hoc verbo v. Heyne ad Virgil. Æn. V, 750. — *Bellorum in usus*, in milites.

383. *Sicambria*. Cf. supra VIII, 446. — *Detonsa* in signum victoriæ de iis reportatæ, pro: victa, subjugata. Sidon. Apollin. Epist. VIII, 9:

Sic tonso occipiti senex Sicamber,
Postquam victus es, elicis retrorsum
Cervicem ad veterem novos capillos.

V. Savaronium ad eumdem Epist. II, 1; Heins. et Burmann. ad Ovid. Fast. I, 645. Ceterum, utrum poeta hæc finxerit, an Honorius, quo tempore Eutropius consul in imperio Orientali declaratus est, inter Germanos victorem se gesserit, iisque leges dederit ut victis, vix potest ad liquidum perduci. Probabile tamen videtur, Honorium tum de pace egisse cum populis Germanis, et de belli societate, poetamque his rebus ita usum esse, ut Horatium subita Parthorum liberalitate in signis Augusto remittendis, quæ Crasso eripuerant.

384. *Læta pietas*. Caritatis adfectus subiit seu occupavit mentem Romæ deæ, quum videret Stilichonem et Honorium.

387. *Celsius assurgunt erectæ cor-*

Sic jam terribilem stabulis dominumque ferarum
Crescere miratur genitrix Massyla leonem.
Dimovit nebulam, juvenique apparuit ingens.
Tum sic orsa loqui : « Quantum te principe possim,
Non longinqua docent, domito quod Saxone Tethys
Mitior, aut fracto secura Britannia Picto.
Ante pedes humili Franco tristique Suevo
Perfruor, et nostrum video, Germanice, Rhenum.
Sed quid agam? discors Oriens felicibus actis
Invidet, atque alio Phœbi de cardine surgunt
Crimina, ne toto conspiret corpore regnum.

nua matri. Quum rebus inanimis vitam et sensus tribuant poetæ, nescio cur iis non liceat brutis animalibus adfectus humanos tribuere. Non enim quæritur, an hujusmodi aliquid, quod fingant, in rerum natura oculis usurpatum sit, sed num ea, quæ dicant, aperte inter se repugnent. Atque, de quibus nihil liquido constat, de iis semper jus habent non circumscribendum statuendi, quidquid velint. H. l. Noster nihil aliud dicere voluit, quam : mater, seu vacca altius adtollit caput lætitia, quum videat juvencum suum armentum jam defendentem.

389. *Massyla ;* v. supra VIII, 25.

390. *Dimovit nebulam.* Nube enim involuta venerat, ad adventum suum occultandum; nunc apparet nube dimota. Eodem modo Juno apud Sil. Italic. XII, 704 sq. Cf. Heyne in excursu XIII, ad Virg. Æn. I, et Æn. II, 589 sqq.—*Ingens* ad deorum formam pertinet, quæ humana semper est augustior et procerior. Alienus h. l. videtur Horat. Od. I, 2, 31, quem Barthius et Gesnerus in partes vocant; vid. ibi Jani.

392. *Non longinqua* ad tempus spectat, pro : ea, quæ nuper gessisti.—*Saxone ;* cf. n. ad VIII, 31.

393. *Fracto Picto.* VIII, 32.

394. *Franco.* VIII, 447. — *Suevo.* VIII, 653.

395. *Nostrum Rhenum*, populos ad Rhenum adcolentes subactos.— *Germanice.* Titulus ille semper fuit honorificentissimus; vid. Lips. et Ernestius ad Tacit. Annal. I, 31. Hunc poeta suo jure Honorio tribuit; utrum ille Augustulus hoc dignus fuerit, nec ne, non quæramus.

396. *Discors Oriens*, sc. nobiscum, seu cum imperio Occidentali. —*Felicibus actis.* Dissidii causam et originem, quod inter illos fratres intercesserat, ab invidia repetit rerum splendide gestarum, ut Stilichonis auribus velificetur.

397. *Alio de cardine*, i. e. ab alia plaga, ab Oriente.

398. *Surgunt Crimina. Crimen* h. l. est, quod alteri objicitur, jurgii præsertim excitandi causa. Clau-

Gildonis taceo magna cum laude repertam
Perfidiam, et fretos Eoo robore Mauros.
Quam suspecta fames, quantum discriminis urbi!
Ni tua vel soceri nunquam non provida virtus
Australem Arctois pensasset frugibus annum.
Invectæ Rhodano Tiberina per ostia classes,
Cinyphiisque ferax Araris successit aristis.
Teutonicus vomer, Pyrenæique juvenci
Sudavere mihi: segetes mirantur Iberas
Horrea, nec Libyæ senserunt damna rebellis
Jam Transalpina contenti messe Quirites.
Ille quidem solvit meritas, scit Tabraca, pœnas,
Ut pereat, quicumque tuis conflixerit armis.
Ecce repens isdem clades a partibus exit,

dianus obscure loquitur, et sine dubio de industria. Nam si annalium scriptoribus fides habenda est, et nescio sane, cur Gibbon, Anglus celeberrimus, Zosimo tantum deroget; neque Stilicho solebat opportunitati deesse ad turbandas res Orientis. Remoto Rufino Eutropius, solus resistere poterat Stilichonis consiliis; alter alteri solebat negotia facessere, suspiciones serere, suumque Augustum contra alterius exacerbare, odiisque mutuis excitandis suam potentiam augere et confirmare.—*Toto corpore.* V, 288. Sensus: ne totum imperium velut unum corpus etiam uno consilio regatur. Sæpius dicit Claudianus, hoc Theodosium voluisse.

399. *Repertam;* vid. supra 88. Heins. conj. *repressam.*

400. *Eoo robore.* Zosim. V, 11, aperte accusat Eutropium, instigasse Gildonem, ut averteret Africam ab Honorio, memoratque, Gildonem præ se tulisse, facere se id, Arcadii nomine ejusque fiducia.

401. *Quam suspecta fames*, navibus nempe frumentariis a Gildone retentis; v. ad XV, 27.

403. *Annum;* v. ad XV, 57.—*Arctois frugibus* explicatur sequentibus.

405. *Cinyphiis;* v. ad XV, 9, et Ovid. ex Ponto II, 7, 25.

406. *Pyrenæique*, Hispanici. De monte *Pyrene* v. Sil. Italic. III, 415 sqq.

410. *Tabraca*, urbs Numidiæ maritima. Ptolem. IV, 3, Θάβρακα. Plin. Hist. Nat. V, cap. 3, vocatur *Tabracha.* Ad eam urbem periisse Gildonem Noster commemorat inf. XIX, 71, et XXI, 358.

411. *Ut pereat* non videtur h. l. optantis esse, sed comparandi vim habere. Burmannus posuit distinctionem maximam post *pœnas*, et post *armis* exclamandi signum.

412. *Isdem a partibus*, ab Oriente:

Terrorisque minus, sed plus habitura pudoris,
Eutropius consul: pridem tolerare fatemur
Hoc genus, Arsacio postquam se regia fastu
Sustulit, et nostros corrupit Parthia mores.
Præfecti sed adhuc gemmis, vestique dàbantur
Custodes, sacroque adhibere silentia somno.
Militia eunuchi nunquam transgressa cubile,
Non vita spondente fidem; sed inertia tutum
Mentis pignus erat: secreta monilia servent,
Ornatus curent Tyrios; a fronte recedant
Imperii: tenero tractari pectore nescit

isdem spectat ad id, quod Roma dixit v. 399 sq.—*Clades.* Quid sub hac voce intelligatur, versus sequens ostendit. Unus Ms. apud Heins. *clades ab eisdem partibus.*

415. *Arsacio.* VIII, 216.—*Regia;* Constantinopolim intelligit. Sed longe ante imperii Orientis initium, eunuchi ab Imperatoribus suscepti sunt, Parthicoque luxu aula corrupta fuit. Claudius, ut hoc utar, Posiden spadonem præcipue dilexit, quem etiam Britannico triumpho inter militares viros hasta pura donavit: Suetonius, in Claud. 28; Juvenalis, XIV, 91.

418. *Sacroque adhibere silentia somno.* Delrius ait, eunuchos fuisse in aula Constantinopolitana *Silentiarios*, qui cæterorum servorum murmur cohiberent, de quibus v. Jacob. Gutber. de Officiis domus Aug. III, 29, et Cod. Theodos. I, 4 et 5, C. de Silentiariis et Decurionibus eorum. *Sacro.* Omnia enim quæ ad Imperatores pertinebant, *sacra* vocabantur.

419. *Militia* officiorum laborumque omne genus tunc complectebatur; v. Jacob. Gothofred. ad I, 63; Cod. Theod. t. 4, p. 437, de Decurionibus. Sensus: eunuchi officia omnia in cubiculo Imperatoris peragunt ur.

420. *Non vita.* Quum *vita* opponatur *inertiæ*, esse debet: res ante gestæ. Sensus est: eunuchis fides habebatur, non ob res ante gestas, quibus quasi spopondissent, se semper fore strenuos, et in fide mansuros, sed ut quisque inertissimus erat et ignavissimus, ita ei maxime fides habebatur: hoc enim erat quasi pignus mentis nihil novi molituræ.

422. *Fronte.* Omnis pars anterior alicujus rei *frons* ejus dicitur. *A fronte imperii recedant* est itaque: ab ejusmodi muneribus recedant, quibus respublica administratur, quæque omnium oculi in se convertunt. Nostrates: *sie mögen weichen von der Spitze der Geschäfte.*

423. *Tenero pectore* pro, a mollibus et effeminatis, quales eunuchi sunt, qui cum virilitate omnem mentis ardorem vimque masculam amiserunt.

Publica majestas: nunquam vel in æquore puppim
Vidimus eunuchi clavo parere magistri.
Nos adeo sperni faciles? orbisque carina
Vilior? Auroram sane, quæ talia ferre
Gaudet, et assuetas sceptris muliebribus urbes
Possideant. Quid belliferam communibus urunt
Italiam maculis, nocituraque probra severis
Admiscent populis? peregrina piacula forti
Pellantur longe Latio, nec transeat Alpes
Dedecus: in solis, quibus exstitit, hæreat arvis.
Scribat Halys, famæ scribat contemptor Orontes.
Per te, perque tuos obtestor, Roma, triumphos,

424. *Publica majestas* est imperii majestas, imperium.

426. *Orbisque*, imperii Orientis; XX, 585.—*Carina*, Gesnerus h. l. et in multis aliis ad vivum omnia nimium resecat. Quærit enim, quodnam mare sit, in quo illa *orbis carina* fluctuet? Rempublicam cum navigio comparari res vulgaris est apud poetas; imperium autem romanum eum orbe terrarum libenter confuderunt adulatores imperatorum. Facile igitur poterat Claudianus, cui omnia vulgaria et trita sordere videntur, ad illam hyperbolen deferri, præsertim quum exspectare posset, fore, ut lectores non ad propriam vim hujus vocis, sed potius ad eam rem, ad quam illa translata est, attenderent.

427, 428. *Auroram*, Orientis regiones. — *Talia*, eunuchorum imperia.—*Ferre gaudet*, libenter fert. —*Sceptris muliebribus;* vid. supra ad v. 321 sq.

429. *Urunt*, velut stigmatibus.—*Communibus urunt maculis*, id est, turpitudinem illam eum Italia, seu imperio Occidentali communicant.

430. *Nocitura.* Eunuchum consulem esse factum portentum maxime dirum dixit, quo futura aliqua clades nuncietur. Quæ ne cum imperio Occidentis communicaretur, ipsum portentum avertendum erat; cf. supra v. 11 sq. *Nocitura* igitur *probra* vocantur, quia calamitatem, quam portendunt, communicatura sunt.—*Severis* opponitur mollibus et assuetis sceptris muliebribus.

433. *Quibus exstitit*, ortum est dedecus. Heins. frustra conj. *exiit.*

434. *Halys;* videatur ad V, 32.—*Scribat*, sc. nomen Eutropii consulis in fastis.—*Orontes;* v. n. ad V, 35; cf. Juvenal. III, 62. Fluvii positi sunt pro regionibus suis, Phrygia et Syria, quæ potissimum per hominum mollitiem moresque corruptissimos insignes erant. Inde quoque *Orontes* h. l. *famæ contemptor* vocatur. De Antiochiæ luxu vide Herodian. II, 7, 15.

435. *Roma.* Nominat se ipsa, ut, quæ loquendo precatur, ipso nomi-

Nesciat hoc Tibris, nunquam poscentibus olim
Qui dare Dentatis annos Fabiisque solebat.
Martius eunuchi repetet suffragia campus?
Æmilios inter, servatoresque Camillos
Eutropius? jam Chrysogonis tua, Brute, potestas,
Narcissisque datur? natos hoc dedere pœnæ
Profuit, et misero civem præponere patri?
Hoc mihi Janiculo positis Etruria castris
Quæsiit, et tantum fluvio Porsenna remotus?
Hoc meruit vel ponte Cocles, vel Mucius igne?
Visceribus frustra castum Lucretia ferrum
Mersit, et attonitum tranavit Clœlia Tibrim?

ne majorem auctoritatem habeant.

436. *Tibris.* Populum romanum in campo Martio collectum intelligit, ubi olim comitia centuriata consulibus creandis habebantur.

437. *Dentatis.* Caio Curio Dentato ter, Fabio Cunctatori quinquies consulatus non petentibus datus est.

438. Sententia: Imperium Occidentale agnoscet illum consulem? ex antiquo more expressa est, quo adhuc consules per populi suffragia in campo Martio creabantur. Quum autem alter consul Romæ, alter Constantinopoli crearetur, necesse erat, ut qui Romæ creatus esset, ab imperio Orientali, qui Constantinopoli, ab Occidentali agnosceretur. Illud autem *agnoscere* antique expressum est per: *repetere suffragia.*

439. *Æmilios.* Paulum Æmilium intelligit, qui ad Cannas cæsus est. —*Inter*, sc. numerabitur, censetur.

440. *Chrysogonis*, Sullæ liberti, de cujus potentia multa conqueritur Cicero in oratione pro Roscio Amerino.

441, 442. *Narcissisque. Narcissus* Claudii Imperatoris erat libertus, eique erat ab epistolis; Sueton. in Claud. 28. Opulentissimum tradunt fuisse, et apud Principem gratiosissimum: Juvenal. XIV, 328 sqq. Dio Cass. LX, pag. 688. C. Νάρκισσος μέγιστον τῶν τότε ἀνθρώπων δυνηθεὶς· μυριάδας τε γὰρ πλείους μυρίων εἶχε, καὶ προσεῖχον αὐτῷ πόλεις καὶ βασιλεῖς. Cæterum Junium Brutum appellat Tarquiniorum expulsorem, primumque consulem. — *Hoc dedere profuit*, id est, hæc est utilitas, quam capimus ex eo, quod dedidisti etc. Res ipsa satis nota est ex Liv. II, 4 sq.—*Misero*, qui filios illo supplicio amiserit. Sensus: et quod civis officium, ex quo reipublicæ consulendum est privatis utilitatibus neglectis, præponeres caritati patris, qui liberos suos salvos vult.

444. *Porsenna;* v. n. ad XV, 123.

445, 446. *Cocles;* v. n. ad VIII, 406.— *Mucius;* v. ibidem.— *Lucretia*, cf. Liv. I, 58 sq.

447. *Clœlia*, una ex obsidibus

Eutropio fasces adservabantur adempti
Tarquiniis? quemcumque meæ vexere curules,
Laxato veniat socii spectator Averno.
Impensi sacris, Decii, prorumpite bustis,
Torquatique truces, animosaque pauperis umbra
Fabricii, tuque o, si forte inferna piorum
Jugera, et Elysias scindis, Serrane, novales.
Pœno Scipiades, Pœno præclare Lutati;

Porsennæ datis, frustrata custodes in equum insiliit, Tiberimque transnavit; Liv. II, 13; Sil. Italic. X, 492 sq. Heinsius ita legi vult: *Merserit? attonitum tranavit Clœlia Tibrim?*

449, 450. *Quemcumque.* Omnes invitat, qui consulatum gessere, ut relictis inferis, videant, quem socium honoris acceperint.—*Vexere* inde fortasse natum, ut existimat Gesnerus, quod sella curulis proprie erat ἁρμάτιος, in qua, in currum imposita, sedentes veherentur. Mihi quidem Noster recentiores ritus respexisse videtur; confer. not. ad VIII, 565 sqq.—*Socii spectator.* Heinsius probavit *socium aversatus*, quod Burmannus recepit. Sic autem ratio non indicatur, cur veniant.

451. *Impensi sacris, Decii, prorumpite bustis. Bustum* h. l. est sepulcrum; id *sacrum* appellatur, quod corpus sacrum seu devotum continebat; v. quæ laudat Bronkh. ad Propert. III, 9, 64. Burmannus ad *impensi* quærit: cui rei? an sacris? sed hoc cum bustis nisi jungatur, ambiguam facit sententiam; nec quibus sacris se impenderint, scio. Devoverunt se, non propter sacra polluta, aut simile quid; sed ut morte sua servarent patriam. Hactenus ille. Gesnerus ad *sacris* subintelligit, sacrificiis; Deciosque ait se tamquam hostias pro publica salute sacris devotionis impendisse. Equidem jungo *impensi* cum *sacris bustis*, quod explico: impensi morti devotæ. Burmannus conj. *Impensi patriæ, Decii, prorumpite bustis.* Hoc autem non indicat, Decios se devovisse pro patria: *impensi* enim *patriæ* omnes ii dici possunt, qui pro patria mortem occubuerunt, quod præter Decios, a multis factum est. Ed. Vicet. habet *infensi*; quæ lectio mihi non spernenda videtur. Cæterum de voce *impendere* v. Burmann. ad Valer. Flacc. IV, 581: idem laudat Lucan. II, 382; Nostr. XVII, 66.

452, 453. *Torquati*; v. not. ad VIII, 403.—*Fabricii*, ad III, 201; VIII, 412.

454. *Serrane*; III, 203; VIII, 415.—*Elysias scindis*, etc. Eadem studia, quæ vivis fuissent, etiam in mortuis manere credebant veteres. Virgil. Æn. VI, 653, omnia ad studia antiquæ vitæ traxit secutus Pindarum, cujus fragmentum vid. in Threnis, p. 31, t. III, ed. Heyne. Occupationem umbrarum ad sui temporis negotia revocat Ovid. Met. IV, 443 sqq.

455. *Scipiades* pro, Scipio. Incertum, utrum Scipionem Africa-

Sicania, Marcelle, ferox, gens Claudia surgat,
Et Curii series; et qui sub jure negasti
Vivere Cæsareo, parvo procede sepulcro,
Eutropium passure, Cato: remeate tenebris
Agmina Brutorum, Corvinorumque catervæ.
Eunuchi vestros habitus, insignia sumunt
Ambigui Romana mares: rapuere tremendas
Hannibali Pyrrhoque togas; flabella perosi

num majorem an minorem intellexerit. — *Lutati.* Fuit C. Lutatius Catullus, qui A. U. 512 splendidam victoriam reportavit de classe Carthaginiensium, ad insulas Ægatas, inter Siciliam et Africam sitas. Polyb. I, 60 sq. Flor. II, 2. Sil. Italic. VI, 684 sq.

456. *Marcelle.* Marcus Claudius Marcellus, Syracusarum victor. Liv. XXV, 24. — *Gens Claudia* et antiquissima et nobilissima erat, acerrimaque, ut ex Livio satis notum est, patrum propugnatrix.

457. *Et Curii series.* Heins. laudat Nostr. VIII, 20 sq. et XXIX, 56; Lucan. IV, 823. Sub *Curio*, qui hic nominatur, auctor gentis intelligendus est, ut *Curii series* pro *gente Curia* dictum sit. *Veteres*, quod plerique Mss. apud Heins. habent, procul dubio glossa est, qua indicare voluit ejus adscriptor, sub *Curii series*, veteres Curios esse intelligendos. Difficultatem facit, quod præter illum Dentatum, vix alios Curios rerum gestarum annales suppeditant, quos commemorare Noster h. l. potuisset. — *Jure*, ditione, regno.

458. *Parvo sepulcro.* Exstat Varronis epigramma apud Scholiast. ad Pers. II, 36:

Marmoreo Licinus tumulo jacet; at Cato parvo,
Pompeius nullo. Quis putet esse Deos?

Aliud epigr. apud Pythœum, III, 87 laudavit Burmann.

Ne mirere sacri deformia busta Catonis:
Visuntur magni parva sepulcra Jovis.

At Plutarchus in Cat. min. c. 71, t. V, ed. Hutt. κοσμήσαντες δὲ τὸ σῶμα (Κάτωνος) λαμπρῶς, καὶ πομπὴν ἐπιφανῆ παρασχόντες, καὶ θάψαντες παρὰ τὴν θάλασσαν, οὗ νῦν ἀνδριὰς ἐφέστηκεν αὐτοῦ ξιφήρης etc.

459. *Eutropium passure, Cato.* Acerba est comparatio eunuchi mollissimi cum duce fortissimo; conf. Lucan. IX, 1075 sq.

460. *Brutorum*, qui semper fuerant libertatis vindices. — *Corvinorumque.* Posteri M. Valerii M. F. Corvini seu Corvi, qui ex pugna cum Gallo cognomen consecutus est. Liv. VII, 26. Valer. Max. VIII, 15. Gell. IX, 11.

462. *Ambigui mares*, eunuchi.

463. *Togas.* Togarum mentionem intempestivam esse dicit male Burmannus, quum paludati essent Imperatores. Verum *toga* insigne erat populi romani. Forsan dicere Noster vult, eunuchos jam in eam civitatem recipi, quæ tremenda fuit Hannibali et Pyrrho. Confer. infra ad versum 491, *vestitus meos.* —

Adspirant trabeis : jam non umbracula tollunt
Virginibus, Latias ausi vibrare secures.
Linquite femineas, infelix turba, latebras,
Alter quos pepulit sexus, nec suscipit alter;
Exsecti Veneris stimulos, et vulnere casti;
Mixta duplex ætas; inter puerumque senemque
Nil medium : falsi complete sedilia patres.
Ite, novi proceres, infecundoque senatu
Eutropium stipate ducem, celebrate tribunal
Pro thalamis; verso jam discite more curules,

Flabella; vide ad versum 109 supra.

464. *Umbracula*; v. ad VIII, 341. — *Tollunt* omnes fere Mss. cujns *gestant* interpretamentnm esse videtur.

465. *Vibrare secures. Vibrare* rem is dici potest, qui rem aliquam fert, splendorem emitteutem motn ipso tremulnm. Consnl antem h. l. dicitur *vibrare*, quum ipse non sine lictoribus, fasces cum secnribus præfereotibus, cogitetur.

466. *Linquite.* Gesnerus existimat, Nostrum ideo plurium nnmero adloqui eunuchos, quia videatur illos Eutropii exemplum erexisse, ut similia et ipsi sperareot, eos præsertim, qui ob id ipsum se exsecari cnrasseut, ut sic felicius in aula Theodosii procederetur.—*Femineas latebras*, gynæcea.

467. *Alter quos* etc. Prudent. περὶ στεφαν. X, 1073. *Mas esse cessat ille, nec fit femina.*

468. *Exsecti Veneris stimulos;* supra, 49 sqq. — *Vulnere ;* ergo uon sponte.

469. *Mixta duplex ætas.* Id est, ætas senilis subseqnitur statim ætatem puerilem, nt in seqneotibus illa verba explicantnr. Virilis nempe ætas idonea est ad libros procreandos, quæ fscultsş qunm nulla sit io eunucho, etiam ætate virili caret, atque ex ætate puerili statim ad senectutem transit : « Postrema multitudo spadonum a senibus io pueros desioens, obluridi, distortaque lineamentornm compage deformes etc. » Ammian. Marcell. XIV, 6.

470. *Falsi patres* pro : patrès falso ita dicti. Sensus : fite senatores. Eunuchi pstres familiæ nunquam fieri possunt : quum sutem, ut senatorès, vocentur patres, nomeo iis imponitur, quod naturæ illorum repugnat.

472. *Celebrate tribunal*, i. e. frequentate cum jurisdiceodi causa, tnm concionis adloquendæ. Sic Gesnerus. Sed h. loco est : frequentate tribnoal, in quo consul eunuchus sedet.

473. *Verso jam discite more curules, . . sequi.* Et hoc Gesnerus ita explicat : Præfertur curuli magistratui curulis sella, et ubi is imperat, ponitur; sequitur is ergo curules suss, ut sns imperator signa. Sed mibi videtur de pompa sen processione cousulari sermo esse. Poeta eunuchos exhortatur,

Non matrum pilenta sequi. Neu prisca revolvam,
Neu numerem, quantis injuria mille per annos
Fit retro ducibus! quanti fœdabitur ævi
Canities! unam subeunt quot sæcula culpam!
Inter Arinthæi fastus et nomen herile
Servus erit, dominoque suos æqualis honores
Inseret. Heu, semper Ptolemæi noxia mundo
Mancipia! en alio lædor graviore Pothino,

ut consulem in sella curuli portatum prosequantur. Hoc ex sequenti adparet.

474. *Matrum pilenta.* Pilentis, genere quodam vehiculorum, utebantur matronæ in pompa ad ludos, vel sacra; jam antiquo tempore. Vid. Tit. Liv. V; 25; Virgil. Æneid. VIII, 665 sq.

475, 476. *Numerem*, scil. prisca, id est, singulos prisci ævi viros recenseam, quibus injuria fiat hujusmodi consulis electione. Nihilominus tamen hoc jam satis superque factum est in superioribus, ita ut h. l. non brevitati studuisse, sed nominum novorum defectu ad hanc orationis figuram compulsus esse poeta videatur. Locus fortasse corruptus est. Equidem Heinsium sequutus sum, qui pro *Sit* conj. *Fit*. —*Injuria.* Dignitas enim consularis quasi infamia adspersa est, quum eunuchus eam obtineat, illaque infamia ad omnes consules pertinet, quotcunque fuerint; injuria igitur omnes adficiuntur. Cf. infra 484. —*Quanti ævi* pro: quam longi ævi. —*Canities* non solum antiquitatem, sed etiam venerationem involvit. *Quanti ævi canities* positum est pro: quam multi consules antiqui et venerandi.

477. *Sæcula* idem notat. — *Culpam unam* pro: culpam seu turpitudinem unius. Cæterum Gesnerus ita locum accepit, quasi Roma de se loquatur, quæ supra mille annos vixerit. Quo factum est, ut *canitiem* quoque ad illam traheret. Verum Roma non anus fingitur, sed, ut dea, est ἀθάνατος καὶ ἀγήραος. — *Subeunt.* Alii *subeant.*

478. *Arinthæus* consul fuit cum Modesto A. C. 372 ex Relandi rationibus. Eutropius igitur XXV annis post consul fuit. Conf. supra 63. —*Fastus* i. q. fastos sc. consulares. —*Inter fastus Arinthæi*, inter fastos consulares, in quibus Arinthæi consulis nomen legitur. — *Et nomen herile*, in quibus fastis nomen ejus legitur, cujus servus olim Eutropius fuit.

479, 480. *Inseret*, scil. fastis. — *Honores æquales domino*, i. e. domini honoribus. —*Ptolemæi.* Supra, v. 61, inter dominos Eutropii is vocatur. Intelligit autem Noster nomen *Ptolemæi* in universum, non quatenus certam personam designat. Servos Ptolemæi semper noxios fuisse, exemplo illustrat a Ptolemæo, Ægypti rege, sumpto, cujus pueri nutricius fuit eunuchus Pothinus, qui Achillæ manu

Et patior majus Phario scelus: ille cruorem
Consulis unius Pellæis ensibus hausit;
Inquinat hic omnes. Si nil privata movebunt,
At tu principibus, vestræ tu prospice causæ,
Regalesque averte notas: hunc adspicit unum
Aula magistratum; vobis patribusque recurrit
Hic alternus honos. In crimen euntibus annis
Parce, quater consul: contagia fascibus, oro,
Defendas ignava tuis; neu tradita libris
Nomina, vestitusque meos, quibus omne, quod ambit
Oceanus, domui, tanta caligine mergi
Calcarique sinas. Nam quæ jam bella geramus
Mollibus auspiciis? quæ jam connubia prolem,

Pompeium interfecerat. Cæs. de B. G. III, 108. Lucan. X, 103 sq.

482. *Phario* sc. scelere. Pompeii cædem intelligit.

483. *Pellæis ensibus;* VIII, 375. Reges Ægypti erant nempe successores Alexandri Magni regis Macedoniæ.

484. *Hic*, Eutropius.—*Privata*, privatæ causæ consulum antiquorum. *Privati* etenim omnes sunt in libera republica præter magistratus, et in regno omnes præter principem.

485. *Vestræ.* Sic infra v. 487 dicit *vobis patribusque.* — *Vestræ causæ* explicandi gratia *principibus* additum. Vulg. *nostræ*, quo declarat Roma, causam principum cum sua arcte conjunctam esse. Ex vestigiis unius Ms. Burmannus conj. *nostræ tu consule ceræ*, ut tabula intelligatur, in quam nomina magistratuum referebant. Conf. infra XX, 92.—*Prospice.* Heins. mavult *consule.*

486. *Regales notas*, ignominiam, qua adficiuntur reges seu principes turpitudine hujusmodi collegæ.—*Averte;* cf. XV, 430; XXVI, 561 sqq.—*Adspicit.* Interdum *adspicere* idem est, quod respicere, rationem habere alicujus, dignari aliquem. Virgil. Æn. II, 690.

487, 488, 489. *Vobis patribusque recurrit Hic alternus honos;* i. e. vos et patres hoc honore, consulatu, per vices fungimini. — *In crimen euntibus annis Parce.* Pro consulibus *anni* positi sunt, quorum sunt anni, quum nomen eorum gerant. — *In crimen ire* pro: subire turpitudinem, probrum. Sensus: consule, seu vide, ne futuri consules probro adficiantur, quando dici possit, dignitatem eorum ab eunucho esse contaminatam.

490. *Ignava*, ignavi hominis, eunuchi.

491. *Vestitusque meos*, insignia consularia forsan intelligit.

494. *Mollibus auspiciis*, i. e. mollis hominis. Conf. n. ad VII, 88.—Pro *jam* Heins. mavult *tam.*—*Quæ*

Vel frugem latura seges? Quid fertile terris,
Quid plenum sterili possit sub consule nasci?
Eunuchi si jura dabunt, legesque tenebunt,
Ducant pensa viri, mutatoque ordine rerum
Vivat Amazonio confusa licentia ritu.
Quid trahor ulterius? Stilicho, quid vincere differs,
Dum certare pudet? nescis, quod turpior hostis

jam connubia prolem. Ab auspiciis consularibus omnia secunda et adversa pendere, quæcumque eo anno populo romano acciderent, credebantur. Qunmque in omnibus principiis omen inesse homines putabant, tum quoque in auspiciis consulum, quasi annus ipse, qui consulum nominibus insigniebatur, eorum etiam naturam indueret. Quamobrem neque proles numerosa, neque agrorum fertilitas sperari poterat eo anno, cui nomen dedisset eunuchus, ex quo nihil nasci possit.

496. *Quid plenum*, maturum, gravidum explicat Barthius. Burmann. ad Ovid. Met. II, 804, cui nihil deest. Respicere poetam existimat consulem mancum ac certa corporis parte debilem. Sed *plenum* ex opposito *sterili* explicandum est.

497. *Jura dabunt*, ut Virg. Æn. I, 293. — *Legesque tenebunt*, i. e. tenebunt curam legum, ut observentur ab omnibus, neque auctoritatem suam amittant.

498. *Ducant pensa. Fila ducere* pro, nere Ovid. Met. XIV, 264 sq. *Data pensa trahere* apud eumdem sæpius occurrit, e. g. Heroid. III, 75. Cf. Tibull. II, 1, 61 sqq.

499. *Vivat confusa licentia. Confusam licentiam* vocat, qua rerum ordo invertitur, atque hoc explicatur adjecto *Amazonio ritu*, quo imperium penes mulieres est. Stat. Achill. I, 352 sq. quem locum Heins. laudat. Idem notat in duobus Mss. legi *sistro*, quam lectionem vehementer probare videtur. Provocat ad Isidor. II, 21, fine; cui addi possit ejusdem XVIII, 4, ubi memoratur, Amazonas in bello sistris usas esse. Bene autem Gesnerus animadvertit ex Petito de Amazon. c. 27, p. 199, Isidorum forsan hausisse ex Virgiliana Cleopatræ descriptione, Virg. Æn. VIII, 696. Hoc certum est, nusquam ab iis, qui mores et ritus Amazonum accurate descripserunt, hujus rei mentionem fieri.

500. *Quid trahor ulterius?* id est, quid trahitur mea spes aut exspectatio ulterius? quid differs spem meam? Huic interpretationi convenit illud *Annuis* v. 504. Confer. XXIX, 31.

501, 502. *Pudet;* quidam Mss. *fugit*, quod Heins. probat. Prius h. l. accommodatius puto. Subintellige: virum cum eunucho.—*Nescis, quod turpior hostis Lætitia majore cadit.* De grammatica ratione nimis anxius videtur Gesnerus, qui conj. *nescis? quo turpior hostis* est, eo *Lætitia majore cadit.* Cæterum ad sententiam illustrandam adposite laudat Cic. ad Famil. Epist. VII, 2. Omnes

Lætitia majore cadit? piratica Magnum
Erigit, illustrat servilis laurea Crassum.
Annuis: agnosco fremitum, quo palluit Hebrus,
Quo Mauri Gildoque ruit. Quid Martia signa
Sollicitas? non est jaculis hastisve petendus.
Conscia succumbent, audito verbere, terga.
Ut Scytha post multos rediens exercitus annos,
Quum sibi servilis pro finibus obvia pubes
Iret, et arceret dominos tellure reversos,
Armatam ostensis aciem fudere flagellis.
Notus ab inceptis ignobile reppulit horror
Vulgus, et adductus sub verbera torpuit ensis. »

enim homines turpi hoste prostrato lætantur, neque quisquam est, qui misericordia dignum eum putet.— *Piratica*; conf. Flor. III, 6; Cic. de lege Manil. 11. — *Magnum*, Pompeium, ut semper fere vocatur a Lucano.

503. *Erigit*, immortalem gloriam conciliavit.—*Servilis laurea*, victoria de servis, quos Crassus armis compescuit. Flor. III, 20.

504. *Fremitum*; v. n. ad VIII, 24. — *Hebrus* vulg. *Eurus*. De populis Orientis sermo esse non potest, sed de Thracibus, vicino populo, et motibus frequentibus agitato; v. Burmann. ad Virgil. Æn. I, 317.

506. *Sollicitas*, moves. Ovid. Met. XI, 169 sq. Poeta ait, Eutropium non pro hoste habendum, contra quem armis pugnandum sit, sed eadem ratione tractandum, qua Scythæ olim servos suos in suam ditionem redegerint. Rem narrat Herodot. IV, 1 sqq. Narrationem corruptam esse apud Justin. II, 5, putat Gesnerus.

507. *Conscia*, sc. conditionis suæ servilis. — *Terga* cum delectu pro servis ipsis. Tergis plagas sustinere solent servi: audito igitur verbere ex longa consuetudine terga præbebunt. Paneg. Vet. XII, 30, 5: « Nam si olim domini, adversum rebelles servos dimicaturi, flagra in aciem detulerunt, tantaque vis conscientiæ fuit, ut ab inermibus verterentur armati, et qui obtulerant mortibus pectora, darent terga verberibus etc. » Cf. 512 sq.

508. *Scytha exercitus*. De hac loquendi forma exquisitiore et satis obvia exemplorum copiam congessit Ruperti in VV. LL. ad Sil. Italic. I, 252.

509. *Servilis pubes*, quam Thracum mulieres, absentibus viris, re cum servis habita, ediderant.

513. *Adductus ensis*. Jam ad feriendum sublatus. Gesnerus laudat Ovid. Fast. I, 575 sq. Trist. IV, 2, 5 sq. Burmannus addit loco cit. VII, VI, 1, 5; Stat. Thebaidos libr. 545 sqq.

XIX.

CL. CLAUDIANI

DE LIBRO II

IN EUTROPIUM

PROLOGUS.

ARGUMENTUM.

Illudit poeta Eutropio de potentiæ fastigio, quod malis artibus occupaverat, subito dejecto, et in servitutem rursus redacto, inque ipso suo consulatu in exsilium acto; 1—10. Omine infausto nunc liberatos esse populos, Eutropiique consulis nomen e fastis erasum; ipsum cum sua factione non bello, ut viros, sed una litera concidisse; 11—22. Ejectum et nequidquam lamentantem servum a dominis veteribus vindicari, non in usum, sed in pœnam; 23—32. Ridet porro solitudinem Eutropii nescientis, quo se vertat; ridet ejus somnia, qui aliis, non ipsi, profuerint, ejusque pristinam cum amica quadam consuetudinem; 33—44. Vitam, pergit, ei salvam fore, ut omnes abjectam conditionem ejus videant, quem tam diu timuerint. Miratur quod amissas Eutropius opes lugeat, quas tamen Arcadius acceperit, exsiliumque in Cypro insula, quum nullum sibi locum securum reliquerit. In hoc quieti ejus provisum esse, cujus desiderio senatus Constantinopolitanus teneatur; 45—58. Adfirmat, Venerem libenter esse excepturam famulum suum, cujus moribus insula hæc aptissima sit; 59—66. A Tritonibus tamen et ventis

se illi timere ait, ne eum vel in cursu detineant, vel mari obruant, Cyprusque eunuchi suffragio inclarescat, quem nullus delphinus sit servaturus; 67—74. Monet tandem eunuchos ejus exemplo, ut a simili vecordia abstineant.

QUI modo sublimes rerum flectebat habenas
Patricius, rursum verbera nota timet,
Et solitos tardæ passurus compedis orbes,
In dominos vanas luget abisse minas.
Culmine dejectum vitæ fortuna priori
Reddidit, insano jam satiata joco.
Scindere nunc alia meditatur ligna securi,

1. *Rerum habenas;* v. n. ad X, 308.

2. *Patricius;* v. n. ad XVIII, 109. —*Patricii* dignitas amplissima, non nisi cum vita adimi poterat; sed secus accidit in Eutropio. — *Nota*, quæ sæpe servus erat expertus.

3. *Tardæ*, quæ tardos facit, quibus injecta est. — *Orbes. Annulos* vocat joco Martial. III, 29, et XI, 38, 2 sqq.

4. *In dominos.* Gesnerus intelligit cum Barthio dominos Eutropii priores, quos infinitos habuisse dicitur. Cf. supra XVIII, 60 sq. Possis autem Stilichonem et reliquos ejusdem ordinis viros intelligere, quibuscum inimicitias exercuit, quorumque interitum moliri ausus est. — *Vanas*, quæ eventum habuere nullum.

5, 6. *Vitæ priori*, servituti. — *Insano joco;* v. n. ad XVIII, 24 sq.

7. *Scindere nunc alia meditatur ligna securi.* Gesnerus exponit: exercet se, tentat scindere ligna, licet infeliciter, ut Claudianus sibi constet. Cf. supra XVIII, 127. Verum cavendum est, ne poetas ad historicorum leges revocemus, nec postulandum, ut singula verba nobis ad dialectices stateram adpendant. Illic descripsit eunuchum vetulum, ad graves labores ferendos ineptum; hic tantum ludit in voce *securi*, ut exprimat, consulatum cum servili conditione eum subito commutasse. In qua sententia efferenda utitur *securi*, quæ et consulis insigne est, et instrumentum servi, ita tamen, ut, quæ consulis jussu fierent, ei adsignet. Ait, illum *nunc meditari scindere securi alia ligna; alia*, non ea ligna, seu virgas, quas pararent et expedirent lictores, quando in aliquem, jussu consulis, animadvertendum esset. In ipso *meditari* etiam quum de homine dicatur, qui in summo rerum fastigio magna animo consilia volverat, nunc autem ad conditionem servilem et ad servilia opera detrusus sit, non parva vis latere videtur.

Fascibus et tandem vapulat ipse suis.
Illatas consul pœnas se consule solvit ;
Annus qui trabeas, hic dedit exsilium.
Infaustum populis in se convertitur omen :
Sævit in auctorem prodigiosus honos.
Ablato penitus respirant nomine fasti,
Maturamque luem sanior aula vomit.
Dissimulant socii, conjuratique recedunt;
Procumbunt pariter cum duce tota cohors,

8. *Fascibus suis.* Et in hoc quoque Noster ludit. *Fasces* et consulis sunt et servi; fasciculum lignorum, quod hic culinæ inferendum parat, cujusque virgis ipse cæditur, quod domino minus placeat. *Suis*, quos ipse paravit. Sensus hujus et prioris versus hic est : Nunc meditatur scindere alia ligna securi, quam quæ tunc, quum consul esset, scindebantur in aliorum supplicium ; nunc fasces, quibus alii olim cædebantur, in suam ipsius pœnam tandem parat.—*Tandem;* diu nempe hoc fieri debuit, sero pæue factum est. Cæterum hoc simpliciter voluit Noster dicere, eum nunc pœnis iisdem adfici, quibus alios adfecerit. Hoc ostendunt sequentia.

9. *Illatas pœnas* sc. aliis. Exsilium intelligi sequens versus docet. — *Se consule.* Et hic lusus acrimoniæ plenus. Eo ipso enim anno, quo consul erat, dignitate abrogata, in exsilium pulsus est. Zosim. V, 18. De causis ereptæ Eutropio dignitatis auctores parum inter se constant. Cf. Chrysostom. Homil. in Eutrop. t. III, pag. 381 sqq. Socrat. H. E. VI, 5 sq. Sozomen. H. E. VIII, 7; Philostorg. VI, 6.

11. *In se convertitur;* v. Lucan. I, 3; Virgil. Æn. II, 190. Vulg. *in se quoque vertitur.* Illud *quoque* mihi non solum languidum, verum etiam h. l. ineptum videtur. — *Infaustum populis* erat omen, quia calamitatem illis minitabatur; verum idem omen, quod dederat eunuchus consul factus, non solum infaustum erat ipsi, id est, ei, qui dederat, sed etiam perniciosum fuit, calamitatem intulit. Hoc expressit poeta per: *omen in se convertitur*, id est, in eunuchum consulem, qui erat ominosus.

12. *Prodigiosus honos*, qui honos prodigium erat, quum eunucho tributus esset.

13. *Penitus* junge cum *ablato.* E fastis consularibus aliisque publicis monumentis Eutropii nomen erasum est.

14. *Maturam* pro: mature, quum nondum inveterata esset. Gesnerus existimat, similitudinem sumptam esse a morbis purulentis, quibus et hodie a medicis maturitas tribuatur. — *Luem*, materiem morbi. — *Sanior*, nempe vomitu ipso facta.

15. *Dissimulant socii*, sc. expulsum consulem novisse.

16. *Tota cohors.* Eunuchorum manipulos intelligit Barthius; po-

Non acie victi, non obsidione subacti,
Ne pereant ritu, quo periere viri.
Concidit exiguæ dementia vulnere chartæ;
Confecit sævum litera Martis opus.
Mollis feminea detruditur arce tyrannus,
Et thalamo pulsus perdidit imperium.
Sic juvenis, nutante fide, veterique reducta
Pellice, defletam linquit amica domum.

test autem esse tota ejus factio. — *Procumbunt* pertinet ad nomen collectivum *cohors*. Burmannus notat ad Ovid. Met. I, 320, sæpe pluralem adhiberi, ubi de duobus per præpositionem *cum* conjunctis agatur, ab Ovidio fere semper; v. ibi locc. citt.

17. Heins. laudat Lucan. IX, 272 sq.

19. *Exiguæ vulnere chartæ* explicant: per epistolam Imperatoris ad præfectum prætorio Aurelianum, quæ exstat in Cod. Theod. Lib. IX, tit. 40, l. 17, de pœnis. « Omnes res Eutropii, qui quondam præpositus sacri cubiculi, ærarii nostri calculis adjunximus, erepto splendore ejus, et consulatu a tetra illuvie, et a commemoratione nominis ejus et cœnosis sordibus vindicato, ut ejusdem universis actibus antiquatis, omnia mutescant tempora, nec ejus enumeratione sæculi nostri labes adpareat; nec ingemiscant, aut qui sua virtute et vulneribus romanos fines propagant, vel qui eosdem servanda juris æquitate custodiunt, quod divinum præmium consulatus lutulentum prodigium contagione fœdavit. Patriciatus etiam dignitate atque omnibus inferioribus spoliatum se esse cognoscat, quos morum polluit scævitate. » Statuæ quoque ejus aboleri jussæ, infra XX, 7; ipse in Cyprum relegatur, infra 60 sq. Per verbosam epistolam a Tiberio e Capreis missam Sejanus prostratus est. Juv. X, 71 sqq. Melius intelligas epistolam a Stilichone missam, qua Arcadio bellum indicebatur, ni consulatum Eutropio abrogaret, eumque in exsilium mitteret. Bellum enim jam parasse Stilichonem contra Eutropium, ejusque patronum innuere videtur Claudianus, XVIII, 500 sqq. Et *non acie victi* etc. et *Martis opus* frigidissima fiunt, si literas Arcadii ad præfectum prætorio datas indicari existimes. Cf. etiam XXI, 8.

21. *Feminea arce*, e cubiculo, cui præfectus fuerat Eutropius, quod versu sequenti *thalamum* vocat.

23, 24. *Juvenis* casum secundum esse adparet, qui vel a *fide* vel a *domum* pendet. Burmannus quidem putat, jungi quoque posse *juvenis amica*, ut *juvenis* sit nominativus, quod per grammatices regulas fieri potest. V. eumdem ad Phædrum, II, 2, 5; ubi laudatur Munker. ad Hygin. fab. 182. — *Nutante*; altera lectio est *fluitante* æque bona, XV, 247. — *Defletam* sumptum a mor-

Canitiem largo raram de pulvere turpat,
  Et lacrymis rugas implet anile gemens;
Suppliciterque pias humilis prostratus ad aras,
  Mitigat iratas voce tremente nurus.
Innumeri glomerantur heri, sibi quisque petentes
  Mancipium solis utile suppliciis.
Quamvis fœdus enim, mentemque obscenior ore,
  Ira dabit pretium; pœna meretur emi.

tuis, qui deflentur. *Defletam domum* est *domum*, cui discedens multis lacrymis valedixerat.—*Amica*, i. q. pellex. Comparatur eunuchus e regia discedens cum amica cujusdam juvenis, quæ, vetere aliqua amica reducta, multis cum lacrymis domum amantis expulsa relinquit. Burmannus conj. *veterique reducta Conjuge*, quod sane recipiendum esset, si per codices liceret; aptiorem enim similitudinem reddit.

25. *Canitiem largo raram de pulvere turpat*. Cf. Virgil. Æn. X, 844; XII, 611. Hoc signum luctus fuisse notum jam est ex Homer. Il. σ, 23:
Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν,
Χεύατο κακκεφαλῆς, χαρίεν δ᾽ ᾔσχυνε πρόσωπον.
Cf. Odyss. ω, 314 sq. Ovid. Met. VIII, 528 sq. Nostr. infra XXXVI, 177 sqq.— *Raram*; conf. XVIII, 113 sq. τὸ *de* sæpe eleganter παρέλκειν multis exemplis docuit Barthius, ut apud Stat. Theb. IV, 72.

26. *Rugas*; v. ad XVIII, 111.

27. *Suppliciterque pias*. Entropius, omni dignitate ab Imperatore ei abrogata, in ecclesiam christianam, quæ tunc jam asyli instar erat, confugit. Chrysostomus, t. III, pag. 667 sqq. t. IV, pag. 481 sqq. gloriatur, Entropium in asylo a se servatum, et asyli jus a se contra violatores ejus vindicatum esse, quamdiu ille ipse id non reliquerit. Verum inde abstractus, et in insulam Cyprum fida custodia missus est. Zosim. V, 18.

28. *Voce tremente*, quum ætate senili, tum timore et criminum conscientia. Verum, quænam sunt *iratæ nurus*? Interpretes, quos equidem inspicere potui, silent. Num feminæ aulicæ, Eudoxia imprimis? Philostorgus, H. E. XI, 6, refert, ipsam Eudoxiam ab Eutropio injuria adfectam, duas filias suas puellas Pulcheriam et Arcadiam ulnis marito suo adferentem, incitasse ignavum alias Arcadium in Eutropii perniciem properandam.

29. *Glomerantur*, συστρέφονται, pro colliguntur, in unum conveniunt. Multis exemplis illustravit vim verbi Barth. ad Stat. Thebaid. I, 350.

30. *Solis utile suppliciis*; cf. XVIII, 127 sqq.

31, 32. Duo versus, qui præcedunt, his duobus explicantur. *Quamvis fœdus enim* etc. ita ut propter fœditatem corporis et animi eum nemo ne dono quidem accipere vellet, nedum pretio nume-

Quas, spado, nunc terras, aut quem transibis in axem?
Cingeris hinc odiis, inde recessit amor.
Utraque te gemino sub sidere regia damnat;
Hesperius nunquam, jam nec Eous eris.
Miror cur, aliis qui pandere fata solebas,
Ad propriam cladem, cæca Sibylla, taces?
Jam tibi nulla videt fallax insomnia Nilus;
Pervigilant vates nec, miserande, tui.
Quid soror? audebit tecum conscendere puppem,
Et veniet longum per mare fida comes?
An fortasse toros eunuchi pauperis odit,
Et te nunc inopem dives amare negat?
Eunuchi jugulum primus secuisse fateris;

rato.—*Mentemque obscenior ore*, i. e. mensque ejus obscenior etiam sit quam os. — *Ira dabit pretium*, i. e. ira aut ulciscendi cupido tamen veteres dominos, quos in secundis suis rebus acerbe tractaverat, ad emendum eum compellet.

33. *Axem*, regionem. V. supra ad XV, 458.

34. *Cingeris hinc odiis;* V, 13. Imperium occidentale, seu aula ejus imperii odio te prosequitur.—*Inde*, ab Arcadio illisque, qui te in imperio orientali antea fovebant. Ipse poeta hunc versum in duobus sequentibus ita illustrat.

35. *Gemino sub sidere.* Solem orientem et occidentem intelligit, et per illum imperium orientale et occidentale; utrumque vocat *geminum axem* supra V, 152.

36. *Nunquam*, sc. fuisti.

37. *Pandere fata;* v. n. ad XVIII, 312 sqq. cf. Stat. Theb. X, 161 sq.

39. *Nulla fallax insomnia Nilus;* v. supra l. c. Vaticinia ex somniis in Isidis templo capiebantur. V. interpp. ad Juvenal. VI, 529; conf. not. ad Persii prolog. *Insomnia*, somnia. Broukh. ad Tibull. III, 4, 1. Virgil. Æn. VI, 879. Sil. Italic. XI, 102.

40. *Pervigilant vates* etc. Delrius ex Msc. legit *vates jam*, additque: vates, quum nequeant dormire, nulla tibi insomnia renunciant. Est autem de pervigiliis eorum sermo, qui se ad vaticinandum parant. V. Gesner. ad Lucian. t. III, p. 615; not. 4. ed. Reiz. cf. Propert. II, 21, 60.

41. *Quid soror?* Gothofredus ad Cod. Theodos. lib. XVIII de pœnis, de sorore proprie dicta accipit. Cf. supra XVIII, 263.

43. *Toros;* cf. infra XX, 88 sqq.

44. *Dives.* Quæ, dum esset apud Eutropium, divitiis colligendis sibi prospexerat.

45. *Eunuchi jugulum.* De hac re nihil memoriæ proditum est. Multis in locis Claudianus significatione tantum quædam innuit, quæ nunc quidem nobis mera ænigmata

Sed tamen exemplo non feriere tuo.
Vive pudor fatis. En quem tremuere tot urbes,
Et cujus populi sustinuere jugum!
Direptas quid plangis opes, quas natus habebit?
Non aliter poteras principis esse pater.
Improbe, quid pulsas muliebribus astra querelis,
Quod tibi sub Cypri litore parta quies?
Omnia barbarico per te concussa tumultu.
Crede mihi, terris tutius æquor erat.
Jam non Armenios jaculis terrebis et arcu;

videntur. Cogitandum autem est, ad plurima carmina scribenda illum non impetu aliquo interno, sed occasione data accessisse, cumque semper fere in argumentis esse versatum, quorum vel minimæ res lippis et tonsoribus tunc notæ essent, ita, ut per capita tantum ire, omissis levioribus, pleraque adtingere tantum ei liceret. Recte observat Gesnerus, scriptum esse hunc prologum tempore, quum mors Eutropii nondum decreta esset.

46. *Exemplo tuo*, ut tu jugulum secuisti eunucho.

47. *Pudor fatis*; v. n. ad XVIII, 210. — *En quem* pro: *en* abjectum illud et detestabile servitium, turpem eunuchum, *quem* modo etc. Explicatur enim per *vive pudor fatis*. Illis explicationibus vulgo fata accusabant, quod homuncionem tetrum, in hominum vexationem, in altum sustulissent.

49. *Direptas quid plangis opes?* Rectius fortasse *Dereptas*. V. ad XVIII, 168. Eutropius erat *patricius*; is autem vocabatur *pater principis*. Jocatur igitur acerbe poeta, quum dicit, opes Eutropii *natum* esse habiturum; non esse igitur, quod de amissis rebus queratur. Notum autem est, bona Eutropii publicata et in fiscum relata esse.

50. *Non aliter poteras* etc. Pergit Eutropium irridere. Hac una tantum ratione, ait, Eutropium *patrem principis* (patricium) esse potuisse, quod bona ejus ad principem pervenerint, quandoquidem filii soleant bona patris accipere.

51. *Quid pulsas astra*. Pulsari, feriri, lacessi etc. clamore, sæpius apud poetas astra dicuntur. Drakenb. ad Sil. Italic. IV, 7. Burmann. ad Val. Flacc. I, 740; II, 91; V, 273, et ad Ovid. Fast. III, 741.

52. *Sub* pro: in. V. ad I, 81. — *Parta quies*, velut emerito.

54. *Terris*. Burmann. *terra*, vitio credo operarum; nam aliter citat locum ad Ovid. Fast. II, 98. Parum autem interest, utrum *terris* an *terra* legas.

55. *Jam non Armenios*. Conf. XVIII, 235 sq. Irridet Eutropium, quod bella tentasset, victorque redire simulasset, atque ut mulieri Amazonum arma ei tribuit.

Per campos volucrem non agitabis equum.
Dilecto caruit Byzantius ore senatus;
Curia consiliis æstuat orba tuis.
Emeritam suspende togam, suspende pharetram;
Ad Veneris partes ingeniumque redi.
Non bene Gradivo lenonia dextera servit;
Suscipiet famulum te Cytherea libens.
Insula læta choris, blandorum mater Amorum;
Nulla pudicitiæ cura placere potest.
Prospectant Paphiæ celsa de rupe puellæ,
Sollicitæ, salvam dum ferat unda ratem.
Sed vereor, ne te teneant Tritones in alto
Lascivas doctum fallere Nereidas;
Aut iidem cupiant pelago te mergere venti,

57. *Dilecto ore*, per ironiam. Cf. XVIII, 121 sqq.

58. *Æstuat*, ἀπορεῖ. Exprimit animum fluctuantem et anxium, qui nescit, quid faciendum sit.

59. *Togam*, quam consul in senatu gessit.

63. *Insula læta choris* etc. V. ad X, 49 sqq. Venus enim erat dea tutelaris Cypri, habebatque in illa insula templum pulcherrimum, præcipuoque ibi honore colebatur. Vocatur Venus *potens Cypri* Horat. Od. I, 3, 1, et 30, 2; Plin. H. N. II, cap. 96. Sacra, quæ ibi celebrabantur, mollia erant, et ad Veneris et ad Amoris naturam accommodata, et hæc rursus multum valuisse necesse est ad incolarum mores effeminandos. Quam ob rem nullus locus eunucho aptior esse potuit. *Læta*, cujus adspectus lætos facit. Recte rejicit Burmannus *fœta*, quod Heins. olim malebat. Ovid. Fast. V, 667.

64. *Nulla pudicitiæ cura* etc. Impudicus igitur ibi in pretio erit.

65. *Prospectant* etc. quasi ad adventum formosissimi juvenis, quem omnibus votis expetunt. — *Paphiæ*, a Papho, in insula Cypro.

66. *Sollicitæ*, ne naufragium facias. — *Salvam.* unus Msc. *celsam*; forsan *lassam*.

67, 68. Tritones Nereidesque in famulitio sunt Veneri e mari ortæ, ut vidimus supra X, 127. Alludit autem Noster ad artes lenonias Eutropii, quas insignes adeo esse ait, ut vereatur, ne Tritones eum in alto retineant, ut eo conciliatore apud Nereidas utantur. — *Doctum fallere*. Cf. Horat. Od. VI, 13, 7. *Fallere*, circumvenire lenonis artibus, ut concilies eas Tritonibus.

69. *Cupiant* pendet a *vereor, ne.* Sensus autem est: Vereor, ne venti te fluctibus mergant, ut Cyprus naufragio tuo gloriam immortalem nanciscatur.

Gildonis nuper qui tenuere fugam.
Inclita captivo memoratur Tabraca Mauro;
Naufragio Cyprus sit memoranda tuo.
Vecturum moriens frustra delphina vocabis;
Ad terram solos devehit ille viros.
Quisquis adhuc similes eunuchus tendit in actus,
Respiciens Cyprum desinat esse ferox.

71. *Tabraca*, urbs Africæ minoris, quam Silius Italicus, lib. III, 256, Sabatram vocat, et ad quam periit Gildo. Cf. XVIII, 410.

73. Adludit ad fabulam Arionis notissimam; cf. Herodot. I, 23, et Gell. XVI, 19.

75. *Tendere in actus similes* pro: accedere ad similes actus; hujusmodi aliquid moliri.

76. Gesnerus laudat Euripid. Bacch. 1324:

Εἰ δ' ἔστιν, ὅστις δαιμόνων ὑπερφρονεῖ,
Εἰς τοῦδ' ἀθρήσας θάνατον, ἡγείσθω θεούς.

XX.

CL. CLAUDIANI IN EUTROPIUM

LIBER II.

ARGUMENTUM.

Tandem aliquando, poeta incipit, Constantinopolitanos compellans, didicistis, omina eventum habuisse, sed sero, quum non amplius ea avertere possetis; 1—11. Gravioribus malis remedia etiam graviora quærenda sunt; 12—19. Minime sufficit, Eutropium in Cyprum esse relegatum; 20—23. Simul ac iste eunuchus consulatum adiit, omina homines terruerunt, Constantinopolis ipsa aqua et igni pæne vastata est. Monstris et portentis illa mala nunciata et a vatibus prædicta sunt; quorum si nihil fuisset, tamen consulis castrati annum infaustissimum fore nemo poterat ignorare; 24—49. Verum præ fructu præsenti omne, quod futurum est, damnum negligitur. Contra tot signa ne Camillus quidem consul constituendus fuisset, nedum spado Tiberium et Neronem turpitudine longe superans; 50—62. Nihilominus tamen iste summo honore adfectus est; omnes eum coluerunt; statuæ ei positæ sunt (quæ in sempiternam urbis ignominiam maneant) cum titulis et inscriptionibus, dum iste, imperii administratione amicæ relicta, lautissime viveret, et in theatris tempus consumeret; 63—94. Vere novo, Eutropio auctore, aula iter fecerat Ancyram, atque dum inde quasi magna re gesta superbe revertitur, mollem illam catervam Mars con-

spicit, et Bellonam compellat in hanc fere sententiam; 95—111. Nondum desistere potest imperium Orientis mollitiei se dare, quæ tantopere ei nocuit, sed oblitum in pace malorum eunucho tradidit fasces; 112—122. Jam solus Stilicho consulis dignitatem tuetur, quod ni faceret, de ea actum esset; 123—132. Ipsi cives turpem istum consulem probant, senatus et proceres ei plaudunt; sed jam faciam, ut eos gaudii pœniteat; 133—144. Bellum move Bellona, sed mitte in præsentia Thraciæ populos; Ostrogothos et Gruthungos ad defectionem sollicita: hi barbari mollitiem illam vindicent; 145—159. Quibus dictis clypeo insonuit hastamque torsit; 160—169. Bellona Targibilum, ab Eutropio indonatum redeuntem, forma conjugis illius induta, adit, quæritque ex illo, quæ dona a principe acceperit; 170—190. Qui quum nihil se accepisse et cum contemptu dimissum esse quereretur, mulier virum, ignaviam ei exprobrando, excitat. Probos et justos ait contemni, audaces et rebelles præmiis ornari. Ne moretur igitur, et quamquam parva manu adjutus, arma capiat, redeatque ad pristinam feritatem. Quibus dictis, Bellona in avem mutata sepulcro veteri, ominis causa, insedit; 191—232. Targibilus; ubi se collegit, sociis rem exponit, eosque ad defectionem incitat; 233—237. Jam poeta Phrygiæ partem, quæ Galatia dicitur, describit, Phrygesque antiquissimum populum esse, Psammetichi experimento probat, inter quos Apollo versatus sit et Minerva. Flumina regionis describuntur et divitiæ. Hanc barbari nunc invadunt ac populantur; 238—278. Interea Cybele, quum ipsi sacris suis intentæ diadema turritum de capite esset delapsum, stupentibus omen Corybantibus exponit, fatum inevitabile, quod Phrygiæ impendisset, nunc advenisse, omniaque ferro et flammis esse peritura. Invita inde terras illas relinquit; 279—303. Eutropius cladem illam dissimulans, suppliciisque tantum, non militibus, opus esse dictitans, cum struthiocamelo comparatur; 304—316. Ubi autem videt, donis furtim missis aliisque præmiis nihil profici, consilium bellicum convocat ex hominibus mollissimis ac perditis. Qui quum convenissent, causæ, cur convocati essent; immemores, de rebus ludicris fabulari incipiunt; 317—364. Eutropius eos increpat, monetque, ut de bello cogitent: se satisfecisse reipublicæ in bello contra Armenios, nunc senem esse et fessum ætate; juvenes interim bellum capessant; 365—375.

Tunc Leo quidam, Thraso ridiculus, surgit, cæteros adhortatur, polliceturque; se bellum hoc brevi esse ad finem perducturum; 376—405. Ipse statim cum exercitu effeminato proficiscitur, nullo ordine observato summaque negligentia; 406—422. Targibilus fugam simulans, agmine repente converso, vino et somno sepultos invadit, ingentemque stragem edit; ipse Leo fuga in paludem delatus, misere perit; 423—461. Jam de hac clade et de hostium adventu nuncius Constantinopolim perfertur, omnia in majus augentur, insuperque nunciatur, Saporem regem a Persis esse interfectum. Quibus auditis, omnes sero agnoscunt, in Eutropio consule constituendo graviter esse peccatum; 462—489. Hæc hominum stultitia, qua eventu tantum docentur, antiqua de Prometheo et Epimetheo fabula explicatur; 490—501. Nunc omnes a Stilichone salutem sperant, ut pueri a vicinis vexati, absentis patris reditum exoptant; 502—515. Agnoscunt insaniam, qua eunucho imperium tradiderunt, ipsaque Aurora, vestitu squalido, supplex ad Stilichonem tendit; 516—533. Queritur, se ab illo plane negligi, quo rectore olim felix fuerit. Rufinum fuisse dissidii causam, sed illum pœnas dedisse, quo tyranno vix liberatam, in alterum se incidisse et pejorem et turpiorem; 534—562. Jam se non solum a barbaris bello peti impuneque vexari, sed etiam inertia ac proditione ducum, ab iis, quos ante debellasset, vastari. Quarum rerum omnium aulam nullam rationem habere, sed securam velut in otio voluptatibus indulgere; 563—591. Quare veniat, fessisque opem ferat extremorum malorum misericordia adductus.

Mygdonii cineres, et si quid restat Eoi,
Quod pereat, regni, certæ non augure falso
Prodigii patuere minæ, frustraque peracto

1 — 4. Testatur poeta imperii Orientis clades, prodigiorum minas eventu esse comprobatas. Prodigium autem maxime dirum fuit eunuchus consul constitutus. — *Mygdonii cineres;* v. ad XVII, 300: intelligit Phrygiæ cineres, aut Phrygiam ferro et igni a Targibilo vastatam. Cf. Virgil. Æn. II, 431. — *Et si quid restat Eoi regni.* Nam præter Phrygiam magna pars imperii Orientis vastata erat. Subintelligen-

Vulnere monstriferi præsagia discitis anni.
Cautior ante tamen violentum navita Corum
Prospicit, et tumidæ subducit vela procellæ.
Quid juvat errorem mersa jam puppe fateri?
Quid lacrymæ delicta levant? stant omina vestri
Consulis: immotis hæsere piacula fatis.

dum autem puto: vos testor, ut apud Virgil. l. c.—*Certæ non augure falso* etc. majorem affirmandi vim hæc structura habet, quam si posuisset accusativ. c. infinit. — *Certæ minæ patuere*, certæ cognitæ sunt, certæ fuerunt. Burmannus laudat Ovid. Met. IX, 594; XV, 647; Barth. Advers. XII, 8; Markland. ad Stat. Silv. V, 1, 262, *seræ* legit. Sed nihil opus est conjectura. *Non augure falso*; nec augures falsi fuerunt, qui magnas calamitátes imperio orientali eventuras esse prædixerant. Non mera explicatio illud est τοῦ *certæ*; nam *minæ* prodigii poterant *certæ esse*, i. e. eventum habere vel sine augure; sed augure opus erat, qui illas minas ante earum eventum interpretaretur. — *Peracto vulnere* pro vulgari: damno accepto. — *Præsagia discitis*, intelligitis vera fuisse. — *Monstriferi anni*, quo anno eunuchus consul fuit, simulque varia prodigia et monstra exstiterunt, quæ infra recensentur. Potest quoque esse: horrendi anni. V. Oudendorp. et Burmann. ad Lucan. V, 620, et ad Valer. Flacc. II, 498.

5. *Corum*; v. XII, 42.

6. *Prospicit*. Mss. *consulit*. Heinsius laudat Valer. Flacc. III, 37 sq. Lucan. V, 571 sq. Priorem lectionem recte Burmannus præfert. *Consuluntur* signa futuræ tempestatis, sed ipsa tempestas futura *prospicitur* ex signis. Idem putat, *consulit* ex glossa natum esse. Quod si ita est, ejus auctor *prospicit* absolute positum, et *ante* pro præpositione habuerit necesse est: nam *consulere aliquid* et *prospicere aliquid* confundi vix possunt; *consulere* autem *alicui* et *prospicere alicui* et possunt confundi, et sæpe confunduntur. Similem locum Lucan. VI, 285 sqq. Burmannus jam notavit; adde Sil. Italic. I, 687 sqq. — *Subducit vela*, ut Sil. Italic. VI, 325, pro: contrahit vela. Horat. Od. II, 10, 23.—*Tumidæ*, h. l. vehementi, qua fluctus intumescunt; Ovid. Amor. I, 9, 13; aliter Virgil. Æn. III, 357, ubi *auster* vocatur *tumidus*, qui vela implet.

8. *Quid lacrymæ delicta levant?* Msc. *Quum lacrimæ delicta luant*. Possis legere: *Num lacrymæ delicta levant*, seu *luant*? aut *Quid? lacrymæ delicta levant?—Stant*, non moventur, fixa, immota sunt; ita in sequentibus explicatur per *immotis fatis* et *hærent*. *Stant omina* et Gesnerus quoque jussit typis describi; sed operæ non parentes etiam Bipontinum editorem in errorem duxisse videntur.

9. *Immotis hæsere piacula fatis*. *Piacula* h. l. sunt calamitates, quibus scelus seu portenta expianda sunt. Ea *hærent*, i. e. inhærent fatis,

Tunc decuit sentire nefas, tunc ire recentes
Detersum maculas: veteri post obruta morbo
Corpora, Pæonias nequidquam admoveris herbas.
Ulcera possessis alte suffusa medullis,
Non leviore manu, ferro sanantur et igni,
Ne noceat frustra mox eruptura cicatrix.

iis constituta sunt, manent donec ipsa fata *immota* sunt. Conf. Lucan. VII, 35.

10. *Nefas;* v. n. ad XVIII, 348. — *Tunc*, statim calendis januariis, vel statim postquam designatus est consul flagitiosus. Sic Gesnerus. Subintelligendum : quum res esset adhuc integra, aut omen liceret avertere. Ellipsis paullo durior. Mollius fortasse, si legas : *Quum decuit sentire nefas, tunc* etc. hoc sensu : quum monstra et prodigia ostendissent, nefas esse, eunuchum consulem fieri, tunc statim ei abrogandus fuisset magistratus, ipsique lustrandi fuissetis a piaculo recens contracto.

11, 12. *Post obruta morbo Corpora*, ubi morbus totum corpus occupavit.—*Pæonias*, a cognomine Apollinis, qui Παιών Oropi colebatur. Pausan. Attic. 34. Illum enim inventorem medicinæ haberi notum est. Ovid. Met. I, 521. Spanhem. ad Callimach. H. in Apoll. 46 sq.—*Admoveris herbas*, alii *artes*, quod rectius putat Heinsius. Burmann. laudat Ovid. ex Ponto I, 3, 5; Heroid. XI, 43. Sed cf. eumdem Met. XV, 534. Comparari potest Pers. III, 63 sqq.

13. *Medullis*, partibus interioribus. — *Ulcera alte suffusa* sunt ulcera alte latentia, quorum sanies et pus interiores partes adjacentes corrupit. Heinsius malebat *suffixa*, ipsique Burmanno *suffusa* suspecta est vox, quia non meminerit legere *ulcera suffusa*. Latere aliquid de *pure* suspicatur; proponit itaque *alto sub pure*, vel *alte diffusa*.

14. *Non leviore manu;* v. Burmann. ad Quintil. Instit. II, 4: h. l. autem positum videtur pro non fomentis aliisque rebus, quæ gravioribus remediis, *igni* et *ferro*, opponuntur. — *Ferro sanantur et igni;* cf. Ovid. Rem. Am. 229; Met. I, 190 sq.

15. *Ne noceat frustra mox eruptura cicatrix.* Heinsius cum Barthio censet, vel sine libris *coeat* legendum. Burmann. corrigendi contra omnes Mss. licentiam parum tutam judicat, quamquam sæpe ap. Ovidium *coire vulnera* legatur. Trist. IV, 4, 41; V, 2, 10; ex Ponto I, 3, 87. Certum esse ait, nocere maxime vulneribus, si nimis cito cicatricem ducant, et ita tabem et pus festinans clauserit medicus. Difficultatem, quæ Barthium fortasse ad emendandum hunc locum compulit, illa explicatione remotam non puto. Quæritur enim, quo *frustra* referas? ad *noceat* pertinere non potest, neque ad *eruptura*, et *frustra cicatrix* pro vulnere, quod frustra cicatricem duxit, forsan paullo durius ducetur. Non defenderim tamen *coeat*, quum nesciam, an usquam

Ad vivum penetrant flammæ, quo funditus humor
Defluat, et vacuis corrupto sanguine venis
Arescat fons ille mali: truncantur et artus,
Ut liceat reliquis securum degere membris.
At vos egregie purgatam creditis aulam,

cicatrix coit dicatur. *Coit vulnus* vulgare est. Mendum mihi videtur in *frustra* latere. Quid si legas *Ne noceat ducta et mox eruptura cicatrix?* Pro *mox eruptura* mavult Burmannus *mox se ruptura*. Cæterum laudat Ovid. Rem. 623, et ex Ponto I, 3, 15 sq.

16. *Ad vivum penetrant flammæ.* Ex sequentibus adparet, sensum esse hujus loci: ulcus grave et alte latens aperitur ita, ut funditus purgari ac sanari possit. Cels. de Medic. V, 32. Quid h. l. *flammæ* sibi velint, nescio; Gesnerus cauteria intelligit, quæ ulcus aperiunt. *Ad vivum* interpretor: ad fundum usque vulneris.

17. *Defluat* rationem aperturæ seu incisionis declarat, quam ita semper faciunt artis periti, ut pus et sanies *defluere* cogatur.—*Et venis vacuis corrupta sanguine*, qui sanguis simul defluxit, quia apertura illa ad vivum usque penetraverat, ita ut hac ratione ulceris alimenta desint.

18. *Arescat fons ille mali.* Hoc enim necesse est fieri fontibus, quibus ulcus alebatur, exhaustis aut obturatis. Ex lectione plurium Mss. *exundet*, conjicit Heinsius *exsudet*, citatque Virgil. Georg. I, 88; Grat. Cyneg. 422; sed *arescat* antecedentibus melius convenit, v. 13—18. Forsan de ulcere alto sermo est, quod oritur ex ossium partibus vitiatis atque corruptis, quibus ulcera gravia aut fistulæ supernasci solent. Hoc colligi posse videtur ex *medullis* v. 13, et *vivum* v. 16. In illis ulceribus curandis, carne subsecta, os nudandum est; ejusque pars, quæ pinguis facta est, admoto ferramento adurenda. V. Celsum de Medic. VIII, 2, qui addit: « nam necesse est aridum sit id, quod vitiatum est. » Paullo inferius pergit: « Igitur si caries alte descendit, per terebram urgenda crebris foraminibus est, quæ altitudine vitium æqueut; tum in ea foramina demittenda candentia ferramenta sunt, donec inde siccum os ex toto fiat. » Ex hac ratione *ulcera suffusa possessis medullis* sunt ulcera ossi carioso seu vitiato subnata, quorum partes superiores, neglectis inferioribus, sanari quidem possunt, et cicatricem ducere, quæ tamen rursus sponte rumpuntur, nisi fons mali obturetur; id quod fit, si nudatis ossibus ad *vivum penetrant flammæ*, i. e. ferramenta candentia ad partes carie nondum adfectas. Et *venæ* h. l. videntur fistulæ esse seu canales, quos sibi humor corruptus, seu pus muniverat, quo purgatæ non amplius implentur, ossium partibus, quæ fontes mali erant, ad sanitatem perductis.

19. *Securum.* Heinsius mavult *securo*, quia in Mss. exstat *secure*. V. eum ad Ovid. Heroid. XIV, 64. Tunc *membris* est casus sextus.

Eutropium si Cypros habet, vindictaque mundi
Semivir exsul erit. Quis vos lustrare valebit
Oceanus? tantum facinus quæ diluet ætas?
Induerat necdum trabeas: mugitus ab alto
Redditur; infernas rabies arcana cavernas
Vibrat, et alterno confligunt culmina lapsu.

21. *Vindictaque mundi* est ea, quam subire seu pati debeat mundus, i. e. imperium Orientis, quod, ominibus et portentis neglectis, eunuchum consulem vel constituerit, vel constitutum probaverit.

22. *Semivir exsul erit* i. e. illa vindicta seu pœna luetur eunuchi exsilio. Posuit autem *vindicta mundi*, idque opposuit τῷ *semivir exsul*, ut pœnæ debitæ magnitudo a levitate solutæ pœnæ eo vehementius discreparet. Ingeniosa est Burmanni conjectura:

Eutropium si Cypros habet, si victima mundi
Semivir exsul erit.

Laudat ille Nostr. VIII, 94; XIV, 414; XVIII, 19 sqq.

23. *Oceanus.* Aqua marina potissimum ad expiationes usos esse veteres jam notum est ex Cic. pro Rosc. Amer. 26: «quo (mari) cætera, quæ violata sunt, expiari putantur.» V. ibi interpp. in ed. Græv. cf. Euripid. Iphig. in Taur. 1193; Catull. LXXXVIII, 5 sq. ubi Doering adscripsit epigr. ex Brunck. Analect. Vet. Poet. t. III, p. 199:

Ἁγνὸς ἐς τέμενος καθαροῦ, ξένε, δαίμονος ἔρχου . .
Ψυχὴν νυμφαίου νάματος ἁψάμενος.
Ὡς ἀγαθοῖς κεῖται βαιὴ λιβάς· ἄνδρα δὲ φαῦλον
Οὐδ' ἂν ὁ πᾶς νίψῃ νάμασιν ὠκέανος.

Adde Sophoclem, Œdip. Tyrann. 1227 sq.:

Οἶμαι γὰρ οὔτ' ἂν Ἴστρον οὔτε Φᾶσιν ἂν
Νίψαι καθαρμῷ τήνδε τὴν στέγην, ὅσα
Κεύθει.

Senec. Hippolyt. 715 sqq. Herc. Fur. 1326 sqq.

24 sqq. Recenset poeta portenta et omina gravissima, quæ oblata sunt, Eutropio consule designato; inprimis autem memorat naturam rerum ipsam indignatam esse, direque imperio Orientali esse minitatam. Cum toto hoc loco comparandus est Sil. Italic. VIII, 622 sq. ubi Drakenbr. præterea laudat Virgil. Georg. I, 466 sqq. Lucan. I, 524 sqq.; VII, 151 sqq. Petron. cap. 121; Stat. Theb. VII, 401 sqq. quibus adde Tibull. II, 5, 71 sqq. — *Induerat necdum trabeas*, antequam Eutropius consulatum adiisset. — *Ab alto* h. l. esse ex profundo, sequentia docent. Intelligit autem mugitum, qui terræ motum præcedere solet.

25. *Redditur*, vulgo *Redditus*. Sed prius quoque Heinsio placuit. — *Rabies arcana*. Causam latentem sic vocat, qua terræ motus excitetur. Cf. Senec. Quæst. N. VI, 4 sqq. Sil. Italic. l. c.:

Nutantique ruens prostravit vertice silvas
Garganus, fundoque imo mugivit anhelans
Aufidus, et magno late distantia ponto
Terruerunt pavidos accensa Ceraunia nautas.

26. *Vibrat*, efficacius, quam concutit. — *Culmina* recte Burmannus

Bacchatus per operta tremor Chalcedona movit,
Pronus et in geminas natavit Bosporus urbes.
Concurrere freti fauces: radice revulsa
Vitant instabilem rursum Symplegada nautæ.
Scilicet hæc Stygiæ præmittunt signa sorores,
Et sibi jam tradi populos hoc consule gaudent.
Mox oritur diversa lues: hinc Mulciber ignes
Sparserat; hinc victa proruperat objice Nereus.
Hæc flagrant, hæc tecta natant. Quam, numina, pœnam
Servatis sceleri, cujus tot cladibus omen
Constitit? incumbas utinam, Neptune, tridenti,
Pollutumque solum toto cum crimine mergas!
Unam pro mundo Furiis concedimus urbem.

de turribus accipit. Cf. infra XXXV, 152 sq. Possunt etiam esse ædificia alta. — *Alterno lapsu confligunt*, irruunt in se invicem, et mutuo se pulsant. Cf. Val. Flacc. II, 519 sq.

27. *Per operta*, per terræ cavernas. — *Chalcedona*; VIII, 177.

28. *Pronus et in geminas* etc. Ut solet in terræ motu mare repente recedere, et majore cum impetu recurrere, ita ut litora late obruantur. — *Geminæ urbes* sunt Constantinopolis et Chalcedon.

29, 30. *Concurrere freti fauces*, visa sunt Asiæ et Europæ litora sibi invicem adpropinquare, fretumque coarctare. — *Symplegada*; κυάνεαι πέτραι, Συμπλήγαδες, parvæ insulæ erant in ponto ad fauces Bospori sitæ. Fato erat constitutum, immotas eas fore, si navis salva per eas transiisset, quum antea alterno motu et recederent a se invicem et colliderentur. Notæ sunt satis ex Argonauticis Valer. Flacc. IV, 641 sqq. Appollon. Rhod. II, 549 sqq. Orph. Argon. 678 sqq.

31. *Stygiæ sorores*, Parcæ; Lucan. IX, 838; a quarum filo vitæ hominum pendent.

33. *Diversa lues*, incendia intelligit. — *Mulciber*. Ignium eruptiones inter prodigia recensentur.

34. *Sparserat*. Sil. Italic. VII, 369 sq. XVII, 91.

35, 36. *Quam, numina, pœnam Servatis* etc. id est, quam pœnam, dii, reservatis sceleri, cujus pœnæ ipsa denunciatio jam tot stragibus constitit. Incendia illa et diluvia non jam erant pœnæ, sed eas tantum futuras denunciabant. — *Cujus*, sc. pœnæ.

37, 38. *Incumbas utinam, Neptune* etc. *Incumbas* nisum exprimit. Cæterum cf. Virgil. Æneid. II, 61 sqq. — *Pollutumque solum*, Constantinopolim: eam offert pro toto mundo, h. e. imperio, cui minantur fata. Quod votum Nostrum non sane ab humanitate commendat. Sed adulatione et simulato partium studio non semel eum abreptum videmus.

Utque semel patuit monstris iter, omnia tempus
Nacta suum properant : nasci tum decolor imber,
Infantumque novi vultus, et dissona partu
Semina : tum lapidum fletus, armentaque vulgo
Ausa loqui, mediisque feræ se credere muris.
Tum vates sine more rapi, lymphataque passim
Pectora terrifici stimulis ignescere Phœbi.
Fac nullos cecinisse deos ; adeone retusi

40 sqq. Sequuntur jam ea omina, quorum XVIII princ. mentio facta est. — *Utque semel patuit monstris iter.* Nihil amplius Noster dicere vult, quam monstra alia super alia nunciata esse, ut semper solitum sit fieri, quando magna aliqua clades imperio romano immineret. Accommodate hæc moribus vulgi; nam quum semel hominum animi religione tacti sunt, narrantur prodigia subinde plura, ut Gesnerus bene observat. — *Omnia*, sc. monstra, *tempus suum nacta.* Suum cuique, quod in rerum natura potest evenire, tempus, quo evenire debeat, fato constitutum est. Cujuscumque igitur tempus venerit, id potest dici *tempus suum nactum* esse. — *Decolor*, h. l. sanguineus; vid. Heins. et Burmann. ad Ovid. Heroid. IX, 4.

42—44. Cf. quæ dicta sunt supra ad XVIII, v. 1—4. — *Lapidum fletus*, statuarum lacrymæ. Gesnerus laudat Liv. XL, 19 : « Lanuvii simulacrum Junonis Sospitæ lacrymasse. » — *Ausa.* Burmannus quærit: annon potius *visa?* non enim armentorum hæc erat audacia, sed immissæ a diis voces auditæ sunt. Ipse tamen vidit, nihil temere mutandum esse. Videndum enim semper est ex verbis, quibus usus est poeta, quemadmodum res sibi animo finxerit : non exigenda sunt a nobis verba ad eam rationem, qua nos res animo concipimus.

45. *Sine more*, id est, præter morem, οὐ κατὰ κόσμον. Illustraverunt hoc Heinsius et Drakenb. ad Sil. Italic. XII, 449. Cf. Heyne ad Virgil. Æn. V, 694; VII, 377. — *Rapi*, furore corripi. Cf. Virgil. Æn. VI, 45 sq. 77 sqq. 100 sqq. — *Lymphataque pectora*, furore percita. Bacchantibus ea tribuit Ovid. Met. XI, 3 sq.

46. *Stimulis;* Virgil. l. c. a stimulo, κέντρῳ, σαυρωτῆρι petitum, quo equi et boves pungi solebant. Ruperti ad Sil. Italic. I, 113. — *Terrifici*, qui ad tristia canenda vates incitant. Heinsius laudat Stat. Theb. III, 667; Virgil. Æn. V, 524. Etiam hæc ficta sunt naturæ accommodate : vid. ad Plin. Epist. VI, 12, 19.

47 sqq. Etiamsi, pergit Noster, omina nulla fuissent, tamen exspectandum fuisset annum fore infaustissimum, cujus consul eunuchus esset. Sed homines rebus præsentibus duci, et futura incommoda negligere. Contra tot omina ne sanctissimus quidem et fortissimus ci-

Quisquam cordis erit, dubitet qui partibus illis
Affore fatalem castrati consulis annum?
Sed quam cæcus inest vitiis amor! omne futurum
Despicitur, suadentque brevem præsentia fructum,
Et ruit in vetitum damni secura libido,
Dum mora supplicii lucro, serumque, quod instat,
Creditur. Haud equidem contra tot signa Camillo
Detulerim fasces; nedum, proh sexus! inerti
Mancipio, cui, cuncta licet responsa juberent,
Hortantesque licet sponderent prospera divi,
Turpe fuit cessisse viros. Exquirite retro
Crimina, continui lectis annalibus ævi;

vis consul constituendus fuisset, nedum eunuchus, quem tamen omni honorum genere afficere non erubuerint.—*Cecinisse*, h. l. omina misisse, aut per vates futura declarasse.—*Retusi*, i. q. obtusi; Virgil. Æn. I, 567.

48. *Partibus illis*, imperio orientali; infra 123 sq.

50. *Sed quam cæcus inest* etc., id est, quam inconsiderate vitia se ipsa amant, quam cæci sunt homines, qui in faciendis iis, quæ turpia sunt et inhonesta, non perspiciant, quantæ calamitates insecuturæ sint.

51. *Suadentque brevem præsentia fructum*, id est, præsentia invitant homines, ut fructum ex se capiant, quamvis brevis ille sit.

52. *Et ruit in vetitum.* Horat. Od. I, 3, 25 sq. « Gens humana ruit per vetitum nefas. » Ovid. Amor. III, 4, 17. « Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata. » —*Damni*, sc. futuri. Conf. XXVIII, vs. 217.

53. *Dum mora supplicii lucro*, sc. esse, κέρδος νομίζεται, ἐν κέρδει ποιεῖται. Jani ad Horat. Od. I, 9, 14 sq. Conf. Ovid. Trist. I, 3, 67 sq.

54. *Signa*, omina, portenta.

55. *Proh sexus!* Gesnerus ita, quasi dicat: pudeat nos, qui viri sumus.

57. *Hortantesque licet* etc. Barthius hunc versum delendum censet, ut glossema præcedentis; cui contradicit Heinsius. Equidem nescio sane, unde intrusi versus suspicio Barthio nata sit, nisi quod *licet* repetitur, quod Heinsius mutatum vult in *simul*. Aliud enim est, quando dii per oracula interrogati aliquid jubent; aliud, quando non interrogati, sed sponte, ad aliquid faciendum hortantur. Ipsum *simul* languidius mihi videtur, quam illa repetitio τοῦ *licet*.

58. *Cui... Turpe fuit cessisse viros*, tanquam potiori.

59. *Retro Crimina*, quæ a majoribus commissa sunt, aut crimina superiorum temporum. — *Annales continui ævi*, rerum memoria per omnia tempora continuata.

Prisca recensitis evolvite secula fastis.
Quid senis infandi Capreæ, quid scena Neronis
Tale ferunt? spado Romuleo succinctus amictu
Sedit in Augustis laribus: vulgata patebat
Aula salutantum studiis: huc plebe senatus
Permixta, trepidique duces, omnisque potestas
Confluit: advolvi genibus, contingere dextram
Ambitus, et votum deformibus oscula rugis
Figere: præsidium legum, genitorque vocatur
Principis, et famulum dignatur regia patrem.
　Posteritas, admitte fidem: monumenta petuntur
Dedecoris, multisque gemunt incudibus æra

60. *Prisca recensitis* etc. pro: evolvite fastos, et recensete, legite, secula prisca, res priorum temporum memoriæ traditas.

61. *Senis infandi*, Tiberii. Cf. Sueton. in Tiber. 40 et 43; Tacit. Ann. IV, 67, et VI, 1. — *Scena Neronis*; Sueton. in Nerone, 21.

62. *Romuleo amictu*, consulari trabea.

63. *In Augustis laribus*; erat uempe præpositus sacro cubiculo. — *Vulgata* eo ipso, quod omnibus patebat.

65. *Trepidique duces*. Gesnerus ita: qui nihil metuere, ne mortem quidem præsentem horrere debebant, *trepidant*, dum salutant eunuchum. Sed *trepidi* h. l. videtur potius indicare festinantium studium, ut priores salutent. Cf. Juvenal. III, 127 sq.

66. *Advolvi genibus*. Ammian. Marcellin. libro XXVIII, 4, de proceribus sui ævi: «Ex his quidam quum salutari pectoribus oppositis cœperunt, osculanda capita in modum taurorum minacium obliquantes, adulatoribus offerunt genua suavianda, vel manus, id iis sufficere ad beate vivendum existimantes.»

67. *Ambitus* pro: ambiunt, cupide expetunt. Sic *et votum* dictum pro: et summum, quod vix optare audeant.

68, 69. *Genitor Principis*; v. n. ad XVIII, 109.

70. *Posteritas, admitte fidem*. Horat. Od. II, 19, 2: *credite, posteri*. — *Monumenta petuntur*. Burmannus mavult *parantur*, quum illæ voces sæpius confundantur; laudat Nostr. XXVIII, 372, et Ovid. A. A. III, 371. Verum quum in *petuntur* studium lateat, quo parabantur monumenta, significantius illud videtur, quam *parantur*. *Monumenta* autem recte explicat per statuas et imagines Eutropio positas.

71. *Dedecoris* monumenta vocantur, quia dedecoris admissi in eunucho consule faciendo et omni honore adficiendo memoriam custodiebant. — *Æra*: simulacra ex ære decreta sunt Eutropio.

Formatura nefas: hæc judicis, illa togati,
Hæc nitet armati species; numerosus ubique
Fulget eques; præfert eunuchi curia vultus.
Ac veluti caveant, ne quo consistere virtus
Possit pura loco, cunctas hoc ore laborant
Incestare vias: maneant immota, precamur,
Certaque perpetui sint argumenta pudoris!
Subter adulantes tituli, nimiæque leguntur
Vel maribus laudes: claro quod nobilis ortu;
Quum vivant domini? quod maxima prælia solus

72. *Formaturâ* pro: speciem relatura. — *Nefas*; supra v. 10. — *Hæc*, sc. species statuæ. Multas autem statuas Eutropio positas fuisse patet ex Cod. Thedos. loco ad XIX, 19, laudato: « Omnes statuas, omnia simulacra, tam ex ære quam ex marmore, seu ex fucis (pigmentis, coloribus) quam ex quacumque materia, quæ apta est effingendis, ab omnibus civitatibus, oppidis, locisque privatis ac publicis, præcipimus aboleri, ne tanquam nota nostri seculi obtutus polluat intuentem. » Habuit igitur Eutropius in hoc fortunam Sejani, de quo Juven. X, 58 sqq. — *Togati*. Gesnerus exposuit: præpositi cubiculo. Equidem puto, Nostrum statuam intelligere insignibus consularibus.

73. *Numerosus*. Cf. IX, 3.

74. *Curia vultus*, imagines clypeatas curia ostendit, in curia fixæ sunt.

75. *Virtus*, homines intelligit a vitiorum labe nullo modo contaminatos.

76. *Pura*, ita ut adspectu imaginum illius et statuarum non polluatur. — *Hoc ore*, scilicet eunuchi statuis.

78. *Pudoris*. *Pudor* h. loco res est, cujus aliquem pudeat, facinus turpe, electio consulis eunuchi. — *Argumenta* sunt monumenta, quibus illud turpe facinus potest argui, quod alioquin posteritas non fuisset creditura; conf. supra v. 70. *Argumenta pudoris* statuæ quoque dici possunt, quatenus turpe facinus, cujus pudeat, in memoriam vel invitis revocant, pudorisque occasionem præbent. Prior autem ratio magis placet ob epitheton *certa*.

79. *Adulantes tituli*. *Tituli* vocabantur inscriptiones sub statuis et imaginibus, in quibus honores delati et res gestæ recensebantur; v. interpp. ad Juv. VIII, 69; et alibi. Longa atque insignis honorum pagina idem X, 57 sqq. — *Adutes*, falsi, ab adulatoribus scripti.

80. *Vel maribus*, nedum eunucho. — *Claro quod nobilis ortu*. Hoc nempe in titulis scripserant adulatores. Singulis autem, quæ adfert Noster ex illis titulis, refutationem statim subjungit.

81. *Quum vivant domini?* scil. quorum mancipium fuit Eutropius. Argumento non satis idoneo refel-

Impleat; et patitur miles? quod tertius urbis
Conditor; hoc Byzas Constantinusque videbunt?
Inter quæ tumidus leno producere cœnas
In lucem, fœtere mero, dispergere plausum
Emturas in vulgus opes, totosque theatris
Indulgere dies, alieni prodigus auri.
At soror, et, si quid portentis creditur, uxor
Mulcebat matres epulis, et more pudicæ

lit ea, quæ de illustri genere Eutropii adulatores ejus memorabant. Poterat enim fieri, ut aliquis nobili genere ortus, vel puer, in servitutem venisset. Forsan autem adulatores eo impudentiæ processerant, ut illum ex nobili aliqua familia imperii Orientis ortum esse, neque unquam servum fuisse perhiberent. Hujusmodi adulandi audaciam ab illis temporibus alienam fuisse nemo saltem contendet.

82. *Impleat*, h. l. sustineat. Ductum a nota dicendi forma *implere munus aliquod* pro: idoneum esse muneri, omnes muneris numeros perficere. *Maxima prælia implere* est itaque: idoneum esse maximis prœliis conficiendis. — *Solus* potest significare vel, præter eum neminem esse, qui id faciat; vel, ipsum solum, sua rei militaris prudentia, sua virtute et strenuitate in pugnando maxima prælia conficere, ita ut victoriarum de hostibus reportatarum laudem cum militibus non communicet. — *Et patitur miles? sc.* hujusmodi aliquid de eunucho ignavissimo prædicari, quo meritis suis tantopere derogetur.

83. *Conditor*. Summus hic titulus, qui non nisi iis dabatur, qui urbem aut rempublicam e maximis periculis eripuerant, aut ab interitu vindicaverant. Ita Camillus, quum, fusis Gallis, triumphans urbem ingrederetur, a militibus *alter conditor urbis*, sed inter militares tantum jocos, adpellatus est; Liv. V, 49. — *Byzas*, Neptuni filius, et Byzantii conditor fuisse dicitur. V. not. VV. DD. ad Steph. Byzant. voce Βυζάντιον; Diodor. Sic. IV, 50. — *Constantinus* M. qui sedem imperii Roma Byzantium contulit, quæ urbs deinde ab ejus nomine dicta est; Zosim. II, 30. Sensus: Hoc illi conditores urbis videbunt, eunuchum sibi honoribus æquari! Heinsius conj. *Hoc, Byzas, hoc, Constantine, videbis?*

84. *Tumidus*, inflatus honoribus.

85. *Fœtere mero*. Martial. I, 29, 1. — *Dispergere* de missilibus dictum videtur, quæ in theatris spargi solebant. Conf. XXIV, 226 sqq. v. not. ad Pers. V, 177. Prohibuit Justinianus aurum spargi Novell. 105, c. 2; v. Gothofred. ad Cod. Theodos. lib. VII, de falsa moneta. Leo Novell. 94 totam rem abrogavit.

88. *At soror*; v. ad XVIII, 263.

89. *Mulcebat*, benevolentiam earum captabat. — *Matres*, id est, feminas illustres.

Conjugis eunuchi celebrabat vota mariti.
Hanc amat, hanc summa de re, vel pace, vel armis,
Consulit, huic curas et clausa palatia mandat,
Ceu stabulum vacuamque domum. Sic magna tueri
Regna nihil? patiensque jugi deluditur orbis?
  Mitior alternum Zephyri jam bruma teporem
Senserat, et primi laxabant germina flores.
Jamque iter in gremio pacis solemne parabant

90. *Vota mariti*. Celebrat epulis honores Entropio, quasi marito suo, delatos.

91. *Clausa palatia mandat*, i. e. quando res postulant, ut ipse absit, ne quis alius, quem minime vult, ingrediatur, potentiamque suam quomodocumque labefactet.

93. *Stabulum*. Gesnerus existimat respici h. l. ad ea, quæ de Eutropio supra dicta sunt, XVIII, 61, ut sit sensus: Eutropius mandat sorori curam palatii, ut ipsi quondam stabuli curam injunxerat Ptolemæus. Verum, si hoc ita se haberet, non adjecisset Noster *vacuamque domum*; ne dicam, nimis longe hoc petitum esse. Heinsius mavult *viduamque*; Ovid. Heroid. IX, 35 sq. Stat. Achill. II, 310. Sed *vacua*, ut ipse vidit, est quoque apud Virgil. Æn. IV, 82.

94. *Nihil?* ut vel eunuchus dissolutissimus et vilis muliercula ea tueri possint. — *Deluditur*, quum existimet, magna cum difficultate eam rem esse conjunctam.

95 sqq. Hactenus meris declamationibus rem peregit Noster; nunc tandem narrare incipit, quibus rebus factum sit, ut Arcadius cogeretur eunuchum illum tam gratiosum, honoribus abrogatis omnibus, in exsilium agere. Deorum interventu et hic utitur. Mars Imperatorem cum turba aulicorum Ancyra, quo iter solemne fecerat, redeuntem conspicit; mollitiem horum virorum graviter indignatus, Barbaros per Bellonam concitat, ut videant, quantum præsidii in eunucho sit. — *Alternus* vocatur *tepor*, quia ver, ut unumquodque anni tempus suas vices habet, aliudque ab alio in orbem excipitur.

96. *Laxabant* pro : emittebant. Virg. Æn. II, 258 sqq. Cf. Georg. II, 330 sq.

97. *In gremio pacis*. Hoc Burmanno non probatur, quia huic loco non tam conveniat, quam XV, 49. Conjicit itaque *Jamque iter*, *ut Genio pacis solemne*, *parabant*, non bellicam expeditionem, sed iter ad delectationem, quasi pacis Genio dicatum. Quum in uno Msc. legatur *in genio*, facilitate saltem conjectura se commendat. Fortasse et hoc non plane absurdum erit: *Jamque iter*, *egregium pacis solemne*, *parabant*, quum unus Msc. *e gremio* habeat. *Egregium* per ironiam. Infra v. 100 vocat Noster illa itinera *lascivos discursus*. — *Solemne:* quod fit singulis annis: unde a quibusdam *solenne*, quasi quod fit solo anno.

Ad muros, Ancyra, tuos, auctore repertum
Eutropio, pelagi ne tædia longa subirent,
Sed vaga lascivis flueret discursibus æstas;
Unde tamen tanta sublimes mole redibant,

98. *Ancyra* metropolis Galatiæ. Cæterum Constantinopolitanos Imperatores et præsertim Arcadium solitos esse Ancyræ commorari, ostendere vult Gothofr. ad lib. III, Cod. Theodos. ad legem Corneliam de sicariis, quæ Ancyræ data est ab Arcadio A. C. 397. Adjicit autem Claudianus, illud iter *auctore repertum esse Eutropio.*

99. *Pelagi tædia longa*, i. e. tædium ex pelago diu viso; sic *tædia longa laborum* Ovid. Met. XIV, 158. Sensus: ne ipsa maris species, quæ quotidie Constantinopoli ante oculos versabatur, tædium crearet.

100. *Vaga æstas.* Ita legunt meliores Mss. teste Heinsio. *Æstas* autem est *vaga*, quæ variis discursibus consumitur. Martialis, VII, Epig. 38, 1:

Discursus varios vagumque mare;

et IV, Epig. 14, 7:

Dum blanda vagus alea December.

—*Flueret*; v. not. ad XV, 45; pro: præteriret, consumeretur. —*Lascivis discursibus*; sic vocat itinera, quæ animi et delectationis causa suscipiebantur. Altera lectio est *ætas*, cui Burmannus putat *vaga* melius convenire; laudat Martial. II, 90, 1; Ovid. Amor. II, 9, 53; Propert. I, 5, 7. Intelligit autem juventutem Arcadii, quem adduxerit in hoc iter Eutropius, ut lascivis discursibus, nihil agendo dignum Imperatore, periret ipsi ætas juvenilis. Verum quum in versu præcedenti de tædio fugiendo sermo sit, h. l. tempus, quo illud fugerent, melius, quam ætas juvenilis Arcadii, quadrare videtur. Accedit, quod vulgarius *ætas vaga* librario facilius in mentem venire poterat, quam exquisitius *æstas vaga.*

101. *Unde*, ab Ancyra.—*Tanta sublimes mole.* Sic jam jussit legi Gronov. in Observ. I, 21, qui laudat Virgil. Æn. XII, 161:

............Ingenti mole Latinus
Quadrijugo vehitur curru,

ubi Servius τὸ *mole* per *pompam*, *ambitum* explicat. La Cerda *comitatum* intelligit; Heyne *magna molitione*, *adparatu*, idem interpretatur. Gesnerus h. l. *mole* per ὄγκον exposuit, tumorem, inflationem. Loca, quæ ab Heinsio laudantur, vix huc pertinent. Equidem explicaverim *sublimes tanta mole* per: sublimes itinere, quod, si diis placet, tantæ molis erat; Virg. Æn. I, 33. Ammianus Marcellinus XXVIII, 4, p. 432, ed. Ernest. de proceribus sui temporis: « Pars eorum, si agros visuri processerunt longius, aut alienis laboribus venaturi, Alexandri magni itinera se putant æquiparasse aut Cæsaris, aut si a lacu Averni lembis invecti sunt pictis Puteolos vel Caietam, maxime quum id vaporato audeant tempore. » Huic rationi favere etiam videtur *tamen*, quod explico: quamquam iter illud animi causa susceptum esset, *tamen* etc. Altera lectio est *laude*, quam Burmannus defendit, quia de reditu agitur, et v. 416

Ceu vinctos traherent Medos, Indumque bibissent.
Ecce autem flavis Gradivus ab usque Gelonis
Arva cruentato repetebat Thracia curru.
Subsidunt Pangæa rotis, altæque sonoro
Stridunt axe nives : ut vertice constitit Hæmi,
Femineasque togas pressis conspexit habenis,
Subrisit crudele pater, cristisque micantem
Quassabat galeam; tunc implacabile numen
Bellonam alloquitur, quæ sanguine sordida vestem
Illyricis pingues pectebat stragibus hydros :
« Necdum mollitiæ, necdum, germana, mederi

de *Ancyrano triumpho*; illam enim proprie esse bellicam ob res bene gestas; laudat Ovid. Met. XIII, 248, et not. ad Phædr. IV, 2. Verum ex interpretatione τοῦ *mole* facilius *laude* nasci potuit, quam ratione inversa.

102. *Ceu vinctos traherent Medos*, tam sublimes itinere peracto, ac si maximam de gravissimis et maxime longinquis hostibus victoriam reportassent.

103. *Gelonis*; cf. III, 113.

104. *Arva Thracia*; I, 104. — *Cruentato*; Sil. Italic. III, 704; Stat. Theb. VII, 69 sqq.

105. *Pangæa*; supra III, 336. Cf. Spanb. ad Callim. H. in Del. 134. — *Subsidunt rotis*, deprimuntur gravitate et pondere currus. Homer. Il. ε, 838 :

. . . μέγα δ' ἔβραχε φήγινος ἄξων
Βριθοσύνῃ· δεινὴν γὰρ ἄγεν θεόν.

Cf. Virgil. Æn. XII, 334 sq. Sil. Italic. XVII, 487 sqq.

106. *Hæmi*; supra III, 334.

107. *Femineasque togas*, fluentes, mollem omnino vestitum, totumque ornatum feminis digniorem quam viris. — *Pressis*. Virg. Æn. I, 63: « premere et laxas dare habenas. »

108. *Subrisit crudele*. Hoc explicat versus Virgil. Æn. X, 742 :

Ad quem subridens mixta Mezentius ira.

109. *Quassabat galeam*, quum caput indignatione quateret. Conf. Homer. Odyss. ε, 285; Virgil. Æn. VII, 292; Valer. Flacc. VII, 577 :

Diversos postquam ire videt; galeamque micantem
Quassat, et errantem dextra ciet obvius ignem;

eumdem, I, 528 sqq. Sil. Italic. VI, 600; Juvenal. II, 130; Ovid. Met. II, 50.

110. *Bellonam*. Locus classicus de Bellona est Sil. Italic. V, 220 sqq. — *Sanguine sordida* Quint. Calab. VIII, 287 :

. . . ἀλγινόεντι λύθρῳ πεπαλαγμένη ὤμους.

Vid. La Cerda ad Virgil. Æn. lib. VIII, 703.

111. *Pectebat hydros*. Nemo fortasse, præter Claudianum, habitum furialem tribuit Bellonæ, hydros nempe. Poterat tamen ille ad hoc facile deduci, quum alii jam ei flagellum et facem tribuissent. — *Illyricis stragibus*. Turbatum erat Illyrium bellis Geticis Alarici. Cf.

Possumus Eoæ? nunquam corrupta rigescent
Secula? Cappadocum tepidis Argæus acervis
Æstuat; infelix etiamnum pallet Orontes.
Dum pereunt, meminere mali: si corda parumper
Respirare sinas; nullo tot funera sensu
Prætereunt, tantique levis jactura cruoris.
Adspicis obscenum facinus? quid crinibus ora
Protegis? en quales sese diffundit in actus
Parva quies! quantum nocuerunt otia ferri!
Qui caruit bellis, eunucho traditur annus.
Actum de trabeis esset, si partibus una
Mens foret Hesperiis; rueret derisa vetustas,
Nullaque calcati starent vestigia juris,

Nostr. XV, 453, et Zos. lib. V, 26.

113. *Rigescent*, vigorem virilem induent, a luxu et mollitie abstinebunt.

114. *Argæus;* supra V, 31. — *Tepidis*, adhuc recentibus. Indicat Cappadociam et Syriam nuper bellicis calamitatibus vexatam esse, ejusque rei causam mollitiem fuisse, quam tamen, etiamsi multis cladibus edocti, deponere nescirent.

115. *Æstuat*, spumat, aut calet. — *Orontes*, supra VII, 70.—*Pallet* ut XXIX, 78. Heinsius mavult *squallet*, I, 112, et infra 566.

117, 118. *Nullo funera sensu Prætereunt* pro: sine sensu, non moventur funeribus vel prætereuntes.

119, 120. *Obscœnum facinus*, male ominosum; cf. Virgil. Georg. I, 470; Æn. III, 241; XII, 876. Eunuchum consulem factum intelligit, qui nunc cum Arcadio agmen effeminatorum hominum ducebat; infra 122. — *Quid crinibus ora Protegis.* Gesnerus cum Barthio id fecisse Bellonam putat, quod illam hominum effeminatorum puderet, et sibi placere negat Bellonam pudore coactam, ut tegeret faciem. Potest autem faciem tegere, ut risum malignum celet; conf. XVIII, 238.—*Quales sese diffundit in actus.* Utrum, se emollit in actus, Stat. Achill. I, 634; an simpliciter, quales actus proficiscuntur a etc.? Potest etiam hoc sensu capi: quemadmodum quies vim suam diffundit, hominesque ad hujusmodi facinora deducit.

121. *Otia ferri*, pax.

123. *De trabeis*, de dignitate consulari. — *Partibus;* supra 58.

124. *Rueret derisa vetustas;* XVIII, 475 sqq. Sub *vetustate* intelligit consules antiquos, ut infra v. 132 *ævum* idem notat. Illi *ruerent* de fastigio dignitatis suæ, deciderent, dignitatem amitterent, quam consulatu acceperant. — *Derisa* eo, quod consulatus etiam eunucho esset delatus.

125. *Calcati juris*, consularis dignitatis ludibrio habitæ. Sensus: ne umbra quidem illius dignitatis

Ni memor imperii Stilicho, morumve priorum,
Turpe relegasset defenso Tibride nomen,
Intactamque novo servasset crimine Romam.
Ille dedit portum, quo se pulsata referret
Majestas Latii, deformatæque secures;
Ille dedit fastos, ad quos, Oriente relicto,
Confugeret sparsum maculis servilibus ævum.
Quam similes hæc aula viros! ad mœnia visus
Dirige: num saltem tacita formidine mussant?
Num damnant animo? plaudentem cerne senatum,
Et Byzantinos proceres Graiosque Quirites.
O patribus plebes, o digni consule patres!
Quid, quod et armati cessant, et nulla virilem
Inter tot gladios sexum reminiscitur ira?

superesset, si ab eunucho esset temerata. Quum enim ab Honorio Eutropius consul non esset agnitus, in Occidente saltem consularis dignitas non erat temerata, sed salva. — *Starent*, manerent.

126. *Memor imperii*, dignitatis imperii memor.

127. *Turpe relegasset* etc. XVIII, 435 sq. et not. ad 438. Stilicho enim non passus est, nomen Eutropii Romæ in fastis scribi.

129. *Pulsata*, ignominia adfecta, vexata.

131, 132. *Ille dedit fastos*, scil. hujusmodi. Sensus: ille servavit fastos nulla macula pollutos, qui fasti dignitatem nominum vel eorum defendere possint, quæ in fastis Constantinopolitanis, adjecto eunuchi nomine (*maculis servilibus*) quasi polluta videantur. — *Oriente relicto*, ut delenda curent sua nomina ex fastis illis contaminatis, solumque in romanis relinquant.

133. *Viros*, sc. habet similes iis, quos Occidens habet. Heins. laudat Lucan. VIII, 543; « tam mollis turba Canopi Hos animos ». Ed.

134. *Mussant*, murmure oppresso indignationem ostenduut. Dici eam vocem quidam putant, quod muti non amplius quam μῦ dicunt. Ed.

136. *Graiosque Quirites* contumeliose dictum in Constantinopolitanos, præsertim quum Marti, tutelari Quiritium deo, tributum sit. Græcorum levitas et vanitas juxta romanam gravitatem et constantiam posita magis in oculos incurrit.

138. *Armati*, milites. — *Cessant*, non opponunt se istiusmodi indignitati, sed imperium penes eunuchum esse patiuntur.

139. *Inter tot gladios*, id est, inter tot milites; *nulla ira reminiscitur virilem sexum*, id est, nemo irascitur tam fœda, neque se virum esse meminit.

Huccine nostrorum cinctus abiere nepotum?
Sic Bruti despectus honos? ignosce parenti,
Romule, quod serus temeratis fascibus ultor
Advenio: jamjam largis hæc gaudia faxo
Compensent lacrymis. Quid dudum inflare moraris
Tartaream, Bellona, tubam? quid stringere falcem,
Qua populos a stirpe metas? molire tumultus;
Excute delicias. Thracum Macetumque ruinæ
Tædet, et in gentes iterum sævire sepultas.
Damna minus consueta movent: trans æquora sævas
Verte faces; aliis exordia sume rapinis.
Non tibi Rhipæis hostis quærendus ab oris;
Non per Caucasias accito turbine valles
Est opus. Ostrogothis colitur mixtisque Gruthungis

140. *Huccine cinctus abiere*, in eum despectum venere, ut eunucho tradatur. Sub *cinctu* autem intelligit vestem consularem; vide ad XVIII, 27.

145. *Tartaream tubam. Tuba* seu *buccina* tribuitur Bellonæ a recentioribus poetis. Vid. Burmann. ad Petron. 125; interpp. ad Valer. Flacc. III, 61; Sil. Italic. V, 223 sq. Illa vocatur *Tartarea*, quia ipsa dea *Tartarea* est; Sil. Ital. l. c. Apud Petron. l. c. ex Erebo venit ad superos. Cf. Senec. Hercul. OEt. 1311 sq. et Petron. 120, vocatur *feralis Enyo*.—*Falcem*, ἅρπην, ensem falcatum.

147. *Excute*, sc. illis. — *Macetum*. Vid. V, 279.

148. *Gentes sepultas* h. l. vocat eas, quæ continuis prope bellis tantum non deletæ sunt. Antiquitatis persuasioni accommodate, fingit Martem inter Thraciæ gentes continuo bella gerentem.

149. *Movent*, sc. meum numen.

151. *Rhipæis*; v. III, 242.

152. *Accito turbine*, belli tempestate accita. Sensus: non est opus hostes seu Barbaros per Caucasum adducere.

153. *Ostrogothis; Gruthungis*. Quæ sint et unde venerint gentes, frustra quæras. Infra ex v. 190, secundum Gesneri opinionem, videntur coloni fuisse, quibus agri adsignati erant. Ex historicis liquet, ea tempestate multas hominum colluvies ex variis gentibus sæpe collectas, unius ducis, virtute inter cæteros conspicui, auctoritate, incursiones fecisse in romani imperii provincias, atque ab illis sæpe agrorum adsignatione pacem esse emptam, quum a militibus vel effeminatis, vel seditiosis, ab agrorum vastatione urbiumque direptione arceri non potuissent. Pari ratione neminem fugit, illis barbarorum gregibus varia sæpe nomina

Phryx ager: hos parvæ poterunt impellere causæ
In scelus: ad mores facilis natura reverti.
Sic eat; in nostro quando jam milite robur
Torpuit, et molli didicit parere magistro:
Vindicet Arctous violatas advena leges;
Barbara Romano succurrant arma pudori. »
Sic fatus, clypeo, quantum vix ipse Deorum
Arbiter, infesto quum percutit æthera nimbo,

fuisse imposita, eaque illos frequenter mutasse, si novos Barbaros in societatem accepissent, aut ipsi aliis supervenientibus se adjunxissent. Barthius *Gothunnos* pro *Gruthungos* legi vult, ut mixtum genus indicetur ex Gothis et Hunnis gentibus.

155. *In scelus*, ut rebelles fiant. — *Ad mores*, ad ingenium. Feritatem enim ingenitam non omnino deposuerant.

156. *Sic eat.* Hanc lectionem defendit Heinsius citt. Lucan. II, 304; V, 217; Nostr. XXVI, 550; Burmann. addit XXXV, 137. — — *Quando*, quandoquidem, ut sæpe.

157. *Molli magistro*, eunucho.

158. *Arctous advena*, Ostrogothi et Gruthungi. — *Violatas leges*; mores majorum intelligit, eosque explicat versu sequenti per: *Romano pudori.* Illi mores violati erant mollitie omnis generis, imprimis autem eo, quod Eunuchus consul erat constitutus.

161, 162. *Infesto quum percutit æthera nimbo.* Heinsius deleto *æthera* ex quibusdam Mss. *ægida* rescripsit, eumque omnes fere deinceps editores secuti sunt. Sed Burmannus ipse nescire se fatetur, quid sit, *ægida nimbo percutere*, nisi *nimbo* casu absoluto positum pro, quum est tempestas, accipias. Et sola hæc ratio quodammodo est tolerabilis, cui tamen *percutit* minime est aptum. Jupiter enim ægida solet non *percutere*, sed *concutere*. Homer. Il. δ, 167 sqq. ρ, 593 sqq. Virgil. Æn. VIII, 352 sqq. Mars contra, militum more, clypeum interdum hasta ferit, seu percutit. Sil. Italic. XII, 684 sqq. Stat. Theb. IV, 665 sqq. Noli autem tibi cum Burmanno persuadere, poetam illas voces permutasse. Nullo modo ferenda est Gesneri ratio, qui existimat, Claudianum finxisse fragorem tumultuosumque tonitru inde esse, quod ægida, scutum suum, *nimbo*, vehementi grandine, percutiat Jupiter. Quod si ita esset, merito diceres, Salmonea illum tonitru felicius esse imitatum, quam illud a poeta verbis sit descriptum. Quum, quocumque te vertas, nihil expediatur, *æthera* sane reponendum est, a qua voce aberratio librariorum in *ægida* et *aera* facile potest explicari; ex scripturæ enim compendio illud Jovis tonantis mentionem docto suggessit describenti, hoc ex interpretamento natum est. Num conjectura Heinsii ad Valer. Flacc. I, 82, quam Bur-

Intonuit : responsat Athos, Hæmusque remugit;
Ingeminat raucum Rhodope concussa fragorem ;
Cornua cana gelu mirantibus extulit undis
Hebrus, et exsanguem glacie timor alligat Istrum.
Tunc adamante gravem nodisque rigentibus hastam,
Telum ingens, nullique Deo jaculabile, torsit.
Fit late ruptis via nubibus : illa per auras
Tot freta, tot montes, uno contenta volatu

manuus tantopere commendat, felicior sit, videant eruditi. Vellem sane, ut pauca exempla e multis, quibus illa conjectura confirmari posse ibi dicitur, fuissent prolata. Cur autem *æthera percutit nimbo* sibi displiceat, nec Burmannus ipse dicit, nec ego divinare possum. *Nimbi* sunt nubes, e quibus oriuntur tonitrua et fulmina, indeque interdum pro tonitru ipso et fulminibus ponuntur Virgil. Æn. II, 113; VIII, 353 sqq. et *vibrari* dicuntur. Vid. supra, I, 208:

Prospera vibrati tonuerunt omina nimbi.

Quod si igitur poeta fragorem, quem tonitru vocamus, ex fulminis impetu, quo nubes et aera rumpit, existere sibi persuasit (cf. Senec. Q. N. II, 17 sqq.) rationi suæ accommodate rem expressisse putandus est, et *quum Jupiter percutit æthera nimbo* poetice dictum pro: quum tonat. — *Clypeo... Intonuit.* Eadem ratione habet Virgil. Æn. XII, 332: *Clypeo increpat*, ubi vid. Heyne. Sil. Italic. IX, 422 sq. de Hannibale:

.... tum fervidus acrem
Ingentis clypei tonitru prænunciat iram.

Cæterum hæc et sequentia compares cum Callimach. H. in Del. 136 sqq. et ibi vid. Spanhem. — *Athos.* Cf. III, 136. — *Hæmus*, mons Thraciæ.

163. *Rhodope;* cf. III, 335, et Virg. G. I, 332. — *Concussa;* XIX, 53.

164. *Cornua;* v. n. ad I, 220 sq. VIII, 652; XXIX, 176. — *Mirantibus*, fragorem seu tonitru.

165. *Hebrus;* I, 123. — *Et exsanguem.* Accommodate hoc ad Istri naturam, de cujus glacie poetæ frequenter loquuntur. VIII, 159. — *Alligat*, in l. c. est *stantem Istrum.* Sed nimiam vim illi tonitru tribuit.

166. *Adamante;* I, 99. — *Nodisque rigentibus.* Hujusmodi hastæ descriptio est apud Virgil. Æn. XI, 552 sq. eumque secutus est Sil. Italic. IV, 282. Respicit Noster ad illum ritum Romanorum, quo bella indici solebant a Fecialibus, hasta jacienda; Ovid. Fast. VI, 207 sq.

Prospicit a tergo summum brevis area circum,
Est ibi non parvæ parva columna notæ.
Hinc solet hasta manu belli prænuncia mitti,
In regem aut gentes, quum placet arma capi.

Festus Pomp. « Bellona dicebatur dea bellorum; ante ejus templum erat columella, quæ bellica vocabatur; supra quam hastam jaciebant, quum bellum indicebatur. » Hastam mittit Bellona ipsa apud Stat. Theb. IV, 5 sqq. Cf. eumdem XII, 649.

169. *Contenta*, virium contentione acta. — *Contendere hastam*

Transilit, et Phrygiæ mediis affigitur arvis.
Sensit humus: gemuit Nysæo palmite felix
Hermus, et aurata Pactolus inhorruit urna,
Totaque submissis fleverunt Dindyma silvis.
Nec Dea præmissæ stridorem segnius hastæ
Consequitur, centumque vias meditata nocendi,
Tandem Targibilum (Geticæ dux improbus alæ
Hic erat) aggreditur: viso tum forte redibat
Eutropio vacuus donis, feritasque dolore
Creverat, et, teneris etiam quæ crimina suadet
Ingeniis, Scythicum pectus flammabat egestas.
Huic sese vultu simulatæ conjugis offert,
Mentitoque ferox incedens barbara motu,

pro emittere, non occurrit apud Virg. Æn. X, 521; sed *tendere*. Ed.

171. *Nysæo*; VIII, 605. Cf. Stat. Silv. III, 3, 61 sq.

172. *Pactolus*; v. Nost. ad I, 54 et 213.

173. *Dindyma*, τὰ Δίνδυμα, sc. ὄρη. Phrygiæ mons Magnæ Matri deum sacer, quæ inde Dindymene vocatur, cujus sacra ibi celebrabantur; Virgil. Æn. IX, 617 sq. Sil. Italic. XVII, 20 sq. — *Summissis silvis*, fortasse i. q. demissis frondibus in signum luctus. — *Fleverunt*; cf. Sil. Italic. XIV, 513 sqq.

174. *Dea*, Bellona. — *Præmissæ hastæ stridorem*, id est, hastam cum stridore volantem.

175. *Vias nocendi*; Tacit. Ann. II, 5: « Tractare præliorum vias. » *Via* est modus rei gerendæ; v. ibi Ernesti, qui Græcum laudat λόγος, μύθων οἴμους. Cf. Callimach. H. in Jov. 78, ubi idem citat Pindar. Olymp. IX, 72 sqq. Theocrit. XIV, 69; adde Burmann. ad Valer. Flacc. I, 32 et 502.

176. *Targibilum*; Mss. variant in hoc nomine. Apud Zosimum vocatur Trigibildus. — *Geticæ alæ dux*. Heins. existimat, Nostrum ante oculos habuisse Stat. Theb. X, 461.

177. *Viso*. Honoris causa, Targibilus Eutropium inviserat.

178. *Vacuus donis*. Donis enim Barbarorum ductores tunc erant conciliandi.

179, 180. *Teneris ingeniis*, mansuetis; ea opponuntur feris et barbaris. — *Scythicum*, barbarum. — *Flammabat*, inflammabat.

181. *Vultu simulatæ conjugis*. Exempla, quibus dii vel deæ certi cujusdam hominis vultum induunt, ut hac dissimulati forma, consilium aliquod exsequantur, obvia sunt apud omnes fere poetas.

182. *Motu*, quæ lectio, judice Burmanno, præferenda est alteri *gressu* a glossatore profectæ. Laudat Horat. Od. IV, 13, 17 sq. Ovid. A. A. III, 305; Amor. II, 4, 23.

Carbaseos induta sinus : post terga reductas
Uberibus propior mordebat fibula vestes,
Inque orbem tereti mitra redeunte capillum
Strinxerat, et virides flavescere jusserat angues.
Advolat, ac niveis reducem complectitur ulnis,
Infunditque animo furiale per oscula virus :
Principe quam largo veniat, quas inde reportet
Divitias, astu rabiem motura requirit.

183. *Carbaseos.* Gesoero mirum videtur, quod Noster huic mulieri linteam vestem dat, non pelliceam. Existimat, mitiorem plagam illis Barbarorum mulieribus delicatiores vestes suasisse. Hoc quidem omnino fieri potuit, quum e vastis et horridis solitodioibus, in terras mitiori cælo gaudentes, irrupissent, ut omnes vitæ commoditates, quas ante ignoraveraot, cupide arriperent, vestitomque incultum cum molliori permutarent: vid. iofra 249 sq. Sed Tacitus de Mor. G. c. 17, ubi de cultu virorom, quem pellibus plerumque constitisse memorat, dixit, de feminis adjuogit : « Nec alii femiois qoam viris habitus, nisi quod feminæ sæpius lineis amictibus velantur, eosque purpura variaot, partemque vestitus superioris io manicas non extendunt, nudæ brachia et lacertos. Sed et proxima pars pectoris patet. » Plio. H. N. XIX, sect. 2 : « Jam quidem et Transrhenani hostes vela e lino texont, nec pulchriorem aliam vestem eorum feminæ oovere. » — *Post terga reductas vestes.* Hæc iocedeotem molierem pingere videntur, quæ a tergo vestes laxas fibula in pectore junctas trahat. Prudent. Psychom. 186 sqq. in pugna Superbiæ et Humilitatis :

Carbasea ex humeris summo collecta coibat
Palla sinu, teretem nectens a pectore nodum.
A cervice fluens, tenui velamine limbus,
Concipit ingestas textis turgentibus auras.

Cf. Juvenal. Sat. I, 27. Cf. Nost. XXXV, 16 sq.

184. *Mordebat vestes*, simpliciter pro : retinebat.

185, 186. *Strinxerat*, recte; μίτρα μὲν ἀναδεδεμένος τὴν κόμην, Lucian. Deor. dial. XVIII, p. 247, T. I, ed. Reiz. et τῇ μίτρᾳ τουτούς (βοστρύχους) ἀνειλημμένος, l. c. t. II, p. 206. Prudent. Psychom. v. 358 :

Ut mitra cæsariem cohibens aurata virilem.

Ovid. Fast. IV, 517. Heinsio placere videtur altera lectio *Struxerat*, ut de suggestu comæ sermo sit; laudat Prudent. l. c. 183 sqq. Cf. Juvenal. VI, 500 sqq. — *Virides angues*, v. supra ad v. 111. — *Flavescere*, ut capillorum rutilorum, qoibus geotes septentriooales insignitæ erant, apeciem referrent.

Illyricis pingues pectebat stragibus hydros.

187. *Niveis*, ut mulieris Arctoæ.

188. *Infundit* etc. Comparari potest cum boc versu Virgil. Æn. I, 687 sqq.

189. *Principe*, omissa præpositione *a*. Vid. infra XXIII, 11.

190. *Astu.* Simulabat enim, quum boc ex viro sciscitaretur, se nullo modo dubitare, qoin donia a prin-

Ille iter ingratum, vanos deflere labores,
Quos super eunuchi fastus, quæ probra tulisset.
Continuo secat ungue genas, et tempore pandit
Arrepto gemitus: « I nunc, devotus aratris

cipe adfectus sit, et hoc tantum se interrogare, quam multa et præclara acceperit? Non poterat enim fieri, quin illis interrogationibus cupiditas ejus delusa, ira adcenderetur gravissima, quum non sine ignominiæ acceptæ dolore fateri posset, se nihil accepisse.

191. *Iter ingratum*, inutile. — *Deflere*. Pulchre Gesnerus vidit, h. l. de lacrymis profusis cogitandum non esse, id quod barbaro duci vix conveniret, sed *deflere* esse: dolorem suum profiteri. Laudat Gesnerus Sueton. in Calig. 38: « Julii et Augusti diplomata ut vetera et obsoleta deflebat », et 30: « Hanc ut crudelissimam cædem deflevit edicto. » Addi his potest Tacit. Annal. III, 49: « Fine anni, C. Lutorium Priscum, equitem romanum, post celebre carmen, quo Germanici suprema defleverat etc. » — *Labores*, iter susceptum.

192. *Fastus tulisset*, sc. commemorat. — *Super*, insuper. Virg. Æn. II, 71: « cui neque apud Danaos locus, et *super* ipsi Dardanidæ pœnas poscunt »: quod probat Heinsius. Ed.

193. *Continuo secat ungue* etc. Genarum laceratio gravissimi doloris expressio erat, apud Græcorum et Romanorum mulieres. Sic quoque Cic. Tusc. Q. III, 26, notante Gesnero, inter varia lugendi genera etiam « muliebres lacerationes genarum » refert. Nostri mores talia respuunt, infimæque sortis mulierculis relinquunt, quum et decoris sensus etiam mulieribus injungat nimiam adfectuum vehementiam cohibere. Hanc autem morum partem magis excultam nos quidem debemus et cælo frigidiori, et aliis causis, a quibus diversa judiciorum de iis, quæ deceant et quæ turpia videantur, ratio pendere soleat. H. l. autem mulier barbara cogitanda est, imo Bellona ipsa in illius formam mutata, quæ id agat, ut maritum ira et dolore ex cupiditate decepta inflammet. — *Tempore arrepto*, i. e. tempore statim occupato, seu occasione celeriter arrepta, quæ data ei erat ad consilium suum exsequendum, maritumque exprobrationibus exacerbandum. De hac et similibus loquendi formulis multi egerunt. Cf. Heins. et Burm. ad Valer. Flacc. II, 252; ad Ovid. Heroid. XIX, 74; A. A. I, 400; Drakenbor. ad Sil. Italic. I, 569. — *Pandit*; alia lectio est *prodit*, quam nihilo deteriorem Heinsius censet; verum prior melius convenit mulieri furorem simulanti, simulque exquisitior est, ita ut posterior glossa prioris videatur. Proprie dicendum fuisset: pandit oris rictum, et gemit

194. *I nunc*. Formula cum contemptu aliquem dimittendi frequentissima. Vid. not. ad Pers. IV, 19. — *Devotus aratris*. Hoc declarari videtur Gesnero, barbaros illos fuisse colonos in Phrygia et Lydia. Zosim. V, 13, rem ita narrat: Gai-

Scinde solum, positoque tuos mucrone sodales
Ad rastros sudare doce: bene rura Gruthungus
Excolet, et certo disponet sidere vites.
Felices aliæ, quas debellata maritis
Oppida, quas magnis quæsitæ viribus ornant
Exuviæ, quibus Argivæ pulchræve ministrant
Thessalides, famulas et quæ meruere Lacænas!
Me nimium timido, nimium junxere remisso
Fata viro, totum qui degener exuit Istrum,

nam non convenienti sibi, ut putasset, honore adfectum, nec satis muneribus oneratum, socium sibi consilii Tribigildum adjunxisse. Hunc fuisse virum animo præsenti, et ad quodcumque facinus promptissimum, alisque Barbarorum, in Phrygia collocatorum, præfuisse. Probato Gainæ consilio, illum Constantinopoli digressum abiisse, simulantem, se velle barbaros sub se militantes inspicere, ὅπως ἂν ἐπισκέψαιτο τοὺς ὑπ' αὐτῷ τεταγμένους βαρβάρους. Conf. Sozom. VIII, 4; Socrat. VI, 6; Philostorg. VI, 6. Etiam ex Nostro apparere videtur, non colonos, sed milites fuisse mercenarios. Indignationem enim Targibili ex eo maxime accendit Bellona, quod jubet eum arma jam deponere, suosque socios non armorum tractandorum, sed agrorum colendorum artem docere, ut inde vitam sustentent, quam armis alias honestius tueri soliti fuissent. Cf. infra 205 sq. et 399 *desertores* vocantur. Vide tamen v. 153 et 576 sqq.

195. *Mucrone*, armis.

196. *Ad rastros sudare doce.* Nondum igitur erant agris colendis adsueti. — *Sudare* laboris difficultatem exprimit et adsiduitatem, quam Barbari, rapto vivere soliti, maxime aversantur. — *Bene* ironiæ et irrisioni aptum, pro: bene decebit Gruthungum rura excolere.

197. *Certo sidere.* Omnia quæ fiunt in agricultura, certis temporibus fiunt; tempora autem, ut notum est, definiri solebant sideribus, aut orientibus, aut occidentibus. Virgil. Georg. I, 1.—*Disponet* i. q. *vites ordine ponet*, Virgil. Eglog. I, 74.

198. *Felices aliæ.* Invidiæ stimulos jam admovet, ignaviæque exprobrationem, quam omnes viri, barbari imprimis, ægre ferunt. — *Debellata oppida.* Urbium a barbaris expugnatarum atque expilatarum exempla ea tempestate erant frequentissima.

199. *Magnis viribus.* Et hoc acriter pungere Barbarum debuit.

201. *Meruere*, accepere, consecutæ sunt.

202. *Remisso*, languido, qui honoris sensu non movetur.

203. *Totum Istrum*, mores paternos, ingenium viri trans Istrum nati. Paullo durior figura. Eodem modo Senec. Med. 43: *Et inhospitalem Caucasum mente indue.* Mollius

Qui refugit patriæ ritus, quem detinet æqui
Gloria, concessoque cupit vixisse colonus,
Quam dominus rapto: quid pulchra vocabula pigris
Prætentas vitiis? probitatis inertia nomen,
Justitiæ formido subit: tolerabis iniquam
Pauperiem, quum tela geras? et flebis inultus,
Quum pateant tantæ nullis custodibus urbes?
Quippe metus pœnæ: pridem mos ille vigebat,
Ut meritos colerent, impacatisque rebelles

Sil. Italic. VII, 495, *exuere monita et Fabium*. Eadem figura dixit snpra VII, 157: *induere mente patrem*.

204, 205. *Detinet æqui gloria. Æqui gloria* h. l. est gloria ex fide servata, et ex eo, quod a rapinis abstinuerit. — *Detinet* Gesnerus ita explicat: in humili loco tenet, nec emicare sinit, vel emergere. Sed supplendum est: in officio. Sic et *armis detinere* apud Virgil. Eclog. X, 44 sq. — *Cupit* sc. magis. Gesnerus opportune laudat Homer. Il. α, 117; Valer. Flacc. VII, 427, ubi similis ellipsis occurrit. — *Concesso*, sc. in agro. Non dicit autem Noster, illis Barbaris concessos fuisse agros, ex quibus colendis vitam sustinerent, sed hoc tantum vult, qui æquitati indulgeat, eum cupere magis servili operi et rustico intentum esse, quam liberum esse, et ex rapto vivere.

206. *Pulchra vocabula* sunt vocabula virtutum; *pigra* autem *vitia* sunt, quæ ex pigritia seu ignorantia nascuntur.

207. *Prætentas*. XV, 438. *Prætentare quid* occurrit pro: tendere aliquid præ se, ad corpus tuendum. Inde vis, quam h. l. habet, derivanda est. Est enim idem, quod: prætendis, ut etiam in tribus Mss. legitur, quæ lectio glossam superioris aperte sapit. *Prætendere* habet Ovid. Rem. A. 240. Sensus: splendida nomina vitiis imponis. — *Probitatis inertia nomen .... subit*; i. e. quam tu probitatem vocas, inertia aut ignavia est.

208. *Iniquam* non videtur esse duram, aut importunam, sed quam non mereris pati, quum arma geras.

209. *Flebis*; vid. supra ad v. 191.

210. *Quum pateant*. Burmannus existimat, latere forte nomen gentis; proponit *Quum pateant Phrygiæ nullis custodibus urbes*. Hoc sensu: ante adfixus arvis Phrygiæ fueras v. 169 (sed vid. ad v. 194), quum majorem prædam ex urbibus direptis possis exspectare. Colorem putat ductum esse ex Lucan. V, 411. Verum nescio, unde auspicio latentis nominis gentis possit oriri, sive *tantæ* vulgari sensu, sive pro *tot* positum accipias.

211. *Quippe metus pœnæ*, scil. in officio detinet te. — *Quippe* acerbissimæ ironiæ summa cum indignatione conjunctæ inservit, ut ap. Virgil. Æn. I, 39.

Quippe vetor fatis.....

— *Vigebat*, scil. apud Imperatores.

Urgerent odiis: at nunc, qui fœdera rumpit,
Ditatur; qui servat, eget. Vastator Achivæ
Gentis, et Epirum nuper populatus inultam
Præsidet Illyrico: jam, quos obsedit, amicus
Ingreditur muros, illis responsa daturus,
Quorum conjugibus potitur, natosque peremit.
Sic hostes punire solent; hæc præmia solvunt
Excidiis: cunctaris adhuc? numerumque tuorum
Respicis, exiguamque manum? tu rumpe quietem:
Bella dabunt socios; nec te tam prona monerem,
Si contra paterere viros: nunc alter in armis

215. *Inultam.* Heinsius mavult *opimam* ex uno Ms. quia *inultus* præcessit v. 209: laudat Virgil. Æn. I, 621; Horat. Od. I, 7, 11; quod esset ἐρίβωλος, ἐρίβωλαξ Homer. Il. Є, 841, quod epith. sæpins apud illum occurrit. Quum in quatuor Mss. sit *adultam*, existimat forte legendum esse *adulter* (conf. infra 218). Videant, ait, acutiores, an non et hoc castæ uxori conveniat convicium? Forsan non omnino absurde conjici possit *inulto*, ita ut ad *Illyrico* spectet; XXXVI, 302. Sozomen. H. E. VIII, 25, narrat, Alaricum, hic enim h. l. intelligitur, a Stilichone ad suas partes tractum, magistrum militum in Illyrico esse constitutum. Cf. *Buat*, *Histoire ancienne des peuples de l'Europe*, t. VII, p. 69 sqq. Hoc autem Claudianus vix respicere potest, quia ea, quæ dicit, exprobrationis speciem præ se ferunt; certe cunctis bac de re aut omnino non locutus esset. Fortasse id, quod Sozomenus a Stilichone narrat factum, Arcadio et Eutropio a Nostro tribuitur; vide infra XXVI, 535 sqq. Occupavit certe Illyricum, quasi inter utrumque imperium situm ac litigiosum, primo Honorii, deinde Arcadii nomine accepta utrinque pecunia. Cæterum monet Heinsius, *Illyricum* absolute dici; XXI, 171. Altera lectio *Illyricis*. Sed tum idem censet *Illyriis* legendum. Propert. II, 13, 10. V. Gronov. ad Liv. XXVI, 25; Burmann. ad Ovid. Trist. V, 13, 1.

217. *Responsa daturus illis.* Conf. XXIV, 104.

222. *Bella dabunt socios.* Quum primum bellum moveris, undique ad te convolabunt Barbari, qui æque ac tu novarum rerum cupidi sunt, et ducem modo exspectant. — *Tam prona;* Gesnerus: *pronus monet*, qui vehementer hoc agit, ut auriga, qui pronus imminet, et velut incumbit equis. Vir doctissimus procul dubio ante oculos habuit Virgil. Æn. V, 147; X, 586.

223. *Contra*, ex adverso. — *Paterere*, si res tibi foret cum viris. Gesnerus laudat Lucan. X, 438. Adde Sil. Italic. XV, 751; Valer. Flacc. III, 17. — *Alter sexus*, proprie feminæ, h. l. eunuchi.

Sexus, et eunuchis se defensoribus orbis
Credidit; hos Aquilæ Romanaque signa sequuntur.
Incipe barbaricæ tandem te reddere vitæ.
Te quoque jam timeant, admirenturque nocentem,
Quem sprevere pium: spoliis prædaque repletus,
Quum libeat, Romanus eris. » Sic fata, repente
In diram se vertit avem, rostroque recurvo
Turpis, et infernis tenebris obscurior alas,
Auspicium veteri sedit ferale sepulcro.
Ille, pavor postquam resoluto corde quievit,
Et rigidæ sedere comæ, non distulit atrox
Jussa Deæ; sociis, quæ viderit, ordine pandit,
Invitatque sequi: conjurat barbara pubes
Nacta ducem, Latiisque palam descivit ab armis.

226. *Barbaricæ vitæ*, id est, rapinis et populationibus.

227, 228. *Nocentem;* supra vid. 213, *qui fœdera rumpit;* et sic ex opposito *pium*, qui fœdera servat.

229. *Quum libeat*, hoc positum Gesnerus existimat pro: quum libuerit. Ex ingenio linguæ latinæ, et si accurate loqui velis, debet esse vel *quum libeat*, vel *quum libebit*. Sic recte apud comicos, imprimis Terentium: *quum voles*, quod male interpretes quidam dictum putant pro *quum volueris*.— *Romanus eris*, civis Romanus fieri poteris.

230. *Diram avem*, bubonem intelligo.

231. *Obscurior* contra *obscœnior*, quæ altera lectio est, defendit Burmann. ad Ovid. Amor. III, 9, 20.

232. *Auspicium.* Claverius comparat Virgil. Æn. XII, 862 sqq.

233. *Resoluto corde.* Terrore cor constringitur, quum sanguis a partibus exterioribus ad interiora compellitur, ipsaque sanguinis congestio, quæ proprie cor extendere nititur, sensum efficit cordis constricti, aut angustati. Contrarium fit, quando sanguis ad meatum primum redit; tunc cor illo non amplius pressum resoluti cordis sensum præbet.

234. *Rigidæ comæ*, ὀρθαὶ τρίχες Homer. Il. ω, 358 sq. *Arrectæ comæ* Virgil. Æn. IV, 280.

235. *Ordine pandit*, ut Virg. Æn. III, 179.— *Sociis*, non iis solum, quibus præerat, sed etiam aliis barbaris, quos in societatem belli adsumere cupiebat. Hoc videtur elici posse ex sequenti: *Nacta ducem.*

237. *Latiisque ab armis.* Vix puto hæc sana esse. Illo enim epithet. omnia designare solet, quæ ad imperium Occidentale pertinent, aut quæ a priscorum Romanorum institutis repeti solent. Forte scripsit *Eoisque:* cf. ad V, 105, 161, et ad XVIII, 400.

Pars Phrygiæ, Scythicis quæcumque Trionibus alget
Proxima, Bithynos; solem quæ condit, Ionas;
Quæ levat, attingit Galatas; utrinque propinqui
Finibus obliquis Lydi, Pisidæque feroces
Continuant australe latus: gens una fuere
Tot quondam populi, priscum cognomen et unum,
Appellata Phryges; sed quid non longa valebit
Permutare dies? dicti post Mæona regem
Mæones; Ægæos insedit Græcia portus;

238. Inseritur descriptio Phrygiæ, cujus fines et habitatores autiqnos accurate describit poeta, populosque recenset, qui seriori tempore eo habitatum coucesserant. Gloriam illius regionis, et ex gentis antiquitate, et ex fabulis deorum repetit; deinde fluminnm maxime iusignium mentionem facit, nbertatemque et divitiss laudat. — *Trionibus*. VII, 205. —*Alget*. Hoc nou proprie sumendum esse per se patet, sed partem designat, quæ ad Septemtriones spectat.

239. *Bithynos*, sc. attingit. — *Solem quæ condit* eadem ratione: quæ spectat occidentem; quum *solem condere* vel *levare* proprie extremæ orientales et occidentales terræ dicautur. Cf. XXIX, 51. — *Ionas*, qui in oris occidentalibus Asiæ Minoris habitabant.

240. *Galatas*; vid. Flor. II, 11, 3 sq. Liv. XXXVIII, 16.

241. *Pisidæque feroces*. *Pisidia* inter Lydiam, Phrygiam, Pamphyliam, Cariam posita, in ipsis Tauri montis extremitatibus. Inde epith. solemne moutium habitatorihus, Liv. l. c. 13. « In finibus Pisidarum est urbs (Tabæ) in ea parte, qnæ vergit ad Pamphylium mare. Integris viribus regionis ejus, feroces ad bellaudum habebat viros »; et c. 15: « Colunt Pisidæ, longe optimi bello regionis ejus, quum ea res animos facit, tnm agri fœcunditas, et multitudo hominum, et situs inter paucas mnnitæ urbis. »

243. *Tot quondam populi*; τὸ *quondam* pertinet ad *fuere*. Plures populos fuisse ejusdem gentis et communi nomine, Pbryges appellatos, antiqui scriptores commemorant.

244. *Appellata* (gens) *Phryges*. Strab. X, p. 324; XII, p. 380 et 394, quæ loca Gesnerus jam laudavit. E Thracia colonos omnes eas gentes facit, ubi etiam docet, difficile esse, populorum illorum fines distinguere.

244. *Mæonia*. De Mæone rege nihil, quod equidem sciam, aliunde notum est.

246. *Ægæos insedit Græcia portus*. Intelligit oram maritimam occidentalem Asiæ Minoris ad mare Ægæum, cui αἶγες, h. e. τὰ κύματα, fluctus et procellæ nomen dederunt, ut monet Heinsius ad Sil. Italic. I, 468; quam oram Iones, Achæi, Dores coloniis suis occupaverunt. Confer M. T. Ciceronem, pro Flacco, c. 27.

Thyni Thraces arant, quæ nunc Bithynia fertur.
Nuper ab Oceano Gallorum exercitus ingens
Illis, ante vagus, tandem regionibus hæsit,
Gæsaque deposuit, Graio jam mitis amictu,
Pro Rheno poturus Halyn: dat cuncta vetustas
Principium Phrygibus; nec rex Ægyptius ultra
Restitit, humani postquam puer uberis expers

247. *Thyni Thraces arant, quæ nunc Bithynia fertur. Thyni* Thraciæ populus, qui olim eam regionem, pulsis Bebrycibus (Val. Flacc. IV, 99 sqq.) veteribus incolis, occupaverunt.— *Arant* Heinsius defendit citt. Virgil. Æn. III, 13; Lucan. IV, 334; Sil. Italic. IV, 546; Stat. Theb. V, 53. Contra disputat Reines. in epist. XXXIII, ad Daumium, notante Burmanno, quia conferat poeta Bithyniam, quæ nunc fertur, cum veteribus Bithyniæ incolis, Thynis Thracibus, aptiorem esse alteram lectionem *erant*. Addit Burmannus, si legi posset *arabant*, se aliquo modo Heinsio adcessurum. Putat librarios, qui *arant* supposuerint, offendisse insolentiorem locutionem *Thyni, quæ nunc* etc. Sed gentium nomina, ait, pro regione et contra poni. Vide eum ad Ovid. Amor. III, 4, 20; Met. IV, 668; Vellei. Paterc. II, 40, et supra XVIII, 203. Reinesii rationem puto nullum locum habere. Equidem Nostrum sic intelligo: *quæ nunc Bithynia fertur*, eam *Thyni Thraces arant*, a quibus hoc nomen accepit; olim et hæc regio a Phrygibus colebatur, et ad Phrygiam pertinebat. Proprie autem regio nomen accepit a Bithynis, qui cum Thynis eam communiter occupaverunt. Her. I, 28. Cf. Plin. H. N. V, sect. 43: « Tenent oram omnem Thyni, interiora Bithyni. »

248. *Nuper.* Opponitur illis temporibus, quibus Thraces et Græci in Asiam Minorem venerunt. Erat autem illud *nuper* DC annis amplius ante Claudiani ætatem. Regio ipsa, qua Celtæ, sive vulgatiori nomine, Galli sedes suas fixerant, a Romanis *Gallogræcia*, a Græcis *Galatia* appellata est. De illa insigni migratione multa disputata sunt; certissima ex ipsis fontibus breviter simpliciterque hausta et digesta leges in Jo. Dan. Schœpflini Vindiciis Celticis, Argentor. 1754.

249. *Hæsit*, sedem fixit.

250. *Gæsaque*, jacula Gallica. Cæs. de Bell. G. III, 4. La Cerda ad Virgil. Æn. VIII, 663. Cluver. Germ. antiq. I, 44. Pro armis patriis omnino. — *Mitis;* ante enim erat ferus, barbarus.

251. *Halyn.* Supra V. 32.

252, 253. *Principium*, Phrygum vetustissimam fuisse gentem. — *Nec rex Ægyptius.* Respicit Claudianus fabulam, quam de Psammeticho, Ægyptorum rege, narrat Herodot. II, 2. Ille enim ut dijudicaret, utrum Ægyptii an Phryges vetustiores essent, pueros caprarum uberibus in solitudine; ἐν στέγῃ ἐρήμῃ, jussit nutriri, ubi voeem humanam audirent nullam,

In Phrygiam primum laxavit murmura vocem.
Hic cecidit, Libycis jactata paludibus olim,
Tibia, fœdatam quum reddidit umbra Minervam;
Hic et Apollinea victus testudine pastor
Suspensa memores illustrat pelle Celænas.

ut exploraret, quam vocem primam emitterent, ex ea judicium de antiquitate gentium laturus. Quum primam vocem emisissent βεκὸς, quæ panem notaret Phrygibus, pronunciavit, Phryges reliquis populis esse antiquiores. Verum hæc fabula absurda vix conveniens esse dici potest alicui ex regibus Ægyptiorum, nedum Psammeticho. Cf. Schol. Apollon. Rhod. IV, 272. — *Nec ultra Restitit*, id est, nec ultra dubitavit profiteri, nec ultra negavit, Phryges origine vetustissimos esse.

254. *In Phrygiam primum laxavit murmura vocem.* Θέλων ἀκοῦσαι τῶν παιδίων, ἀπαλλαχθέντων τῶν ἀσήμων κνυζημάτων, ἥντινα φωνὴν ῥήξουσι πρώτην, Herod. loco cit. Inde adparet, quæ *murmura* noster intelligat. Cf. Stat. Silv. II, 1, 104. —*Laxavit*; v. supra ad 96.—*Laxare murmura in P. v.*, id est, laxare os, quo ante murmur inarticulatum pueri edebant, voci Phrygiæ.

255, 256. *Hic cecidit, Lybicis jactata paludibus olim, Tibia. Hic*, procul dubio in Phrygia. — *Tibia jactata olim Libycis paludibus*; hæc spectant ad fabulam notam, qua Minerva tibiæ inventrix fuisse traditur, eam autem abjecisse, quum vidisset, illo instrumento vultus suos deformes reddi. Vid. Brouhk. ad Propert. II, 23, 85; Ovid. Fast. VI, 697 sqq. A. A. III, 505 sq. — *Jactata* Gesnerus sumit pro: abjecta; et ita sumpserunt ii, qui pro *Libycis* substituere voluerunt *Lyciis*, quam Cujacii conjecturam esse Heinsius existimat. *Jactatam* autem hoc loco celebratam sermonibus esse, jam vidit Claverius. Cf. Nostr. XVIII, 103; XXII, 157. Nisi malis dicere, tibiam a Minerva abjectam esse ad Libycas paludes, quod fecisse eam ad Mæandrum fabulæ narrant. Propert. I. c. 85. dicit, tibiam natasse in Mæandri vadis. Minerva autem nata traditur ex palude Tritonia Libyæ Sil. Italic. III, 322. sqq. Lucan. IX, 350 sqq. Cf. Heyne ad Virgil. Æn. II, 171, et ad Apollod. p. 40 et 747. Ibique ab ea tibiam esse inventam dicit Pindar. Pyth. XII, 15 sq. Vid. ibi Schol. Inde vocatur *Tritoniaca arundo* ab Ovid. Met. VI, 384. — *Cecidit*, abjecta est. — *Umbra* imago est, quam Minerva in aqua vidit; v. n. ad X, 109. Alteram lectionem *unda* sine dubio veram vocat Burmannus post Markland. ad Stat. Silv. V, 3, 88. Pro *cecidit* alii habent *cecinit*, quo recepto *jactata* pro abjecta quodammodo potest sumi, quamquam *jactare* pro abjicere raro occurrat. — *Fœdatam* pro: vultu distorto.

257, 258. *Pastor victus*, Marsyas. Fabulam leviter tangit Ovid. Met. VI, 386 sqq. in excarnificatione Marsyæ ad nostrum sensum

Quatuor hinc magnis procedunt fontibus amnes
Auriferi; nec miror aquas radiare metallo,
Quæ toties lavere Midan : diversus ad Austrum
Cursus et Arctoum fluviis mare: Dindyma fundunt
Sangarium, vitrei qui puro gurgite Galli
Auctus Amazonii defertur ad ostia Ponti.
Icarium pelagus Mycalæaque litora juncti
Marsya Mæanderque petunt; sed. Marsya velox
Dum suus est, flexuque carens, jam flumine mixtus
Mollitur, Mæandre, tuo, contraria passus,
Quam Rhodano stimulatus Arar, quos inter aprica
Planities Cererique favet, densisque ligatur

nimia luxuriana. Confer notas ad Hygin. fab. 165. Herodoti tempore utrem, qui confectus dicebatur e Marsyæ cute, Celænis ostendebant; v. eum VII, 26, in fin. Barthius existimat, Nostrum ante oculos habuisse Stat. Theb. IV, 186. Ceterum Celenæ Phrygiæ oppidum ad fontes Mæandri.

259. *Hinc*, e Phrygia. — *Magnis fontibus*. Burmannus exponit : copiosa aquarum multitudine. Sed, ut ipse animadvertit, poetæ solent in his luxuriari, nec semper accurate in eorum descriptionibus versari. Fortasse et h. l. epith. temere adjectum est, quum Strabo XII, p. 543, ab eodem laudatus, narret, Sangarium longe fluere, antequam Gallo accedente auctus et navigabilis fiat. Liv. XXXVIII, 18, « Non tam magnitudine memorabilem, quam quod vim piscium ingentem præbet », ait.

261. *Midan*. Bacchus hoc dederat Midæ regi, ut omnia, quæ contigisset, in aurum mutarentur. Fabulam lepide narrat Ovidius, quem vid. ad Metamorphos. XI, 100 sqq.

262. *Arctoum mare*, h. l. Pontus Euxinus, quem statim Amazonium vocat. — *Dindyma*; videatur supra, v. 173.

263. *Vitrei*, pellucidi. — *Galli*, a quo fluvio Gallos, Phrygiæ deæ sacerdotes, dictos volunt. Vid. interpp. ad Ovid. Fast. VI, 361 sq.

265. *Mycalæaque. Mycale*, promontorium in litore occidentali Asiæ minoris, illa pugna celeberrimum, qua Persæ ab Atheniensibus devicti sunt. E regione sita est insula Samos.

266. *Marsya velox*; v. Oudendorp. et Burmann. ad Lucan. III, 206, sqq.

267. *Dum suus est*, necdum mixtus Mæandri aquis.

268. *Mollitur*, rapiditatem amittit, leniter fluere incipit.

269. *Rhodano... Arar;* vide notam ad XVII, 53.

270. *Ligatur*. Ad juga et pergulas respici putat Gesnerus, quæ adligatis ad perticas vitibus constituuntur.

Vitibus, et glaucæ fructus attollit olivæ,
Dives equis, felix pecori, pretiosaque picto
Marmore, purpureis cedit cui Synnada venis.

271. *Et glaucæ fructus attollit olivæ.* Heinsius putat, *attollit fructus* non proprie dici, probatque vehementer alteram lectionem *fluctus*, quam tamen vereor, ut ex locis laudatis confirmaverit. Laudat autem Rufum Fest. Avienum (Descript. orb. terræ, v. 1203, ubi vid. interpretes in Poet. lat. min. t. V. p. II, ed. Wernsd. p. 866 et 1134):

Ipsa dehinc tellus, qua circumplectitur orbem,
Et procerarum fluctu vernat palmarum;

Rutil. Itin. I, 284; Senec. Herc. Fur. 669; Virgil. Georg. II, 437; Nost. XXIX, 40; XXXV, 110; XXXI, 5. Sed in his locis omnibus vel de segete, vel de arboribus proceris et lentibus, quæ densæ sunt, facileque vento moventur, vel de umbris arborum in fluctibus, vel de buxo frequenti sermo est, in quibus similitudo aliqua undarum aut fluctuum deprehenditur. Ipsum epith. *glaucæ* priorem lectionem defendere videtur, quamquam et folia oleæ *glauca* vocantur infra XXII, 228. Sed videndus est Heyne in VV. LL. ad Virgil. Æn. V, 309. Cæterum notum est, ad ulmos et olivas vites ligari solere, ita ut idem solum duplicem fructum ferat. Inde quoque illud *ligatur* explicaudum est.

272. *Felix pecori.* Heinsius mavult *Dives equi*, *felix pecoris*; laudat Virgil. Æn. IX, 26. Verum h. l. plurium Mss. auctoritatem sequendam puto. Cf. Sil. Italic. V, 465 sq. Virgil. Georg. II, 239. *Felix pecori*, quæ terra favet pecori, ut est apud Virgil. l. c. 228.

273. *Picto marmore.* Gesnerus existimat, arte infectum marmor h. l. designari; laudat Plin. H. N. XXXV, 1. At mihi videtur sermo esse de marmore maculis distincto aut coloribus variis. Notæ enim sunt *pictæ volucres* Virgil. Æn. IV, 525. — *Purpureis cedit cui Synnada venis.* Cf. Stat. Silv. I, 5, 37 sq. et II, 2, 87 sqq. τὰ Σύνναδα Phrygiæ urbs Græcis, Latinis *Synnas*. Heinsius negat, Claudianum esse tam barbarum, ut sicut posterioris ævi scriptores, *Synnada* (singular.) pro *Synnas*, et *Persida* pro *Persis* scripserit; legi itaque jubet: *cui cedant Synnada.* Burmannus conj. *cædunt quod Synnada*, sc. Phryges, et qui in lapidicinis operas collocant. Equidem vix puto, Nostrum dicere voluisse, marmor Phrygium pretiosius esse marmore Synnadico, quum hoc ipsum, quod Synnade cædebatur, Phrygium esset. Cf. Jani ad Horat. Od. III, 1, 41. Mihi itaque valde adridet conjectura Burmanni, quamquam non opus fuit a lectione ed. Vicent. tam longe discedere; nam *cædit quod Synnade* non solum bene intelligitur, si subintelligas, Phrygia; sed etiam magis poeticum puto, quam *cædunt quod S.* Cæterum cf. Broukh. ad Tibull. III, 3, 15; Burmann. ad Ovid. Fast. III, 529. De Synnade accurate egit Tristan. T. II, comment. p. 202. Burman-

Talem tum Phrygiam Geticis populatibus uri
Permisere Dei: securas barbarus urbes
Irrumpit, facilesque capi: spes nulla salutis,
Nulla fugæ: putribus jam propugnacula saxis
Longo corruerant ævo, pacisque senecta.
Interea gelidæ secretis rupibus Idæ
Dum sedet, et thiasos spectat de more, Cybebe,
Curetumque alacres ad tympana suscitat enses;
Aurea sanctarum decus immortale comarum
Defluxit capiti turris, summoque volutus
Vertice crinalis violatur pulvere murus.
Obstupuere truces omen Corybantes, et uno

nus putat Nostrum expressisse Stat. Silv. II, 11, 28 sqq.

275. *Securus*, nihil hostile metuens.

277. *Putribus*, fragilibus, solutis jam ab aere; Vitruv. II, 7.—*Propugnacula* sunt pinnæ muri. Vide Heyne ad Virgil. Æn. IX, 170.

279. *Ida*, mons Phrygiæ.—*Gelidæ* propter altitudinem, Catull. LXIII, 52 sqq. et 70, et fontium copiam. Notum est epitheton πολυπίδαξ Homer. Il. θ, 47, et passim. Sacer erat matri deum.

280. *Thiasos;* Athenæus VIII, p. 362, ed. Casaub. Καλεῖται δὲ καὶ ὁ τῷ Διονύσῳ παρεπόμενος ὄχλος θίασος. Τοὺς μὲν οὖν θιάσον ἀπὸ τοῦ θεοῦ προσηγόρευον· καὶ γὰρ αὐτοὺς τοὺς θεοὺς οἱ Λάκωνες σιοὺς φασί. Videtur thiasus chorus esse quicumque dei alicujus vel deæ sacra celebrans. H. l. *thiasi* sunt Curetes, aut celebrantes sacra Cybeles; cf. Catull. LXIII, 28. De sacris Cybeles loca classica sunt Lucret. II, 610 sqq. Strabo X, p. 466 et quæ laudat Jani ad Horat. Od. I, 16, 5 sqq.

281. *Suscitat enses*, quandoquidem ipsa saltantium animis furorem immittit.—*Enses*, quibus scuta pulsantur. De saltatione armata ἐνοπλίῳ, πυῤῥίχῃ, sermo est; v. Spanhem. ad Callim. H. in Jov. 52. Percutiebant autem scuta *ad tympana*, i. e. ad numerum tympanorum. Cæterum tympana, cymbala, tibiæ Phrygiæ in Cereris sacris semper in usu erant. Interpp. ad Catull. l. c. 21 sq.

282, 283. *Aurea turris*. Fingitur Cybele coronam turritam capite gerens. Lucret. II, 606 sqq. Ovid. Fast. IV, 219 sq. ipsaque dea vocatur *turrita* Propert. IV, 11, 52. —*Sanctarum*, divinarum. Broukh. ad Tibull. II, 7, 13.

284. *Murus* ipsa corona turrita est; vocatur autem *crinalis*, quia crines hoc diademate continebantur, aut quia omnino ad crinium cultum hæc corona pertinebat. Cf. Virgil. Æn. IX, 576. Cæterum simile ostentum habes apud. Senec. Thyest. 701 sqq.

285. *Corybantes;* v. ad VIII, 150.

Fixa metu tacitas presserunt orgia buxos.
Indoluit genitrix ; tunc sic commota profatur :
« Hoc mihi jam pridem Lachesis grandæva canebat
Augurium ; Phrygiæ casus venisse supremos,
Delapsus testatur apex : heu ! sanguine qualis
Ibit Sangarius, quantasque cadavera lenti
Mæandri passura moras ! immobilis hæret
Terminus : hæc dudum nato placuere Tonanti.
Par et finitimis luctus, frustraque Lyæi
Non defensuros implorat Lydia thyrsos.
Jamque vale, Phrygiæ tellus, perituraque flammis,
Mœnia, conspicuas quæ nunc attollitis arces,

286. *Uno metu*, i. e. metu, qui simul omnes oppresserat. Heinsius laudat Stat. Theb. I, 109; VI, 411; VIII, 267; X, 560; XII, 168. Vid. Burmann. ad Valer. Flacc. VII, 230. Conf. supra V, 208.—*Orgia*, h. l. orgia seu sacra enthusiastica Cereris celebrantes : ἀπο τῆς ὀργῆς sic dicta. — *Fixa*. Saltatio subito cessabat omnibus miraculum seu omen stupentibus. — *Presserunt*, ab habenis sumptum, quæ premuntur, quando equi retinentur. Inde ponitur pro : retinere, coercere, ut *premere vocem* Sil. Italic. II, 280. — *Tacitas buxos*, tibias Phrygias obmutescentes, quarum forma exhibita est ad Ovid. Fast. IV, 182, ed. Burmann.

287. *Indoluit*, omine illo.

288. *Lachesis*, XV, 203.

289. *Casus supremos*, excidium, summam calamitatem.

290, 291. *Sanguine qualis Ibit*, quam decoloratus sanguine. *Ire* sæpius de fluviis dicitur. Heins. mavult *sanguine quali, quantasque moras* etc. quum Mæander leni fluat alveo, et tot flexus habeat, insuperque cadaveribus oppletus sit. Heinsius conjicit : *quantasque cadavere lentus Mæander passure moras.*

293. *Nato*. Mater enim deum loquitur.

294. *Par et finitimis luctus*. Burmann. conj. *Par it finitimis luctus*; vide eum ad Val. Flacc. VIII, 12.

295. *Thyrsos*, arma Bacchi et Bacchantum, quibus India subacta est. Facit Noster Bacchum tutelarem Lydiæ deum, ut Cybelen Phrygiæ.

296. *Jamque vale*. Sæpius occurrit ap. Virgilium, Georg. IV, 497; Æn. II, 789 etc. Respexit Noster veterem superstitionem satis notam, qua credebantur dii, imprimis tutelares, urbem aliquam aut regionem, quæ in eo esset, ut ab hostibus vastaretur, deserere. Plura dabunt La Cerda et Ursinus ad Virgil. Æn. II, 351 sq. quem locum Gesnerus opportune laudat. Conf. Euripid. Troad. 23 sqq. Tryphiod. v. 496 sqq. Inde evocatio deorum nata est, de qua Servius agit ad

Mox campi nudumque solum : dilecta, valete,
Flumina ; non vestris ultra bacchabor in antris,
Nec juga sulcabit noster Berecyntia currus. »
Dixit, et ad tristes convertit tympana planctus.
Labentem patriam sacris ululatibus Attis
Personat, et lacrymis torvi maduere leones.
Eutropius, quamvis nequeat metuenda taceri
Clades, et trepidus vulgaverit omnia rumor,
Ignorare tamen fingit, regnique ruinas
Dissimulat : parvam latronum errare catervam ;
In sontes tormenta magis, quam tela, parari ;

Virgil. l. c. cujus exemplum exstat apud Liv. V, 21. Cf. Macrob. Sat. III, 9.

299. *Bacchabor* pro, sacra mea non amplius celebrabuntur; aut simpliciter pro, non amplius versabor. — *Vestris in antris*. Si *vestris* refertur ad flumina, illa antra intelligenda sunt, unde flumina solent prorumpere, quæque eorum domicilia habentur. Quod autem in antris Cybeles sacra quoque celebrata sunt, hoc potest explicari ex antiquissima Curetum et Corybantum fabula, de qua vid. ad VIII, 150. Cf. Sil. Italic. XVII, 20 sq.

300. *Berecyntia*. *Berecyntus* mons Phrygiæ, unde Cybele *Berecyntia* dicitur.

301. *Tympana*, tympanorum sonitum.

302. *Attis*. Phrygius ille pastor a Cybele amatus. De hoc Attide narrationes sunt adeo diversæ et passim obscuræ, ut nihil certi de eo constitui possit. Vid. Doering ad Catull. LXIII et Vossium, qui putat, illum Atyn apud Catullum non esse Phrygium pastorem, de quo h. l. sermo est. In quo mihi quidem videtur verum vidisse, quamquam multis sententiam suam probare non potuerit.

303. *Et lacrymis torvi* etc. Exemplo Homeri (Il. ρ, 426 sq.) et Virgilii (Æn. XI, 90), qui equos flentes dominorum interitu induxerunt. Apud Virgilium l. c. La Cerda recensum agit animalium brutorum, quæ ab antiquis poetis flentia inducta sunt. — *Leones* : antiquæ imagines testantur currum Cybeles leonibus junctum esse.

304 sq. Eutropius metum dissimulantis periculumque contemnentis faciem induit; clam tamen studet Barbaros donis missis mitigare, quam rem nequidquam tentat.

305. *Omnia;* vid. supra 235 sq.

308. *In sontes tormenta magis*, etc. Sensus : magis cogitandum esse, ait, de suppliciis Barbarorum, qui defecissent, regionemque vastarent (*sontes*), quam de bello cum illis gerendo, quum tam exiguus eorum numerus sit, ut tantum capiendi sint, suppliciisque adficiendi, non bello persequendi.

Nec duce frangendas jactat, sed judice, vires.
Vasta velut Libyæ venantum vocibus ales
Quum premitur, calidas cursu transmittit arenas,
Inque modum veli sinuatis flamine pennis
Pulverulenta volat; si jam vestigia retro
Clara sonent, oblita fugæ stat lumine clauso
Ridendum revoluta caput, creditque latere,
Quem non ipsa videt: furtim tamen ardua mittit
Cum donis promissa novis, si forte rogatus
Desinat: ille semel notæ dulcedine prædæ,

309. *Frangendas.* De modorum variatione, quum infinitivum *parari* sequatur *frangendas vires*, egit Burmannus ad Quintil. Instit. I, 1 et supra V, 311. Cæterum compara cum hoc versu VIII, 88 sq.

310, 311. *Libyæ ales*, Struthiocamelus, de quo Plin. H. N. X, 1: « Altitudinem equitis insidentis equo excedunt, celeritatem vincunt, ad hoc demum datis pennis, ut currentem adjuvent: cætero non sunt volucres, nec a terra tolluntur. Ungulæ illis cervinis similes, quibus dimicant, bisulcæ, comprehendendis lapidibus utiles, quos in fuga contra sequentes ingerunt pedibus. » Cf. Xenoph. Anabas. I, 5, 3 sq. Aristot. de partib. anim. IV, 14; Diod. Sic. III, 28; Ælian. H. A. II, 27; IV, 37; XIV, 7.— *Venantum vocibus Quum premitur*, quum venatores eum persequuntur clamore.

312. *Inque modum veli.* Xenoph. l. c. τοῖς μὲν ποσὶ δρόμῳ, ταῖς δὲ πτέρυξιν ἄρασα ὥσπερ ἱστίῳ χρωμένη.

313. *Pulverulenta*, pulverem et lapides insequentibus ingerens. — *Vestigia*, sc. insequentium.

314. *Lumine clauso*, oculis clausis. *Stoliditatem miram* struthiocamelorum Plinius prædicat: « In tanta reliqui corporis altitudine, quum colla frutice occultaverint, latere se existimantium. »

315. *Ridendum* ipsam stoliditatem indicat.

316. *Quem non ipsa videt.* Opp. Halieut. IV, 621 sqq. ubi Sciæna cum Struthione comparatur:

. . . . κάρη δ' ἄρα δίζεται οἷον
Φράξασθαι, κεφαλὴν δὲ καταχρύψασα καὶ ὅσσε,
Ἕλπεται, οὐχ ὁρόωσα, λαθεῖν ὁρόωντος ἐφορμήν.

—*Ardua*, alta, magnifica, sed eadem ob id ipsum difficilia, δυσέφικτα. Sic Gesnerus. Burmannus existimat, Nostrum scripsisse *aurea*; laudat Terent. Phorm. I, 2, 18. Equidem *ardua* conjicerem, si *aurea* scripsisset. — *Mittit promissa*, i. e. legatos qui promittant.

317. *Rogatus*, precibus Eutropii adductus.

318. *Desinat*, sc. agros populari, urbesque incustoditas diripere. — *Semel nota dulcedine prædæ*, quum semel prædæ dulcedinem sensisset iterum; nam jam antea rapto et præda vixerat.

Se famulo servire negat; nec grata timentum
Munera: militiam nullam, nec prima superbus
Cingula dignari; nam quis non consule tali
Vilis honos? postquam precibus mitescere nullis,
Non auro cessisse, videt, creberque recurrit
Nuntius incassum, nec spes jam fœderis exstat;
Tandem consilium, belli confessus agendi,
Ad sua tecta vocat: juvenes venere protervi,
Lascivique senes, quibus est insignis edendi
Gloria, corruptasque dapes variasse decorum;
Qui ventrem invitant pretio, traduntque palato

319. *Famulo*, Eutropio. — *Nec grata timentum Munera;* nec munera eorum, qui timeant, ejusmodi esse, ut iis se aliquis obligatum existimare possit, quum non ex animi benevolentia profecta, sed metu extorta sint. Cf. XXII, 145 sqq.

320, 321. *Prima cingula. Cingulum* de omni honore militari poni luculenter docuit Gothofr. in Glossario nomico. *Prima Cingula* sunt igitur summi militares honores. Cur autem Targibilus ea dispiciat, ex sequentibus satis luculenter adparet. Per se autem intelligitur, rationem despecti cinguli Claudiani ingenio debere, qui hoc ipso usus est, ad Eutropii consulatum eo magis deprimendum.

324. *Nuncius*, qui donis promissisque ageret cum Targibilo.

325. *Consilium* Burmannus recepit, et quidem recte, quoniam intelliguntur duces, qui in consilium militare vocantur. Heinsius *concilium* defendit citatis Val. Flacc. I, 212 sq. Juven. IV, 73. De *concilio* vid. Burmann. ad Nemesian. Eclog. I, 51.—*Belli confessus agendi*, Græco more; vid. Burmann. ad Ovid. Met. XIII, 106. Dubito tamen, an *confessus* cum Græco δῆλος comparari possit. Interim minus placet, *consilium belli gerendi* jungere, ut *confessus* absolute positum sumatur. Opponitur autem *confessus* priori v. 306, *Ignorare fingit et dissimulat;* idemque notat, quod, manifeste præ se ferens, ut Burmannus animadvertit. Cæterum de locutione eleganti *belli agendi* vide eumdem ad Ovid. Trist. II, 230; Quintil. Institut. X, 1.

327, 328. *Insignis edendi Gloria*, quos constabat non rerum bellicarum scientia, sed gulæ gloria reliquos antecellere. — *Corruptasque dapes*, mistura ipsa et condimentis a naturali simplicitate longe dissidentes. Vid. ad Pers. II, 64. — *Collectas dapes*, quod Burmannus proposuit, quodque explicat, undique congestas, minus placet. Vid. interpp. ad Ælii Lamprid. Heliogab. c. 19 sqq.

329. *Qui ventrem invitant pretio*, id est, edendi cupidinem excitant rebus pretiosissimis. Petron. 119;

Sidereas Junonis aves, et, si qua loquendi
Gnara coloratis viridis defertur ab Indis,
Quæsitos trans regna cibos; quorumque profundam
Ingluviem non Ægæus, non alta Propontis,
Non freta longinquis Mæotia piscibus explent.
Vestis odoratæ studium, laus maxima risum
Per vanos movisse sales, minimeque viriles
Munditiæ, compti vultus, onerique vel ipsa

ut renovent per damna famem. Gesn. landat Horat. Sat. II, 2, 21; Juvenal. XI, 120 sqq. Petron. 55, et ibi interpp.

330. *Sidereas Junonis aves.* Pavo est, qui *sidereus* vocatur ob oculos illos Argi in cauda a Junone collocatos. Sic ipse Argus vocatur *stellatus* Ovid. Met. I, 664; sic corpus lacertæ maculis conspersum *stellatum* vocatur Ovid. l. c. V, 461. Apud Nostrum est *sidereum*, quod siderum, stellarum instar fulget. Æl. Lamprid. in Heliogab. c. 20: « Comedit sæpius ad imitationem Apicii calcanea camelorum et cristas vivis gallinaceis demptas, linguas pavonum et lusciniarum: quod qui ederet, ab epilepsia tutus diceretur. Exhibuit et palatinis ingentes dapes extis mullorum refertas, et cerebellis phœnicopterum et perdicum ovis, et cerebellis turdorum, et capitibus psittacorum, et phaseanorum, et pavonum, etc.—*Si qua loquendi Gnara* (avis). Psittacum intelligit.

331. *Colotatis Indis*, nigris; vid. I, 170; XXI, 158; LII, 17.

332. *Quæsitos trans regna cibos;* cf. Luc. IV, 373 sqq. I, 160 sqq. X, 155 sqq. Senec. Epist. 89. *Trans regna*. trans imperium Romanum.

333. *Ægæus;* vid. Burm. ad Val. Flacc. V, 715. — *Alta*, profunda.

334. *Longinquis*, e longinquo petitis. Videtur Claudianus non meminisse, se loqui de gula Constantinopolitanorum, quibus *freta Mæotia* (sic recte, v. VIII, 180) non admodum erant longinqua.

335. *Vestis odoratæ studium.* Bene observat Gesnerus, odoratarum vestium usum jam apud Homerum occurrere, ubi εἵματα θυώδεα sæpius legitur. Odyss. ε, 264; φ, 52; quem odorem θύῳ, h. e. citro interposito conciliatum vestibus esse docet Oppius apud Macrob. Sat. II, 15. Easdem vestes a Romanorum delicatulis adhibitas esse, nusquam me legere memini. Ad luxum fortasse aulæ orientalis eas pertinuisse probabile est, et indicari tantum vestes aquis, aut unguentis exquisitissimis et bene olentibus conspersas.

336, 337. *Per vanos movisse sales;* conf. XVIII, 346. Male Barthius putat, histrionum gregem h. l. describi. Pergit Noster in describendis viris, qui in consilium belli erant convocati; inter quos et eos inducit, qui scurras agere scirent, atque hac arte sola vehementer eunucho atque Arcadio essent commendati, quandoquidem ad tempus fallen-

Serica: si Chunus feriat, si Sarmata portas,
Solliciti scenæ, Romam contemnere sueti,
Mirarique suas, quas Bosporus alluit, ædes;
Saltandi dociles, aurigarumque periti.
Pars humili de plebe duces, pars compede suras,

dum idonei essent homunciones. — *Minimeque viriles Munditiæ;* homines bellos et elegantes intelligit. — *Compti vultus*, ad capillorum cultum spectat, qui arte, calamistro crispati et odoribus delibuti erant.

338. *Serica.* Sericarum vestium usus tunc temporis etiam apud viros invaluit. Notæ sunt *vestes Coæ;* vid. Broukh. ad Propert. I, 2, 2. Cf. Senec. Epist. 9 et 90; Juven. VI, 259 sq. Luc. I, 164 sq. —*Chunus*, Ptolemæus: μεταξὺ δὲ Βαστάρνων καὶ Ῥοξογάνων Χοῦνοι. Sic infra XXI, 110. Sæpius occurrunt apud Ausonium et Sidonium Apollinarem. An vero iidem, qui Hunni, ne geographis quidem exploratum esse videtur. Cæterum sensus est: si hostis barbarus ad portas est, pro theatris tantum solliciti sunt Constantinopolitani. Summa igitur mollities et levitas eorum carpitur.

340. *Suas, quas Bosporus alluit, ædes*, periphrasis est Constantinopolis, præ qua Romam contemnere dicuntur.

341. *Saltandi dociles.* Gesnerus saltandi magistros intelligit, διδακτικοὶ, saltem principes hujus artis. Quamquam multa nomina verbalia in *is* producta significationem quoque activam habeant, tamen de *docilis* mihi quidem nullum exemplum innotuit, ipsumque locum ex Cicer. Acad. II, 1, *indocilem usus disciplinam*, quo nititur vir doctissimus, id non probare existimo. Noster vult dicere, illos nihil facilius discere, quam artem saltandi. — *Aurigarumque periti;* sic omnes Mss. apud Heins. præter unum, qui *aurigandi* habet, quam lectionem etiam in margine vet. Mss. Claverius invenit. Idem existimat, *aurigarumque periti* positum esse pro: *aurigandi periti*. Nititur Horat. Epist. I, 1, 94 sq.

Si curtatus inæquali tonsore capillos
Occurri;

et Virg. Æn. IV, 65 sq. *Heu vatum ignaræ mentes*, quibus addi possit Virg. Æn. VIII, 627. Si formam solum verborum spectes, aliquid probare loca videntur; verum si vim eorum respicias, frustra in partes vocata sunt. Barthius ita explicat: gnari et intelligentes, quis auriga, cujus factionis, quo alterius sit præstantior. Burmannus comparat *intelligere virum, artificem* Vell. Paterc. II, 114, 5, et 116, 4; Petron. 129. Heinsius mavult *aurigandique*, putatque, posse etiam legi *atque aurigare periti*, vel *aurigarique*. Si quid contra Mss. audendum esset, legerem *aurigare usque periti.* Cæterum de aurigandi arte v. Scheff. de re vehic. l. 17.

342. *Pars humili de plebe duces*, sc. constituti, ex humili plebe ad summos honores militares evecti sunt. —*Compede.* XVIII, 28. *Liventia* in quibus adhuc compedum vestigia cerni possunt, qui igitur modo ex

Cruraque signati nigro liventia ferro,
Jura regunt, facies quamvis inscripta repugnet,
Seque suo prodat titulo; sed prima potestas
Eutropium præfert, Hosio subnixa secundo.
Dulcior hic sane cunctis, prudensque movendi

ergastulis protracti in Eutropii amicitiam se insinuaverunt, et ab eodem promoti sunt. Cf. Ovid. Amor. II, 2, 47 sq.

344. *Jura regunt*, judiciis præsunt; V, 82: ex quo loco patet, *jura regere* de summis magistratibus dici. — *Facies inscripta*. Claudianus in re augenda videtur modum excedere. Non satis habet, servos infimæ classis nominasse; sed sceleratos et fugitivos addit, qui stigmate notati erant, ut turpitudo illius consilii bellici eo magis illucescat. — *Repugnet* pro: quamvis stigmata illos homines ab omni publicæ rei administratione removeant.—*Inscripta*. Vocabantur *inscripti* notati stigmate. Sic Juvenalis, sat. XIV, 24: *inscripta ergastula*.

345, 346. *Seque suo prodat titulo*, ipso stigmate se indicet, scelerati et nebulonis faciem esse. Hoc putat Gesnerus tanto minus probabile esse, quod illo tempore jam diu inventa ars esset stigmata delendi. Laudat notas suas ad Columell. X, 125, et Plin. Paneg. XXXV, 3, ubi Schwarz. laudat Martial. VI, 64, 26; X, 56, 6, et qui hanc artem tradidit, Dioscorid. Parabil. I, 116, et IV, 76. — *Sed prima potestas Eutropium præfert*. Hoc acerbissime dictum est. *Sed* in tanta hominum perditissimorum et turpissimorum colluvie, *prima potestas Eutropium præfert*, utpote nequiorem etiam reliquis. Hanc interpretationem et τὸ *sed*, et ipsa ratio singularis, qua sententiam extulit poeta, suppeditare videtur. — *Hosio*. In cod. Theodos. perhibetur Magister officiorum et Comes sacrarum largitionum. — *Subnixa*. Hoc neutiquam mutandum est, quamquam Burmannus dicat, nec alteram lectionem *subjectum* sua venere carere, quasi Eutropius obnoxius esset Hosio, qui secundo ab illo dignitatis gradu esset.

347. *Dulcior hic sane* etc. Quum Hosius coquus fuerit, poeta in describendis hujus viri moribus, perpetua adlusione ad primam ejus conditionem utitur, verbaque, dictiones et imagines e re coquinaria petit. Huc pertinet jam primum epithet. *dulcior*. Pro *sane* habet vetus liber Delrii *facie*, quod mihi arridet, quia *sane* frigidum videtur. — *Prudensque movendi juris*. Ambiguitatem in voce *juris* unusquisque intelligit, ut apud Cic. in Verrem, I, 46: « Hinc illi homines erant, qui etiam ridiculi inveniebantur ex dolore, quorum alii, ut audistis, negabant mirandum esse, jus tam nequam esse Verrinum. » Huic ambiguitati aptum est *movendi*, quod vel versandi vel turbandi vim habere potest. Altera lectio *novandi* interpretatio prioris esse videtur.

Juris, et admoto qui temperet omnia fumo;
Fervidus, accensam sed qui bene decoquat iram.
Considunt apices gemini ditionis Eoæ,
Hic coquus, hic leno, defossi verbere terga,
Servitio, non arte, pares: hic sæpius emptus,
Alter ad Hispanos nutritus verna penates.
Ergo ubi collecti proceres, qui rebus in arctis
Consulerent, tantisque darent solatia morbis;
Obliti subito Phrygiæ, belloque relicto,
Ad solitos cœpere jocos, et jurgia Circi

348. *Et admoto qui temperet omnia fumo. Fumo* Heinsius defendit; Burmannus patrocinatur alteri lectioni *naso*, quum nolet, ut ait, illum ex nidore potuisse de cibi coctione erudite judicare, et simul odore auri corruptum, ut in Vespasiani historia apud Sueton. 23. Idem sensus eruitur ex *fumo*. Est autem *fumus* h. l. pro nidore positus, et pro, nasum admovere fumo, ambiguitatis causa posuit *fumum admovere* naso. Inde nata est altera lectio ex interpretatione, qua recepta, omnis ambiguitas concidat necesse est. Jam vero, *qui temperet omnia* ambigue pro: vel qui coquat et condiat cibos, vel qui administret rempublicam, et quidem *admoto fumo*, ita ut sæpe nasi judicium adhibeat, quandoquidem in *caro nidore*, ut ait Horatius (Sat. II, 2, 19), summa voluptas ponebatur, vel ita ut, quemadmodum aiunt, fumum vendat, omnia omnibus promittat, nec fidem servet.

349. *Fervidus*, iracundus, sed etiam hoc a jure fervido sumptum videtur. — *Decoquat*. H. l. in suam rem Noster vertit formulam Homericam χόλον καταπέπτειν (Il. α. 81); Etymol. in πέσσει, ὅθεν τὸ καταπέψῃ, ἀντὶ τοῦ κατάσχῃ, καταδαπανήσῃ, ὅ ἐστι καταπραΰνῃ. Est igitur iram continere; domare; vid. Koeppen ad Homer. l. c. Iracundus Hosius describitur, sed ita, ut iram facile possit deponere, scilicet quum vidisset, se in virum fortem et strenuum incidisse. Cf. infra 380 sq.

350. *Apices*, capita, personæ primæ. Sic Gesnerus.

351. *Defossi verbere terga* pro, terga defossa verbere; et hoc exprimit, verbera altius descendisse in illorum terga, altaque sui vestigia reliquisse. Gesnerus recepit *defessi*. Cæterum mavult Heinsius *Hinc coquus, hinc leno*.

353. *Hic sæpius emptus*, Eutropius. Cf. XVIII, 32.

354. *Rebus in arctis* sæpe dici, ubi in discrimine res sunt, observat Burmann. Cf. VIII, 407.

355. *Darent solatia*, medicinam adhiberent.

357. *Jurgia*, contentiones vehementes de ludicrarum artium artificibus. Bene hoc depingit hominum convocatorum levitatem, qui, dum de rebus gravissimis agatur, nugas vendant; simulque ostendi-

Tendere : nequidquam magna confligitur ira,
Quis melius vibrata puer vertigine molli
Membra rotet? verrat quis marmora crine supino?
Quis magis enodes laterum detorqueat artus?
Quis voci digitos, oculos quis motibus aptet?

tur, quam male consultum fuerit reipublicæ, rerum administratione hujusmodi viris tradita, quorum omnis cogitatio in rebus levissimis versetur. Cæterum conf. Ammian. Marcellin. l. infra l.

358. *Tendere.* Terent. Eunuch. IV, 1, 12.—*Nequidquam*, quum tota contentione nihil conficiatur. — *Confligitur*, pugnatur.

359, 360. De saltatoribus sermo est, qui in capita cernuabant, et cybisteteres vocabantur. Chrysostomus in orat. de Jurejur : ὅταν τις νεος· τοῖς βουλομένοις καταμαλάττειν αὐτὸν, καὶ λυγίζειν αὐτοῦ τὰ μέλη, παραδοὺς ἑαυτὸν φιλονεικοῖ πρὸς ἀκρίβειαν τροχοῦ δίκην τὸ σῶμα ἅπαν κάμπτειν, καὶ στρέφεσθαι ἐπὶ τοῦ ἐδάφους, καὶ τῆς ἄλλης δινήσεως, εἰς τὸ θῆλυ γένος ἐκβῆναι βιάζεται. Cf. Homer. Il. σ, 604 sq. *Vibrata membra* sunt mota summa celeritate. Huc pertinet etiam *rotet*, quod celerem corporis circumactionem exprimit. Plenius hoc expingitur per: *vertigine molli... verrat quis marmora crine supino.* Videtur saltationis genus esse, quo saltatores manibus nitebantur, et ita varios motus flexusque corporis efficiebant, dum crines soluti per pavimentum traherentur, idque quasi verrerent.

361. *Enodes laterum artus. Artus* proprie sunt, quibus membra committuntur; equidem intelligo spinæ dorsi vertebras, et quidem eas, quæ intra costas sunt, quarum ope corporis flexus potissimum efficiuntur. Deinde *laterum* sæpe mentio fit ap. poetas, quando de certo corporis motu, obscœno imprimis, sermo est. Catull. VI, 13. Ovid. Amor. III, 11, 13. Juvenal. VI, 36 sq. *Enodes* autem artus vocantur propter summam mobilitatem et mollitiem. — *Detorqueat*, varios flexus efficiat. Gesnerus post Heinsium *arcus* probat, *laterumque arcus* per costas explicat. Verum quis non intelligit, in illis corporis partibus motus molles locum habere non posse. Nititur ille quidem Lucret. IV, 1266, *exossatum pectus*; verum adtente legenti hunc locum, adparebit, ibi de inferiore corporis parte et de laterum motu maxime agi. Cæterum saltandi studio Romæ etiam omnes adeo tenebantur, ut, quum in alimentorum inopia et famis timore omnes liberalium artium magistri urbe pellerentur : « tria millia saltatricum, ne interpellata quidem, cum choris totidemque remanerent magistris. » Ammian. Marcell. XIV, 6.

362. *Quis voci digitos, oculos quis motibus aptet?* Mihi quidem videtur h. l. de pantomimis agi, quorum ratio adhuc a viris doctis non satis explicata est. De eorum saltatione præter Lucianum Apuleius egit X. Metam. extr. ubi inter alia Venus in scenam prodit : « Jam tibiæ multi-

Hi tragicos meminere modos; his fabula Tereus,
His necdum commissa choro cantatur Agave.
Increpat Eutropius: « Non hæc spectacula tempus

forabiles cantus Lydios dulciter consonant. Quibus spectatorum pectora suave mulcentibus, longe suavior Venus placide commoveri unctantique lente vestigio, et leniter fluctuante spinula, et sensim adnutante capite, cœpit incedere, mollique tibiarum sono delicatis respondere gestibus; et nunc mite conniventibus, nunc acre comminantibus gestire pupillis, et nonnunquam saltare solis oculis. » Digitorum autem et oculorum motus et significationes ad illud saltandi genus pertinuisse, liquet ex epigr. Græco, Antholog. Brunk. t. III, p. 104, epigr. V, ed. Jacobs.:

Μουσάων δεκάτη, Χαρίτων χαράμαλλε τετάρτη,
Τερπωλὴ μερόπων, ἄστεος ἀγλαΐη.
Ὄμματα σοὶ καὶ ταρσὰ ποδήνεμα καὶ σοφὰ Χειρῶν
Δάκτυλα καὶ Μουσῶν κρείσσονα καὶ Χαρίτων.

Saltatores autem carmina sæpe saltasse, i. e. carmina, quæ canerentur, vario corporis et membrorum motu expressisse, docet ejusdem Leontii epigr. in Helladiam saltatricem. Anthol. Brunk. tom. III, p. 104, epigr. VIII, ed. Jacobs.:

Ἕκτορα μέν τις ἄεισε, νέον μέλος· Ἑλλαδίη δὲ
Ἑσσαμένη χλαῖναν, πρὸς μέλος ἠντίασεν.
Ἦν δὲ πόθος καὶ δεῖμα παρ' ὀρχηθμοῖσιν Ἐνυοῦς·
Ἄρσενι γὰρ ῥώμῃ θῆλυν ἔμιξε χάριν.

Sua carmina sæpe in theatris saltata esse, dicit quoque Ovid. Trist. V, 7, 25, et II, 519. *Voci digitos aptet*, i. e. ad vocem aut ad carmen, quod caneretur, digitorum motus adcommodaret. Quæ sequuntur eadem ratione explicanda sunt.

363. *Hi*, scilicet illorum in belli consilium convocatorum. — *Tragicos modos*, rhythmos, numeros tragicos. Gesnerus apte laudat Virgil. Eclog. IX, 45: *numeros memini, si verba tenerem.* — *His* pro: ab his. — *Tereus*; vid. ad XVIII, 293.

364. *Agave*, Cadmi et Harmoniæ filia, quæ Bacchi sacra celebrans et in furorem acta, Penthea filium laceravit. Fabulam narrat Ovid. Met. III, 501 sqq. Exstat incerti auctoris epigr. in pantomimum, qui Agaven saltaverat, Antholog. Brunk. tom. III, pag. 225, ep. CCCLIII, ed. Jacobs. — *Necdum commissa choro*, nondum in scenam producta, recens adhuc, et in privato auditorio recitata, seu cantata. Gesnerus subaudit, histrionum: etiam in pantomimicis saltationibus aderat chorus, qui carmen saltandum canebat, quod in scena pantomimi, qui sæpe, etiam ap. veteres, histriones vocantur, membrorum motu exprimebant. *Choro committere* idem est, quod in scenam producere. Antequam hoc fieret, recitare solebant scriptores fabulas amicis et musarum fautoribus. Juvenal. VII, 87.

365 sq. Eutropius, non ipse quidem ab his rebus ludicris aversus, sed rerum necessitate urgente et periculo, quod ipsi imminebat,

Poscere ; nunc alias armorum incumbere curas :
Se satis Armenio fessum pro limite cingi ,
Nec tantis unum subsistere posse periclis.
Ignoscant senio : juvenes ad prælia mittant. »
Qualis pauperibus nutrix invisa puellis
Assidet, et tela communem quærere victum
Rauca monet : festis illæ lusisse diebus
Orant, et positis æquævas visere pensis,
Iratæque operi jam lasso pollice fila
Turbant, et teneros detergunt stamine fletus.
Emicat extemplo, cunctis trepidantibus, audax

sobrius factus, incusat virorum levitatem, atque id agere eos jubet, quod sit propositurus. — *Non hæc spectacula* etc. Virgilium a Nostro expressum esse, observat Burmann. Æn. VI, 37. H. l. autem sunt spectacula omnia ea, quæ in circo et theatro spectabantur, et de quibus hi viri gravissimi, si diis placet, inter se sermocinabantur.

366. *Armorum.* Per hoc *alias* explicatur.

367. *Fessum*, scilicet ætate. Hoc liquet ex v. 369, *Ignoscant senio.* Verba sic ordino : *satis*, sc. esse, *se fessum* ætate *cingi pro limite Armenio.* — *Cingi*, in armis esse. Gesnerus explicat : excubare pro finibus imperii ad Orientem, ubi Armenii male parentes. Tunc autem Eutropio ulterius cum exercitu proficiscendum fuisset, quam quo vellet juniores duces (*juvenes*) mittere. Adparet autem, eunuchum ætatis excusatione se belli periculis subtrahere velle. Forsan *cingi* positum est pro : cinctum fuisse, ut sensus sit : satis esse, se senem in armis fuisse contra Armenios : conf. supra XVIII, 254 sqq. Aut, si hoc admitti non potest, locus ita intelligatur : satis esse, si senex ipse cinctus, i. e. paratus sit ad proficiscendum, si quid ab Armeniis moveatur.

368. *Subsistere* venatus verbum esse, Gesnerus docet, quum stans venator inruentem in se feram excipit.

370 sqq. Eunuchus senex comparatur cum vetula, quæ, ut ille duces juniores ad bella adhortatur, qui ludicris rebus operam dare malint, puellas labore inviso semper detinet. — *Nutrix*, quæ curam agit puellarum, iisque pensa distribuit, ut isto labore vitæ necessitates sibi parent. — *Invisa;* morosa enim est et difficilis, semperque opus urget.

371 — 375. *Tela*, texendo. — *Rauca*, et ætate, et adsiduis clamoribus. — *Positis*, depositis. — *Stamine*, tela ipsa.

376. *Emicat.* Nec moribus Leonis, qui in seq. describuntur, nec corpori ejus obeso (infra v. 388), accommodate. — *Trepidantibus cun-*

Crassa mole Leo, quem vix Cyclopia solum
Æquatura fames, quem non jejuna Celæno
Vinceret: hinc nomen fertur meruisse Leonis.
Acer in absentes, linguæ jactator, abundans
Corporis, exiguusque animi, doctissimus artis
Quondam lanificæ, moderator pectinis unci.
Non alius lanam purgatis sordibus æque
Præbuerit calathis; similis nec pinguia quisquam
Vellera per tenues ferri producere rimas.
Tunc Ajax erat Eutropii, lateque fremebat,
Non septem vasto quatiens umbone juvencos;

ctts, dubitantibus, bellum timentibus.

377. *Crassa mole Leo.* Suidas in voce Λέων. Λέων στρατηγὸς ἐπέμφθη παρὰ Εὐτροπίου τοῦ εὐνούχου κατὰ τῶν βαρβάρων. Εὔκολος ὢν καὶ διὰ μελέτην μέθης εὐπαράγωγος· ἦν γὰρ αὐτῷ τὸ ἀνδρεῖον ἐπὶ τοῦτο συνηναγκάμενος, πλείους ἔχειν παλλακίδας τῶν στρατιωτῶν, καὶ πλείονα πίνειν, ἢ ὅσα πάντες οἱ ἄνθρωποι πίνουσιν. Barthius putat, ex Eunapio hæc descripta esse. Cf. Zosim. V, 14 sqq. — *Cyclopia fames.* Cyclops Polyphemus ex Homero et Virgilio satis notus.

378. *Jejuna Cæleno.* Harpyiarum una, quam descripsit Virgil. Æn. III, 210 sqq. ubi vid. Heyne.

379. *Meruisse*, accepisse.

380. *Acer in absentes.* Burmannus ait, hæc explicari posse ex illis, quæ dixerit ad Valer. Flacc. III, 589. Verum cave explicationem hujus loci illis adcommodes. Noster Leo in absentes tantum est acer; illæ feræ bestiæ jam spe devorant prædam. — *Linguæ jactator.* Burmannus recte: opponitur hastæ vel jaculo, quæ jactare non tam perite poterat ac linguam.

382. *Moderator pectinis unci.* Carminis forte descriptio, quo tracta lana explicatur, et a sordibus purgatur, ut apud Juvenal. VII, 224.

384. *Calathis*, quasillis, corbibus, in quibus pensa sua reponunt inter opus lanificæ. — *Pinguia*, quia pingui vel animali, vel olivo lanæ molliuntur.

385. *Per tenues ferri rimas.* Gesnerus: descriptio pectinis compositi ex bacillis ferri acutis et politis, quorum ope lanæ vel lina discriminantur et diriguntur ad lineas, quantum potest, rectas et parallelas, quo facilius deinde in fila torqueri possint.

386. *Ajax*, Quum Trojani Græcorum castra oppugnarent, Teucer sagittandi arte peritissimus, sagittis missis multos Trojanos interfecit, Ajacis clypeo tectus; Homer. Il. Θ, 266 sqq. Eunucho autem arcum et pharetram tribuit Noster XVIII, 239 sqq. Bene igitur illum cum Teucro, Leonem cum Ajace comparat, quum hoc saltem cum Ajace commune haberet, ut magnifice semper loqueretur.

387. *Non septem vasto quatiens um-*

Sed, quam perpetuis dapibus pigroque sedili
Inter anus interque colos oneraverat, alvum.
Adsurgit tandem, vocemque expromit anhelam:
« Quis novus hic torpor, socii? quonam usque sedemus
Femineis clausi thalamis, patimurque periclum
Gliscere desidia? graviorum turba malorum
Texitur, ignavis trahimus dum tempora votis.
Me petit hic sudor: nunquam mea dextera segnis
Ad ferrum: faveat tantum Tritonia cœptis,
Inceptum peragetur opus: jam cuncta furore
Qui gravat, efficiam leviorem pondere lanæ

bone juvencos. Cf. Homer. Iliad. η, 219 sqq.:

Αἴας δ' ἐγγύθεν ἦλθε φέρων σάκος ἠΰτε πύργον,
Χάλκεον, ἑπταβόειον, ὅ οἱ Τυχίος κάμε τεύχων,
Σκυτοτόμων ὄχ' ἄριστος, Ὕλῃ ἔνι οἰκία ναίων·
Ὅς οἱ ἐποίησεν σάκος αἰόλον, ἑπταβόειον,
Ταύρων ζατρεφέων, ἐπὶ δ' ὄγδοον ἤλασε χαλκόν.

388, 389. Leoni pro scuto erat pinguis aqualiculus. — *Pigroque sedili* pro: pigre sedendo, ut lanificii ratio postulabat. — *Oneraverat* eum delectu, pro: sibi pinguem fecerat.

390. *Adsurgit tandem.* Illud *tandem* ad obesum spectat, cui labor est adsurgere, et qui incassum diu id conatus est. — *Anhelam*, ut solet vox esse corporis obesi.

391. Animadvertendum est, poetam istum Leonem ita loquentem inducere, ut verbis, formulis et tropis, ex arte ipsius petitis, utatur. — *Novus torpor*, respicit prius v. 376, *cunctis trepidantibus.*

392. *Femineis clausi thalamis sedemus*, pro, domi; sed *femineos thalamos* dixit, quia diu in illis versatus est.

393. *Gliscere.* Ex opere hoc esse, Barthius docere vult. Dicit, lanam gliscere, augeri, produci, quum carminetur.

394. *Texitur.* Gesnerus laudat Cic. de Orat. III, 60: »Ea tela texitur, et ea incitatur in civitate vivendi ratio.« — *Trahimus.* Hoc quoque ex arte textoria. *Trahere pensa* sæpe occurrit apud Ovid. Heroid. III, 75; X, 90 etc. H. l. prolatamus, differimus. Sallust. Jugurth. 27; ibi vid. Corte. — *Ignavis votis*, vota tantum pro reipublicæ salute facientes, ut ignavi, non bellum strenue capessentes.

395. *Sudor* pro labore sæpius occurrit. Drakenb. ad Sil. Italic. IV, 435. H. l. tropus obeso aptissimus. Heinsius mavult *petat*, vulgatum tamen præfero.

396. *Ad ferrum* se. capiendum. — *Tritonia* non bellica tantum dea, sed etiam lanificii inventrix.

397, 398. *Inceptum opus* ad textrinam quoque transferri potest. *Incepta fila* Ovid. Met. VI, 34. — *Cuncta Qui gravat*, id est, omnibus negotia facessit, omnes vexat. — *Efficiam*

Targibilum tumidum, desertoresque Gruthungos
Ut miseras populabor oves, et pace relata,
Pristina restituam Phrygias ad stamina matres. »
His dictis iterum sedit: fit plausus, et ingens
Concilii clamor: qualis resonantibus olim
Exoritur caveis, quoties crinitus ephebus
Aut rigidam Nioben, aut flentem Troada, fingit.
Protinus excitis iter irremeabile signis
Arripit, infaustoque jubet bubone moveri

leviorem. Respexit enim Noster prius *gravat*.— *Pondere lanæ* rursus comparatio ex arte lanifica. Forsan et *gravare* peculiarem vim in illa arte habuit, quæ nunc omnes, me quidem, fugit.

400. *Populabor oves*. Burmannus existimat, Nostrum hic ad Ajacem furiosum adludere, qui in oves sæviebat. Immo adludit ad tondentem oves, aut ad lanam comentem, qui oves tondendas curat.

401. *Ad stamina*, id est, laribus suis restituam, domos suas deducam. Sed etiam in hoc pristinæ artis memor est.

402. *Iterum sedit*, et hoc suam vim habet. Lassus enim erat stando.

403. *Olim*, de aliquo tempore omnino.

404. *Caveis*, sedibus spectatorum in theatro.— *Crinitus ephebus*. Criniti vocabantur, qui comam alebant, id quod puerorum erat, Martial. XII, 49; vid. ad Pers. I, 29; et citharœdorum, Virgil. Æn. I, 740; et mollium juvenum et histrionum, qui feminarum partes agebant.

405. *Nioben*, quæ filiis et filiabus ab Apolline et Diana occisis, in rupem mutata est. Fabulam narrat Ovid. Met. VI, 165 sqq. Cf. Quint. Calab. I, 292 sq. et Callimach. H. in Apollin. 22 sqq. Inde *rigidam* potest explicari. — *Troada*, Hecubam fortasse, quam etiam *Troada* vocat Ovid. Met. XIII, 566. Burmanno in mentem venit, posse Nostrum respicere et Virgil. Æn. V, 613. Elegans exstat epigr. Græc. in ineptum pantomimum, qui Daphnen et Nioben saltaverat. Anthol. Gr. Brunk. t. II, p. 419, ep. LVII. ed Jacobs.

Δάφνην καὶ Νιόβην ὠρχήσατο Μέμφις ὁ σιμὸς,
Ὡς ξύλινος Δάφνην, ὡς λίθινος Νιόβην.

Cæterum Hecubam etiam statuarii semper suas vices flentem fingebant; v. in expositione signorum in publico Zeuxippi gymnasio, Anthol. Brunk. t. III, p. 462, ubi a v. 175 statua ejus pulcherrime describitur. — *Fingit*, agit. De pantomimo optime accipitur.

406. *Signis*, militibus, exercitu; nam milites proprie *exciuntur*, sc. contra hostes sive in pugnam. — *Irremeabile*, unde non erant redituri. Sic apte *irremeabilis error* labyrinthus vocatur Virgil. Æn. V, 591.

407. *Arripit iter*. De hac similibusque dictionibus aliis vide, quos

Agmina, Mygdonias mox impletura volucres.
Pulcher et urbanæ cupiens exercitus umbræ,
Assiduus ludis, avidus splendere lavacris,
Nec soles imbresve pati, multumque priori
Dispar, sub clypeo Thracum qui ferre pruinas,
Dum Stilicho regeret, nudoque hiemare sub axe
Sueverat, et duris haurire bipennibus Hebrum.
Cum duce mutatæ vires: Byzantia robur
Fregit luxuries, Ancyranique triumphi.
Non peditem præcedit eques, non commoda castris
Eligitur regio; vicibus custodia nullis
Advigilat vallo: non explorantur eundæ
Vitandæque viæ; nullo se cornua flectunt

laudat Ruperti ad Sil. Italic. I, 470. — *Infausto bubone* pro vulgari: malo omine; conf. supra v. 229 sq.

408. *Mygdonias*; XVII, 300.— *Volucres*, vultures.

409. *Pulcher*, comtus, nitidus. — *Umbræ urbanæ*, porticus et basilicæ intelliguntur; vid. Burmann. ad Ovid. A. A. I, 67. Potest autem omnino vitæ urbanæ mollities intelligi, quæ h. l. opponitur pulveri, soli, aciei. Hoc saltem aptius videtur sequentibus. Cf. Sil. Italic. XIV, 136 sqq.

410. *Splendere*. Lavacra enim spectant ad cutis curationem, erantque cum unctione conjuncta. — *Assiduus ludis*. Vid. Burmann. ad Ovidii Fast. I, 442.

412. *Sub clypeo*, tecti clypeo. Homer. Odyss. ξ 478 sq.

Ἔνθ' ἄλλοι πάντες χλαίνας ἔχον ἠδὲ χιτῶνας,
Εὗδον δ' εὔκηλοι, σάκεσιν εἰλυμένοι ὤμους.

413. *Dum Stilicho regeret*. Respicit tempora ante obitum Theodosii M. quo Stilicho utrique exercitui et Occidentis et Orientis præfectus erat. — *Axe*, cælo. Virgil. Æn. II, 512.

414. *Haurire bipennibus Hebrum*. Ut dicitur *haurire latus ense* pro, haurire sanguinem, latere ense aperto, sic hoc positum est pro: haurire aquam ex Hebro glacie bipennibus rupta. Potest autem et sic exponi: frusta glaciei ex Hebro congelato petebant, quæ deinde in aquam soluta bibebant. Ovid. Trist. III, 10, 23 sqq. Vide supra III, 312.

416. *Ancyranique triumphi*; v. supra ad v. 97 sq.

418, 419. *Vicibus custodia nullis*, id est, nulli custodes per vices. Cf. Sil. Italic. VII, 154 sqq. Vid. ibi Ruperti. — *Explorantur*: nulli exploratores docent vias.

420. *Nullo se cornua flectunt Ordine*; v. ad VIII, 326. De acie intelligendum, quæ profectura in agmen se explicat.

Ordine: confusi passim per opaca vagantur
Lustra, per ignotas angusto tramite valles.
Sic vacui rectoris equi, sic orba magistro
Fertur in abruptum casu, non sidere, puppis.
Sic ruit in rupes, amisso pisce sodali
Bellua, sulcandas qui prævius edocet undas,
Immensumque pecus parvæ moderamine caudæ
Temperat, et tanto conjungit fœdera monstro.
Illa natat rationis inops, et cæca profundi
Jam brevibus deprensa vadis, ignara reverti

421, 422. *Opaca lustra*, per silvas. Burmann. laudat Stat. Theb. IV, 423. — *Per ignotas valles.* Intelliguntur *Hohlwege*, *Bergschluchten* (cavins, fondières).

423. *Equi*, currus. Barthius vocem proprie sumpsisse videtur. — *Magistro;* duo Mss. *magistri*, quod Heins. et Burmann. probant laudatt. Ovid. Met. XIV, 189; Stat. Theb. IX, 673; Manil. IV, 840.

424. *Fertur in abruptum casu.* etc. *Ferri in abruptum* dici potest currus, qui præceps datur per abruptum, et navis, quæ submergitur.—*Casu, non sidere.* Duplicem rerum ordinem poeta videtur constituisse; alterum earum, quæ humano quidem consilio regerentur, quibus tamen occulta quædam via se interponeret, ut alia acciderent, quam quæ exspectari potuissent; alterum earum, quæ nullo consilio gubernarentur, et in quas cæcus aliquis casus vim suam exsereret. Illa fato tribuit, necessitati nulla ratione evitandæ, hæc casui, qui in eas res imperium exercet, quæ ejus arbitrio relinquuntur. *Non sidere* interpretor, ut in Juv. Sat. VIII, 200, non fato, quia fata siderum inspectione indicari putabant veteres.

425. Comparatur exercitus cum balæna, quæ ducem suum, masculum, amisit, atque propterea in brevia et cautes aberrat. Rem narrat Plutarch. de Solert. animal. cap. 31, t. XIII, p. 193, ed. Hutt. Oppian. Halieut. V, 71 sqq. Ælian. H. A. II, 13; Plin. H. N. IX, sect. 88. — *Pisce sodali*, masculo, qui Græcis ἡγεμών dicitur.

426. *Bellua*, balæna. — *Sulcandas undas*, sc. a bellua, ne in cautes et brevia impingat.

427. *Immensumq. pecus parvæ moderamine* etc. Ἕπεται γὰρ αὐτῷ (ἡγεμόνι) τὸ κῆτος, ὥσπερ οἴακι ναῦς, παραγόμενον εὐπειθῶς. Plutarch. l. c.

429. *Rationis inops*, id est, moderatore amisso, quo se vertat nesciens. Idem fere indicat *cæca profundi*, quæ ipsa videre nescit, ubi mare profundum sit, et ubi tuta possit nare.

430. *Deprensa. Deprehendi* verbum est proprium in re nautica. Vid. Bentlei. ad Horat. Od. I, 14, 10; Catull. XXVI, 13. Item *prehendi* Horat. Od. II, 16, 2. Verum per se *deprensa* non notat, subito aquis destituta, ut Burmannus exi-

Palpitat, et vanos scopulis illidit hiatus.
Targibilus simulare fugam, flatusque Leonis
Spe nutrire leves, improvisusque repente,
Dum gravibus marcent epulis, hostique catenas
Inter vina crepant, largo sopita Lyæo
Castra subit: pereunt alii, dum membra cubili
Tarda levant; alii leto junxere soporem;
Ast alios vicina palus sine more ruentes
Excipit, et cumulis immanibus aggerat undas.
Ipse Leo dama cervoque fugacior ibat,
Sudanti tremebundus equo; qui pondere postquam
Decidit implicitus limo, cunctantia pronus
Per vada reptabat, cœno subnixa tenaci.
Mergitur, et pingui suspirat corpore moles,
More suis, dapibus quæ jam devota futuris

stimat, sed conjunctim cnm *brevibus vadis*.

431. *Vanos*, recte, non *vacuos*, pro quo Heins. et Burmann. laudant Ovid. Met. VII, 786; Valer. Flacc. III, 591; Stat. Theb. II, 68n. In vadis deprehensam se sentiens bellua, nequidquam in caules et scopulos sævil.

432, 433. *Flatus leves* sunt flatus seu tumor inanis, jactationes buminis levis. Vid. Drakenb. ad Sil. Italic. XVII, 119 sq. Heins. ad Ovid. A. A. I, 715; Burmann. ad Valer. Flacc. III, 631.

434, 435. *Marcent*, languent. — *Gravibus*, quæ gravant homines, ad motum ineptos reddnnt. — *Crepant*, cum strepitu et clamore denunciant. Semper fere *crepare* de slulida loquacitate adhibelur. Horal. Sat. II, 3, 33.

437—439. *Alii leto junxere soporem*, v. Burmann. ad Pelron. 89. — *Sine more*, sine modo ac lege, ἀκόσμως, ἀπρεπῶς, fuga effusa. Burmann. ad Ovid. A. A. I, 119. Drakenb. ad Sil. Italic. XII, 449.. — *Cumulis*, corporum aliorum super alia ruentium. — *Aggerat undas*, dum unda, corporibus plena, in altum crescit.

441. *Pondere*, sessoris sui obesi.

442. *Implicitus limo*. Hoc quoque ad equum traho, qui fessus onere et cursu, qnum pedes tenaci limo impedirentur, caderet. — *Pronus* traho ad Leonem equo excussum. — *Cunctantia* vel pro, stagnantia, vel pro, remorantia. Stat. Theb. VII, 1; XI, 268.

443, 444. *Subnixa* pertinet ad *vada*. — *Vada subnixa cœno* est aqna, quæ cœno subnititur, fnndum habet cœnosum. Burmannus cum Scaligero post *reptabat* ponit (.), *subnixaque* cum *moles* jungens, aliter sensum se videre posse negat. —

Turpe gemit, quoties Hosius mucrone corusco
Armatur, cingitque sinus; secumque volutat,
Quas figat verubus partes, quæ frusta calenti
Mandet aquæ, quantoque cutem distendat echino.

Mergitur, manus pedesque (reptabat enim) altius in cœnum penetrabant. — *Pingui corpore moles*, moles obesa, Leo.

446. *Turpe*, ad sonum suis ingratum pertinet. — *Hosius*; v. 345 sqq.

447. *Sinus*, vestem. Pro: accingit se operi.

449. *Quantoque cutem distendat echino.* Barthius echino pro quocumque farciminum genere sumit, auctoritate Onomastici veteris, ubi omasum ἐχῖνος. Delrius ovis echinorum cutem seu suem fartam intelligit. Gesnerus interpretatur: quam partem et quantam porci jamjam mactandi, trajecta surculis herbarum (salviæ, majoranæ, aut spicis allii, ulpicive) et distenta cuti, formet in echinum. Videtur itaque *quantoque echino* pro dativis accepisse. Burmannus fluctuat, lectoresque ad notas suas in Petron. 49 remittit, unde tamen nihil, quod quidem cum aliqua probabilitatis specie dici queat, peti potest. Ex ipsis verbis hic sensus eruitur: *quanto echino* (quid hoc sit, non liquet, nisi cum Barthio farcimentum cogites) *cutem* sui detractam distendat, ut rursum speciem suis referat hoc farcimen. Hac autem comparatione usus esse videtur poeta, non solum ad Leonem et Hosium deridendos, verum etiam ad gulam aulæ Orientalis quasi in transitu carpendam. Hujus autem rei studio eo usque progressus est, ut quivis lector, qui pulchri et decoris sensu omnino destitutus non est, exclamaturus sit: Ohe jam satis! Verum enimvero pergit, eaque addit quæ, utut ad luxuriam aulæ Constantinopolitanæ pertineant, tamen non solum comparationem onerant, verum etiam omnino aliena videntur esse. Equidem sic statuo, quamquam Claudianus luxuriantis ingenii specimina quavis pagina edat, tamen injuriam judicio ejus fieri, quo in quantalibet sententiarum et variationum copia, nauseam evitare fere semper solet, si contendas, vers. 450, 451, non tantum a Claudiano esse profectos, sed etiam h. l. collocatos. Ex Claudiani carminibus tempus edax rerum multis non pepercit. In his loca poterant occurrere, in quibus epularum assiduarum, quibus Arcadius cum suis indulgeret, mentio fieret. Quumque h. l. Noster luxuriam illorum oblique tangeret, hos duo versus, comparandi gratia, nescio quis margini codicis forsan adlevit ex carmine aliquo nunc deperdito, aliusque in textum eos intrusit. Acutiores autem, ubi viderunt, male illos cum antecedentibus cohærere, tantum abfuit, ut illos extrusos margini, unde venissent, restituerent, ut omni ratione tentarent addendis demendisve, tolerabilius saltem cum prioribus conjungere. Inde quoque nata mihi videtur lectionis varietas, quam nunc in Mss. deprehendimus.

Flagrat opus, crebro pulsatus perstrepit ictu :
Contexit varius penetrans Chalcedona nidor.
Ecce levis frondes a tergo concutit aura ;
Credit tela Leo : valuit pro vulnere terror,
Implevitque vicem jaculi, vitamque nocentem
Integer, et sola formidine saucius, efflat.
Quis tibi tractandos pro pectine, degener, enses,
Quis solio campum præponere suasit avito?
Quam bene texentum laudabas carmina tutus,
Et matutinis pellebas frigora mensis!

450, 451. Rationes interpretum, qnæ quidem mihi potiores videntur, proferam. Heinsius *pulsatus* pro pnlsu atque substantive positnm pntat. Gesnerus recte opponit, sic *pulsum* ab *ictu* non posse distingui, neque posse *ictus pulsu*, neque *pulsus ictu* perstrepere. Barth. conjicit : *crebro pulsu cor perstrepit ictu.* Gronov. Observ. III, 21, legit *crebro pulsatum perstrepit ictu : Convexum varius penetrat Chalcedona nidor.* Burmannus satins putat, a loco desperato abstinere. Vitinm, credit, hærere in *pulsatus*, vocemque desiderari, quæ coquos ant ministros notet, quorum ictu perstrepat Constantinopolis. Conjicit nihilominns tamen *crebro jugulatum perstrepit ictu Bosporus, et validus penetrat Chalcedona nidor.* Sed quæso vos, viri doctissimi, quando Hosius snem mactat Constantinopoli, tantusne fit ibi strepitus, ut convexum aut Bosporus ictu perstrepat, utque nidor e caminis in eadem urbe surgens Chalcedonem penetret?

452. *Levis aura*, nt Luc. VIII, 789. Nostrates *ein leichtes Lüftgen.*

454, 455. Leo solo terrore exanimatnr.

456. *Degener* sc. a moribus avitis. Majores enim ejus lanificium tractasse indicat versu seqnenti *solio avito*, quo majores sederant telis texendis operam dantes. — *Pecten* opponitur *armis* in carmine Verba Achill. in Parthenop. inscripto, v. 27, Poet. lat. min. t. IV, p. II. — *Campum*, castra : sic Barthius Advers. X, 16.

458. *Carmina* possunt esse cantus, quibus uti solebant texentes. Ovid. Trist. IV, 1, 13 sq. Hoc autem non satis convenire videtur. *Carmina* etiam pro carminationibus sumi posse, ait Burmannus; verum hoc multo minus placet, nec sensum præbet commodum. Idem conjicit *laudabat stamina.* Vide eum ad Ovid. Met. XI, 169; Trist. V, 3, 26.

459. *Mensis;* non jentando, sed cœnæ instar mensæ accumbendo, largo cibo et potu matntinum frigus pellebas. Hoc crassæ moli Leonis accommodatius esse, quam ex Rubenii conjectura cum Heinsio *pensis* legere, ait Burmannns. Hoc autem esset : texendo, motn.

Hic miserande jaces; hic, dum tua vellera vitas,
Tandem fila tibi neverunt ultima Parcæ.

Jam vaga pallentem densis terroribus aulam
Fama quatit; stratas acies, deleta canebat
Agmina, Mygdonios fœdari cædibus agros,
Pamphylos Pisidasque rapi: metuendus ab omni
Targibilus regione tonat: modo tendere cursum
In Galatas, modo Bithynis incumbere fertur.
Sunt qui per Cilicas rupto descendere Tauro,
Sunt qui, correptis ratibus, terraque marique
Adventare ferant; (geminantur vera pavoris
Ingenio): longe spectari e puppibus urbes
Accensas, lucere fretum, ventoque citatas
Omnibus in pelago velis hærere favillas.

Hos inter strepitus funestior advolat alter

460. *Hic miserande jaces.* Ex Virgilio hoc esse putat Gesner. Æn. X, 325; cf. Ruperti ad Sil. Ital. II, 574. — *Dum tua vellera vitas*, dum discedis a lanificio, artem tuam pristinam relinquis.

462 sq. Nuncio de clade illa Constantinopolim perlato, simulque Saporem, Persarum regem, a suis esse interfectum, tum vero omnes intelligunt, magnum facinus admissum esse, in eunucho consule constituendo. —*Densis terroribus*, nunciis alio alium proxime sequentibus, diraque et terrorem incutientia nunciantibus. — *Quatit*. Sil. Ital. IV, 7. Cf. Val. Flacc. I, 743; II, 122; V, 273. — *Canebat*. Sil. Italic. IV, 5. Lucan. II, 672. Num propter tubam, quacum pingitur, ut Gesnerus putat, dubito.

464. *Mygdonios*, quod probatum ab Heinsio et Burmanno recepi pro *Mæonios*; vid. princip. h. carm. et v. 408. Illud etiam præstare videtur, quia Pamphyliæ et Pisidiæ mentio fit.

465 — 467. *Rapi*. VII, 201; infra 567 sq. —*Tonat*; VIII, 312. Ruperti ad Sil. Italic. I, 436, et XI, 233. — *Incumbere* proprie de tempestate et ventis dicitur. Virgil. Georg. II, 311; III, 197; Æneid. I, 84; XII, 367. Cf. Valer. Flacc. I, 682 sqq. H. l. ad hostem translatum, qui omnia igni ferroque vastat.

468. *Per Cilicas*, per Ciliciam. — *Rupto Tauro*. VIII, 637; per pylas notissimas; Curt. III, 4, 2.

470. *Geminantur*, augentur. Cf. Drakenb. ad Sil. Italic. VI, 557; Burmann. ad Val. Flacc. II, 166.

471. *Ingenio*, natura solerti in rebus augendis; cf. Stat. Theb. VII, 108 sqq. — *E puppibus*. Heins. conj. *e rupibus*, laudans Stat. Theb. IV, 29 sqq. Silv. V, 2, 6, et Nostr.

Nuntius: armatam rursus Babylona minari
Rege novo; resides Parthos, ignava perosos
Otia, Romanæ jam finem quærere paci.
Rarus apud Medos regum cruor, unaque cuncto
Pœna manet generi; quamvis crudelibus æque
Paretur dominis: sed quid non audeat annus
Eutropii? socium nobis fidumque Saporem
Percutit, et Persas in regia vulnera movit;
Rupturasque fidem, leto pars ne qua vacaret,
Eumenidum tædas trans flumina Tigridis egit.

XIX, 65 sq. Vulgatum tuentur sequentia. Burmann. laudat Ovid. Heroid. X, 133.

475. *Babylona*, Imperium Persicum intelligit, ab Artaxerce sæculo tertio Parthis ereptum. Quæ antem hic Claudianus de interfecto Sapore, rege Persarum, memorat, iis fides utique habenda esse videtur, quamquam ejus cædis apud reliquos scriptores nulla fiat mentio. Heinsius observat, Saporis nomen pluribus Persarum regibus commune fuisse, ut Cæsaris Imperatoribus romanis. Gesnerus laudat Orosium, VII, 34: « Ictumque tum (cum Theodosio M.) fœdus est, quo universus Oriens usque ad nunc tranquillissime fruitur ». Eaque narratio perducta est ad Stilichonis imperium. Sed Orosius non agit de intestina Persarum quiete; hoc solum dicit, Persas Orientem bello non perturbasse. Et de minis, non de bello indicto vel illato loquitur Claudianus.

476. *Rege novo*. Sapore, vetere rege, occiso. — *Resides* explicatur per sequentia.

478, 479. *Rarus apud Medos* etc. Parricidium regium apud Persas raro committitur. Persas reges suos ut deos coluisse auctor est Curtius, VIII, 5, 11. v. ibi Freinshem. — *Unaque cuncto Pœna manet generi*. Gesnerus hoc ita explicat: propter pœnam non parricidæ modo, sed toti generi ejus imminentem. Laudat Ammian. Marcellin. XXIII, 6, p. 303, ed. Ernest. *Cuncto generi* defendit Heins. Virgil. Æneid. XI, 872; Nostr. XXVI, 499, et aliis locis. Equidem existimo, *unaque cuncto* adjecta esse, non ut causa, cur rarum regis parricidium sit apud Persas, verum ad indicandum, quanta sit regum cura apud illum populum, qui tam atroci pœna regum saluti caverit.

480. *Sed quid non audeat* etc. Annus, qui consulem eunuchum habebat, infaustissimus debebat esse. Quæcumque adversa in eo acciderant, eidem adsignantur, ut solent poetæ omnia, quæ fiant, temporibus, quibus fiant, tribuere.

482. *Percutit*. Illustrat hoc verbum Corte ad Sallust. Jug. 42. Dejecit, adflixit. — *In regia vulnera*, ad regem occidendum.

483, 484. *Rupturasque fidem tædas*, id est, tædas accensuras Persarum animos, ut acti in fraudem fœdus

Tum vero cecidere animi, tantisque procellis
Deficiunt, septi latrantibus undique bellis.
Infensos tandem Superos, et consulis omen
Agnovere sui: nec jam revocabile damnum
Eventu rerum stolido didicere magistro.
 Namque ferunt geminos uno de semine fratres
Iapetionidas generis primordia nostri
Dissimili cinxisse manu: quoscumque Prometheus
Excoluit, multumque innexuit æthera limo,
Hi longe ventura notant, dubiisque parati
Casibus occurrunt fabro meliore politi.
Deteriore luto pravus quos condidit auctor,
Quem merito Graii perhibent Epimethea vates,
Et nihil ætherii sparsit per membra vigoris,

cum Romanis ictum rumpant. — *Trans flumina Tigridis.* Forsan Susa, tunc sedes imperii.

485. *Tantisque procellis*, casus tertius. Τῷ *deficere* oppositum mihi esse videtur illud *responsare* apud Horat. Sat. II, 7, 85.

486. *Septi latrantibus undique bellis.* Imaginem petitam esse putat Barthius a Scylla Virgilii Æn. III, 431 sqq. Verum quidni a fera undique latrantibus canibus cincta?

489. *Stolido magistro* defendi quodammodo potest. Stolidus enim magister is est, qui non tum monet, quando res adhuc est integra, sed semper seram pœnitentiam excitat; cf. Burmann. ad Ovid. Heroid. II, 86.

490 sqq. Fabulam de Prometheo atque Epimetheo ita variavit Noster, ut prudentes ab illo, stolidos ab hoc fictos esse diceret; conf. Hesiod. Theog. 510 sqq. Ovid. Met. I, 82 sqq. Meo quidem sensu, nihil importunius frigidiusque potest excogitari, quam hi versus a 490 ad 500, quamquam per se satis boni sint, huc inserti; ita ut non possim mihi temperare quin putem, illos ex alio forsan carmine petitos, et explicandi causa adscriptos et deinde intrusos esse. Quis, quæso, deesse aliquid, sentiet, qui, omissis illis versibus, legerit

Eventu rerum stolido didicere magistro,
Et seri transacta gemunt....?

491. *Primordia*, primos homines, unde reliqui omnes orti sunt.

493. *Multumque* Gesnerus defendit, et sic quoque est in plurimis Mss. Heinsius et Burmannus receperunt *multoque*, quod h. l. non tam bene convenire videtur, quam prius. Opponitur enim Epimethei operi, cui nihil ætheris admistum erat.

494. *Notant*, cum delectu, pro: vident. Virgil. Æn. III, 518.

496. *Condidit*, ut VIII, 229.—

Hi pecudum ritu non impendentia vitant,
Nec res ante vident; accepta clade queruntur,
Et seri transacta gemunt: jam sola renidet
In Stilichone salus, et cujus semper acerbum,
Ingratumque sibi factorum conscius horror
Credidit adventum; quem si procedere tantum
Alpibus audissent, mortem pœnasque tremebant;
Jam cuncti venisse volunt, scelerumque priorum
Pœnitet; hunc tantis bellorum sidus in undis
Sperant, hunc pariter justi sontesque precantur.
Ceu pueri, quibus alta pater trans æquora merces
Devehit, intenti ludo, studiisque soluti,
Lætius amoto passim custode vagantur.
Si gravis auxilio vacuas invaserit ædes
Vicinus, laribusque suis proturbet inultos;
Tum demum patrem implorant, et nomen inane
Voce cient, frustraque oculos ad litora tendunt.
Omnes supplicio dignos letoque fatentur,
Qui se tradiderint famulis, Stilichone relicto.
Mutati stupuere diu, sensuque reducto,
Paulatim proprii mirantur monstra furoris
Avertuntque oculos: projectis fascibus horret

Deteriore luto. Juvenal. XIV, 34.

499. *Non* junge cum *vitant*.

501. *Renidet*. A fulgore auri ad omnes res transfertur, quæ lætam speciem præbent. Horat. Od. II, 18, 2. H. l. eleganter pro: est.

503. *Factorum conscius horror*, homines facinorum suorum conscientia horrentes.

505. *Alpibus*; sc. de. Cf. V, 114 sqq. 130 sqq.

507. *Bellorum* pendet ab *undis*. Bene sic vocatur dux, a quo salus speratur belli tempore.

509. *Quibus*, quorum.

510. *Studiis soluti*, quibus pater eos continebat.

512. *Vacuas*, patre absente.

513. *Inultos*; qui se ipsi ulcisci nequeunt seu defendere. Burmann. laudat Horat. Epod. VI, 16.

515. *Frustraque oculos* etc. Gesnerus comparat Horat. Od. IV, 5, 14.

517. *Famulis*. Infra 535.

518, 519. *Sensuque reducto*. *Sensus* h. l. *Bewusstseyn* (connaissance). — *Monstra proprii furoris*, i. e. facinus furore commissum, eunuchum constitutum.

Lictor, et infames labuntur sponte secures.
Quales Aonio Thebas de monte reversæ
Mænades, infectis Pentheo sanguine thyrsis,
Quum patuit venatus atrox, matrique rotatum
Conspexere caput, gressus caligine figunt,
Et rabiem desisse dolent. Quin protinus ipsa
Tendit ad Italiam supplex Aurora potentem,
Non radiis redimita comam, nec flammea vultum,
Nec croceum vestita diem: stat livida luctu,
Qualis erat, Phrygio tegeret quum Memnona busto.
Quam simul agnovit Stilicho (nec causa latebat),
Restitit: illa manum victricem amplexa moratur,
Altaque vix lacrymans inter suspiria fatur:
« Tantane te nostri ceperunt tædia mundi?
Sic me ludibrium famulis risumque relinquis,
Dux quondam rectorque meus, solamque tueris

521. *Infames*, h. l. pollutæ, contaminatæ eunucho.

522. *Aonio.* V, 418.

523. *Mænades.* Tragice exsequitur fabulam Euripid. in Bacch. 1023 sqq.

524. *Matrique rotatum;* Euripid. l. c. 1137 sq.

525. *Gressus caligine figunt*, i. e. quum atrocitas facinoris caliginem oculis eorum obfudisset, adtonitæ subsistunt. Valer. Flacc. VII, 559.

526. *Et rabiem desisse dolent.* Quamdiu enim furor iis aderat, bestiam se lacerasse credebant, atque gaudebant factum; nunc, quum resipuerint, reique atrocitatem agnoverint, conscientiæ stimulis exagitantur. — *Desisse* firmat Heinsius contra *descisse* citt. Lucan. VII, 780 (ubi vid. Burmann.); Ovid. ex Ponto II, 5, 47; Martial. VIII, 5, 2. Idem comparat Valer. Flacc. III, 264, Stat. Theb. III, 188 sq. IV, 565 sqq.

528. *Non radiis.* Conf. XV, 19 sqq. et 134 sqq. Pulcbritudinem Auroræ describit Quint. Calab. I, 47 sqq. — *Flammea vultum*, vultu fulgenti.

529. *Nec croceum vestita diem.* Proprie Aurora vestit diem seu omnia lumine croceo. Ovid. Amor. II, 5, 43, *croceos capillos* Auroræ tribuit.

530. *Qualis erat*, etc. Luctum Auroræ circa Memnona descripsit Quint. Calab. II, 59 sqq. Memnon autem, Auroræ ex Tithono filius, Æthiops, manu Achillis ad Trojam cecidit; vid. Heyne in excursu XIX ad Virgil. Æn. I.

531. *Nec causa latebat*, scil. cur advenisset.

533. *Vix* pertinet ad *fatur*.

536. *Dux:* Imperii rebus præfectus.

Hesperiam? domiti nec te post bella tyranni
Cernere jam licuit? sic te victoria nobis
Eripuit, Gallisque dedit? Rufinus origo
Prima mali: geminas inter discordia partes
Hoc auctore fuit; sed jam majora moventi
Occurrit justa rediens exercitus ira,
Fortis adhuc, ferrique memor; brevis inde reluxit,
Falsaque libertas: rursum Stilichonis habenis
Sperabam me posse regi: proh cæca futuri
Gaudia! fraterno conjungi cœperat orbis
Imperio, (quis enim tanto terrore recentis
Exempli paribus sese committeret ausis?)
Quum subito monstrosa lues, turpisque relatu
Fabula, Rufini castratus prosilit heres,
Et similes iterum luctus Fortuna reduxit,
Ut solum domini sexum mutasse viderer.
Hic primum thalami claustris delicta tegebat,
Clam timideque jubens: erat invidiosa potestas,
Sed tamen eunuchi; necdum sibi publica jura

537. *Tyranni domiti*, sc. Eugenii.

539. *Gallisque.* Gallos potissimum nominat, quia sedes imperii occidentalis tum Mediolani erat.

541—543. *Sed jam majora moventi* etc. Hoc argumentum constituit carm. V.

544. *Falsaque libertas. Falsa*, quia spem Auroræ frustrata est.—*Habenis.* XVII, 198.

546. *Fraterno conjungi* etc. Cœperant fratres Honorius et Arcadius uno moderatore, Stilichone, uti, qua re igitur orbis quasi unius imperio regebatur.

547, 548. *Recentis Exempli*, quod pœna Rufini dederat.

553, 554. *Hic primum thalami claustris* etc. Erat Eutropius præfectus sacri cubiculi, thalami, multumque valuerat apud Arcadium consiliis suis ac precibus; quibus quum Arcadius in obtemperando nimis facilis esset, ad multa eum perducere poterat, quæ vel rebus Orientis obessent, vel voluntati et rationibus Stilichonis contraria essent.— *Delicta* vocat Noster, quæ *tegebat thalami claustris*, quia ipse auctor in cubiculo versabatur, ibique, quasi in occulto, Arcadium in fraudem agebat.—*Invidiosa*, nimis magna.

555. *Sed tamen eunuchi*, tamen ejusmodi erat potentia, quæ caderet quodammodo in eunuchum, quæque saltem non inaudita erat, et nova.—*Publica jura*, administra-

Sumere, nec totas audebat vertere leges.
At postquam pulsisque bonis, et fæce retenta,
Pejores legit socios, dignusque satelles
Hinc Hosius stetit, inde Leo; fiducia crevit,
Regnandique palam flagravit aperta libido:
Patricius consul maculat, quos vendit, honores;
Plus maculat, quos ipse gerit: jam signa tubæque
Mollescunt; ipsos ignavia fluxit in enses.
Insultant merito gentes, facilisque volenti
Præda sumus: jam Bistoniis Hæmoque nivali
Vastior expulsis Oriens squalescit aratris.
Hei mihi! quas urbes, et quanto tempore Martis
Ignaras, uno rapuerunt prælia cursu!
Nuper ab extremo veniens equitatus Araxe
Terruit Antiochi muros, ipsumque decoræ
Pæne caput Syriæ flammis hostilibus arsit.
Utque gravis spoliis, nulloque obstante profunda

tionem totius reipublicæ sumere.

556. *Nec totas* etc. Cf. XVIII, 173 sq.

560. *Palam* ad *regnandi* pertinet. — *Flagravit aperta libido*, i. e. se exseruit.

563. *Ipsos ignavia fluxit in enses*, ipsi milites ignavi facti sunt.

565. *Bistoniis*, VII, 111.

566. *Squalescit* rectius cum Heinsio puto, quam *squalebit*. — *Aratris*, colonis.

567. *Quas urbes*; videatur supra 275 sqq.

568. *Uno rapuerunt prælia cursu*. Breviter dictum, pro: hostes, ubi feliciter pugnassent, uno impetu ceperunt. *Prælia* enim positum est pro: hostiles exercitus, omnes, qui resistere ausi essent, præliis vincentes et fugantes. Celeritatem, qua hostis procederet, exprimit *cursu*, et *rapuerunt* est celeriter ceperunt. Conf. Silius Italic. lib. XV, 400 sq.

569. *Araxe*. I, 160. Cæterum Scythicos vel Bactrianos equites intelligit Gesnerus. Hoc certum est, Nostrum flumen pro regione posuisse, ejusque populos intellexisse.

570. *Antiochi muros*. *Antiochia ad Daphnen* intelligit, quæ urbs erat caput Syriæ.

572, 573. *Profunda cæde*. *Profundum* interdum pro magnum atque immensum poni, notum est ex Horat. Od. IV, 2, 7, ubi vid. Jani. — *Lætus*, ut victor. — *Redit*, sc. eo, unde venerat. — *Mucrone secundo* Gesnerus explicat: iterum, repetita invasione. Verum hujus rei notio jam in *sequitur* latet, et plus etiam in *continuum*. *Secundo mucrone* idem est, quod *secundo Marte*, Vir-

Lætus cæde redit, sequitur mucrone secundo
Continuum vulnus: nec jam mihi Caucasus hostes,
Nec mittit gelidus Phasis; nascuntur in ipso
Bella sinu: legio pridem Romana, Gruthungi,
Jura quibus victis dedimus, quibus arva domosque
Præbuimus, Lydos Asiæque uberrima vastant
Ignibus, et si quid tempestas prima reliquit,
Nec duce, nec numero, freti; sed inertia nutrit,
Proditioque ducum, quorum per crimina miles
Captivis dat terga suis, quos teste subegit
Danubio; partemque timet, qui reppulit omnes.
Aula choris epulisque vacat, nec perdita curant,
Dum superest aliquid: ne quid tamen orbe reciso
Venditor amittat, provincia quæque superstes
Dividitur, geminumque duplex passura tribunal
Cogitur alterius pretium sarcire peremptæ.

gil. Æn. X, 21 sq. Iterum hostis victor vulnus mihi infligit, continuam cladem intulit.

575. *Phasis.* III, 376. *Phasis* et *Caucasus* designant eamdem cladem, quam supra *Araxes.* Sensus: neque hæc altera clades illata mihi est ab incursionibus barbarorum septentrionalium.

576. *In ipso sinu*, in ipso imperio nostro. — *Legio* h. l. omnino manum militum designat, et a Nostro etiam pro universo exercitu non semel ponitur. Cf. V, 257; VIII, 7.

577. *Jura quibus victis dedimus;* cf. XXI, 191. Victi enim leges a victoribus accipiunt, iique dicuntur *jura pati* Sil. Italic. I, 2; cf. Horat. Od. III, 3, 43 sq.

579. *Tempestas prima* spectat ad v. 569 sq.

580. *Nutrit* sc. hostes, i. e. auget vires eorum, quum successus ipsi, quos habuerunt, socios iis undique adjungant.

581. *Per crimina*, per inscitiam, ignaviam et proditionem.

583. *Partemque timet, qui* etc. Is exercitus nunc partem tantum, parvam manum, eorum hostium timet, quos olim omnes fudit.

585. *Orbe reciso*, imperio Orientis deminuto, dum aliam post aliam provinciam hostes avellant.

586. *Venditor*, Eutropius. Conf. XVIII, 196 sqq. et supra 561.

587. *Duplex.* Provincia quæque in duas partes divisa, quarum utraque habitura est suum rectorem, patietur *geminum tribunal.*

588. *Peremptæ*, perditæ. Sic Burmannus recte, laudans Nostr. sup. V, 426. — *Pretium sarcire.* Amissa enim provincia vendi non poterat ab Eutropio; ut itaque pretium non amitteret, reliquas provincias

Sic mihi restituunt populos ; hac arte reperta
Rectorum numerum terris pereuntibus augent.
In te jam spes una mihi : pro fronde Minervæ
Has tibi protendo lacrymas : succurre ruenti.
Eripe me tandem servilibus, eripe, regnis.
Neve adeo cunctos paucorum crimine damnes ;
Nec nova tot meritis offensa prioribus obstet.
Jam jam flecte animum : suprema pericula semper
Dant veniam culpæ : quamvis iratus et exsul
Pro patriæ flammis non distulit arma Camillus.
Non te subtrahimus Latio ; defensor utrique
Sufficis : armorum liceat splendore tuorum
In commune frui ; clypeus nos protegat idem,
Unaque pro gemino desudet cardine virtus. »

singulas in binas partes partiebatur, easque partes vendebat eodem pretio, quo ante totas.

589. *Restituunt populos*, dum provinciarum numerum divisione earum augent, inde quoque ipsa provinciarum amissione, quæ causa fuit dividendi eas, rectorum numerus augebatur.

591. *Fronde Minervæ*, oleæ ramo, quem supplices prætendere solebant vittis ornatum. Res nota vel ex Sophocl. Œdip. Tyr. principio.

595. *Meritis prioribus.* Tempora intelligit sub Theodosio M. quibus Stilicho, Orientis exercitus opera, hostes profligavit, victoriamque sæpe reportavit.

596. *Flecte animum*, γνάμπτειν τὸν θυμόν notum est.

598. *Camillus.* Quum Galli Romam incendissent, Capitoliumque obsiderent.

599. *Subtrahimus Latio.* Non postulamus, ut imperio Occidentis relicto, nobis solis prospicias.

N. B. Lectores exspectabant catastrophen, actum ultimum Eutropii : sed multa desiderantur ; scilicet quid responderit Stilicho, quid egerit cum Arcadio ; quid hic decreverit ; ut in Ecclesiam Constantinopolis confugerit Eutropius, tanquam in asylum, quo jure illam paulo ante privare conatus erat ; in qua quum supplex jaceret ad altare, Jo. Chrysostomus orationem habuit vehementem, qua invehitur in hominem, rerum humanarum vanitatem ostendit, et hortatur auditores, ut illum Dei et Imperatoris misericordiæ commendent. (ROLLIN, *Traité des Études*, t. II, p. 511.) Cæterum Eutropius clam de Ecclesia elapsus, exsul in Cyprum rapitur ; unde retractus Chalcedonem, Gainis arte, mox capite damnatus, interficitur. Vide Zosim. V, 18. ED.

XXI.

CL. CLAUDIANI

DE

LAUDIBUS STILICHONIS

LIBER I.

ARGUMENTUM.

Poeta testatur gaudium suum, quod rebus imperii occidentalis Fortuna favorem continuet, quodque nuptias Honorii, Gildonis Eutropiique dejectionem consulatus Stilichonis secutus sit; in cujus virtutibus celebrandis rerum mole se fatetur obrui, dubitareque, quid potissimum in tanto et virtutum et rerum gestarum numero, carmine prosequatur; 1—24. Solere quidem mala admixta bonis esse, virtutesque sæpe vitiis obscurari, sed in Stilichone omnia summa esse, neque quidquam in illo, præter vitia, desiderari; 25—39. Jam puerilis ætas futuræ magnitudinis signa dedit; animo generoso, dicendi facultate, forma corporis imperatoria omnes in admirationem ejus rapiebantur, vulgique suffragia in deferendis honoribus aula secuta est; 40—50. Juvenis adhuc ab Imperatore, pacis firmandæ causa, ad Persas missus, omnium barbarorum oculos pulchritudine sua in se convertit, fœdusque solemni more ictum est; in venatu Parthos et Medos superavit; 51—68. Interim quærebatur Serenæ maritus; Stilicho præ omnibus electus est; princeps et regina aderant officio nuptiali, totaque natura hilarem vultum induit; 69—88. Quem enim omnes optassent, optimum princeps elegerat, qui honestatem et gloriam omuibus rebus, vel vitæ, anteponeret, qui

rebus fortiter gestis et Æneam et Achillem superaverit, non divinis armis adjutus, ut illi dicuntur fuisse; 89—106. Omnes Barbaros septentrionales valle angusta inclusos delesset, nisi Rufinus eos proditione sua liberasset, 107—115. Semper fere in castris versatus est, omnia regionum incommoda constanter pertulit, totamque Thraciam victoriis peragravit; 116—137. Theodosio M. vivis erepto, rector utriusque imperii constitutus, molem mundi, ut Hercules quondam stupente Atlante, humeris suis subiit. Neque tanti Imperatoris morte quies turbata est, sed exercitum ex tot tamque diversis populis compositum tanta Stilicho disciplina continuit, ut a furtis omnino et rapinis abstineret, exemplumque ducis sequeretur; 138—169. Quocumque duceret ille, sequebatur ingens exercitus, omnibus periculis neglectis, difficultatibusque superatis, Græciaque adhuc victori gratias agit; 170—187. Verum, quid mirum est, bello eum hostes superasse, quum solo terrore Germaniæ populos subegerit, atque in hoc Druso Trajanoque major fuerit; 188—209. Qui pacem alias vendere solebant, nunc supplices eam rogant. Uno cursu populi septentrionales victi sunt, armaque deposuerunt, omniaque late loca nunc pacata; quin iidem populi sub ejus signis militare cupiunt. Nunc Francis reges dantur, ipsique reges causam dicere in carcere discunt; 210—245. Secutum est bellum Gildonicum, omnibus Africæ populis excitatis, ejusque belli particeps erat Oriens. Illam tempestatem Stilicho, ut bonus gubernator, dextre evitavit; 246—290. Semper suæ dignitatis memor, privata commoda publicis posthabuit; 291—299. Tot tantaque negotia solus sustinuit, classes ædificavit, exercitus comparavit, et tanquam e terra milites nati sunt; 300—324. Non nisi senatusconsulto bellum suscepit; 325—332. Sapienti consilio non trajecit in Africam, ne Gildo, de sua salute desperans, aut in solitudines se reciperet, aut urbes in mortis solatium incenderet, sed ut missos milites superaturum se esse speraret; 333—350. Verum Afri militum virtute superati sunt, ipseque Gildo in Tabracæ portu periit; 351—362. Qui milites, si etiam victi fuissent, jam alius dux aliusque exercitus paratus erat, ita ut summa rerum non uni certamini commissa fuerit; 363—368. Bellum hoc omnibus reliquis erat clarius; etenim non de propagandis finibus, sed de imperio pugnabatur, illaque victoria Stilicho omnes triumphos Africanos restituit.

CONTINUANT Superi pleno Romana favore
Gaudia, successusque novis successibus urgent.
Connubii necdum festivos regia cantus
Sopierat, cecinit fuso Gildone triumphos,
Et calidis thalami successit laurea sertis,
Sumeret ut pariter princeps nomenque mariti,
Victorisque decus. Libyæ post prælia crimen
Concidit Eoum, rursumque, Oriente subacto,
Consule defensæ surgunt Stilichone secures.
Ordine vota meant: equidem si carmen in unum
Tantarum sperem cumulos advolvere rerum,

1, 2. *Continuant gaudia*, ita ut aliud super aliud sine ulla intercapedine nascatur. — *Pleno favore*, id est, summo favore, cui nihil addi possit. — *Urgent* hoc revocatur illud *continuant* quasi sub sensus; ita se subsequuntur res lætæ ex proximo, ut videantur premi priores ab his, quæ sequuntur. Heins. laudat VIII, 489 sq. et infra 69. Burmannus existimat metaphoram sumptam de undis, ut Ovid. Met. XV, 182, et simili modo infra 138, aut potius de vento fluctus alios super alios volvente.

3. *Festivos* naturam spectat cantuum nuptialium. Cæterum nuptiæ Honorii cum Maria inciderunt in A. C. 398; eodem anno, Gildo in Africa debellatus est; proximo, Eutropius dejectus, et annus 400 Stilichonem consulem vidit.

4, 5. *Sopierat cantus*, finiverat cantus. — *Calidis sertis*, vix depositis, calorem frontis adhuc servantibus, si *thalami* positum putas pro, nuptiarum, ut sæpius occurrit. Possunt quoque serta intelligi, quibus nuptiarum die thalami solebant ornari. Hoc placuit Wernsdorf. ad epith. Ausp. et A. Poet. lat. m. T. IV, P. II, p. 487. Cf. Paschal. de Coron. II, 16. fin.

7, 8. *Crimen Eoum*, Eutropium consulem factum. — *Oriente subacto*, quem concitaverat Eutropius. Cf. XIX, 19. Turbas intelligit in Oriente ortas, Eutropii exsilio et morte compositas.

9. *Defensæ*. Amiserant pristinam dignitatem ab eunucho contaminatæ, quam receptæ a Stilichone recuperarit. Accommodate huic rei posuit *surgunt*; eriguntur enim, quæ ante profligatæ erant.

10. *Ordine vota meant*. Recte Gesnerus: procedunt uno tenore, et consequuntur se invicem res secundæ. Cf. XVII, 338.

11. *Cumulos advolvere rerum* pro vulgari: cumulare res, in unum conferre. Ipsa rerum magnitudo et moles per *advolvere* bene exprimitur. Cæterum a magnis fluctibus, ut Gesnerus existimat, sumptum hoc non videtur. Hæc et quæ sequuntur, si sententias respicias, rhetoris;

Promptius imponam glaciali Pelion Ossæ.
Si partem tacuisse velim, quodcumque relinquam,
Majus erit: veteres actus, primamque juventam
Prosequar? ad sese mentem præsentia ducunt.
Narrem justitiam? resplendet gloria Martis.
Armati referam vires? plus egit inermis:
Quod floret Latium, Latio quod reddita servit
Africa, vicinum quod nescit Iberia Maurum,
Tuta quod imbellem miratur Gallia Rhenum.
An gelidam Thracen decertatosque labores,
Hebro teste, canam? magnum mihi panditur æquor,
Ipsaque Pierios lassant proclivia currus

si ornatum, poetæ sunt. Cf. Panegyr. Vet. I, 2, 2 sq.

12. *Promptius imponam* etc. Gigantum ille conatus omnino pro quocumque rerum molimine ingenti positus est. Cf. Virgil. Georg. I, 281.

13, 14. *Quodcumque relinquam Majus erit.* Sensus: in tanta copia et magnitudine rerum gestarum quæcumque omittantur, majora videntur, quam ea, quæ carmine celebrata sint, quandoquidem omnia pari dignitate sunt, ut animus in eorum delectu semper fluctuet.

16. *Resplendet*, tantum splendorem emittit, ut justitiæ laudes minores videantur.

19. *Quod nescit Iberia Maurum.* Gildo, si vicisset, Mauros suos in Hispaniam trajecturus erat.

20. *Imbellem*, quietum. Bene posuit Noster *miratur*, quia Gallia perpetuis Germanorum irruptionibus pæne adsueverat.

21. *An gelidam Thracen decertatosque* etc. Res gestæ Stilichonis indicantur sub Theodosio M. quem semper in bellis comes secutus est. Gruter. Inscript. 412, 413: «Comiti divi Augusti in omnibus bellis atque victoris.» Reperta est hæc inscriptio Romæ sub templo Concordiæ. — *Decertatos*, id est, certando perfectos, consumptos, aut superatos. Alio forsan sensu eadem vox occurrit apud Statium Theb., I, 2, ubi vide Barth.

22. *Æquor*, planities, h. l. campus; Sil. Italic. XVI, 389. Barthius mare intellexit, sed perperam, ut ex sequentibus adparet. Cf. Stat. Silv. IV, 7, 1 sq. Nost. V, 172.

23. *Pierios currus.* Cogitatur poeta Musarum curru vectus. Fictio hæc est lyrica, sæpiusque occurrit apud Pindar. Olymp. IX, 119 sqq. Nem. IX, 17 sq. Isthm. II, 2 sq. VIII, 133 sq. Hoc usi sunt recentiores, atque conjunxerunt illud cum curriculo seu stadio, ut studium suum seu carmen, certo aliquo argumento circumscriptum, declararent. Ovid. A. A. I, 39 sq. Met. XV, 453 sqq. Remed. Am. 397 sq. Propert. III, 2, 18; IV, 1, 70. Erotici curru

Laudibus innumeris : etenim mortalibus ex quo
Tellus cœpta coli, nunquam sincera bonorum
Sors ulli concessa viro : quem vultus honestat,
Dedecorant mores; animus quem pulchrior ornat,
Corpus destituit; bellis insignior ille,
Sed pacem fœdat vitiis; hic publica felix,
Sed privata minus : partitum singula quemque
Nobilitant; hunc forma decens, hunc robur in armis,
Hunc rigor, hunc pietas, illum sollertia juris,
Hunc soboles castique tori : sparguntur in omnes,
In te mixta fluunt; et, quæ divisa beatos
Efficiunt, collecta tenes. Quid facta revolvam
Militiamque patris? cujus producere famam,

vehuntur a cycnis tracto; Ovid. A. A. III, 809 sqq. Propert. III, 2, 39. Curiosius illa ornavit Nemesian. Cyneg. 8 sqq. ubi vid. Burmann. A nave petiit imaginem Sidon. Apollin. carm. II, 536 sq. — *Proclivia* non via valde declivis et præceps, quam Gesnerus ait curribus non minus periculosam esse quam arduam; sed est via, in qua currus ipse nullam difficultatem offendit, sed suo ipsius prope nutu defertur; nihilominus tamen ea via lassat currum non quidem per se, sed *laudibus innumeris*, propter quas via illa infinita est, et in qua currus sisti propter proclivitatem nequit.

25, 26. *Nunquam sincera bonorum Sors ulli* etc. — *Sincera* est libera a malis. Sententiam expressit jam Homer. Odyss. θ. 167 sqq. Il. ν, 729. Cf. Plin. Panegyr. 4, 5. — *Quem vultus honestat*, qui pulcher est. Cf. Virgil. Georg. II, 392; Æn. X, 133 sq.

27. *Dedecorant mores*. Nam, ut est apud Petron. 94 : « Raram facit misturam cum sapientia forma. »

29. *Publica*, Græcism. Subintellige : quoad.

30. *Partitum singula quemque* pro : quemque ex parte tantum. Barthius *partitim* defendit.

32. *Rigor*. VIII, 513. — *Sollertia*, cognitio. Exprimit dexteritatem in jure dicundo, ut quamcumque rem ad leges revocatam possit dijudicare.

33, 34. *Sparguntur in omnes, In te mixta fluunt*. Conf. Pacat. In Paneg. Vet. XII, 5, 3.

35. *Revolvam* cum delectu pro : commemorem. Indicat enim magnitudinem rerum gestarum, quæ narratione iterum quasi sub oculos revocantur. Sic quoque Virgil. Æn. II, 101.

36. *Patris*. De Stilichonis patre vix aliquid præterea proditum est, quam quod h. l. memoratur, eum Barbaris præfuisse, qui sub Valente stipendia facerent. — *Producere famam*, id est, extendere.

Si nihil egisset clarum, nec fida Valenti
Dextera duxisset rutilantes crinibus alas;
Sufficeret natus Stilicho: mens ardua semper
A puero, tenerisque et jam fulgebat in annis
Fortunæ majoris honos: erectus et acer,
Nil breve moliri, nullis hærere potentum
Liminibus, fatisque loqui jam digna futuris.
Jam tum conspicuus, jam tum venerabilis, ibas,
Spondebatque ducem celsi nitor igneus oris,
Membrorumque modus, qualem nec carmina fingunt
Semideis: quacumque alte gradereris in Urbe,
Cedentes spatiis assurgentesque videbas,
Quamvis miles adhuc: taciti suffragia vulgi
Jam tibi detulerant quidquid mox debuit aula.

Virg. Æn. X, 468. Al. *protendere*.

38. *Rutilantes crinibus alas*, barbarorum septentrionalium turmas.

39. *Mens ardua*. XI, 4.

41. *Fortunæ majoris honos*. — *Honos* est dignitas, seu omnia præclara, quæ propria esse solent fortunæ majoris, quæ in hominibus tantum altiori loco natis, inveniri solent. — *Erectus et acer*. Tacit. in vita Agric. 4: « Scilicet sublime et erectum ingenium pulchritudinem ac speciem excelsæ magnæque gloriæ, vehementius quam caute, adpetebat. » *Acer* ardorem exprimit, quia omnia magna et præclara amplectebatur.

42. *Nil breve moliri*. *Brevis* pro parvo occurrit VIII, 510, et passim. Animus Stilichonis non adplicabat se ad res minutas. Burmannus *breve* interpretatur: quod brevi periturum est, quod non immortalem gloriam relinquit. Sed prior ratio, quæ Barthii est, præferenda videtur. Illud *breve moliri* exprimit nimiam curam et operam in parva re collocatam. — *Hærere potentum Liminibus*, ad favorem illorum his salutandi officiis sibi conciliandum. Cf. Lucian. Nigrin. 22, T. I, p. 60, ed. Reiz.

43. *Fatis*. VIII, 221 sq. XXVIII, 68. H. l. pro: fortuna, fastigio.

44. *Conspicuus*, περίβλεπτος. Cf. Perizon. ad Ælian. V. H. II, 12, 4.

45. *Nitor igneus oris*, ardor vultus, ignea imprimis oculorum acies ad formam imperatoriam refertur. — *Celsi* proceram staturam innuit, ut sequens *Membrorumque modus*. Cf. Pacat. Panegyr. Vet. XII, 6, 3; Plin. Paneg. IV, 7.

47. *Gradereris*; cf. X, 318 sqq. — *Alte*, cum majestate et decore.

48. *Cedere spatiis* pro: cedere via, quod fiebat honoris et venerationis causa, ita ut sequens *adsurgere*. Juvenal. XIII, 55.

50. *Debuit*, ex debito contulit.

Vix primævus eras, pacis quum mitteris auctor
Assyriæ: tanta fœdus cum gente ferire
Commissum juveni! Tigrin transgressus, et altum
Euphraten, Babylona petis: stupuere severi
Parthorum proceres, et plebs pharetrata videndi
Flagravit studio, defixæque hospite pulchro
Persides arcanum suspiravere calorem.

Sic Heinsius. Al. *credidit*, *præbuit.*

51 sqq. Cum hoc loco comparandus est Sidon. Apollin. carm. II. 65 sqq. qui, quæ Noster in Stilichonem dixit, ad Anthemium suum transtulit. — *Primævus*, ex ephebis egressus. Valer. Flacc. VII, 341. Sil. Italic. X, 493. Virgil. Æn. X, 345. Infra v. 53 explicatur per: *juvenis.* — *Pacis auctor*, legatus cum auctoritate publica missus, ad pacem firmandam. Sidon. Apoll. l. c.

Huic quondam juveni reparatio credita pacis Assyriæ.

52. *Tanta cum gente*, cum Persis, quorum opes imperio Romano semper timendæ erant.

53. *Tigrin transgressus.* Si Constantinopoli profectus est Stilicho, qui poterat, Babylona quum peteret, Euphraten et Tigrin transgredi? Situm Babylonis Claudiano incognitum fuisse, probabile non est, neque poetam diligentissimum negligentem fuisse. Splendidis illis fluviorum nominibus usus est ad regionem indicandam, quæ peragranda erat Babylonem proficiscenti. Sic supra XX, 484. Accedit, quod tunc ruinæ tantum illius urbis supererant. Pausan. VIII, 33, 1. Βαβυλῶνος δὲ τοῦ μὲν Βήλου τὸ ἱερὸν λείπεται. Βαβυλῶνος δὲ ταύτης, ἥντινα εἶδε πόλεων τῶν τότε μεγίστην ἥλιος, οὐδὲν ἔτι ἦν εἰ μὴ τεῖχος.

54. *Severi*, a severa disciplina, qua populum continebant.

55. *Plebs pharetrata.* Herodian. VI, 5, 9: Τόξοις δὲ καὶ ἵπποις οὐκ εἰς τὸ πολεμεῖν μόνον χρῶνται, ὥσπερ Ῥωμαῖοι, ἀλλ' ἐκ παίδων σὺν αὐτοῖς ἀνατρέφονται, καὶ θηρῶντες διαιτῶνται, οὔτε τὰς φαρέτρας ποτὲ ἀποτιθέμενοι, οὔτε τῶν ἵππων ἀποβαίνοντες, ἀεὶ δὲ αὐτοῖς χρώμενοι ἢ κατὰ πολεμίων, ἢ κατὰ θηρίων. Ammian. Marcell. XXV, 1, p. 332, ed. Ernest. « Juxtaque sagittarii (cujus artis fiducia ab incunabulis ipsis gens prævaluit maxima) tendebant divaricatis brachiis flexiles arcus, ut nervi mammas perstringerent dextras, spicula sinistris manibus cohærerent; summaque peritia digitorum pulsibus argutum sonantes arundines evolabant, vulnera perniciosa portantes. »

56, 57. *Defixæque hospite pulchro*, i. e. defixis in hospitem oculis, similes adtonitis. Valer. Flacc. V, 376 sq. — *Arcanum suspiravere calorem.* Tibull. I, 6, 35, et IV, 5, 11, habet *suspirare amorem*; ibi vid. Heyne. Subintelligenda est præpositio: propter. *Arcanus calor* amor est occultus. Debebant amorem, quem sentiebant, celare.

Thuris odoratæ cumulis et messe Sabæa
Pacem conciliant aræ : penetralibus ignem
Sacratum rapuere adytis, rituque juvencos
Chaldæo stravere Magi : rex ipse micantem
Inclinat dextra pateram, secretaque Beli,
Et vaga testatur volventem sidera Mithram.

58. *Messe Sabæa*; v. sup. X, 210.

59. *Pacem conciliant aræ. Aræ*, sacrificia, libationes, *conciliant pacem*, confirmant pacem. In fœderibus enim faciendis sacrificia facta, deosque vindices in ruptores pacis advocatos esse satis constat. Virg. Æn. XII, 496.

60. *Penetralibus adytis*, ut Virg. Æn. II, 297, quum proprie ἄδυτον apud Græcos id sit, quod *penetrale* apud Romanos. — *Ignem Sacratum*. De cultu hujus ignis æterni apud Persas egit Brisson. de Reg. Persarum II. princ. Adparere videtur ex h. l. Persas igne, tantum ex illo æterno igne, qui in templis servabatur, accenso, ad sacrificia usos esse. Hoc Gesnero visum est : ex Sidonio Apollinari autem patet, ignem sacrum adlatum esse, ut ap. illum fœdus jurarent. Conf. Curt. IV, 13, 12.

61. *Rituque juvencos Chaldæo stravere Magi*, i. e. Magi mactabant juvencos, adhibitis Chaldæorum ceremoniis. Sic Barthius. Chaldæis rerum cælestium cura, Magis sacrificiorum adscribebatur. Magi etiam vates erant, VIII, 150. Ex Sid. Apollin. loco, quem infra describemus; adparere videtur, *Chaldæo more* potissimum ad extispicia pertinere. Cæterum ritus sacrificandi apud Persas, quales quidem olim erant, exponit Herodot. I, 132.

62. *Inclinat dextra pateram*. Hoc libandi actum pingit. — *Micantem*, sc. auro gemmisque. Sidon. Apollin. l. c. 83 sqq.

Procopio dictante Magis, juratur ab illis
Ignis et unda deus : nec non rata pacta futura,
Hic divos testatur avos. Chaldæus in extis
Pontificum de more, senex arcana peregit
Murmura : gemmantem pateram rex ipse retentans
Fundit thuricremis carchesia cernuus aris.

— *Secretaque Beli*, templum Beli, quod Babylone summa religione colebatur Herod. I, 181 : Ἐν δὲ τῷ ἑτέρῳ (scil. φάρσεϊ) Διὸς Βήλου ἱρὸν χαλκόπυλον, καὶ ἐς ἐμὲ τοῦτο ἔτι ἐὸν, δύο σταδίων πάντη, ἐὸν τετράγωνον. Ἐν μέσῳ δὲ τοῦ ἱροῦ πύργος στερεὸς οἰκοδόμηται, σταδίου καὶ τὸ μῆκος καὶ τὸ εὖρος etc. Plin. H. N. IV, sect. 30, narrat, sua adhuc ætate templum hoc exstitisse. Vix autem credo, templum ipsum intelligendum esse, sed forsan statuam Beli, quæ Palladii instar coleretur, et quam adspicere fas esset nemini præter Magos seu sacerdotes. Eadem forsan ratione dixit Sil. Italic. III, 566. *Vestæ secreta*, quod interpretes passim sacrum ignem interpretantur. Mihi quidem Palladium intelligendum videtur, quod ita describit Lucan. IX, 993 sqq.

. . . . nullique adspecta virorum
Pallas in abstruso pignus memorabile templo.

63. *Vaga* perpetuum siderum

Si quando sociis tecum venatibus ibant,
Quis Stilichone prior ferro penetrare leones
Cominus, aut longe virgatas figere tigres?
Flectenti faciles Medus tibi cessit habenas.
Torquebas refugum, Parthis mirantibus, arcum.
  Nubilis interea maturæ virginis ætas
Urgebat patrias, suspenso principe, curas;
Quem simul imperioque ducem, natæque maritum
Prospiceret, dubius toto quærebat ab axe
Dignum conjugio generum, thalamisque Serenæ.
Judicium virtutis erat: per castra, per urbes,
Per populos animi cunctantis libra cucurrit.
Tu legeris, tantosque viros, quos obtulit orbis,
Intra consilium vincis sensumque legentis,

epitheton. *Mithram* solem esse apud Persas, præter Herodotum, qui Venerem fuisse dicit, omnes fere Græci tradidere, Romanique eos secuti suot; vid. Barth. ad Stat. Theb. I, 720. Etiam Nostr. idem indicare, Gesnerus existimat; unde tamen hoc colligat, me quidem fugit. Ionuere Noster videtur, Mithram fuisse δημιουργὸν τῶν πάντων, et conservatorem et guberoatorem totius oniversitatis. Cf. Brucker. Hist. Philos. t. I, p. 184.

64—66. *Sociis venatibus*, socii, una veoatom; interpp. ad Phædr. I, 5, 4. — *Virgatas*, longis maeolis, virgarum iostar, insigoitas. Heios. laudat Sil. Italic. V, 148; Senec. Hercul. Œt. 144 sq. Hippol. 344. — *Longe*, e longiuquo, opponitur τῷ *cominus*.

67, 68. *Refugum arcum*. VIII, 530. Conf. Ruperti ad Sil. Italic. VII, 646 sq.

69, 70. Veoit nune poeta ad nuptias Stilichonis et Serenæ. — *Patrias curas*. Theodosius enim, ut jam supra moouimus, Sereoam, Honorii fratris filiam, adoptaverat. — *Suspenso principe*, quum ipse Princeps, seo Theodosius, dubitaret, quem etc.

72. *Toto ab axe*, ex toto terrarum orbe.

74. *Judicium virtutis erat*. Noo generis aut opum ratio habebatur in eligendo Serenæ marito, sed solius virtutis.

75. *Animi cunctantis libra*. Judicium *libra* exaetum notat, additumque *cunctantis animi*, judicium non præcipitantis, sed omoia momenta accuratissime perpendentis, ut dignissimus eligeretur. Cf. Pers. I, 5, sq. — *Cucurrit*; qoia multi sunt.

77. *Intra consilium vincis sensumque legentis*, hoc est, tu vineis eos, aut præponeris iis, qui io deliberationem et jodicium venerant eligentis.

Et gener Augustis, olim socer ipse futurus,
Accedis : radiis auri Tyriaque superbit
Majestate torus; comitata parentibus exit
Purpureis virgo: stabat pater inde tropæis
Inclitus, inde pium matris regina regebat
Obsequium, gravibus subnectens flammea gemmis.
Tunc et Solis equos, tunc exsultasse choreis
Astra ferunt, mellisque lacus, et flumina lactis
Erupisse solo, quum floribus æquora vernis
Bosporus indueret, roseisque evincta coronis
Certantes Asiæ tædas Europa levaret.
Felix arbitrii princeps, qui congrua mundo
Judicat, et primus censet, quod cernimus omnes.
Talem quippe virum natisque adjunxit et aulæ,

78. *Augustis*, Theodosio et uxori. Vid. ad 70. Infra etiam v. 82 *reginæ* fit mentio. — *Socer*, nempe Honorii.

81. *Purpureis*, Augustis.

82, 83. *Regebat Obsequium*, fungebatur obsequio, aderat in officio nuptiali, quod h. l. *pium obsequium* vocatur, aut curam agebat, ut omnia rite fierent. — *Flammea*, X, 285. — *Subnectens*, capiti Serenæ accommodans gemmis; cf. XXXV, 322 sqq.

84. *Choreis;* vid. ad. IX, 16. Hoc dicere Noster vult, a natura rerum universa illas nuptias esse coocelebratas, et manifesta lætitiæ signa esse edita; cf. Virgil. Eglog. IV, 50 sqq.

85. *Mellis lacus et flumina lactis.* Hæc ex aureo seculo petita sunt Ovid. Met. I, 111 sq. Cf. Nostr. I, 250 sqq.

86 — 88. *Quum floribus æquora vernis Bosporus indueret*, quum Bosporus æquora floribus aut florum corollis spargeret. Cf. Nostr. X, 154 sq. *serta per omnem Neptuni dispersa domum.* — *Evincta.* Solenne verbum in hac re. Virgil. Æn. V, 494 et 774. — *Europa levaret tædas*, gestaret tædas, matris officium præstaret in tæda levanda; vid. not. ad VII, 155. — *Certantes Asiæ* pro : cum Asia. Græcism. notiss. et hoc pro : cum tædis, quas Asia levabat. Sensus : Europa et Asia in præstando Stilichoni et Serenæ nuptiali officio certant. Hoc facile in mentem poetæ poterat venire, quum nuptiæ Constantinopoli celebratæ sint, in litore Bospori, atque ideo in Europæ et Asiæ confiniis.

89. *Felix arbitrii* pro : felix in judicio et electione. — *Congrua mundo* pro : idem, quod omnes.

90. *Cernimus*, decernimus, arbitramur, judicamus. Vid. Heins. ad Virgil. Æn. XII, 709.

91. *Virum. Vir* h. l. non est ma-

Cui neque luxuries bello, nec blanda periclis
Otia, nec lucis fructus pretiosior unquam
Laude fuit : quis enim Visos in plaustra feroces
Reppulit, aut sæva Promoti cæde tumentes
Bastarnas una potuit delere ruina ?
Pallantis jugulum Turno moriente piavit
Æneas, tractusque rotis ultricibus Hector
Irato vindicta fuit vel quæstus Achilli.

ritus, sed vir fortissimus, heros. — *Natis adjunxit.* Ita omnes fere libri scripp. unus tamen et alter *natæ*, quod, quamquam interpretamentum sapiat, Heinsius recepit. Burmannus, qui prius tuetur, illud explicat : quasi tertium filium adjunxit Arcadio et Honorio sibi Stilichonem. Verum illo tempore, Honorius nondum erat natus. Equidem puto, *natis* per enallag. positum esse pro : natæ, duriuscule quidem, sed forsan non sine exemplo. In sequent. exponitur, quam egregie Stilicho Theodosii judicio responderit.

92. *Luxuries*, vita mollis et delicata, qualis solet esse in aula principis.

94. *Visos.* Ita legitur in pluribus Mss. apud Heins. in aliis *Mysos*, quos ait Claverius semper Orientis imperio subjectos, eoque nomine a Getis male vexatos hic vix convenire. Burmannus post Heinsium suspicatur, *Visos* posse locum habere, quum *Vesi* inter gentes septentrionales referantur a Sidon. Apollin. carm. V, 474 sqq. et populus sit, qui Visigothis nomen dederit. Gesnerus *Mysos* (Mœsos Danubio vicinos) recepit, quum de Visigothis alii aliter disputarint, Mœsorumque nomen late patuerit; laudat Dion. Cass. LI ext. et Tzetz. Chil. XI, 893, hist. 396. Potest sane in nomine populi mendum latere, id quod Burmanno probabile videtur. — *In plaustra*, ut in fugam acti se reciperent post plaustra, seu carraginem ; vid. not. ad V, 129, et VIII, 466. Fateor sane, magis mihi arridere *in claustra*; non enim de gente uno prælio victa, sed in suos fines repressa et rejecta, sermo esse videtur.

95. *Promoti* ; vid. not. ad III, 316 sq.

96. *Bastarnas.* VIII, 450. — *Ruina*, clade.

97. *Pallantis jugulum. Pallas*, missus a patre Evandro Trojanis in subsidium cum equitibus, a Turno occiditur, Virgil. Æn. VIII, 585 sqq. et X, 459 sqq. *Jugulum*, cædem. Æneas rursus Pallantis manibus Turni cruore parentavit. Virgil. Æn. XII, 887 sqq. 940 sqq.

98. *Tractus rotis ultricibus Hector.* Achillem quotidie Hectoris interfecti corpus, bigis alligatum, circa Patrocli tumulum raptasse, ad manes amici ulciscendos, notum est ex Homer. Il. ω, 14 sqq. Vid. Heyne in excurs. XVIII ad Virgil. Æn. I, vol. II, pag. 203, Edit. nostræ. Ed.

99. *Vindicta fuit*, i. e. præbuit

Tu neque vesano raptas venalia curru
Funera, nec vanam corpus meditatus in unum
Sævitiam, turmas equitum peditumque catervas,
Hostilesque globos tumulo prosternis amici.
Inferiis gens tota datur: nec Mulciber auctor
Mendacis clypei, fabricataque vatibus arma
Conatus juvere tuos: tot barbara solus
Millia, jam pridem miseram vastantia Thracen,
Finibus exiguæ vallis conclusa tenebas.
Non te terrisonus stridor venientis Alani,
Nec vaga Chunorum feritas, non falce Gelonus,
Non arcu pepulere Getæ, non Sarmata conto:
Exstinctique forent penitus, ni more maligno
Falleret Augustas occultus proditor aures,
Obstrueretque moras, strictumque reconderet ensem,
Solveret obsessos, præberet fœdera captis.
Assiduus castris aderat, rarissimus urbi,

vindictam, seu ultionem.—*Vel quæstus;* auro enim vendidit corpus Hectoris Priamo supplici, ut ex ultimo Iliadis libro notum est. — *Irato*, ob cædem Patrocli. Cæterum in iram pronus Achilles ab omnibus constanter fingitur. Horat. in Art. 120 sqq.

100. *Vesano* ab actore currus ad ipsum currum translatum.

101, 102. *Funera*, cadavera. Barth. ad Stat. Theb. I, 36. Propert. I, 17, 8. Burmann. ad Valer. Flacc. VII, 643. — *Vanam Sævitiam*, quum ea in cadaver uteretur omni sensu destitutum.

103. *Tumulo amici*, in tumulum amici, ut sit sensus: ex hostium cadaveribus tumulum quasi construxisti. Seu, ad tumulum, quod melius est. Cf. Homer. Il. ψ, 175 sq. et 242 sq.

104. *Inferiis gens tota datur. Inferiis* alicujus ii dari dicuntur, qui in ultionem illius interficiuntur. Sil. Italic. IV, 231 sqq. Ibi vid. Ruperti. — *Nec Mulciber* etc. Notum est Thetin pro filio suo Achille arma a Vulcano impetrasse, ut Venerem pro Ænea. Hom. Il. σ, 368 sqq. Virgil. Æn. VIII, 370 sqq.

105. *Mendacis* explicatur per sequens; *fabricata vatibus arma.*

106, 108. Conferatur nota ad III, 319 sqq.

109. *Terrisonus.* Heinsius ex conject. mavult *ferrisonus.* — *Venientis*, irruentis.— *Alani;* v. III, 312.

110. *Vaga*, quæ modo huc, modo illuc incursiones faceret. — *Falce*, ense curvato. Barth. ad Stat. Achill II, 419.

111. *Conto;* vide ad VII, 137.

113. *Proditor.* V, 130 sqq.

Si quando trepida princeps pietate vocaret:
Vixque salutatis Laribus, vix conjuge visa,
Deterso necdum repetebat sanguine campum.
Nec stetit, Eucherii dum carperet oscula saltem
Per galeam: patris stimulos ignesque mariti
Vincit cura ducis. Quoties sub pellibus egit
Edonas hiemes, et tardi flabra Bootæ
Sub dio Rhipæa tulit! quumque igne propinquo
Frigora vix ferrent alii, tunc triste rigentem
Danubium calcabat eques, nivibusque profundum

117. *Trepida pietate.* Gesnerus exposuit: quum metueret Theodosius liberis suis, in Urbem vocavit Stilichonem, ut Arcadium et Honorium tueretur. Hæc ratio vix potest placere. *Trepida pietate* est desiderio Stilichonis motus, quem amplecti cupit, cujusque absentiam ægre tulit. Tenendum enim Stilichonem esse maritum Serenæ, et generum Theodosii, quum illa hujus esset filia adoptiva.

119. *Sanguine* sc. hostium, quo erat respersus. VII, 36 sqq.

120. *Nec stetit*, nec moratus est.

121. *Per galeam.* Festinationem exprimit, qua in castra rediret, ut non modo non deposita galea Eucherium filium oscularetur, verum etiam hoc pietatis signum et paterni adfectus omnino omitteret. — *Stimulos*, adfectum. — *Ignes*, amorem.

122. *Vincit cura ducis.* Ducis officia officiis mariti et patris anteposuit. — *Sub pellibus*, in castris. V. Lips. de Mil. Rom. V, dial. I, 5 et 16; Schel. ad Hygin. p. 1111. Pellibus enim apud Veteres tentoria integebantur.

123, 124. *Edonas hiemes;* ita apud Stat. Theb. V, 78, ubi vid. Barth. Pro: Thracias, ab *Edone* seu *Edono*, Thraciæ monte. Verum alii aliter. Cf. VV. DD. ad diversos veterum auctores, quos laudavit Ruperti ad Sil. Ital. IV, 776, in VV. LL. — *Flabra Rhipæa. Rhipæi* proprie Scythiæ montes. Verum poetæ quosvis montes septentrionales Rhipæos appellare solent. Ruperti ad Sil. Italic. XI, 459. — *Tardi Bootæ*, qui polum tardius ambit quam reliqua signa a polo remotiora, quæ eodem tempore majores circulos describunt, cujus motus itaque tardior videtur. H. l. pro plaga, unde flabra veniunt. Intelligenda autem sunt Aquilonis flabra vel in montibus Rhipæis, vel ab iisdem venientia. Conf. Sil. Ital. XII, 7, et XIV, 121 sqq.

125. *Triste.* Perpetuum fere epith. hiemis, quo omnis natura quasi mortua videtur. Stat. Silv. V, 1, 65, et Nost. VIII, 402, quæ Heins. laudat, vix huc pertinere videntur.

126. *Nivibus profundum*, nive profunda coopertum.

Scandebat cristatus Athon, lateque corusco
Curvatas glacie silvas umbone ruebat.
Nunc prope Cimmerii tendebat litora Ponti;
Nunc dabat hibernum Rhodope nimbosa cubile.
Vos, Hæmi gelidæ valles, quas sæpe cruentis
Stragibus æquavit Stilicho; vos, Thracia, testor,
Flumina, quæ largo mutastis sanguine fluctus;
Dicite, Bisaltæ, vel qui Pangæa juvencis
Scinditis, offenso quantæ sub vomere putres
Dissiliant glebis galeæ, vel qualia rastris
Ossa peremtorum resonent immania regum.
  Singula complecti cuperem, sed densior instat
Gestorum series, laudumque sequentibus undis

127. *Cristatus*, galeatus, armatus. Virg. Æn. I, 468, dixerat, *instaret cristatus Achilles*. Ed.

128. *Curvatas glacie silvas*, id est, silvas nivis gelatæ pondere curvatas. Horat. Od. I, 9, 2 sq. — *Umbone ruebat* pro: viam sibi per eas umbone patefecit. Cf. Weitz. ad Valer. Flacc. III, 102. Hoc paullo audacius.

129. *Tendebat*, castra habebat. Virgil. Æn. II, 29. — *Cimmerii*. XVIII, 249.

131. *Hæmi*. III, 340.

132. *Stragibus æquavit*. Cf. I, 110 sqq. Lucan. VI, 180 sq.

134 sq. Expressit Noster Virgilium Georg. I, 493 sqq. — *Bisaltæ* Thraciæ gens cis Strymonem in Macedoniæ oris habitans; Virgil. Georg. III, 461: ibi Heyne. — *Pangæa*. III, 334. — *Quantæ*. Heinsius maluit *quantis*, quod Burmannus recte rejicit, quum *quantæ* h. l. sit positum pro: quot.

136. *Glebis* pro: in terra, quæ aratro proscinditur. Barthius in suo codice aliam habet lectionem :

...offenso quantæ sub vomere ruptis
Dissiliant glebis galeæ.

Putres tamen abesse nequit; *ruptis* autem e margine in textum venisse videtur.

137. *Ossa*. Gesnerus observat, æs et ferrum a salsis præsertim humoribus in terra citius erodi, quam ossa robustorum imprimis hominum. — *Immania regum*. Idem quærit: unde dignoscuntur? De ossibus immanibus loquitur; quæ quum reliqua ossa magnitudine superarent, eorum fuisse credibile erat, qui proceritate corporis cæteros antecellerent. Apud Barbaros autem, reges procera plerumque erant statura. Prudent. contr. Symmach. II, 716 sqq. Cf. Ovid. Heroid. I, 55; Sil. Italic. V, 112 sq. Lucan. VII, 859.

139. *Laudumque sequentibus undis*, rerum præclare gestarum serie, quæ aliæ alias, undarum ritu, sequuntur.

Obruimur. Genitor, cæsi post bella tyranni,
Jam tibi commissis conscenderat æthera terris.
Ancipites rerum ruituro culmine lapsus
Æquali cervice subis: sic, Hercule quondam
Sustentante polum, melius librata pependit
Machina, nec dubiis titubavit signifer astris,

140. *Tyranni*, Eugenii: XX, 537.

141. *Jam tibi commissis* etc. VII, 142 sqq.

142, 143. *Ancipites rerum* etc. Ipsius Theodosii Magni umbram Noster inducit loquentem supra, XV, 292 sqq.

. . . . quam divus abirem,
Res incompositas, fateor, tumidasque rel iqui;

ubi v. not. Hunc versum difficilem Gesnerus ita interpretatur: *Culmen rerum* est ipsum summum imperium (ita certe occurrit XXVI, 392); hoc ruiturum erat per incertos ac dubios eventus: sed subiit excepitque Stilicho illos lapsus ac motus *æquali cervice*, hoc est, viribus tantæ moli paribus. Hactenus ille. Sed nondum omnia sunt expedita. Quæri enim potest, quid sibi velint *ancipites lapsus?* Quum imago ducta sit ab ædificio corruente, possunt esse *ancipites lapsus*, quibus parietes in se invicem concidunt. Cf. XX, 26. Alium sensum equidem video nullum. Jam olim Heinsius conjecerat *præcipites*, quod et aptius et explicatu facilius puto; sed retinuit vulgatam, qua idem significari arbitrabatur: v. n. ad VIII, 239. Laudat quoque v. 282 infra, ubi tamen v. n. — *Culmine ruituro* explico: quum jam culmen ruinam minitaretur. Imperium itaque cum ædificio poeta comparavit, summamque potestatem, qua omnia continentur, cum culmine, quo tanquam compagine omnes ædificii partes sunt colligatæ. Remota igitur imagine, sensus est: Tu Stilicho res imperii nondum confirmatas, quas tamen auctoritas Theodosii continuerat, post ejus mortem eadem auctoritate continuisti, summamque potestatem illius filiis servasti, qua sublata, summa rerum confusio secuta fuisset, bellaque civilia fuissent orta, in quæ milites orientales et occidentales, odio inter se exacerbati, vehementer inclinabant. — *Æquali cervice*, id est, eadem vi et auctoritate, qua Theodosius. Barthius: nusquam inclinante; minus recte. Cæterum cf. supra III, 273 sqq. et infra XV, 292 sqq. — *Sic, Hercule quondam;* vid. Apollod. II, 5, 11; Senec. Herc. Fur. act. 1, sc. 1, v. 70 sqq. Interpretationem fabulæ habes apud Diodor. Sic. IV, 27.

144. *Melius librata* proprie de mole dicitur, quæ ita aliquo nititur, ut ab omni parte ponderibus suis deorsum æqualiter urgeatur, quæ igitur non nutet, sed immota rei sustentanti inhæreat. *Melius librata* igitur est idem, quod, magis immota. Cf. III, 11.

145. *Nec dubiis titubavit signifer astris.* Gesnerus ait: Signiferi seu Zodiaci mentio eo aptior huic loco est, quod primus ad astrologiam

Perpetuaque senex subductus mole parumper
Obstupuit proprii spectator ponderis Atlas.
Nulli barbariæ motus, nil turbida rupto
Ordine tentavit novitas, tantoque remoto
Principe, mutatas orbis non sensit habenas.
Nil inter geminas acies, ceu libera frenis,
Ausa manus certe; nec tantis dissona linguis
Turba, nec armorum cultu diversior unquam
Confluxit populus : totam pater undique secum
Moverat Auroram; mixtis hic Colchus Iberis,

gradus fuit inventa obliquitas et inclinatio illius ad æquatorem. Mihi quidem nihil aliud poeta dicere videtur, quam cælum humeris Herculis innixum adeo fuisse, ut nihil in stellarum cursibus turbatum sit. Pro cælo autem universo posuit *signiferum*, ut partem ejus potiorem. — *Dubiis astris*, quorum motus *signifero titubante* incertus fuisset. Cæterum cf. cum toto hoc loco Calpurn. Eclog. I, 84 sqq. et Wernsdorf. in excursu III, ad h. l. Poet. lat. m. T. II.

146. *Senex*, Atlas. — *Subductus*. Burmann. ad Ovid. Heroid. IX, 18, probare videtur *subducta*. Mihi prius magis placet.

147. *Spectator proprii ponderis*, id est, molis. Quum enim ipse Olympum ferret, pondus quidem ejus poterat sentire, verum molem non adspicere.

148. *Barbariæ*; Barbarorum.

149. *Novitas*, studia rerum novandarum, quæ in *novitate* imperii, quum alius ad rerum gubernacula accedit, oriri solent. Burmann. ad Valer. Flacc. II, 83 sq.

151. *Inter geminas acies*; utrumque exercitum intelligit et Orientis et Occidentis, cui tum Stilicho præerat, antequam Rufini instinctu, Arcadius milites in Oriente conscriptos revocasset. Cf. V, 161 sqq. et not. ad XV, 294 sqq. — *Libera frenis*. Heinsius mavult *freni*. Vide eum ad Virg. Æn. X, 154; Burmann. ad Ovid. Heroid. I, 80; Ruperti ad Sil. Italic. II, 441. In LL. VV. Burmannus observat, Nostrum interdum solere casum sextum huic verbo jungere, VIII, 176, et XX, 190 sq. nusquam autem casu secundo uti.

152. *Tantis*, tot. — *Linguis*; cf. infra v. 162.

154. *Totam pater* etc. Cf. VII, 68 sqq. — *Confluxit*. Burmanno verius videtur *Influxit*. Laudat Flor. I, 1, 9; Quintil. Declam. III, 13. *Confluxit*, congregatus est. Hom. Il. α, 723 : τὰ δ' ἐπέῤῥεεν ἔθνεα πεζῶν. Hoc loco et Schol. ad Aristoph. Acharn. 26, utitur Burmannus ad *Influxit* confirmandum.

155. *Iberis*, incolis Iberiæ regionis inter Colchidem, Pontum, Caucasum et Armeniam. Eam regionem describit Strabo, XI, 344; Dionys. Perieget. 697 sqq. scribit, illos ab Iberis Hispaniæ originem

Hic mitra velatus Arabs, hic crine decoro
Armenius, hic picta Saces, fucataque Medus,
Hic gemmata niger tentoria fixerat Indus;
Hic Rhodani procera cohors, hic miles alumnus
Oceani: ductor Stilicho tot gentibus unus,
Quot vel progrediens, vel conspicit occiduus sol.
In quo tam vario vocum generumque tumultu
Tanta quies, jurisque metus servator honesti,
Te moderante, fuit, nullis ut vinea furtis,
Vel seges exsecta fraudarit messe colonum;

ducere. Priscian. Perieg. 679 sqq. Avien. Descript. O. T. 882 sqq. Mannert. Geograph. d. Griech. u. Roem. t. IV, p. 413 sqq.

156. *Mitra velatus.* Non mollities Arabum designatur, sed peculiaris hujus populi vestitus.— *Crine decoro*, V, 108.

157. *Saces*, Sacæ, Σάκαι, ad septentrionales Asiæ populos referuntur. Scythas a Persis omnes *Sacas* appellatos esse narrat Herodot. VII, 64; Perizon. ad Ælian. V. H. XII, 38, existimat, inde forsan formatum nomen esse Scytharum. Cæterum *Sacas* sagittandi arte insignes fuisse docet Dionys. Perieg. 749 sqq. — *Picta* scil. tentoria, coloribus illita.— *Fucata* coloribus incoctis; cf. XXXV, 96 sq.

158. *Gemmata*; nam gemmarum patria India est. — *Niger*, I, 170.

159. *Rhodani procera cohors.* Galli, qui corporum proceritate Italicos superabant, ut Germani. Tacit. Germ. 4. Ab omnibus fere scriptoribus tribuuntur Germanis et Gallis corpora *ingentia*, *immania*, *altissima*. Cf. disputationem Conringii de habitus corporum Germanicorum antiqui et novi causis; ubi loca ex antiquis scriptoribus, proceram illorum staturam spectantia, collecta deprehendes. — *Alumnus.* Heinsius probavit *Alanus*, quod in quatuor et viginti Mss. invenit. Idem ad Valer. Flacc. VIII, 219, *alumnus* præfert. Est sane sermo h. l. de populis versus occidentem sitis, neque video, quid *Alano* cum Oceano commercii sit. Sub *alumnus Oceani* milites Galli et Hispanienses, qui mare Atlanticum adcolunt, intelliguntur, non Britanni, ut Gesnerus existimat. Pari ratione Castor et Pollux *alumni Eurotæ* dicuntur VIII, 211. Omnino quo quis natus et educatus est, ejus loci *alumnus* vocatur, Stat. Theb. VI, 15, et regio ipsa *altrix.* Horat. Od. III, 4, 10; ibi vid. Jani. Conf. Nostrum supra VIII, 128 sq. et infra XXVIII, 81.

161, 162. *Progrediens*, h. l. oriens. — *Vario tumultu* varietate inconditæ Barthius, et confusa multitudine, Gesnerus explicant.

163 *Honesti*, h. l. modestiæ militum.

165. *Seges exsecta.* Heinsius laudat Nostr. XXII, 198; *resecta* vulgarius est Ovid. Amor. I, xv, 12.

Ut nihil aut sævum rabies, aut turpe libido
Suaderent; placidi servirent legibus enses.
Scilicet in vulgus manant exempla regentum,
Utque ducum lituos, sic mores, castra sequuntur.
Denique victrices aquilas quocumque moveres,
Arebant tantis epoti millibus amnes.
Illyricum peteres; campi montesque latebant:
Vexillum navale dares; sub puppibus ibat
Ionium: nullis succincta Ceraunia nimbis,

Gesnerus *erepta* magis probat. — *Fraudare* proprie est damno aliquem afficere; h. l. a militibus, qui resecuerunt messem, ad ipsam *messem exsectam* translatum est. Sic, quod militum proprie esset, tribuitur *ensibus*, quibus ad omne nefas milites dissoluti solent abuti.

168, 169. *In vulgus manant*, h. l. vim habent in vulgus: vulgus se accommodare solet regentum exemplis; cf. VIII, 299 sq.—*Lituos*. III, 347 sqq. XVII, 181; h. l. imperia, quæ lituis, tubis eduntur.

171. *Arebant*. Ingentem militum numerum designat. Græcorum vanitatem imitatus esse videtur, qui talia de Xerxis exercitu prædicabant. Vid. Herodot. VII, 42, 196; Diodor. XI, 2 sqq. Conf. supra V, 120 sqq.

172. *Latebant*, tegebantur hominum multitudine.

173. *Vexillum navale dares* pro: expeditionem navalem ediceres. De vexillo, quod vel pugnæ vel itineris signum ab imperatoribus proponi solebat, egit Lips. ad Tacit. Ann. I, 39, ubi neque de veteranorum, neque de vexillariorum vexillo sermo esse videtur. Eripuisse autem milites vexillum e Germanici domo eo consilio videntur, ne idem faceret, quod Mennius, castrorum præfectus, qui, ut Tacitus capite præcedente memorat, « rapto vexillo et ad ripam verso, reduxit in hiberna turbidos et nihil ausos ». Cf. Serv. ad Virgil. Æn. VIII, 1. — *Sub puppibus ibat*, i. e. puppibus seu navibus tegebatur. Cf. Virgil. Æn. IV, 582.

174. *Ceraunia*. V, 221. — *Succincta* Gesnerus proprie accipit, altitudinemque promontorii expressam putat, cujus media tantum pars cincta sit nubibus, dum vertex semper sereno gaudeat cælo. Videtur tamen *succincta* simpliciter positum esse pro, *cincta*. Valer. Flacc. III, 465 sqq.

Jupiter urgentem, ceu summa Ceraunia nubem
Quum pepulit, movitque jugis; fulsere repente
Et nemora et scopuli, nitidusque reducitur aer.

Cæterum negatio non pertinet ad *succincta*, sed ad sequens *deterrebant*, et *nullis* positum est pro, *non*, hoc sensu: quanticumque nimbi sint, qui Ceraunia cingunt, iis non deterretur classis Stilichonis. Quatuor Mss. habent *nullam* cum adscripta in uno glossa: i. e. sociorum tuorum. Burmanno hoc placet, sed auribus ingratum est, *Ionium*, *nullum*. Accedit, quod li-

Nec juga Leucatæ feriens spumantia fluctu
Deterrebat hiems : tu si glaciale juberes
Vestigare fretum, securo milite ducti
Stagna reluctantes quaterent Saturnia remi;
Si deserta Noti, fontem si quærere Nili,
Æthiopum medios penetrassent vela vapores.
Te memor Eurotas, te rustica Musa Lycæi,
Te pastorali modulantur Mænala cantu,
Partheniumque nemus, quo te pugnante resurgens

brarius facile *nullis* in *nullum* poterat mutare, ut accusativum huic loco intruderet, cujus omissionem concoquere non potuit. Sed sæpius Noster accusativum omittit.

175. *Leucatæ.* Promontorium quod Leucadiam finit (nunc *Capo Ducato*), olim peninsula et Acarnaniæ cohærens. Insula facta est, isthmo perfosso. Vid. Harduin. ad Plin. H. N. IV, 1; Liv. XXXIII, 17; Virgil. Æn. III, 274: ibi vid. Heyne.

177, 178. *Ducti remi.* Ovid. ex Ponto I, 5, 40, *ducit remos* pro, navigat, de nauta dicitur. — *Reluctantes*, sc. aquis et ventis. Remis enim præcipue utebantur veteres, quando ventus esset navigationi contrarius.—*Quaterent*, pulsarent. —*Stagna Saturnia*. Dionys. Perieg. 30 sqq. αὐτὰρ ὕπερθεν πρὸς Βορέην, ἵνα παῖδες ἀρειμανέων Ἀριμασπῶν, πόντον μιν καλέουσι πεπηγότα τε Κρόνιόν τε. Ad quæ notat Eustathius, *Saturnium* illud mare glaciale vocari, quia in illis locis stella Saturni regnet: Κρόνιος καλεῖται, διὰ τὸ λέγεσθαι τῶν ἐκεῖ τόπων ἄρχειν τὸν ἀστέρα κρόνου, ὃς ψῦξιν τίθεται, ψυχρὸς ἀπὸ τῶν ἀποτελεσματικῶν ἐκλαμβανόμενος. Conf. Priscian. Perieg. v. 41 et 58, et Avieni Descript. orbis terr. v. 56 sqq. Poet. lat. m. t. V, P. I et II.

179. *Deserta Noti:* quæ sub zona torrida jacent.—*Fontem Nili:* conf. I, 38; V, 244; VII, 207. Cataractorum forsan poeta immemor hæc posuit. Herodot. II, 29. Lucan. X, 317 sqq. Forsan *Nili fontem quærere* posuit omnino pro : adverso Nili flumine altius in Ægyptum penetrare, et in deserta sole torrida.

181. *Eurotas*, VIII, 211.—*Lycæi. Lycæum* nemus Arcadiæ, quod Pan potissimum colere dicebatur, et pastorum cantu semper resonabat. Cf. Theocrit. I, 123 sq.

182. *Mænala*. I, 187; VIII, 470; Virgil. Eclog. VIII, 22 sqq.

Mænalus argutumque nemus pinosque loquentes
Semper habet; semper pastorum ille audit amores.

183. *Partheniumque nemus. Parthenius*, Arcadiæ mons, arboribus consitus. — *Quo.* Miror Gesnerum retinuisse *quod*, quum sequentia prius postulare videantur. *Quo*, sc. ad montem Parthenium, seu omnino in Arcadia. Græciam ab Alarico, præsertim Peloponnesum, vastatam esse, quem Rufinus immi-

Ægra caput mediis erexit Græcia flammis.
Plurima Parrhasius tunc inter corpora Ladon
Hæsit, et Alpheus Geticis angustus acervis
Tardior ad Siculos etiamnum pergit amores.
Miramur rabidis hostem succumbere bellis,
Quum solo terrore ruant? num classica Francis
Intulimus? jacuere tamen: num Marte Suevos
Contudimus, queis jura damus? quis credere possit?
Ante tubam nobis audax Germania servit.
Cedant, Druse, tui, cedant, Trajane, labores.

serit, memorat Zosim. V, 6 et 7; eamdem etiam a Stilichone vexatam esse addit. Ex Claudiano videtur Stilicho in Arcadia cum hostibus conflixisse, eosque in fugam vertisse.

185. *Ladon*, Arcadiæ fluvius.— *Parrhasius*, Arcadicus; nam a monte Parrhasio Arcadica interdum Parrhasia vocantur.

186. *Alpheus angustus* pro: angustatus, oppletus cadaverum acervis, ut aqua fluvii hærere cogeretur; conf. IV, 9 sq. Ibi vid. not. de fabula Arethusæ, Siciliæ fontis, ejusque intercursu cum Alpheo, Elidis flumine. Quibus adde Cluver. Sicil. antiq. V; D'Orville, Sicula, I, pag. 198, et quæ præterea laudat Heyne ad Virgil. Eclog. X, 4; Æn. III, 694 sq. Gesnerus argutari videtur in *angustus* et in *tardior pergit*, quandoquidem, ut ait, arctato alveo, celerius eant fluvii.

187. *Ad Siculos amores*, ad Arethusam. *Amores* sæpe dicitur de amante et amata. Tibull. II, 7, 47.

188. *Rabidis bellis*, cum furore quasi gestis, aut summa virium contentione.

189. *Ruant*, id est, cadant, submittant se; cf. VIII, 457. Heinsius mavult *ruat*, ut ad hostem referatur. — *Francis*, VIII, 447. — *Classica*, bellum.

191. *Jura damus*, XX, 577. — *Contudimus*, fregimus. Horat. Od. III, 6, 10, et IV, 3, 8; Virg. Æn. I, 263 sq.

192. *Ante tubam*, priusquam classica canerentur, et in eos impetus fieret. Omnino igitur pro: ante bellum illis illatum. Ex Virg. Æn. XI, 424. Cf. Sil. Italic. IX, 52; Juv. I, 169. — *Audax*, bellicosa.

193. *Cedant*, *Druse*, *tui*, etc. Cf. VIII, 455 sqq. Negat Gesnerus, poetam hic modum ingenii tenere; quanto enim pertinacius resistant hostes, tanto luculentiorem esse victoriam. Hoc quidem recte dici potest; verum, quocum hostis confligit, eum sperat saltem a se vinci posse; cui se autem, alias animosus et fortis, ante bellum submittit, eum procul dubio desperat vinci posse, hujus igitur gloria longe major debet esse: necesse etiam est talia suæ virtutis documenta jam ante ediderit, ut spem victoriæ hostes capere nequeant. — *Trajane*. De rebus gestis ejus v. Sext. Aurel.

Vestra manus dubio quidquid discrimine gessit,
Transcurrens egit Stilicho, totidemque diebus
Edomuit Rhenum, quot vos potuistis in annis;
Quem ferro, alloquiis; quem vos cum milite, solus.
Impiger a primo descendens fluminis ortu
Ad bifidos tractus, et juncta paludibus ora,
Fulmineum præstrinxit iter: ducis impetus undas
Vincebat celeres, et pax a fonte profecta

Victor. de Cæs. XIII, et epit. XIII; ibi not. VV. DD. et Plin. Paneg.

194. *Dubio discrimine*, id est, præliis, quorum eventus diu dubius fuit, ergo gravissimis.

195. *Transcurrens egit Stilicho;* cf. VIII, 458 sqq. Senec. Troad. 233 sq.

197. *Quem ferro*, sc. Druse et Trajane, domuistis. — *Alloquiis* sc. Stilicho domuit, et sic reliqua. Transpositis versibus rotundiorem exire sententiam existimat Burmannus:

. ... totidemque diebus,
Quem ferro, alloquiis; quem vos cum milite, solus,
Edomuit Rhenum, quot vos potuistis in annis.

198. *Primo ortu*, a fontibus.

199. *Ad bifidos tractus, et juncta paludibus ora*. Commentarii loco potest esse Tacit. Annal. II, 6: « Nam Rhenus uno alveo continuus aut modicas insulas circumveniens, apud principium agri Batavi velut in duos amnes dividitur; servatque nomen et violentiam cursus, qua Germaniam prævehitur, donec Oceano misceatur; ad Gallicam ripam latior et placidior adfluens, verso cognomento, Vahalem accolæ dicunt; mox id quoque vocabulum mutat Mosa flumine, ejusque immenso ore eumdem in oceanum effunditur. » Cf. infra XXVI, 335 sqq. Zosim. III, 6. Inde vocatur *bicornis* Virg. Æn. VIII, 727. — *Juncta paludibus ora*. Tacitus dicit *immenso ore*. Pompon. Mel. III, 2, similiter de dextra parte Rheni: « Ripis longe et late recedentibus, jam non est amnis, sed ingens lacus. »

200. *Fulmineum*, rapidissimum. Heinsius laudat Sil. Italic. XII, 461. cf. Ruperti ad eumdem I, 421, et Nostr. infra XXVIII, 469. — *Præstrinxit iter;* sic legendum, etiamsi *flumineum*, quæ est altera lectio, rejicias. Gesnerus quidem aliter statuere videtur. *Præstrinxit* poeta posuit cum respectu ad Rheni cursum, secundum quem Stilicho iter suum peregit. Expressit Noster sententiam vulgarem: ripas fluminis celerrimo itinere præstrinxit; cf. LXXIII, 6.

201. *Et pax a fonte* (Rheni) *profecta*. A Stilichone, Rheni fontes accedente, gentes pacem petebant, omnesque, quascumque ad Rheni cursum iter dirigens accederet, illarum exemplum secutæ sunt, ita ut, quo magis ulterius progrederetur, eo major fiebat gentium numerus, quæ se submiserant imperio Romano. — *Pax* itaque *crevit*, id est, numerus gentium pacatarum ea ratione augebatur, qua

Cum Rheni crescebat aquis : ingentia quondam
Nomina, crinigero flaventes vertice reges,
Qui nec principibus, donis precibusve vocati,
Paruerant, jussi properant, segnique verentur
Offendisse mora : transvecti lintribus amnem
Occursant ubicumque velis : nec fama fefellit
Justitiæ ; videre pium, videre fidelem ;
Quem veniens timuit, rediens Germanus amavit.
Illi terribiles, quibus otia vendere semper
Mos erat, et fœda requiem mercede pacisci,
Natis obsidibus pacem tam supplice vultu
Captivoque rogant, quam si post terga revincti
Tarpeias pressis subeant cervicibus arces.
Omne, quod Oceanum fontesque interjacet Istri,
Unius incursu tremuit : sine cæde subactus
Servitio Boreas, exarmatique Triones.

flumen Rheni aliorum fluviorum accessu aquarum copia augetur.

202, 203. *Ingentia quondam Nomina*, id est, duces Barbarorum bellica gloria quondam maxime insignes. — *Crinigero vertice*; cf. XXVI, 481 ; v. Lips. ad Tacit. Germ. 38. Crines alebant Germani, eosque in vertice nodo stringebant. De rutilis seu flavis crinibus res est notissima.

204. *Principibus*, Imperatoribus ipsis.

205. *Jussi* opponitur τῷ *donis precibusve vocati.*

206. *Lintribus*, quia navibus non utebantur Germani, aut quia naves ad manum non erant, lintribus confectis, ne tempus terere viderentur naves exspectando, fluvium transibant. Erant lintres naviculæ e cavata arbore factæ; Virg. Georg. I, 262 : *cavat arbore lintres.* Ed.

207. *Fama fefellit*, sc. Barbaros.

208. *Fidelem*, servantem promissa.

210. *Illi terribiles*, sc. populi barbari. Cf. Plin. paneg. XII, 2.

213. *Captivoque*, qualis esse solet captivorum. — *Revincti* pro : manibus revinctis, quemadmodum captivi in triumphum ducebantur.

214. *Pressis* pro : depressis, inflexis. Exprimit tristium et lugentium habitum. — *Tarpeias arces*, XV, 30.

215. *Oceanum* Germanicum intelligit.

217. *Servitio*. Heinsius recepit *Servit io*, quod elegans quidem, tamen a Claudiani consuetudine abhorrens videtur, et, si verum fatendum est, h. l. ineptum. — *Triones.* Sæpius Noster plagam cæli ponit pro populis, qui sub ea habitant. VII, 205.

Tempore tam parvo tot prælia sanguine nullo
Perficis, et luna nuper nascente profectus,
Ante redis, quam plena fuit, Rhenumque minacem
Cornibus infractis adeo mitescere cogis,
Ut Salius jam rura colat, flexosque Sicambrus
In falcem curvet gladios, geminasque viator
Quum videat ripas, quæ sit Romana requirat;

218. *Prælia* h. l. significat id, quod præliis perfici solet, ut hostes se submittant, atque imperata faciant. Sensus itaque est: Congressus tui cum Barbaris, in quibus verbis tantum disceptabatur, felicissimorum præliorum eventum habuerunt, ut jura darentur barbaris tanquam devictis. Gesnero nimium audax hoc et repugnans adeo visum est.

219, 220. *Et luna nuper nascente* etc. Tempore igitur XIV aut XV dierum iter, quod CXV Germanica milliaria æstimatione mediocri habet, percurrit, ita ut singulis diebus dena milliaria cedant. Quod rem magis etiam incredibilem reddere videtur, sunt moræ, quæ ad congressiones cum Barbaris necessariæ erant, quibus bona temporis pars consumenda erat. Probabile est Claudianum, ad augendam rem, et temporis spatium minuisse, et itineris longitudinem paullulum produxisse; in iis autem, quæ de deditione Barbarorum dicat, ingenio magis et adulationi, quam rei veritati indulsisse. Cf. VIII, 440 sqq. Hoc iter videtur suscepisse ad inspiciendos imperii fines, qua Rheno constituebantur, et ad removendas, quæ essent cum nonnullis barbaris, controversias.

221. *Cornibus infractis.* Fluminibus cornua tribui, jam supra vidimus, I, 220. Sæpius autem flumina pro gentibus ponuntur, iisque tribuuntur, quæ ad gentes pertineant. Flumen victum dicitur, quando accolæ gentes superatæ sunt. Hoc loco illud expressum est cum respectu ad Rheni, qua fingebatur, figuram, et vis ejus debellata per *cornua infracta* egregie ad sensum revocatur. Cf. XXIV, 24; XXVI, 603; Ovid. Trist. IV, 2, 41 sq. Forsan ex Acheloi pugna cum Hercule hanc imaginem poetæ sumpserunt; Ovid. Met. IX, 85 sq. — *Mitescere*, ferociam suam deponere. Eodem sensu Virg. Æn. I, vs. 291: «Aspera tum positis mitescent sæcula bellis.» Ed.

222. *Salius. Salii* ad Francorum nationem pertinebant. Amm. Marcell. XVII, 8: «Francos eos, quos consuetudo Salios appellat, ausos olim Romano solo apud Toxiandriam locum habitacula sibi figere», etc. Zosim. III, 6, memorat, Salios a Saxonibus pulsos, in Bataviam, quæ prius tota Romanorum erat, concessisse, ipsosque vocat Φράγκων ἀπόμοιραν. — *Sicambrus.* VIII, 446. Populi Ubiorum veterum versus Coloniam.

224. *Quæ sit Rom.*, quum utramque ripam æque cultam, incolisque habitatam æque humanis videat.

Ut jam trans fluvium, non indignante Caüco,
Pascat Belga pecus, mediumque ingressa per Albin
Gallica Francorum montes armenta pererrent;
Ut procul Hercyniæ per vasta silentia silvæ
Venari tuto liceat, lucosque vetusta
Relligione truces, et robora Numinis instar

225. *Caüco;* vid. ad XVIII, 379. — *Fluvium*, Rhenum.

226, 227. Ex h. l. quidam collegerunt, tunc tempestatis Albim medium fuisse inter Gallos et Francos, Gallosque armenta sua trans Rhenum, Visurgim et Albim egisse. Verum in hoc Nostro fides haberi nequit, etiamsi juratus id dixisset. Hadrian. Vales. Rer. Franc. II, p. 94. Notitia Galliar. p. 200 legit *mediumque per alveum*, Rhenumque intellexit. Verum, quum Rheni mentio jam facta sit, conjectura nihili esse videtur. Gesnerus laudat Martini Bouquet Script. Franc. t. I, p. 771, qui legendum censet *Albam*, qui est fluvius *Albe* seu *Alve* nuncupatus Arduennensibus, in *Urtam* influens. Et Francos, quorum montes armenta Gallica pererrarent, Cattos esse, a Romanis olim in Tungrense territorium deductos, censet abbas Dubos in Hist. Critic. Monarch. Franc. I, 17. Monendum sane est h. l. vehementer esse lubricum, ex poetis, iis præsertim, qui id agant, ut miris rerum narrationibus lectores teneant et delectent, admirationemque iis injiciant, ea petere, quæ ad locorum situm pertinent, indeque regionis alicujus, ut tunc fuerit, descriptionem conficere, nisi in animum induxeris, somnia vel plane ficta, vel ex aliorum narratiunculis mancis et fabulosis poetæ subnata, pro totius ætatis, qua ille vixerit, persuasione venditare. Hæc res vix in omnibus historicis feliciter procedet, nisi in iis, qui, quæ ipsi viderint, memoriæ tradiderunt. Albis, Visurgis, Amisii cæterorumque fluviorum et locorum nomina notissima adhuc erant a Germanici inde temporibus, vivebantque in scriptis eorum, qui illam celeberrimi et fortissimi ducis expeditionem memoriæ prodiderant; verum situs locorum eorumque vera distantia, quæ oculis tantum pictura et delineatione tradi, non oratione commode describi potest, videtur periisse; veterumque poetis id accidisse interdum non miremur, quod sæpius nostris hominibus accidere solet, quando fabularum suarum, ad delectandum inventarum, sedes in Africæ, aut Arabiæ, aut Persiæ regionibus collocent, ut nota et splendida nomina retinerent, omnia autem reliqua pro ingenii modulo ad suum consilium accommodate fingerent.

228. *Hercyniæ*, VIII, 451.

230. *Truces*, horrendos, metuendos. Tacit. de Mor. Germ. 9: « Cæterum nec cohibere parietibus deos, neque in ullam humani oris speciem assimulare ex magnitudine cælestium arbitrantur. Lucos ac nemora consecrant, deorum-

Barbarici nostræ feriant impune bipennes.
Ultro quin etiam devota mente tuentur,
Victorique favent: quoties sociare catervas
Oravit, jungique tuis Alamania signis!
Nec doluit contempta tamen, spretoque recessit
Auxilio laudata fides: provincia missos
Expellet citius, fallax quam Francia reges,
Quos dederis: acie nec jam pulsare rebelles,
Sed vinclis punire licet: sub judice nostro
Regia Romanus disquirit crimina carcer.

que nominibus appellant secretum illud, quod sola reverentia vident.» Hujus rei causam locus continet Senec. epist. XLI: «Si tibi occurrit vetustis arboribus et solitam altitudinem egressis frequens locus, illa proceritas silvæ, et secretum loci, et admiratio umbræ, fidem numinis facit.» Cf. Lucan. III, 399 sqq. Tacit. Annal. XIV, 29, quos locos Burmannus jam laudavit et Schedius de diis German. c. 23. — *Robora Numinis instar*, id est, robora, quæ pro numine erant; vid. Jacob. Gothofr. ad Cod. Theodosian. de Pagan. sacrif. t. VI, p. 312, b.

232. *Devota mente tuentur*, adeo dediti victoribus, ut æquo animo religiones suas violatas adspiciant.

233. *Favent*, voluntate inclinata sunt in, etc.

234. *Alamania*, VIII, 449.

235. *Contempta tamen. Contemnere* sæpius est nostrum *nicht achten*, quod minime confundendum est cum *verachten*. *Contemnimus* aliquem, quando non curamus, utrum albus an ater sit, utrum amicus an inimicus. *Contempta* h. l. est non accepta, quia non necessaria existimabatur. Eodem modo *spernere* contumeliam nullam involvit, ut jam a Gesnero observatum est.

236. *Auxilio*, quod offerebat *fides* Germanorum. — *Missos. Missi* tunc dicebantur rectores cum amplissima potestate ab Imperatore in provinciam aliquam legati. Sic Burmann. qui laudat Cangii Gloss. in hanc vocem.

237. *Expellet citius.* Sensus: veteres provinciæ expellent citius rectores, quos Imperator misit, quam fallaces Franci reges, quos tu illis dederis: pro *fallax* in quibusdam Mss. legitur *fasces*, quod cum *missos* conjungendum. Non male. Cæterum animadvertit Heinsius, v. 238, ultimam syllabam in *dederis* sæpe produci. Vid. eam ad Ovid. Heroid. Epist. VII, 53; Artem Amator. lib. I, 447:

Si dederis aliquid, poteris ratione relinqui.

238. *Acie nec jam pulsare rebelles:* conf. VIII, 89 sq. XX, 308 sqq.

240. *Regia Romanus disquirit crimina carcer*, i. e. reges, criminum rei, jam e carcere causam dicere coguntur.

Marcomeres Sonnoque docent, quorum alter Etruscum
Pertulit exsilium; quum se promitteret alter
Exsulis ultorem, jacuit mucrone suorum;
Res avidi concire novas, odioque furentes
Pacis, et ingenio scelerumque cupidine fratres.
Post domitas Arctos, alio prorumpit ab axe
Tempestas, et ne qua tuis intacta tropæis
Pars foret, Australis sonuit tuba: moverat amens
Maurorum Gildo populos, quibus imminet Atlas,
Et quos interior nimio plaga sole relegat;
Quos vagus humectat Cinyps, et proximus hortis
Hesperidum Triton, et Gir notissimus amnis

241—243. *Marcomeres Sonnoque docent.* Quæ narrat de his regulis vera putauda sunt; talia enim comminiscendi audacism abjectissima adulatio respueret. Occurrunt etiam illa uomina in sntiquis chrouicis, quæ Barthius ad h. l. laudat. *Marcomeres* seu *Marcomirus* pater habetur Pharamuudi, quod quale sit, disquirant historici, iique, quibus in antiquorum auualium barbarie versari volupe est. — *Etruscum Pertulit exsilium*, i. e. qui relegstus est iu Etruriam. Is autem erat Marcomeres a suis vivus Houorio traditus. — *Promitteret ultorem*, Virgil. Æn. II, 94.

245. *Fratres*, simillimi.

246. *Alio ab axe*, ab australi plaga, Africa, in qua Gildo turbas excitaverat.

248. *Australis tuba;* cf. XV, 380.

250. *Interior plaga*, zona torrida. — *Relegat*, disclusos ab aliis populis tenet. — *Nimio sole*, nimio solis ardore, qui alios a commercio illorum populorum arcet.

251. *Cinyps*, Κίνυφος, et Κίνυψ in majorem Syrtim iufluit. *Mémoires de l'Académie des inscript.* t. XXVI, p. 78: Herodot. IV, 175 et 198: hodie *Wadi Quaham.* — *Vagus* propter crebros flexus. — *Quos;* Macas intelligit, qui semper Ciuyphii dicuntur a Sil. Italic. III, 274 sqq. ubi quoque gens illa describitur. — *Humectat* proprie ad regiouem pertiuet, quæ rigatur, uisi velis *quos humectat* accipere pro vulgari: qui bibuut. Piudar. Olymp. V, 27 sq. ἵππαρις εἶσιν ἄρδει στρατὸν, ubi, secuudum Heyne, populus pro urbe positus est.

252. *Triton.* VIII, 36. — *Proximus hortis Hesperidum.* Juncta hæc quoque sunt ap. Lucan. IX, 344 sqq. Antiquiores poetæ de situ hortorum Hesperidum diversa tradiderunt. Iu Mauritania, ad radices Atlantis montis, eos collocat Virg. Æn. IV, 480 sq. Vid. ibi Heyue, eumdemque ad Apollodor. p. 141; Spauh. ad Callim. H. in Cer. 11. Cæterum, de situ Tritouis docte

Æthiopum, simili mentitus gurgite Nilum.
Venerat et parvis redimitus Nuba sagittis,
Et velox Garamas; nec quamvis tristibus Ammon
Responsis alacrem potuit Nasamona morari.
Stipantur Numidæ campi; stant pulvere Syrtes
Gætulæ; Pœnus jaculis obtexitur aer.
Hi virga moderantur equos; his fulva leones
Velamenta dabant, ignotarumque ferarum

disputat Heeren in libro *Ideen über d. Politik, d. Verkehr u. d. Handel der vornehmst. Völk. d. a. W.* inscripto t. II, p. 41, ed. 1804. — *Gir* Agathem. II, 10: τῶν διαῤῥεόντων τὴν ἐντὸς Αἰθιοπίαν, καὶ τὰς δὲ ἀρχὰς καὶ τὰ τέλη ἐν ἠπείρῳ ἐχόντων, μέγιστος ἐστιν ὅ τε Γὶρ καὶ Νίγιρ. Ptolemæo est Γεὶρ et Γεῖρα civitas ad hunc fluvium sita.

253. *Simili mentitus gurgite Nilum.* Hoc memorat Plin. H. N. V, 8, de Nigri: «Nigri fluvio eadem natura, quæ Nilo; calamum, et papyrum, et easdem gignit animantes.» Animadvertit Salmas. ad Solin. p. 299, *Gir, Nigir, Siris* varie confundi.

254. *Parvis redimitus Nuba sagittis;* vid. ad VII, 21. Populum describit Sil. Italic. III, 268 sqq. *Nubæ* apud Plin. H. N. VI, 30, et Ptolemæum, IV, 8, nonlonge absunt ab Arabiæ latere, Nili ripa oriente et mari Rubro. Forsan incolæ Meroes sunt intelligendi. Vid. not. ad I, 135.

255. *Garamas. Garamantes* vel intra Æthiopiam et Gætuliam, vel in extrema Africæ parte ultra Gætuliam habitabant; Herod. IV, 174 et 183. Cultum hujus populi describit Sil. Italic. I, 414 sq.

256. *Nasamona*, XV, 192. Conf. Sil. Italic. I, 408 sq. III, 320 sq. Lucan. IX, 439 sq.

257. *Numidæ campi* eadem ratione dici Heinsius docet, qua *Numidæ leones* Ovid. A. A. II, 183; *Pœna vis* Sil. Italic. VI, 338, et *Pœnus aer* versu sequenti. — *Stant pulvere Syrtes*, i. e. Syrtes obductæ sunt perpetua nube pulverulenta. Lucan. IX; 456 sq.

. . . . pars plurima terræ
Tollitur, et nunquam resoluto vertice pendet,

ubi vid. Schol. Stat. Theb. VII, 123: *sed unde Pulvereo stant astra globo.* Confer Ennii Fragmenta ed. Hessel. pag. 145: *stant pulvere campi.* Virg. Æn. XII, 407, ubi Heyne comparat Homer. Il. ψ, 365 sq. cui loco addas β, 150 sq. alia exempla congessit La Cerda. Idem dicendi color occurrit infra, XXVI, 326 sq.

259, 260. *Hi virga moderantur equos.* Vid. not. ad XV, 439 sq. *His fulva leones Velamenta dabant.* In uno Ms. legitur *scuta leonum;* in alio, v. 260, deest. Sensusque integer exit, si legas: *his scuta leonum Exuviæ, vastis Meroe quos nutrit arenis.* Eum, qui addiderit versum, Burmannus existimat in animo habuisse Virgil. Æn. VIII, 552 sq. Mihi quidem versus intrusus non videtur, neque, quod in uno Msc. desit,

Exuviæ, vastis Meroe quas nutrit arenis:
Serpentum patulos gestant pro casside rictus;
Splendent viperecæ squamosa pelle pharetræ.
Non sic intremuit Simois, quum montibus Idæ
Nigra coloratus produceret agmina Memnon;
Non Ganges, quum, tela procul vibrantibus Indis,
Immanis medium vectaret bellua Porum.
Porus Alexandro, Memnon prostratus Achilli;
Gildo nempe tibi: nec solum fervidus Austrum,

hoc satis causæ existimo, ut ejiciatur. Ex toto loco adparet, Africanos non ex rei veritate describi, sed poetam in cultu eorum fingendo luxuriari. *Scutorum* autem mentio vix locum habere potest; cf. XV, 435. — *Exuviæ*, repetendum est: *velamenta dabant*. Cæterum *Meroe* pro Africa interiore posita, VII, 21.

262, 263. Etiam hoc loco Nostri ingenium luxuriatur, Afrosque ex Gothorum aliorumque populorum septentrionalium moribus et cultu exornat, ita tamen, ut exuvias a bestiis ejusdem regionis petat.

264. *Intremuit Simois.* Gesnerus quærit, an satis commode *intremuisse* dicatur Simois ad Memnonis agmina, quum auxilio Trojanis venerint? Sed quidni commode dixerit, quum et cultus armorum ejus, quem amicum scimus esse, terrorem incutere nobis adspectu solo possit. De Memnone vid. not. ad XX, 530. — *Montibus Idæ.* Super eum montem, ad cujus radices Ilium situm erat, Trojanis et auxilia et commeatus veniebant, quoniam ea pars a Græcorum præsidiis non erat occupata. — *Coloratus*, niger.

267. *Immanis bellua*, elephas. — *Medium*, suorum seu Indorum. Sic regius interpres, qui, quamquam cruda plerumque propinare solet, h. l. immerito absurditatis a Burmanno accusatur, qui ex Curtii testimonio (VIII, 13 sqq.) ait, regem animosum duxisse suos, et in prima acie magnum regem magno elephanto conspicuum fuisse. Nescio sane, quid Burmannus sibi velit. Qui in media acie ante prima signa versatur, nonne is *medius* vocari potest? Sed Curtii auctoritas h. l. nulla est; Nostrum vel alias de hoc prælio narrationes secutum esse, vel suo ingenio indulsisse etiam ex hoc patere videtur, quod *Gangis* mentio fit, quum illa pugna ad Hydaspis ulteriorem ripam commissa sit. Cf. Arrian. de Expedit. Alexandri, V, p. 330 sq. ed. Blancard. Plutarch. Alexand. M. cap. 60, t. IV, ed. Hutt.

268. *Prostratus Achilli.* Quint. Calab. II, 541 sqq. Cæterum *prostratus* ad Porum ductum nihil aliud potest significare, quam: victus. Ille enim non solum servatus ab Alexandro, sed etiam ampliore regno, quam tenuit, donatus est. Curt. VIII, 14. Arrian. de Exped. A. V, p. 349. Plutarch. l. c. Conf. infra XXXIX, 19.

269. *Fervidus.* Heinsius conjicit; *perfidus*. Priorem tamen hic mihi non

Sed partes etiam Mavors agitabat Eoas,
Quamvis obstreperet pietas; his ille regendæ
Transtulerat nomen Libyæ, scelerique profano
Fallax legitimam regni prætenderat umbram.
Surgebat varia geminum formidine bellum:
Hoc armis, hoc triste dolis; hoc Africa sævis
Cinxerat auxiliis, hoc conjuratus alebat
Insidiis Oriens: illinc edicta meabant
Corruptura duces; hinc frugibus atra negatis
Urgebat, trepidamque fames obsederat Urbem.
Exitiale palam Libycum; civile pudoris
Obtentu tacitum: tales utrinque procellæ
Quum fremerent, lacerumque alternis ictibus anceps

esse mutandam censeo lectionem.

270. *Partes Eoas*, imperium orientale sic dictum est cum respectu ad occidentale. — *Agitabat*, sollicitabat ad bellum suscipiendum.

271. *Quamvis obstreperet pietas*, quamvis intercederet pietas, ne fratres bello committerentur. — *His*, partibus Eois.

272. *Nomen regendæ Libyæ*, id est, transferebat in speciem tantum Africæ imperium Arcadio, re autem vera illud retinebat.

273. *Umbram legitimam regni* pro, umbram seu speciem legitimi regni, quasi illud, Arcadii nomine, retineret Honorio ereptum, ad quem non pertineret.

274. *Varia formidine*. Namque a Gildone arma, ab orientalibus doli erant timendi, qui ex parte explicantur per *edicta corruptura duces*.

275—278. *Sævis auxiliis* supra 248 sqq.—*Cinxerat*, tutata erat.—*Conjuratus*; conspiraverat enim cum Gildone. Cf. XV, 277 sq. — *Illinc* respicit propius, Orientem, aulam Constantinopolitanam. — *Corruptura duces*, quæ fidem ducum ab Honorio abalienarent. — *Atra*, ut XXVIII, 245; αἴθοπα λιμὸν Hesiod. Op. ed. D, 363.

279. *Trepidamque fames* etc. XV, 62 sqq.

280, 281. *Exitiale* scil. bellum. Fame enim oppugnabatur Italia.— *Civile Libyco* opponitur. — *Pudoris Obtentu* h. l. pro: pudore intercedente. Impediebat nempe pudor Arcadium cum Eutropio instigatore, ne palam arma caperet contra Honorium fratrem. Indeque *tacitum* erat bellum *civile*, inter fratres, atque per edicta clam ad duces missa agebatur, ut Gildoni faverent, opibusque sustentarent. — *Utrinque*, ab Oriente et ab Austro.

282. *Fremerent*, ut XXIX, 208 sq. — *Lacerumque*. Hanc lectionem Heinsius optimam judicat; vid. infra XXII, 201 sq. Quidam *laterumque*, quod haud scio an non deterius sit, quam *Latiumque* a Barthio defensum. — *Anceps* pertinet ad *hiems*.

Imperium pulsaret hiems, nil fessa remisit
Officii virtus; contraque minantia fata
Pervigil, eventusque sibi latura secundos,
Major in adversis micuit: velut arbiter alni,
Nubilus Ægæo quam turbine vexat Orion,
Exiguo clavi flexu declinat aquarum
Verbera, nunc recta, nunc obliquante carina
Callidus, et pelagi cælique obnititur iræ.
Quid primum mirer, Stilicho? quod cautus ad omnes
Restiteris fraudes, ut te nec noxia furto
Litera, nec pretio manus inflammata laterent?
Quod nihil in tanto rerum terrore locutus
Indignum Latio? responsa quod ardua semper

Color orationis ductus est a navigio, quod a ventis agitatur inter se contrariis; cf. III, 275 sqq.

283. *Anceps hiems* i. q. supra *utrinque procellæ*, tempestas ab utraque parte irruens in imperium. — *Nil remisit officii*, i. e. non fatigatus est Stilicho, nec remisit quidquam earum rerum, quæ ad regentis officia pertinerent. — *Virtus* h. l. fortitudo est, quæ nullis periculis terretur, nec de salute desperat in summo rerum discrimine, memor Virgilii, Æn. VI, 95:

Tu ne cede malis, sed contra audentior ito.

Eumdem describit Stilichonem infra XXVI, 267 sqq.

285. *Eventusque sibi latura secundos*, quum fatis virtute et constantia superatis, ingentem sibi gloriam esset paraturus.

286. *Micuit*, ornate pro: fuit. *Arbiter alni*, gubernator, V, 503; VIII, 625.

287. *Nubilus Orion* pro tempestatibus ponitur, quæ ortu et occasu ejus oriri solent: hinc *nimbosus* vocatur, Virgil. Æn. I, 535; *aquosus* ab eodem, IV, 35; et *sævus*, VII, 719. Cf. Horat. Epod. XV, 7. — *Ægæo turbine*, tempestate in mari Ægæo, quod periculosissimum erat, concitata. Horat. Od. II, 16, 2. — *Vexat*; Heins. laudat Prudent. Cathem. IX, 38. Addi potest Lucan. V, 575.

288. *Clavi*, gubernaculi. Conf. Apollon. Rhod. II, 584 sq.

290. *Pelagi cælique iræ*, i. e. fluctibus et vento.

292, 293. *Noxia furto Litera*, quæ in occulto nocebat, insidiose et clam ad duces missa; vid. supra 277 sq. Conf. Burmann. ad Ovid. Heroid. VI, 43. — *Manus inflammata pretio*, id est, accensa pretio, donis et muneribus corrupta. Sil. Italic. XVI, 302.

295. *Indignum Latio*, quod imperii Occidentis dignitati obfuisset. — *Responsa ardua*. Bene Gesnerus: quæ altum animum, et nihil a metu depressum, vel ab avaritia ob damna rei familiaris humilem indicarent.

Eois dederis, quæ mox effecta probasti?
Securus, quamvis et opes, et rura tenerent,
Insignesque domos; levis hæc jactura, nec unquam
Publica privatæ cesserunt commoda causæ.
Dividis ingentes curas, teque omnibus unum
Objicis, inveniens animo, quæ mente gerenda,
Efficiens patranda manu: dictare paratus,
Quæ scriptis peragenda forent. Quæ brachia centum,
Quis Briareus aliis numero crescente lacertis,

Confer. Noster infra, XXIV, 104.

296. *Effecta probasti* pro: in effectum adduxisti.

297, 298. *Quamvis et opes, et rura tenerent.* Ex his non sequitur, aulam Constantinopolitanam in fortunas et prædia, quæ ibi habebat Stilicho, grassatam esse; sed *securus* indicat, hoc non curasse illum, quamquam timendum ei erat, ne facerent. Atque *tenere* non tam possessionem indicare videtur, quam occupandi facultatem. Erant illæ Stilichonis fortunæ in manu Arcadii, ut, quandocumque vellet, illas posset in fiscum redigere. — *Levis hæc jactura* sc. Stilichoni videbatur, si id accideret.

300. *Dividis ingentes curas.* Commentarii loco possunt esse versus Virgil. Æn. IV, 285 sq. ibi quidem, ut videtur, male intrusi. Cf. eumdem, V, 701 sq. et 720. Burmannus suspicatur legendum esse *in gentes;* quod hoc loco alienum videtur.

301, 302. *Inveniens animo, quæ mente gerenda.* Burmannus existimat, illud *animo* hic *menti* haud eleganter jungi; proponit itaque, *inveniens, animi quæ mente gerenda,* quod centies apud Lucretium occurrere dicit; sed, ni fallor, quater tantum occurrit, III, 616; IV, 759; V, 150; et VI, 1181; et ter seu quater *animi ratio*, dubitoque, an satis poeticum sit, quod Lucretii et Plauti (Cistell. II, 1, 5 sq. Epid. IV, 1, 1; Trin. II, 4, 53) exemplo probari forsan non potest. Sed legitur etiam apud Catull. LXV, 4. Omissis subtilitatibus, quas Barthius profert, quum discrimen inter *animum* et *mentem* ne a Cicerone quidem, quando philosophi partes agit, et accurate loqui debeat, observetur, quid. h. l. statuendum sit, cuique facile potest occurrere. — *Inveniens animo*, id est, excogitans, *quæ mente*, consilio, *gerenda.* Opponitur enim *mente gerenda* τῷ *patranda manu*, et *inveniens animo* τῷ *efficiens.* Miror sane, Burmannum proposuisse, *quæ Marte gerenda*, quum hoc jam, nihilque aliud, exprimatur per *patranda manu*, pro quo tamen legi vult *peraranda.* Verum hæc conjectura a priori vel invito videtur esse extorta. — *Dictare paratus*, amanuensibus. — *Paratus*, promptus, expeditus.

303. *Scriptis*, per literas.

304, 305. *Quæ brachia centum, Quis Briareus* etc. pro: quæ brachia

Tot simul objectis possent confligere rebus?
Evitare dolos, veteres firmare cohortes,
Explorare novas, duplices disponere classes,
Quæ fruges vel bella ferant, aulæque tumultum,
Et Romæ lenire famem? quot nube soporis
Immunes oculi per tot discurrere partes,
Tot loca, sufficerent, et tam longinqua tueri?
Argum fama canit centeno lumine, centum
Corporis excubiis, unam servasse juvencam.
Unde tot allatæ segetes? quæ silva carinas
Texuit? unde rudis tanto tirone juventus
Emicuit, senioque iterum vernante resumpsit

centum Briarei, unius e Centimanis; vid. Heyne ad Apollod. p. 7. — *Numero crescente*, simpliciter pro, pluribus; quod non sollicitandum est, quum necessarium sit ad determinandum *aliis lacertis*, ne id intelligas: aliis, non prioribus, quos habuit Briareus. Heinsius mavult tamen *humero crescente*, laudans Ovid. Amor. I, 7, 23, qui locus tamen conjecturæ parum patrocinatur. Burmannus malle videtur *Quis Briareus alius*, XXII, 390; Virgil. Eclog. II, v. ult. Verum et *aliis* non videtur mutandum. *Aliis numero crescente* est: aliis totidem prioribus additis, ut pulchre vidit Gesnerus. — *Confligere* cum delectu est positum pro: satisfacere, quum negotiorum molem et difficultatem simul involvat.

306. *Firmare cohortes*, quarum fidem forsan Eutropius studebat sollicitare, aut est: confirmare animum.

308. *Bella ferant.* Notum φέρειν πόλεμον, φόνον; v. Drakenbr. ad Sil. Italic. III, 365, et Ruperti in VV. LL. — *Aulæ tumultum*, dissidium inter Arcadium et Honorium intelligit, et partes inde inter aulicos natas.

309. *Nube soporis*, somno; vid. Burmann. ad Valer. Flacc. VIII, 81, qui laudat Stat. Theb. X, 285 sq. Achill. I, 250 sq. — *Immunes* sæpe cum sexto casu construi docet idem ad Lucan. VIII, 704. Cf. XXII, 201.

312. *Argum.* Ovid. Met. I, 624 sq. — *Centeno*; vide notas ad Pers. V, 6. — *Excubiis* pro, custodibus; omnes enim oculi in Io erant intenti.

315. *Texuit*; vid. Burmannus ad Ovid. Met. XIV, 531, et Trist. I, 5, 9.

316. *Emicuit*, de celeritate sumendum est, qua exercitus comparati sunt. Bene Gesnerus laudat Virgil. Æn. VI, 5 sq. — *Rudis tanto tirone juventus*, id est, exercitus rudis ex tot tironibus conscriptus. — *Senio vernante*, id est, senibus juvenili ætate rursum indutis, senectute quasi abstersa.

Gallia bis fractas Alpino vulnere vires?
Non ego delectu, Tyrii sed vomere Cadmi,
Tam subitas acies, concepto dente draconis,
Exsiluisse reor: Dircæis qualis in arvis
Messis, cum proprio mox bellatura colono,
Cognatos strinxit gladios, quum semine jacto
Terrigenæ galea matrem nascente ferirent,
Armiger et viridi floreret milite sulcus.

317. *Bis fractas Alpino vulnere vires.* Primum bello contra Maximum, deinde contra Eugenium.

318. *Delectu*, conscriptione. Burmann. ad Ovid. Met. X, 314, docet idem esse, sive *delectus*, sive legas *dilectus*. — *Tyrii sed vomere Cadmi.* Fabulam narrat Ovid. Met. III, 101 sqq. Cf. Euripid. Phœnissa. 661 sqq. ibi v. Schol. Apollon. Rhod. III, 1176 sqq. Heyne ad Apollod. p. 554. *Vomere*, e sulcis vomere ductis.

319. *Concepto dente.* Dentes quasi semen erant, quod proprie dicitur concipi. Burmannus prætulit *conceptas*, quod saltem XXXVI, 59, confirmari nequit.

320. *Dircæis*, Thebanis, a fonte *Dirce.* Hoc per prolepsin dictum esse, quia Dirce post Cadmum diu vixerit, Burmannus observat. De illa poetarum licentia vide eumdem ad Ovid. Met. III, 169, et XI, 124, et ad Lucan. IV, 322.

321—324. *Colono.* Nemo potest esse alius, quam Cadmus. Verum in hoc Noster vel mutavit fabulam, vel aliam, quam vulgarem, narrationem secutus est, quod dicit illos, e dentibus sparsis ortos, gladios strinxisse cum Cadmo bellaturos. — *Cognatos* vocat, quia cum gladiis, armati, e terra prodibant. Juvenal. XIV, 241 sqq. — *Terrigenæ galea* etc. Ovid. Met. III, 107:

Primaque de sulcis acies apparuit hastæ,
Tegmina mox capitum picto nutantia cono.

— *Matrem*, terram. — *Galea nascente ferirent*, quum nascens, id est, prorumpens galea terram removeret, aut penetraret. — v. 324. *Armiger*, quia milites armatos produceret. — *Viridi floreret milite.* Dictio sumpta a segete efflorescente. *Viridis miles* est miles recens natus e terra, segetis instar. Cæterum locus mihi interpolatus videtur. Profecto omissis versa. 321 et 322, omnia saniorem speciem induunt:

Non ego delectu, Tyrii sed vomere Cadmi,
Tam subitas acies, concepto dente draconis,
Exsiluisse reor, quondam quum semine jacto
Terrigenæ galea matrem nascente ferirent,
Armiger et viridi floreret milite sulcus.

Itaque sic statuo, rem, quam Noster paucis tantum verbis et obscurius significavit, aliis versibus, nescio unde sumptis, et fortasse ad fabulam Jasonis (Apollon. Rhod. III, 1340 sqq. Ovid. Met. VII, 121 sq. Valer. Flacc. VII, 610 sqq.) pertinentibus, a docto quodam codicis possessore esse illustratam, quos deinde minus doctus descriptor, comparationis forma il-

Hoc quoque non parva fas est cum laude relinqui,
Quod non ante fretis exercitus adstitit ultor,
Ordine quam prisco censeret bella senatus.
Neglectum Stilicho per tot jam sæcula morem
Rettulit, ut ducibus mandarent prælia Patres,
Decretoque togæ felix legionibus iret
Tessera : Romuleas leges rediisse fatemur,
Quum procerum jussis famulantia cernimus arma.
Tyrrhenum poteras junctis transcurrere signis,

lis induta, in textum male recepit.

325. *Non* junge cum *fas est.*

326. *Fretis exercitus adstitit*, sc. in naves imponendus. — *Ultor*, ad pœnas a Gildone sumendas.

327. *Ordine*, more, rite. — *Censeret*, decrevisset.

329. *Rettulit.* Gesnerus laudat Virgil. Æn. V, 596 sq. ut *ducibus mandarent* etc. Jus belli et pacis reipublicæ temporibus penes senatum fuisse constat, ducesque semper ex senatus decreto bella gerebant. Sub Imperatoribus, senatui decernendum erat, non quod sibi, sed quod illlis placeret, et mox omnino omissum est referri ad senatum de bello et pace.

330. *Decretoque togæ*, i. e. senatus decreto. — *Felix legionibus iret Tessera.* Drakenbr. ad Sil. Ital. VII, 347, monet, tesseras, συνθήματα, duplicis generis fuisse : unum, quo milites se internoscerent, ne hostis vigiles et stationes circumveniret ; hoc genus paucis verbis, sæpe uno, constabat : alterum τὰ παραγγέλματα καὶ διατάγματα, quibus dux militibus seu ordinum ductoribus significaret, quid faciendum esset. Cf. Lips. de Milit. Rom. V, dial. 9, et quæ Ruperti laudat ad Sil. Ital. l. c. Hujus generis *tesseræ* mandata erant, quæ ad milites eorumque duces etiam longinquos perferebantur ; apud Nostrates *Orders.* Cf. Virgil. Æn. VII, 637 ; Sil. Italic. XV, 475 ; Stat. Theb. X, 17 sq. Sidon. Apoll. carm. II, 449 sq. Locum ita interpretor : ut senatus decreto, quasi omine fausto, legiones arma capere juberentur, aut omnino bellum susciperetur. Burmannus mavult *velox tessera*, ut apud Stat. Theb. VII, 236 ; ibi tamen aliter se res habet. *Felix* causam continet, cur Stilicho morem antiquum retulerit ; si *velox* legas, totus versus mera est et frigida repetitio prioris.

331. *Rediisse.* Heinsius *remeasse* recepit. Sed quum et *rediisse* rectum sit, ut probat Burmann. laud. Horat. Od. I, 2, 5, et IV, 2, 39, plurimorum Mss. consensum secutus sum. — *Romuleas*, antiquas.

332. *Procerum*, senatorum. — *Famulantia*, obtemperantia. Cf. VIII, 504 sqq.

333. *Junctis signis.* Gesnerus explicat : collectis omnibus maniplis, quæ proprie signa sunt, et legionibus adeo. Equidem interpretor : una cum signis, ut sit sensus : tu

Et ratibus Syrtes, Libyam complere maniplis.
Consilio stetit ira minor, ne territus ille
Te duce, suspecto Martis graviore paratu,
Aut in arenosos æstus zonamque rubentem
Tenderet, aut solis fugiens transiret in ortus,
Missurusve sibi certæ solatia mortis,
Oppida dirueret flammis. Res mira relatu:
Ne timeare, times; et, quem vindicta manebat,
Desperare vetas. Quantum fiducia nobis
Profuit hostilis! salvæ Carthaginis arces,
Illæsis Tyrii gaudent cultoribus agri,
Quos potuit vastare fuga; spe captus inani,
Nec se subripuit pœnæ, nostrisque pepercit
Demens; qui numero tantum, non robore, mensus
Romanos, rapidis ibat ceu protinus omnes
Calcaturus equis; et, quod jactare solebat,
Solibus effetos mersurus pulvere Gallos.

poteras ipse cum exercitu transmittere. — *Transcurrere*, quod defendit Burmann. Lucan. III, 537 sq. et Horat. Epod. XI, 1, recepi pro vulgariori *transmittere*, quamquam unius Msc. auctoritate nitatur. Utitur tamen *transmittere* Claudianus supra XV, 370.

335. *Consilio stetit ira minor. Stetit*, fuit. Sil. Italic. IX, 263, et Heyne ad Virgil. Æn. I, 646; VII, 535. Sensus: ira victa est consilio. Burmann. laudat Horat. Od. III, 6, 5; Lucan. VII, 686 et 718.

336. *Te duce*, *suspecto* etc. si gravius aut acrius bellum sibi instare aut parari suspicaretur ex eo, quod tu exercitum duceres.

337. *Zonamque rubentem*, zonæ rubentis, seu ardentis.

339. *Missurusve sibi certæ solatia mortis*, tanquam inferias suis manibus, quum se jam in media morte versari cogitaret.

341. *Times*, curas, caves. Eadem figura utitur Pacat. Paneg. Vet. XII, 35, 2: « Quo quidem maxime tuus gaudebat exercitus, quum se ultro videret lacessi, qui nihil magis timuerat, quam timeri. »

343. *Profuit.* Parum abfuit, quin reciperem *contulit*.

350. *Solibus effetos Gallos.* Heinsius mavult *effeto*, probatque multis exemplis, terram arenosam et sterilem *effetam* vocari. Gesnerus conjecturam recepit. Burmannus recte vulgatam defendit, explicatque: languidos calore; sic vinitorem viribus exhaustum *effetum* vocat Virgil. Georg. II, 417:

Jam canit extremos effetus vinitor antes.

Sed didicit non Æthiopum geminata venenis
Vulnera, non fusum crebris hastilibus imbrem,
Non equitum Latiis nimbos obsistere pilis.
Sternitur ignavus Nasamon, nec spicula supplex
Jam torquet Garamas; repetunt deserta fugaces
Autololes; pavidus projectat missile Mazax;
Cornipedem Maurus nequidquam hortatur anhelum.
Prædonem lembo profugum, ventisque repulsum,
Suscepit merito fatalis Tabraca portu,

351, 352. *Geminata venenis Vulnera.* Barbaros solitos esse tela et gladios veneno inficere, notum est: cf. Heyne ad Virg. Æn. IX, 737, et X, 140; Luc. VIII, 303 sqq. Sil. Italic. I, 322 sqq. XV, 681 sqq. Ov. ex Ponto, I, 2, 17. — *Fusum imbrem.* Ennii fragm. ed. Hessel. p. 81:

Hastati spargunt hastas, fit ferreus imber,

quo crebri ingruentium telorum ictus bene describuntur. Inde forsan pendet Virgil. Æn. XII, 284. Multa alia exempla vid. ad. Enn. l. c. Pindar. Isth. V, 60 sqq.

. . . . καὶ νῦν ἐν ἄρει
Μαρτυρῆσαι κεν πόλις Αἴ-
αντος, ὀρθωθεῖσα ναύταις
Ἐν πολυφθόρῳ, Σαλαμίς, Διὸς ὄμβρῳ,
Ἀναρίθμων ἀνδρῶν χαλαζάεντι φόνῳ.

353. *Equitum nimbos.* Ab avium multitudine petitam metaphoram putant, quæ, dum volant, tenebris quasi diem involvunt. Transfertur ad quamcumque multitudinem, ut νέφος πεζῶν Hom. Il. δ, 274; Τρώων, π, 66; *nubes Laconum* Sil. Ital. VI, 336. — *Latiis pilis*, Romanorum telis. *Pila* quidem propria erant olim legionariorum, verum non militum hujus temporis. Sed sequitur in hoc, ut in multis aliis, Noster antiquitatem.

354. *Ignavus Nasamon.* XV, 192.

355. *Garamas;* vid. supra 255.

356. *Autololes*, populus Mauritaniæ Tingitanæ et Gætuliæ ad montem Atlantem, oramque maris Atlantici. Sil. Italic. III, 306 sqq.

Nec non Autololes, levibus gens ignea plantis,
Cui sonipes cursu, cui cesserit incitus amnis;
Tanta fuga est: certant pennæ, campumque volatu,
Quum rapuere, pedum frustra vestigia quæras.

Cf. interpp. ad Lucan. IV, 677, ed. Oudendorp. — *Mazax.* Magna hujus nominis est varietas in scriptis editisque. Occurrit quoque apud Luc. l. c. 681; Nemes. Cyneg. 261.

357. *Maurus;* vid. Ruperti ad Sil. Italic. I, 215.

358. *Prædonem*, Gildonem. — *Lembo*, parvo navigio.

359. *Fatalis Tabraca*, Gildoni ad interitum; cf. XVIII, 410, et XIX, 71. — *Merito portu*, illic enim pœnas dedit. Oros. VII, 36: « Gildo et ipse fugam molitus, arrepta navi, ut in altum provectus, ac deinde revocatus in Africam, post aliquot dies strangulatus interiit. » Zosim. V, 11, 7, memoriæ prodidit, eum laqueo vitam finiisse, ne in hostium manus incideret. Symmachus (Epist. IV, 4,) Stilichonem certiorem fa-

Expertum, quod nulla tuis elementa paterent
Hostibus, et lætæ passurum jurgia plebis,
Fracturumque reos humili sub judice vultus.
Nil tribuat fortuna sibi, sic prospera semper
Illa quidem ; sed non uni certamina pugnæ
Credidimus, totis nec constitit alea castris
Nutatura semel : si quid licuisset iniquis
Casibus, instabant aliæ post terga biremes;
Venturus dux major erat : victoria nulla
Clarior, aut hominum votis optatior unquam

cit, Gildonem omnibus sententiis in senatu Romæ damnatum esse. Gesnerus existimat, Nostrum indicare, quid futurum fuisset, nisi morte Gildo damnationem occupasset. Forsan supplicium tantum, non damnationem, morte occupavit.

361. *Jurgia*, ludibria.

362. *Fracturumque reos humili sub judice vultus.* Id est, et reum subiturum esse sententiam humilis judicis; id est, plebis, ut Gesnerus putat, quod tamen vix potest placere, quandoquidem judicio populi nullus potest locus esse. Forsan judex intelligitur Gildonis dignitate longe inferior. Nihilominus tamen de populi judicio sermo est infra XXIV, 99 sqq. Sed in re tam incerta quis pro certo aliquid adfirmaverit? Cf. Gothofred. ad Cod. Theodos. VII, de Metatis. Cæterum sententia expressa est ex reorum habitu, qui dejecto præ pudore vultu (*fracto*) in judicio stant, aut judicum sententiam convicti exspectant.

363, 364. *Sibi.* In Burmanniana ed. *tibi*, vitio operarum forsan. — *Sic prospera semper Illa quidem.* Vel subintelligendum, tibi semper sit ut adhuc fuit; vel sensus ita constituendus : fortuna quidem sic prospera tibi semper fuit, ut videatur omnia sibi tribuere posse. Pertinet hoc ad bellum contra Gildonem, cujus eventum felicem totum consilio Stilichonis poeta tribuit. Dicit enim, etiamsi, fortuna non adjuvante, primus impetus parum prospere cessisset, omnia jam parata fuisse, ad adversa reparanda. —*Non uni certamina pugnæ Credidimus*, id est, non in eventu unius pugnæ totam belli spem posuimus, aut omnes vires uni pugnæ commisimus.

365, 366. *Alea...Nutatura semel*, h. e. discrimen, quod semel tantum aditur, quo in perpetuum de re aliqua decernitur. Non omnem exercitum fortunæ unius prælii commisimus. Lucan. VI, 6 sqq. — *Iniquis casibus*, fortunæ adversæ.

367. *Post terga*, velut in subsidiis.

368. *Dux major*, Stilicho ipse, aut alius priori clarior, qui prælium majore vi renovasset.

Contigit. An quisquam Tigranen, armaque Ponti,
Vel Pyrrhum Antiochique fugam, vel vincla Jugurthæ
Conferat, aut Persen debellatumque Philippum?
Hi propagandi ruerant pro limite regni:
Hic stabat Romana salus; ibi tempora tutas
Traxerunt dilata moras: hic vincere tarde
Vinci pæne fuit: discrimine Roma supremo
Inter supplicium populi deforme pependit;

370. *Tigranen*, regem Armeniæ, debellatum a Pompeio. Appian. de bello Mithrid. c. 104 sqq. Flor. III, 5, 27; Vell. II, 37. — *Armaque Ponti*, bellum contra Mithridatem, de quo vid. auctores a Freinshem. ad Flor. III, 5, laudatos.

371. *Pyrrhum*, Epiri regem. Flor. I, 18. — *Antiochique fugam*; Flor. II, 8, et in utroque loco Freinsh.

372. *Persen*, Macedoniæ regem; Flor. II, 12. — *Debellatumque* pertinet quoque ad Persen: vid. Bent. ad Hor. Od. II, 19, 24; Broukh. ad Tibull. III, 6, 48; infra Nost. XXII, 435. — *Philippum*. Bellum innuitur Macedonicum primum, ut, sub *Persen*, bellum secundum.

373. *Ruerant*, ceciderant, superati erant. — *Pro limite*, ut fines imperii Romani propagarentur.

374, 375. *Hic stabat*. Gesnerus: ut navis in malacia deprehensa, vel hærens in syrtibus, vel in incili hærens currus. Minus bene. *Stabat* h. l. est: in acie versabatur, pugnabat. Sensus: hic agebatur salus romana. — *Tempora tutas Traxerunt dilata moras*. Sensus: ibi bellum tuto trahi poterat, quum tempore dilato, et vires romanæ augerentur, et hostium minuerentur. Virg. Æn. X, 888; Ovid. Met. IX, 765 sqq.

376, 377. *Vincere tarde Vinci pæne fuit*. Pendente enim bello, Italia fame vexabatur. — *Discrimine Roma supremo inter supplicium populi deforme pependit*. Gesnerus existimat, desiderari alterum extremum, inter quod pependisse et fluctuasse Roma dicatur, verbo, victoria. Equidem verba ita ordino: « Roma pependit discrimine supremo, inter supplicium deforme populi ». *Pendere summo discrimine* efficacius est vulgariori, versari in discrimine summo, quandoquidem τὸ *pendere* dubium statum ejus exprimit, qui utrum salutem recuperaturus, an periturus sit, adhuc incertus est. *Supplicium deforme* autem fames est, cujus epitheton ex descriptione, quam exhibuit Sil. Italic. II, 461 sqq. facile potest explicari. *Inter supplicium deforme populi*, id est, dum populus fame cruciatur. Sensus itaque est: Respublica Romanorum in summo discrimine versabatur, dum populus fame cruciabatur. Tibull. II, 6, 26: *Sed canit inter opus*, quod quasi explicatur ab Ovid. Trist. IV, 1, 5 sq.

Hoc est, cur cantet vinctus quoque compede fossor,
Indocili numero quum grave mollit opus, etc.

Et tanto Libyam fructu majore recepit,
Quam peperit, quanto graviorem amissa dolorem,
Quam necdum quæsita, movent: quis Punica gesta,
Quis vos, Scipiadæ, quis te jam, Regule, nosset;
Quis lentum caneret Fabium, si jure perempto
Insultaret atrox famula Carthagine Maurus?
Hæc omnes veterum revocavit adorea laurus.
Restituit Stilicho cunctos tibi, Roma, triumphos.

378. *Fructu* h. l. dulcedine fruendi. Conf. Burmann. ad Ovid. Met. VIII, 750.

382. *Lentum*, cunctatorem. Sil. Ital. VIII, 11 sqq.

...........Lentando fervida bella
Dictator........bello vicerat hostem.

— *Jure perempto*, id est, imperio romano sublato, ut Roma non amplius caput rerum esset; cf. XX, 588.

383. *Famula Carthagine*. Quum ipsa Carthago, olim Romæ æmula, debellata et in servitutem redacta sit. Erat enim probrosum, Maurum Romanis imperare, qui Carthaginem devicerant.

384. *Adorea*. *Ador* proprie far; hinc *adoreum far*, et substantiv. *adorea*, proventus, farris copia. Hoc ponitur pro victoria; quia, olim, strenuis militibus post pugnam certus farris numerus solebat distribui. Conf. Jani ad Horat. Od. IV, 4, 41. — *Laurus*, triumphos.

XXII.

CL. CLAUDIANI

DE

LAUDIBUS STILICHONIS

LIBER II.

ARGUMENTUM.

Poeta hoc carmine de moribus Stilichonis se acturum esse profitetur, et cujus ille auctoritate adductus consulatum acceperit; 1—5. Clementia, deorum natu maxima, in Stilichonis pectore sedem suam fixit, quo factum est, ut ille omnibus virtutibus exornatus sit, quæ a Clementia proficiscantur; 6—29. In eodem pectore habitat Fides, quæ eumdem reddidit veracem, simplicem, constantem in amicitia, beneficiorum memorem; 30—49. Vel amicorum natos eadem benevolentia amplectitur; 50—55. Maximum fidelis animi specimen exhibuit in regno fratribus reddendo, quod depositum quasi a Theodosio acceperat; eodem animo Honorio consulit, patrisque vices sustinet; 56—65. Quo in instituendo, justo temperamento usus est, atque obsequio ducem, pietate patrem egit; 66—73. Inde illius mores pudici, ut ante nuptias cum nulla femina commercium habuerit. Arcadium etiam tuetur, neque illi adscribit, quod inimici hominesque turbulenti illius nomine contra ipsum ausi sint; 74—87. Divitias a Theodosio relictas filiis ex æquo divisit, quin etiam exercitum, dissidio inter utramque aulam jam gliscente; 88—99. Omnes præterea virtutes pectore recepit Stilicho, Justitiam, Patientiam, Tem-

perantiam, Prudentiam, Constantiam; remotissimæ ab eo sunt Avaritia et Ambitio; 100—118. Inde fit, ut, illo rempublicam administrante, omnes fortunas suas conservent, hominesque pro meritis suis æstimentur; 119—131. A luxuriæ illecebris nunquam captus nullis deliciis indulget, sed rebus gravioribus semper intentus est; 132—145. Ærarii opes non profundit, nec in milites, quos honestis artibus sibi devincit, largitionibus utitur; 146—160. Remotus est ab omni superbia, aditu facilis, non acerbus verborum liberiorum vindex, comis, suavi sermone, salibus facetiisque omnes detinens; 161—172. Hinc ortus est amor, quo omnes eum prosequuntur, studiaque in statuis illi ubique ponendis, quæ divino honore colerentur, nisi ipse id respueret; 173—183. Hinc undique a populis legati mittuntur ad Stilichonem laudandum, gratesque ei pro beneficiis acceptis dicendas, quod otio reddito, agriculturæ operam dare possint; 184—201. Vulnera imperio Romano sub prioribus Imperatoribus inflicta, sub Stilichone sanantur; 202—207. Etiam dii curam ejus agunt, et auguriis somniisque futura illi aperiunt; 208—217. Pro tot tantisque meritis ab omnibus terris consulatus renuenti petitur; omnes conveniunt ad templum Romæ; 218—230. Prima Hispania queritur, quod Stilicho consulatum repudiat; 231—240. Idem facit Gallia; 241—246. Idem Britannia, exponens quanta ei debeat; 247—255. Idem Africa; 256—261, et Œnotria; 262—268. Quarum precibus indulgens Roma ad Stilichonem tendit; 269—277. Quærit, cur honorem toties delatum recuset? num illo consule indigna sit? num, quod illa dignitas ab Eutropio maculata sit? Verum hoc crimen ad se minime pertinere: vel si contaminatus fuerit ille honos, solo Stilichone splendorem pristinum posse recuperari. Brutus repertor, Stilicho restitutor consulatus vocetur. Quæ quum dixisset, trabeam a se textam ei dono dat, multis picturis exornatam; 278—361. Quo facto, ritibus observatis, ipsa Stilichonem insignibus induit, quem cum Marte, peractis bellis, Romam ingrediente, poeta comparat; 362—376. Roma cupidinem profitetur nunciandi inferis, splendorem consulatus esse restitutum. Rogat deinde Stilichonem, ut sæpiùs, quam adhuc fecerit, præsentia sua urbem exhilaret, quæ toties frustra eum exspectarit, ingentique gratulatione exceptura sit; 377—407. Fama de consule Stilichone pervulgata, omnes consulares convolant, ut aquilæ re-

liquæque volucres ad adventum Phœnicis; 408—423. Sol pergit ad antrum Temporis, eique Natura portas aperit. Ibi ex annis aureis præcipuum Titan eligit, qui nomen Stilichonis gerat; reliquos pone sequi jubet; 424—453. Adhortatur illos, ut optati mortalibus exeant, quandoquidem nunc aurea sæcula reducta sint; 454—466. Ipse hortos suos ingreditur, sertis se comit, equosque suos exornat. Juxta eum annus stat, consulis nomen præferens, sideraque futuros Stilichonis consulatus ætheriis fastis inscribunt.

Hactenus armatæ laudes: nunc qualibus orbem
Moribus, et quanto frenet metuendus amore,
Quo tandem flexus trabeas auctore rogantes
Induerit, fastisque suum concesserit annum,
Mitior incipiat fidibus jam Musa remissis.
Principio magni custos Clementia mundi,

1, 2. Argumentum totius carminis poeta paucis proponit v. 1—5. —*Armatæ laudes*, sc. celebratæ sunt; intelligit autem res bello præclare gestas. — *Qualibus moribus* sc. ipse indutus, *et quanto amore metuendus*, id est, quantopere ob illos mores ab omnibus ametur ita, ut metuentes, ne eum offendant benevolentiamque ejus a se alienent, dicto obedientes sint. Conf. X, 330 sqq. Gesnerus aliter hæc exponenda putat: metuendus hostibus propter amorem suorum; eo enim terribiliorem esse aliquem adversariis, ait, quo magis a suis civibus et militibus ametur. Hæc quidem per se vera sunt, tamen h. l. mihi non probantur. — *Frenet*, coerceat, moderetur. Virgil. Æn. I, 523; Valer. Flacc. I, 22; Sil. Ital. XIV, 489 sq. — *Orbem*, non solum pro universo imperio Romano, sed et pro Occidentali et Orientali Noster posuit.

3. *Quo tandem flexus auctore*. Poeta Stilichonem nolentem recusantemque consulatum inducit. Cf. infra 218 sq. *Flexus;* Valer. Flacc. III, 515. Sensus: quis tandem eum adduxerit, ut sententiam mutaret, et indueret *trabeas rogantes*, consulatum ultro se ipsi obtulentem. Eadem figura utitur, qua usus est supra VIII, 47 sqq. Burmann. laudat Ovid. ex Ponto IV, 13, 27 sqq. — *Trabeas*. Cf. III, 251.

4. *Suum*, suo nomine insignitum. — *Fastis*, id est, ut in fastis legeretur, occurreret.

5. *Mitior Musa* opponitur ei, quæ bella cecinit. — *Fidibus remissis*, leniori cantus genere, non illo intentiore, quod convenit rebus bellicis.

6. sqq. Jam incipit Noster de

Quæ Jovis incoluit zonam, quæ temperat æthram
Frigoris et flammæ mediam, quæ maxima natu
Cælicolum; nam prima Chaos Clementia solvit,

virtutibus loqui, quibus Stilichonem ornatum inducit. Inter eas potissimum recenset *Clementiam* et *Fidem*. *Clementia* ea erat virtus, quam tunc potissimum de Imperatoribus prædicabant, quæque crudelitati, sævitiæ, severitati opponitur, Plin. Paneg. III, 4; XXXV, 1; LXXX, 1. Cf. Senec. de Clement. II, 3 et 4. Latiori sensu h. l. sumi videtur pro moderatione et temperantia, quæ potissimum cernitur in coercendis affectibus, quæ ex iracundia ulciscendique cupidine proficisci solent. Eam *Clementiam* splendide describit, facitque non solum gubernatricem omnium rerum, verum etiam dicit, eam fuisse illam vim, quæ pugnam olim elementorum composuerit, aut quæ fecerit, ut ex virium inter se discordantium et invicem se destruentium contentione, sapienti temperamento adhibito, pulcherrimus ille rerum ordo, qui mundus vocatur, exiret. Quantum nos quidem scimus, soli Jul. Cæsaris Clementiæ templum Romani dedicaverunt; Plutarch. in Cæs. c. 57, t. IV, ed. Hutt. Dio Cass. XL, 6: ibi vid. Fabric. Nullum Clementiæ simulacrum exstitisse notum est ex Stat. Theb. XII, 494 sq. Numum veterem cum fronte templi, et Cæsaris Clementiæ inscriptum exhibet Torrentius ad Sueton. in Cæs. c. 75, alium Rubenius in Regum et Imperator. Rom. Numism. tab. 4, fig. 11 et 12; ibi imago visitur Clementiæ cum ramo oleæ, et in templo simulacrum, dextra ramum oleæ tenens, sinistra videtur hasta inniti. Plura ibidem de hujusmodi numis et in Lexic. universæ rei numariæ vet. ed. Jo. Christ. Rasche in voce *Clementia*. — *Principio*, id est, a rerum omnium principio. — *Magni custos mundi*, conservatrix totius universitatis, quum naturas rerum inter se oppositas moderetur, nimiamque earum vim justo temperamento coerceat.

7, 8. *Quæ Jovis incoluit zonam*. *Incoluit* per enallag. temp. pro: incolit. Gron. ad Sen. Hipp. 510. — *Jovis zonam*; Lucan. X, 205 sqq.

Frigida Saturno glacies et zona nivalis
Cessit; habet ventos incertaque fulmina Mavors.
Sub Jove temperies et nunquam turbidus aer.

Cf. supra VII, 166 sqq. Sub *zona* totam illam sphæram Gesnerus intelligit, quæ cum Jove circumagitur, interclusam inter sphæram Saturni et Martis. — *Quæ temperat* non ad *zonam*, sed ad *Clementiam* referas. — *Æthram Frigoris et flammæ mediam*, zonam temperatam.

9. *Nam prima Chaos Clementia solvit*. Hæc cum duobus versibus sequentibus rationem continent, cur *maxima natu Cælicolum* dicta sit. Mire Nostrum τῷ *solvi* uti putat Burmannus, quum proprie digesta et disposita moles *salvatur*, id est, in chaos antiquum redigatur, ut pluribus locis ostendit ad Val. Flacc. I, 829. Chaos autem continet

Non bene junctarum discordia semina rerum.

(Ovidius Met. I, 9.). Sub *chaos* igitur Noster elementorum pugnam

Congeriem miserata rudem, vultuque sereno
Discussis tenebris, in lucem sæcula fudit.
Hæc Dea pro templis et thure calentibus aris
Te fruitur, posuitque suas hoc pectore sedes.
Hæc docet, ut pœnis hominum vel sanguine pasci
Turpe ferumque putes; ut ferrum Marte cruentum,
Siccum pace, premas; ut non infensus alendis
Materiem præstes odiis; ut sontibus ultro
Ignovisse velis; deponas ocius iram,
Quam moveas; precibus nunquam implacabilis obstes;

intellexit, quam Clementia *solvit*, id est, diremit. Sic *solvere prœlia*, XV, 276; *lites*, V, 494. Potest quoque ita explicari : rerum perturbationem et confusionem sustulit, omniaque explicavit, disposuit, et in certum ordinem redegit. Eadem Amori tribuit VOLTAIRE:

.....L'Amour débrouillant le chaos,
S'élançant dans les airs et planant sur les flots.

10. *Congeriem rudem.* Ovid. l. c. *rudem indigestamque molem* vocat. — *Vultuque sereno*, serenifico. Vultum sereoificum pluribus diis poetæ tribuunt, inprimis Jovi. Cf. Heyne ad Virgil. Æn. I, 255. Bene hoc Noster ad Clementiam transtulit, cujus non solum majestatem, sed naturam quoque amabilem omniaque vel tristissima exhilarantem voluit exprimere.

11. *Discussis tenebris.* Barthius laudat Nonni Dionys. XLI:

Πρώτη κυανέης ἀπεσείσατο κῶνον ὀμίχλης,
Καὶ Χάεος ζοφόεσσαν ἀπεστυφέλιζε καλύπτρην.

— *In lucem secula fudit.* Chao enim soluto, et tenebris dispulsis, rerum ordo explicatus est. *Secula* h. l. tempora, in quibus omnia sunt, fiunt, geruntur, quæ fluminis instar feruntur. Huic accommodatum est optime *fudit*.

12. *Pro templis;* v. n. ad. 5. — *Thure calentibus.* Virg. Æn. I, 417.

13. *Te fruitur*, sc. pro templo. — *Posuitque suas hoc pectore sedes.* Ovid. ex Ponto, III, VI, 25 sq. Stat. Theb. XII, 494 sq. infra 31.

14. *Pasci*, delectari; III, 165.

16. *Siccum pace, premas. Siccum* opponitur *cruento.* Heinsius laudat Stat. Theb. VIII, 384; Sil. Italic. VII, 213; VIII, 18 sqq. Juvenal. X, 112 sq. Nost. XXIV, 269. Cf. supra V, 234. Cui etiam altera lectio *feras* arridet, quam improbat Bormannus, quum sæpe duabus diversis rebus unum modo verbum subjungatur (vide eum ad Vellei. Paterc. II, 128), quomqoe *premere* semper ambigue dicatur, ut sit et retinere ferrum, et vulnus inferre. H. l. *premere* est manu tenere.

17. *Alendis Materiem præstes odiis.* Hoc faciunt, qui ab aliquo offensi dicta ejus omnia et facta maligne interpretantur, indeque odium suum augent, semper vindictæ occasionem avide exspectantes.

19. *Quam moveas* pro : quàm tibi

Obvia prosternas, prostrataque more leonum
Despicias, alacres ardent qui frangere tauros,
Transiliunt prædas humiles: hac ipse magistra
Das veniam victis; hac exorante, calores
Horrificos, et quæ nunquam nocitura timentur
Jurgia, contentus solo terrore, coerces
Ætherii patris exemplo, qui, cuncta sonoro
Concutiens tonitru, Cyclopum spicula differt

moveatur, aut, quam suscipias iram. Stat. Theb. VIII, 125:

Tunc iras, tunc arma citat.

20, 21. *Prostrataque more leonum Despicias.* Cf. Stat. Theb. VII, 529 sqq. VIII, 124 sqq. XI, 27 sqq. — *Ardent* cupiditatis vehementiam exprimit. — *Frangere tauros.* Conf. Homer. Il. ε, 161; λ, 175; ρ, 63. Præterea laudat Heins. Stat. Theb. V, 332; XI, 28: Valer. Flacc. II, 459 sqq. Drakenb. speciem hujus rei ex gemma et numo oculis proponit ad Sil. Italic. XI, 245 sq. Adde Gorlæi Dactylioth. t. I, n. 528, ubi duo leones unum taurum frangunt.

22. *Prædas humiles.* Stat. Silv. II, 5, 7, vocatur leo *altarum vastator ferarum.* — *Hac*, Clementia. — *Ipse.* Longe plures Mss. *iste*, inde conj. Heins. *sponte*, quod, ut Burmannus jam notavit, adversari videtur τῷ *magistra.* Ipse conj. *use;* sed hoc languet, non quidem apud Ovid. Amor. III, 1, 38, quem laudat. *Ipse* rectum puto. Leones prostratum animal et prædas humiles negligunt, quia contemnunt; *ipse* idem facis, Clementia adductus.

23, 24. *Hac exorante calores Horrificos ... coerces.* Heins. laudat Sil. Italic. XI, 547 sqq. — *Nunquam nocitura* non ita explices: quæ timentur ab omnibus, etiamsi omnes sciant, ea sibi nunquam esse nocitura; sed sic: quæ timentur, et idcirco, quod timentur, non nocitura. Hoc apparet ex versu sequenti: *contentus solo terrore.* Conf. Stat. Silv. III, 3, 156 sqq.

25. *Jurgia* h. l. exprobrationes, verba minacia.

26. *Sonoro.* Tempestates *sonoræ* vocantur a Virgil. Æn. I, 53. *Sonores* pro, tonitrua, posuit Valer. Flacc. V, 306, ubi vid. Burmann. Cæterum compara Virg. Georg. I, 328 sqq. et splendidissimum locum Horat. Od. I, 34, 5 sqq.

27. *Concutiens tonitru.* Ovid. Met. II, 848 sq.

.... cui dextra trisulcis
Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem.

— *Cyclopum spicula*, fulmina. Virg Georg. IV, 170 sqq. — *Differt*, alii *defert*, quod Burmannus mavult, et idem dicit esse, quod: torquet. Laudat Ovid. Met. V, 90. Lucan. VII, 157. Sed haud facile quisquam locum proferet ex antiquorum libris, ubi *deferre fulmen, hastam* etc. is dicatur, qui fulmen seu hastam torqueat. Alia ratio est τοῦ *differre*, quod non solum idem est cum diffundere, spargere, ut

In scopulos et monstra maris, nostrique cruoris
Parcus, in OEtæis exercet fulmina silvis.
Huic divæ germana Fides, eademque sorori,
Corde tuo delubra tenens, sese omnibus actis
Inserit : hæc nullo docuit livescere fuco,
Nunquam falsa loqui, nunquam promissa morari,
Invisos odisse palam, non virus in alto
Condere, non lætam speciem præmittere fraudi ;
Sed certum mentique parem componere vultum.
Occulto sævire vetat, prodesse remittit.

passim occurrit, sed etiam, ut h. l. remotionem alicujus rei indicat in alium locum, quemadmodum vulgo remotionem in aliud tempus. Jupiter dicitur *differre fulmina* ab hominibus iisque rebus, quibus, quæ est ejus clementia, parcit, in eas res, quarum interitus vel prodest, vel nihil nocet.

28, 29. Cf. not. ad Pers. II, 24 et Lucret. VI, 386 sqq. — *OEtæis*. V, 181. — *Exercet;* vid. Burmann. ad Valer. Flacc. III, 162.

30 sqq. Progreditur poeta ad alteram virtutem, *Fidem*, quam sororem germanam Clementiæ dicit esse, cujusque naturam in sequentibus accurate describit. Præclare adumbrata *Fides* est a Sil. Ital. II, 484 sqq. qui eam facit *Justitiæ* consortem, beneque appellat *tacitum in pectore numen*. Conf. quoque Horat. Od. I, 24, 26 sq.

31. *Omnibus actis*, omnibus, quæcumque facis.

32. *Inserit*, vim suam exserit in etc. — *Nullo livescere fuco*. *Livescere* posuit Noster pro invidere, XXIV, 40; XXXVI, 27. Potest igitur explicari per : nulli invidere adsumpta benevolentiæ specie, ita ut *fucus* h. l. dissimulationem invidiæ denotet. Gesnerus dicit, *fucum* sua natura lividum esse seu pallidum, ὠχρόν Aristot. H. A. VI, 13 extremo; lanas fuco imbutas videri livescere (v. eum ad Quintil. XII, 10, 75); indicare igitur poetam, homines, qui mendaciorum fucum adhibeant, ab illo tantum livescere, non nitescere.

34. *Virus*, animi æstum, iracundiam. Ruperti ad Sil. Ital. II, 288, et IX, 476. — *In alto Condere*, quasi alta mente reponere ad opportunam evomendi occasionem; XVII, 92.

35. *Præmittere*, i. q. prætendere, ut etiam in quibusdam Mss. legitur. — *Lætam speciem*, hilaritatem, humanitatem. Sensus : non tutos reddere homines humaniter eos amplectendo, ut postmodum incautis noceatur, aut fraus inferatur.

36. *Certum*. Quo viso de mente possis esse securus. Sic Barthius.

37. *Prodesse remittit*. *Prodesse*, subintellige, occulto ; *remittit*, permittit, non impedit. Hoc sensu illum vocem quandoque adhiberi, docent Lips. ad Tacit. Ann. I, 8; III, 54; Gronov. Observ. IV, 2.

Hæc et amicitias longo plus tempore firmat,
Mansuroque adamante ligat, nec mobile mutat
Ingenium, parvæ strepitu nec vincula noxæ
Dissolvi patitur, nec fastidire priorem
Allicitur, veniente novo: benefacta tenere,
Respuere offensas facilis, pariterque minoris
Officii magnique memor, superare laborat,
Utque hostes armis, meritis sic vincit amicos.
Hæc fovet absentes; hæc longe sola remotis
Consulit; hæc nullis avidam rumoribus aurem
Pandit, ut ignarum nunquam læsura clientem
Insidiosa tuos alienent murmura sensus.
Nec vivis annexus amor meminisse sepultos

38. *Longo plus tempore firmat*, h. e. quo diutius duraut amicitiæ, tanto eas Fides facit firmiores. Sic Gesnerus. Temporibus enim, quibus mutantur omnia, nihil licet in amicitias, quas Fides copulavit; sed potius temporis progressu stabiliuntur, redduntürque immutabiles.

39. *Mansuroque adamante ligat*, i. e. vinculis sempiternis. De *adamante* vid. III, 119. — *Nec mobile mutat Ingenium*, h. e. nec mutat ingenium, quod si mutaretur, mobile esset.

40. *Parvæ strepitu noxæ*, i. e. strepitu adductus, quem parva noxa movere solet, seu potius quem movent calumniatores, ut ei, qui in parva re deliquerit, noceant. Cf. VIII, 279, et XXXIX, 5.

42. *Allicitur*. Magna Mss. in hac voce est varietas. Heinsius locum corruptum judicat, olimque conjecit *neglectum*, vel *ejectum*, vel *abjectum*; paullo frigidius, ut existimo. Gesner. *Allicitur* recte explicat per: induci se patitur; verum num commode poeta ita dixerit, dubitat. Cur tamen dubitarit, equidem nescio. — *Tenere* sc. memori mente. Burmann. laudat Stat. Theb. VIII, 509 sqq. Græviuin ad Cicer. pro Sylla, c. 18.

43. *Respuere* opponitur priori *tenere*, positum itaque h. l. pro oblivisci.

44. *Superare*, sc. officia sibi tributa. Burmannus conj. *superare labore, Utque hostes armis, meritis sic vincere amicos*. An hæc meliora sint, judicent lectores.

47. *Hæc nullis avidam* etc. Conf. VIII, 278 sqq.

48, 49. Ordo verborum: *Ut murmura insidiosa, læsura clientem ignarum, nunquam alienent sensus tuos*, id est, benevolentiam a cliente. Conf. Juvenal. III, 122 sqq. et IV, 110.

50. *Nec vivis annexus amor*. Ex alia lectione *amplexus* conjecit Heinsius: *Nec vivos amplexus amor*. Sed *amplexus* glossa videtur esse; et in-

Desinit : in prolem transcurrit gratia patrum.
Hac tu Theudosium, tenuit dum sceptra, colebas;
Hac etiam post fata colis, nec pignora curas
Plus tua, quam natos, dederat quos ille monendos
Tutandosque tibi : justos nimiumque fideles
Fama putat, qui, quum possint commissa negare,
Maluerint nullo violati reddere quæstu.
At Stilicho non divitias, aurique relictum
Pondus, sed geminos axes, tantumque reservat
Depositum teneris, quantum sol igneus ambit.
Quid non intrepidus credas, cui regia tuto
Creditur? hoc clypeo munitus Honorius altum
Non gemuit patrem, vitæque et lucis in ipso
Limine, contemptus nunquam dat jura subactis

telligi certe nequit, quemadmodum inde ad *annexus*, *annixus*, *obnixus* etc. librarii aberrare potuerint. Ex *annexus* possis suspicari, poetam scripsisse *adjectus*, ita ut sit *amorem adjicere alicui* eadem ratione dictum, qua *adjicere animum alicui*. Sed sine codicum auctoritate omnis fere conjectatio lubrica est.

51. *Gratia patrum*, i. e. amicitia seu benevolentia in patres.

52. *Hac*, Fide. — *Sceptra*, regnum. Virgil. Æn. I, 253; et sæpius apud Poetas.

54. *Natos*, Arcadium et Honorium. Memoriæ tamen quidam tradidere, Stilichonem voluisse Eucherium, filium suum, Imperatorem facere. Vid. Gothofred. ad L. XXII, Cod. Theodos. de bonis proscript. t. III, p. 378.

56. *Fama putat*, vulgo putant.

57. *Violati*, contaminati, quandoquidem turpis est hujuscemodi quæstus.

59. *Geminos axes*, VIII, 395.

61. *Intrepidus*, tuto.

62. *Clypeo*; conf. VIII, 433.— *Altum*, magnum, Virgil. Æneid. X, 875; XI, 726; Ovid. Metamorph. XV, 65.

63. *Non gemuit patrem*, quia adhuc superstes erat in Stilichone.— *Vitæque et lucis in ipso Limine.* Burmannus tautologiam putat *vitæ et lucis*, quæ unum idemque notent; conjicit itaque *vitæque et laudis in ipso Lumine.* Citat Stat. Theb. IX, 22. Sane *lumine* et *limine*, *laus* et *lux* sæpius confunduntur. Vid. eumdem ad Valer. Flacc. I, 822; Ovid. ex Ponto, IV, VI, 9. Possis etiam conjicere : *vitæque elucet* (Honorius) *in ipso limine*, i. e. vixdum juvenis seu puer adhuc, gloriam nanciscitur tuis rebus gestis. Saltem sequentia conjecturam hanc non improbant.

64. *Contemptus nunquam*, scilicet a barbaris gentibus propter teneram adhuc ætatem.

Gentibus, et secum sentit crevisse triumphos.
Quem tu sic placida formas, sic mente severa,
Ut neque desidiæ tradas, dum pronus ad omne,
Quod libet, obsequeris; nec contra nixus ovantem
Confringas animum; secretus consona regno
Ceu juvenem doceas, moles quid publica poscat;

65. *Et secum sentit* etc. Simili fere ratione, XXI, 201 sq.

66. *Quem tu sic placida* etc. Sensus : quem tu instituis, justo temperamento inter nimiam indulgentiam et severitatem adhibito.

67. *Desidiæ*, h. e. vitæ molli, quæ omnia seria respuit, voluptatibusque tantum indulget.—*Tradas*, ut apud Græcos δοῦναι, παραδοῦναι. Homer. Il. ε, 397; Odyss. τ, 167, et ε, 356.

68. *Dum obsequeris*, obsequendo, ut Gesnerus recte monet.—*Ovantem animum*, juvenili alacritate elatum nimioque ardore vehementius aliquid molientem seu cupientem, aut omnino luxuriantem.—*Contra nixus*, i. e. obviam eundo juvenili ejus ardori et licentiæ.

69. *Confringas animum*. Burmannus fatetur, se nescire, an illud deterius sit, quam *constringas*, quod etiam præponere videtur priori; nam ait nimis remissos et lætitia solutos *constringi* aptius dici quam *confringi*. *Constricta frons* aut *adstricta* de severis quidem dicitur, ut docuit ad Petron. 132, et Quintil. Instit. XII, 3, in fine, et *constringere* poni posse pro *contristare* ex Nostro, XXXI, 264, ubi pro *contristat* olim legebatur *constringit*, aliquo modo probari potest, quia frigus proprie constringit omnia, eo ipso autem tristem rebus faciem induit. Sed vid. ibi n. H. l. autem *constringere* levius est, quia nihil potest notare aliud, quam : coercere, impedire, quo minus animus nimis luxurietur. Hoc enim institutionem Principis et disciplinam vitiosam minime redderet, nihilominus tamen de vitio sermo est. *Confringere animum* autem est, omnes ejus impetus retundere, quo etiam omnis generosa indoles, omnesque motus liberales pereunt, totusque homo in servitutem quasi redigitur.—*Secretus consona regno*. *Secretus* institutionem respicit privatam, qua Stilicho, remotis arbitris, Honorium docebat *consona regno*, i. e. quæ imperanti scitu sint necessaria, quæque ad rerum publicarum administrationem pertineant. Barthius amplexus est *secernis*; olim erat *ceu cernas*. Utrumque vix commodum sensum præbet. Si per Mss. liceret, equidem legerem *secernens*, totumque ad superiora traherem : *Quem sic tu placida formas, sic mente severa, ut, secernens consona regno, neque desidiæ, tradas*, etc. hoc sensu : illud institutionis genus eligens, quod regno, i. e. regnanti, accommodatum est. Illud *secretus*, si verum dicendum est, semper mihi displicuit.

70. *Ceu juvenem doceas*. Repetendum est ex superioribus *ut*. Pergit Noster describere, quemadmodum

Ceu sanctum venerere senem, patriisque gubernes
Imperium monitis, dominum submissus adores;
Obsequiis moderere ducem, pietate parentem.
 Hinc fuit, ut primos in conjuge disceret ignes;
Ordirique virum, non luxuriante juventa,

Stilicho Honorium tractet. Sensus: ut eum instituas tanquam juvenem, ignarum earum rerum, quæ ad rempublicam pertineant. — *Moles publica* est imperii magnitudo, ejusque regendi officium, aut onerosa ejus administratio.

71, 72. *Sanctum senem* opposuit τῷ *juvenem*, et *venerere* τῷ *doceas*. Occupati imperii suspicionem a Stilichone removet, quamquam ejus nutu atque arbitrio omnia gubernarentur, et Honorius nomen tantum inane Imperatoris retineret. Dicere Claudianus vult, Honorium a Stilichone eruditum esse ceu juvenem adhuc imperitum, simulque autem ab eodem magistro reverenter esse habitum ceu sanctum senem, ideoque auctoritatem præceptoris cum reverentia erga Imperatorem et dominum ab illo esse conjunctam. — *Patriisque gubernes Imperium monitis*. Totus locus male distinctus est in ed. Burmann. et in reliquis. Conjunctivus iterum pendet a præcedente *ut*. *Patriis monitis* ex auctoritate igitur Theodosii patris, et ex ejus consilio. Etiam hoc pertinet ad elevandam arrogati imperii suspicionem. Potest quoque sensus esse: ut gubernes imperium dum Honorium paterno affectu moneas, quid faciendum sit. Prius tamen præstat. His iterum opponitur *dominum submissus adores*. — *Dominum*, Honorium, Imperatorem legitimum. — *Submissus adores* respicit observantiam Imperatori legitimo debitam, qualis tunc erat usu recepta. Qui accedebant ad Imperatorem, aut genua flectere, aut se prosternere debebant pro suo quisque ordine ac dignitate, purpuramque osculari. H. l. igitur tutoris potestatem cum subjecti obedientia apud eumdem Noster conjunxit.

73. *Obsequiis moderere ducem*. *Moderari ducem* cum delectu posuit pro: agere ducem. *Obsequiis* pro: obsequendo, obediendo. Duces enim Imperatoris imperia exsequuntur, aut ex arbitrio Principis rempublicam administrant. — *Pietate parentem*, sc. moderere. Caritate et amore in Honorium parentem agas. Hoc loco igitur partes ducis obsequentis, nihilque contra summi imperantis mentem facientis, cum patris sapienter monentis partibus conjunctæ sunt.

74. *Hinc fuit* etc. Inter ea, quæ institutioni Stilichonis tribuenda sunt, potissimum Noster censet pudicitiam Honorii, quod ante nuptias cum nulla femina rem habuerit. An hoc non potius ætati Principis tribuendum sit, historici videant. — *Primos ignes*. Conf. X, 1 sqq.

75. *Ordirique virum*. Sic Senec. Hippol. 924 sq.; i. e. primam Venerem ordiri, ut exposuit quoque

Sed cum lege tori, casto cum fœdere, vellet.
Principe tu felix genero; felicior ille
Te socero : fratrem levior nec cura tuetur
Arcadium, nec, si quid iners atque impia turba,
Prætendens proprio nomen regale furori,
Audeat, adscribis juveni : discordia quippe
Quum fremeret, nunquam Stilicho sic canduit ira,
Sæpe lacessitus probris, gladiisque petitus,
Ut bello furias ultum, quas pertulit, iret
Illicito, causamque daret civilibus armis.
Hujus fulta fide, mediis dissensibus aulæ,
Intemeratorum stabat reverentia fratrum.
Quin et Sidonias chlamydes, et cingula baccis

Barthius.—*Luxuriante juventa*, quæ Venerem vulgivagam sequitur.

76. *Cum lege tori, casto cum fœdere*, i. e. nuptiis legitimis. *Casto cum fœdere* exprimit illam conditionem legitimam, quæ *lege tori* non continetur.

79. *Nec si quid iners atque impia turba*, spadonum et aulicorum cohors deliciis dedita, perpetuaque dissidia inter Arcadium et Honorium moliens, Rufinus præsertim et Eutropius, quorum ausis Arcadius nomen solebat commodare, a rerum publicarum cura ipse remotissimus.

80. *Furori*, actionibus suis sceleratis. — *Nomen regale*, Arcadii nomen seu auctoritatem.

81. *Audeat*, ἀορίστως.

82. *Fremeret*, discordiæ accommodatum. Lucan. IX, 217. — *Canduit*, exarsit. Cf. XVII, 226.

83. *Sæpe lacessitus probris*. Hoc expeditum esset, si constaret, de quo tamen vix dubitari potest, poetas Rufini, et Eutropii, et ejusdem farinæ hominum laudes pari ratione celebrasse, qua Claudianus Stilichonia gloriam prosecutus est, cum gravissima adversariorum insectatione. Potest quoque id respici, quod Stilicho Constantinopoli hostis publicus est declaratus A. C. 396. — *Gladiisque* spectare potest sicarios immissos, aut barbaros contra illum excitatos.

84. *Furias*, homines illos improbos, et quasi furiis agitatos, eorumque in ipsum impetus.

85. *Illicito*, civili, contra Arcadium, fratrem Honorii.

86, 87. *Mediis dissensibus aulæ*, aulicorum, et qui Stilichonis partes sequerentur et qui Rufinum foverent. — *Intemeratorum* vulgari ratione ad reverentiam pertineret.

88. Ad Fidem quoque pertinet, quod Stilicho pretiosissima quæque a Theodosio relicta fratribus ex æquo divisit; quin partem quoque exercitus tradidit ei, quem hostem sibi esse sciebat. — *Sidonias*, V, 450; X, 212. Omnia hæc ad cul-

Aspera, gemmatasque togas, viridesque smaragdo
Loricas, galeasque renidentes hyacinthis,
Gestatosque patri capulis radiantibus enses,
Et vario lapidum distinctas igne coronas,
Dividis ex æquo, ne non Augusta supellex,
Ornatusque pares geminis heredibus essent.
Mittitur et miles, quamvis certamine partes
Jam tumeant : hostem muniri robore mavis,
Quam peccare fidem : permittis justa petenti,
Idque negas solum, cujus mox ipse repulsa
Gaudeat, et quidquid fuerat deforme mereri.

tum Imperatoris pertinebant, qui qualis tunc temporis fuerit, optime disci potest ex Corippo in laud. Just. II, 114 sqq.

Nobilibus gemmis et cocto lucidus auro
Balteus effulgens lumbos præcinxit heriles,
Substrictusque sinu vestis divina pependit
Poplite fusa tenus, pretioso candida limbo.
Cæsareos humeros ardenti murice texit
Circumfusa chlamys, rutilo quæ ornata metallo
Principis exserta vincebat lumina dextra;
Aurea juncturas morsu præstrinxit adunco
Fibula, et a summis gemmæ nituere catenis.

89. *Baccis Aspera*, id est, margaritis distincta. Gesnerus quærit: cur *aspera baccis* dicantur cingula, quum margaritis nihil sit levius? Margaritæ non sunt *asperæ* illæ quidem, sed cingulum fit *asperum* margaritis. *Aspera* quæcumque res potest dici, cujus superficies inæqualis est. Vid. Heins. ad Ovid. Met. XII, 235, et XIII, 700; Heyne ad Virgil. V, 266. *Baccæ* quoque possunt esse gemmæ. Apud Coripp. l. c. 88, *pretiosa cingula gemmis*.

90—94. *Renidentes*, ad splendorem et adspectum jucundum pertinet. LXXX, 3. — *Capulis radiantibus*, sc. gemmis. — *Lapidum igne*, igneo fulgore; vid. ad VIII, 588.

95. *Mittitur et miles*. Cf. V, 257 sqq. Sed adde Zosim. V, 4, 4, qui inutiles tantum a Stilichone remissos memorat. — *Partes*. Jam enim dissidium ortum erat inter duos fratres, Rufini scelere, si fides habenda est Claudiano.

96. *Tumeant*, ira accensæ erant: v. Burm. ad Ovid. Heroid. VII, 121; Bentlei. ad Horat. Art. 197, et supra n. ad XV, 330. — *Robore*, militibus remissis.

97. *Quam peccare fidem*, id est, quam ut fides peccet, aut quam ut tu contra fidem pecces. Apud Petron. 12, est *fides male ambulans*, ubi videantur interpp.

98. *Idque negas solum*. Quidnam illud fuerit, nec poeta significat, nec aliunde sciri potest. Forsan id, quod non e re imperii Occidentis esset, nec Stilichonis consilio accommodatum.

99. *Quidquid fuerat*. Heinsius *quidquid fuerit* vel contra libros legendum censet. Burmannus, cui religio est contra Mss. fidem in textum aliquid recipere, vulgatam

Omnes præterea, puro quæ crimina pellunt
Ore deæ, junxere choros, unoque receptæ
Pectore diversos tecum cinguntur in usus.
Justitia utilibus rectum præponere suadet,
Communesque sequi leges, injustaque nunquam
Largiri sociis; durum Patientia corpus
Instruit, ut nulli cupiat cessisse labori;
Temperies, ut casta petas; Prudentia, ne quid
Inconsultus agas; Constantia, futile ne quid
Infirmumque geras : procul importuna fugantur
Numina, monstriferis quæ Tartarus edidit antris.

retinuit. Gesnerus adeo festinasse Heinsium putat, observatque indicandi modum in talibus majorem vim habere. Si sermonis latini ingenium spectes, quatenus nobis quidem innotescere potuerit, Heinsio accedendum esse videtur; quandoquidem de re turpi in universum sermo est. Sed multa sunt, quæ a communi loquendi more recedant, quæ tamen rejicienda non sunt, quia grammaticæ leges ex naufragiis tantum latini sermonis collectas habemus, ad quas omnia, quæcumque occurrunt, revocare velle nimiæ esset audaciæ.—*Mereri*, consequi; v. tamen Casaub. et Cortium ad Plin. Epist. I, 8, 14.

100, 101. *Puro ore*. Ex lectione *orbe*, quam Heinsius non improbat, Burmannus conjecit *corde*, quia *purum os* magis de pudico, contra *impurum* de eo dicatur, qui turpia patitur. Quod quamquam negari non possit, conjectura tamen vix cuiquam probabitur. Gesnerus interpretatur *os purum* de vultu sereno tenebras criminum fugiente, ut solis radii umbras. Ex locis quæ laudat, huc facit Salomon Proverb. XX, 8. — *Junxere choros*, simpliciter pro vulgari: junctæ, seu omnes *uno pectore receptæ* sunt.

102. *Tecum cinguntur in usus*, id est, parant se ad vim suam exserendam in omnia quæcumque facturus es, aut ad tecum obeunda omnia. — *Diversos*, quia virtutum sua cuique vitæ pars est, in qua potissimum se ostendat. Hoc ex sequentibus clarius adparebit.

104, 105. *Injustaque nunquam Largiri sociis*. Contrarium videtur esse ejus, quod præcesserat, indicareque, Stilichonem nunquam socios, clientes suos, amicos, legibus exemisse, aut per gratiam et favorem ea illis tribuisse, quæ contra leges essent communes. Cf. V, 76. Heinsius *sociis* improbat, conjicitque *facilis*.

106 — 110. *Instruit*, durando docet. *Temperies*, temperantia, quæ cernitur in coercendis libidinibus. —*Constantia*, levitati opponitur.— *Importuna Numina*, *monstriferis*, etc. vitiorum est periphrasis.

Ac primam scelerum matrem, quæ, semper habendo
Plus sitiens, patulis rimatur faucibus aurum,
Trudis Avaritiam, cujus fidissima nutrix
Ambitio, quæ vestibulis foribusque potentum
Excubat, et pretiis commercia pascit honorum,
Pulsa simul : nec te gurges corruptior ævi
Traxit ad exemplum, quod jam firmaverat annis
Crimen, et in legem rapiendi verterat usus.
Denique non dives sub te pro rure paterno,

111. *Ac primam scelerum matrem*, unde potissimum omnis generis scelera proficiscuntur. Cf. Virgil. Æn. III, 56 sqq. Juvenal. XIV, 173 sqq.

112. *Plus sitiens*. Juvenal. l. c. 139 sqq. Horat. Od. II, 2, 13 sqq. III, 16, 17 sq. Prudent. in Psychom. 454 sqq. — *Patulis faucibus;* efficacius, hoc est, quam inhians, summamque cupiditatem exprimit. Imago sumpta videtur a bestiis famelicis aut sitientibus.

113. *Fidissima nutrix;* sic Heinsius, quod conveniens est nutrici epithet. Alii *fœdissima*, quod Burmannus notat codici suo postea adscripsisse Heinsium, ideoque illud recepit. Prius tamen præstare vix aliquis negabit, quum *fœdissima* neque *nutrici*, neque *ambitioni* satis convenire videatur. Ambitio autem *nutrix* est *fidissima* avaritiæ, quum eam accurate foveat, quandoquidem magna pecunia opus est ad corrumpendos homines et ad honores emendos, ea præsertim tempestate, ubi omnia erant venalia.

114. *Quæ vestibulis foribusque potentum*, etc. ut benevolentiam et gratiam eorum sibi conciliet, et ad honores ab iis promoveatur.

115. *Pascit*, nutrit. Heins. laudat Sil. Italic. XIII, 359 sqq. Adde Horat. Epist. I, 18, 35; Nost. XXXIX, 22. — *Commercia honorum*. Si enim deessent, qui emerent honores, commercia honorum tollerentur. Venalitas crescit licitantium numero.

116, 117. *Gurges corruptior ævi*. Mala scil. illa consuetudo vendendi emendique honores adeo usu erat recepta et firmata, ut turpitudinem jam amisisse videretur. Comparatur illa cum fluminis gurgite, quæ omnia deorsum trahit, cui tum restitit Stilicho. — *Traxit ad exemplum*, permovit eum, ut aliorum exempla sequeretur.

117. *Firmaverat annis*, longinquitate corroboraverat. Tempore enim vitiis vel fœdissimis adsuesci adeo solet, ut fœditas illorum non animadvertatur.

118. *In legem verterat*, quasi legitimam reddiderat. — *Rapiendi usus*, consuetudo rapiendi per honorum commercia. Pulsa enim dicitur ambitio a Stilichone, non quia ipse non ambiret honores, sed quia ambitionem aliorum non aleret honoribus vendendis.

119, 120. *Sub te... pallet*. Tre-

Vel laribus, pallet; non insidiator oberrat
Facturus quemcumque reum; non obruta Virtus
Paupertate latet : lectos ex omnibus oris
Evehis, et meritum, non quæ cunabula, quæris;
Et qualis, non unde satus : sub teste benigno
Vivitur; egregios invitant præmia mores.
Hinc priscæ redeunt artes; felicibus inde
Ingeniis aperitur iter, despectaque Musæ
Colla levant; opibusque fluens et pauper eodem
Nititur ad fructum studio, quum cernat uterque,
Quod nec inops jaceat Probitas, nec Inertia surgat
Divitiis : nec te jucunda fronte fefellit

decim Mss. *pendet*, quod Heinsius positum putat pro : *pendit*, hoc sensu : damno vel pœna adficitur. Burmannus idem eodem sensu sumit, quo occurrit apud Sueton. in Claud. 19 extr. (ubi eum vide) pro : ipse aut bona ejus in tabula proscripta pendent. Hoc vix locum habere potest, nisi *pro rure paterno, vel laribus*, ita intelligas: ut Stilicho, seu judex, rus paternum, vel lares, id est, domum, in suam rem vertat. Mihi *pallet* magis arridet: v. n. ad Pers. V, 80; infra XXIV, 100. In jus vocatus dives non timet pro rure suo paterno, aut pro suis ædibus sub te judice. — *Insidiator*, delator.

121, 122. *Facturus*. Editt. primæ *fracturus*, quod Heinsio probatur, et sane fortius est; laudat XXI, 361. — *Non obruta virtus Paupertate*; cf. VIII, 222 sqq.

123. *Quæ cunabula*, quo genere ortus; Horat. Sat. I, 6, 7 sqq.

124. *Et qualis, non*, etc. explicatio est prioris. — *Benigno*, qui merita libenter agnoscit, benigneque præmiis ornare meritos curat.

126. *Priscæ artes*, bonæ, quæ olim florebant.

127. *Iter*, ad honores et præmia.

129. *Nititur ad fructum studio*. Nihil mutatum quidem vult Burmannus, sed *studio* melius convenire putat τῷ *niti*. Sic enim Cic. de Offic. III, 10 : « Qui stadium currit, eniti et contendere debet, quam maxime possit, ut vincat. » Cf. Broukh. ad Propert. III, 20, 25. Verum haud scio an melius sit h. l. *studio* propter sequentia. — *Ad fructum*, ad præmia meritis proposita. Burmann. laudat Ovid. ex Ponto, II, 3, 15; Heroid. XX, 67, ubi idem vocis sensus.

130. *Quod*. Gesnerus suspicatur, Nostrum scripsisse *Quam*. Quæ suspicio a grammatices ratione videtur excitata. — *Jaceat*, contemnatur, despiciatur. Opponitur τῷ *surgat*. Cf. Saleii Bassi e. ad Pison. v. 109, Poet. lat. min. T. IV, P. I.

131, 132. *Jucunda fronte fefellit Luxuries*. Luxuriem non male depinxit Prudent. in Psychom. 310

Luxuries, prædulce malum, quæ dedita semper
Corporis arbitriis hebetat caligine sensus,
Membraque Circæis effeminat acrius herbis;
Blanda quidem vultus, sed qua non tetrius ulla
Ultrices fucata genas, et, amicta dolosis
Illecebris, torvos auro circumlinit hydros.
Illa voluptatum multos innexuit hamis;

et sqq. — *Fronte*, specie exteriore.

133. *Corporis arbitriis*, id est, cupiditatum imperiis, quæ e corpore nascuntur. — *Hebetat caligine*, obscurat, obtundit. Licent. carm. ad August. v. 9 sq. Poet. lat. m. T. IV, P. II:

Implicuit varia nostrum caligine pectus,
Induxitque animo rerum violentia nubem.

— *Sensus*, h. l. rationem, ut non possit veram speciem a fucata dignoscere, nec bona et honesta a malis et turpibus secernere.

134. *Circæis herbis.* Circe nobilis venefica ex Æa, Colchorum urbe, in Ææam insulam, sive Circeios, Latii promontor., translata a poetis. Satis nota est ex Odyss. x, 135 sqq. Cf. Heyne in Excurs. I, ad Virgil. Æn. VII. — *Herbis*, quæ in veneficiis eum incantationibus adhibebantur. Ovid. Met. XIV, 33 sqq. Propert. II, 1, 55; ibi vid. Broukh. — *Effeminat*, frangit, mollit. Horat. Epist. I, 2, 23 sqq.

135. *Blanda quidem vultus*, quod pro, *vultu*, firmat Heinsius citt. Sil. Italic. XII, 227; supra Nost. XX, 528; Gronov. Diatr. ad Stat. c. 38. — *Sed quo* scil. vultu, *non tetrius ulla* sc. ultricum seu Furiarum. Nam, ut ex sequentibus patet, et Luxuriam inter Furias censet Claudianus, quæ tamen furialem corporis habitum specioso cultu dissimulat. — *Tetrius fucata* pro: turpius, crassiore fuco ad rugas explendas; Petron. 23, ibique intpp. Gesnerus interpretatur: majorem periculo et noxa fucata; qui male in partes vocat Juvenal. VI, 461 sqq. quum hic locus ad medicamina faciei spectet, quæ, antequam prodirent feminæ, abluebantur. Idem conj. legendum esse, *sed qua non tetrior ulla Ultricum.*

136. *Ultrices*, furiales. Luxuria blanda quidem est specie, sed habet genas fucatas.

137. *Torvos hydros*, quos ut Furia pro crine alit. — *Auro circumlinit.* Heins. ad Ovid. A. A. III, 232, hanc lectionem defendit. Gesnerus proponit *circumligat*. Vitlæ intelligendæ sunt auro intertextæ, aut infulæ de bracteis auri, quibus hydri, erines, religati sunt et tecti, ne primo adspectu adpareant, terreantque accedentes. — *Torvos.* Adscripserat olim Heinsius codici suo *tortos*, quod melius etiam h. l. convenit.

138. *Multos innexuit hamis*, fecit ut multi adhærescerent hamis. A piscatore hoc sumptum esse, nemo non statim videt. Sensus: Multos voluptatum illecebris deceptos cepit. Eadem autem sententia sexcentis apud poetas, atque semper translative, formis describitur.

Te nunquam conata capit : non prava libido
Stupris advigilat; non tempora somnus agendi
Frustratur; nullo citharæ convivia cantu,
Non pueris lasciva sonant. Quis cernere curis
Te vacuum potuit? quis tota mente remissum,
Aut indulgentem dapibus, ni causa juberet
Lætitiæ? non indecores æraria lassant
Expensæ; parvo non improba litera libro
Absentum condonat opes : a milite parcus
Diligeris; neque enim neglectas pace cohortes

139. *Te nunquam conata capit.* Equidem sic intelligo : Luxuries, conata te capere, nunquam cepit. In tanta rerum adfluentia, in tot occasionibus et facultatibus, quas corruptissimi aulæ mores præberent, incorruptum Stilicho servavit animum. Burmanno *conata* displicet; vellem causam adjecisset.

140. *Stupris advigilat* pro : vigilat ad stupra perpetranda, et quidem dormiendi tempore, ut liquet ex opposito : *tempora agendi.*

141, 142. *Nullo citharæ convivia cantu* etc. Adludi putat Barthius ad edictum Theodosii M. quo e comessationibus ministeria lasciva et psaltrias removerit; v. Sext. Aurel. Vict. epit. XLVIII, 10. Citharistrias procul dubio intelligit, quæ sæpe conviviis introducebantur, lascivisque cantiunculis et impudico corporis motu libidines excitabant. Conf. Juven. XI, 162 sqq. ibi vid. Ruperti. et interpp. ad Petron. 23. — *Non pueris lasciva* (convivia) *sonant.* Symphoniacos intelligit manibus simul et voce loquaces, Alexandrinos præsertim, quorum lascivia satis nota est. Vid. Barth. ad Stat. Silv. V, 5, 68.

144, 145. *Causa Lætitiæ*, quando conviviis lætitiæque publicæ honeste se subtrahere non posset, ut in natalibus Imperatoris celebrandis et hujusmodi diebus festis. — *Lassant*, exhauriunt. Ductum hoc ab animantibus, qui viribus exhaustis lassantur. Gesnerus præfert *laxant*, quod explicat : ampliora faciunt egerendis, quæ ibi servantur. Prius tamen Claudiani ingenio aptius videtur esse. Simili ratione *humus lassa* vocatur, cujus vires exhaustæ sunt assiduis fructibus; Ovid. ex Ponto I, 4, 14. — *Indecores*, quæ luxui fiunt.

146, 147. *Parvo non improba litera libro Absentum condonat opes. Improba*, quæ modum excedit, repugnantiæ speciem præbet cum *parvo libro* junctum. — *Litera improba* est improba sententia, quæ continetur *parvo libro*, id est, epistola seu libello, per quem *absentum* fortunæ aliis condonantur. Hac largiendi ratione Principes, quandoquidem ipsis minime molesta, forsan sæpius utebantur. — *Parcus*, vel sine largitionibus, vel saltem minimis.

148, 149. *Neglectas pace cohortes*, milites pacis tempore neglectos,

Tunc ditas, quum bella fremunt: scis nulla placere
Munera, quæ metuens illis, quos spreverit, offert
Serus, et incassum servati prodigus auri.
Antevenis tempus, non exspectantibus ultro
Munificus, mensæque adhibes, et nomine quemque
Compellas, clari, sub te quod gesserit olim,
Admonitos facti; figendaque sensibus addis
Verba, quibus magni geminatur gratia doni.
Nec, si quid tribuas, jactatum sæpius idem
Exprobrare soles; nec, quos promoveris, alto
Turgidus alloqueris fastu; nec prospera flatus

quando eorum usus nullus est. — *Ditas*, muneribus adficis, *quum bella fremunt*, ut alacres eos reddas et promptos ad pugnandum. *Fremunt*; apud Sil. Italic. XII, 300: *dum bellum tonat.*

150. *Quos spreverit*; vide notas ad XXI, 235.

151. *Serus*, sero, belli tandem tempore, quum munera metu extorta a militibus spernuntur. — *Servati auri*, unde justa stipendia militibus data non sunt in tempore.

152. *Tempus* sc. urgens, necessitatem, quæ munerum distributionem extorquet.

153, 154. *Nomine quemque Compellas.* Hoc familiaritatem cum militibus contractam indicat, maximique momenti est ad animos eorum duci conciliandos, præcipueque inde ad præclara facinora edenda compelluntur, quum neque ignavia, neque fortitudo singulorum ducem latere possit, cui omnes cogniti sunt. Plin. Panegyr. XV, 5; ibi v. Schwarz., qui inter alia loca Nostrum quoque laudat. Illis addi possunt, quæ collegit Ruperti in commentariis ad Silium Italicum I, 454.

155. *Clari Admonitos facti*; vid. Heins. ad Ovid. Met. V, 212 et 402. Hoc fiebat plerumque ante pugnam ad milites accendendos, cujus rei exempla apud historicos obvia sunt. — *Figendaque sensibus verba.* Verba sunt honoris, quibus gloriantur milites, quorumque memoriam semper custodiunt. — *Sensibus*, animo.

156. *Magni geminatur gratia doni.* Heinsio arridet *nodi*, quod in quibusdam est Mss. laudat XLVIII, 36, supra 38 sqq. et VIII, 45, ubi vid. n. Ex notis Gesneri adparere videtur, eum recipere voluisse *nodi*, sed operas eo invito servasse *doni*, quod Burmanno placet, qui laudat Frontin. III, 16, 1; Ovid. ex Ponto, II, 2, 19 sq. Liv. XXX, 15. In *magni doni* esse aliquid potest, quod iis repugnet, quæ dicta sunt v. 147 sqq. nisi hoc universe dictum statuas.

157, 158. *Jactatum exprobrare soles.* Terent. Andr. I, 1, 14 sq. — *Alto*, qui caput adtollit.

159, 160. *Turgidus alloqueris*, ut eos, qui a te promoti tibi om-

Attollunt nimios. Quin ipsa superbia longe
Discessit, vitium rebus solemne secundis,
Virtutumque ingrata comes : contingere passim,
Affarique licet : non inter pocula sermo
Captatur, pura sed libertate loquendi
Seria quisque jocis nulla formidine miscet.
Quem videt Augusti socerum regnique parentem,
Miratur conviva parem, quum tanta potestas
Civem lenis agat : te doctus prisca loquentem,
Te matura senex audit, te fortia miles,
Adspersis salibus, quibus haud Amphiona quisquam
Præferat Aonios meditantem carmine muros,

nia debent. — *Flatus*, φυσήματα, *attollunt nimios* sc. Stat. Theb. I, 320 sq. pro : nimiam arrogantiam et spiritus nimium elatos ostendunt. Euripid. Phœniss. 457. Cf. Burmann. ad Valer. Flacc. III, 631; Virgil. Æn. XI, 346.

162. *Ingrata comes*, quæ facit, ut virtutes ipsæ aliis gratæ esse desinant. Cf. XVII, 243 sq. Heins. olim conj. *ignava*. — *Contingere passim*, cuique licet te convenire, ubicumque sis.

163. *Inter pocula*, ubi sermo liberior solet esse, vino animi recessus recludente.

164. *Captatur*, ut in crimen detorqueatur. *Captare* eodem fere sensu positum puto, quo apud Terent. Phorm. V, 6, 29. — *Pura libertate*, cui nihil metus admixtum sit, nihil adulationis.

166. *Regnique parentem*, patricium; v. n. ad XVIII, 109.

168. *Civem agat*, gerat se civem, seu privatum, æqualem reliquis. — *Prisca*, petitas res ex antiquitate, quas memoriter exponens, doctos in sui admirationem raperet.

Multa tenens antiqua sepulta, et sæpe vetustas
Quæ facit, et mores veteresque novosque tenentem
Multorum veterum leges, divumque hominumque
Prudentem, etc.

Ennii frag. ed. Hessel. pag. 76.

169. *Matura* sunt, quæ ab ingenio maturo, multoque rerum usu subacto proferri possunt. — *Fortia*, res fortiter gestas.

170, 171. *Amphiona*. Fabula de Amphione, qui lyræ cantu Thebarum muros exstruxisse dicitur, notissima est. *Canoro saxa modulatu trahens* Senec. Herc. Fur. 263. — *Aonios meditantem carmine muros*. Proprie dicimus : *meditari Musam, seu carmen*, Virgil. eclog. I, 2; VI, 8. Quandoquidem autem ipso carmine, seu lyræ cantu muri exstruebantur, h. l. *meditantem* doctius poeta posuit pro, exstruentem. Alii Mss. habent *Aonias Musas*, quod recte rejicit Heinsius, laudans Stat. Theb. I, 9 sq. II, 454 sqq. X. 874 sq. Sil. Italic. XI, 440

Nec velit Orpheo migrantes pectine silvas.
  Hinc amor, hinc veris, et non fallacibus, omnes
Pro te solliciti votis; hinc nomen ubique
Plausibus, auratis celebrant hinc ora figuris.
Quæ non incudes streperent? quæ flamma vacaret
Fabrilis? quantis fluerent fornacibus æra
Effigies ductura tuas? quis devius esset
Angulus, aut regio, quæ non pro numine vultus
Dilectos colerent, talem ni semper honorem
Respueres? decus hoc rapiat, quem falsa timentum
Munera decipiunt, qui se diffidit amari.
Hoc solus sprevisse potest, qui jure meretur.
  Undique legati properant, generique sub ore
In tua centenas aptant præconia voces.
Grates Gallus agit, quod limite tutus inermi,
Et metuens hostile nihil, nova culmina totis

sqq. quibus Burmannus addidit, Stat. Silv. III, 1, 16 sq. Theb. VIII, 232 sq.—*Aonios*; cf. IV, 3. H. l. *meditantem carmine muros* positum est pro : omnem artem in canendo adhibentem, aut optime canentem.

172. *Orpheo migrantes pectine silvas. Orpheo*, VII, 114. Cf. Sil. Ital. XI, 459 sqq. Apollon. Rhod. I, 23 sqq. Sidon. Apollin. carm. II, 71 sqq. — *Velit* pro, malit; vid. Barth. ad Stat. Theb. III, 287.

175. *Plausibus*, laudibus. — *Auratis figuris*, statuis, imaginibus aureis.

176. *Streperent*, sc. malleorum ictibus. Cf. XX, 71 sq. — *Vacaret*, quæ massam non coqueret ad statuas et imagines tuas.

177. *Quantis*, quot.

179. *Vultus*, statuas.

181. *Respueres*. Exempla eorum, qui statuarum honorem spreverunt, profert Lambinus ad Horat. Epist. II, 1, 248. — *Decus hoc rapiat*, statuarum honorem cupide arripiat. — *Falsa*, quibus amorem simulant, quem non sentiunt.

182. *Diffidit amari*, eamque ob rem publica amoris documenta desiderat.

184. *Generique sub ore*, cujus invidiam socer non est quod timeat.

185. *Aptant centenas voces* pro : multique laudes tuas oratione prosequuntur.—*Centenas*, vid. not. ad Pers. V, 5. Multi Mss. apud Heinsium habent *optant*, quod poetis quidem aliquem laudaturis, verum legatis et oratoribus minus convenit. Receptum tamen est a Gesnero.

186. *Limite inermi*, qui ab armatis militibus non custoditur.

187, 188. *Totis ripis*. Heins. conj. *tutis*. Prius retinendum censet Bur-

Ædificet ripis, et sævum gentibus amnem,
Tibridis in morem, domibus prævelet amœnis.
Hinc Pœni cumulant laudes, quod rura tyranno
Libera possideant; hinc obsidione solutus
Pannonius, potorque Savi, quod clausa tot annis
Oppida laxatis ausus jam pandere portis,
Rursum cote novat nigras rubigine falces,
Exesosque situ cogit splendere ligones,
Agnoscitque casas, et collibus oscula notis
Figit, et impresso glebis non credit aratro.
Exsectis, inculta dabant quas sæcula, silvis

mannus, explicatque: quantum decurrit, extenditur Rhenus. Laudat Flor. II, 16, 4, et III, 4, 5; Virgil. Æn. IX, 245; Stat. Theb. VII, 420 sq.

188. *Gentibus*, cas. sextus; propter gentes barbaras.

189. *Prævelet*. Burmann. laudat Ovid. A. A. I, 255.

190. *Tyranno*, Gildone.

191. *Obsidione* h. l. pro: hostibus in propinquo castra habentibus, indeque crebras eruptiones facientibus agrosque populantibus; v. Schwarz. ad Plinii Panegyricum, LXXXI, 2; et not. nost. Edit. vol. II. p. 368. En.

192. *Potorque Savi*, gentes ad Savum.

194. *Cote novat*; cf. Sil. Ital. IV, 12 sqq. — *Nigras*. Lucan. I, 243:
.....Scabros nigræ morsu rubiginis enses.
Heinsius conject. *scabras*, laudatque Ovidius ex Ponto, I, 1, 71; Metamorph. VIII, 802; Virgil. Georg. I, 495, et alia (adde Broukhus. ad Propert. II, 19, 55, qui censet, *robigine* scribendum esse). Hæc conjectura eo verisimilior esse videtur, quod versu sequenti *scabras* cum *situ exesos*, ut *novat* cum *cogit splendere* permutantur.

196. *Agnoscitque casas*, agricola nempe hostium repentina incursione in urbem compulsus, indeque, pace restituta, agros suos et casas revisens. — *Et collibus oscula notis Figit. Oscula figere terræ* religionem esse antiquissimæ vetustatis, jam notavit Gesnerus, qui laudat Homer. Odyss. δ, 522; ν, 354; Ovid. Met. III, 24. Solebant autem reduces terram osculari, ut jam observavit D'Orvil. ad Charit. pag. 465. ed. Lips. Eadem ratione discedentes domumque suam deserturi osculari portas, vel postes, vel adeo ripas solebant; v. Wernsdorf. ad Rutil. Itin. I, 43; Poet. lat. m. T. V. P. I, p. 85.

197. *Impresso glebis non credit aratro*. Credit somnio se deludi, non re vera aratro restitutum esse. Felicem exprimit hoc conditionem, vota pæne superantem, aut quam vix sperasses.

198. *Sæcula* pro longo tempore. — *Dabant*, reddiderant.

Restituit terras, et opacum vitibus Istrum
Conserit, et patrium vectigal solvere gaudet,
Immunis qui clade fuit. Te sospite fas est
Vexatum laceri corpus juvenescere regni.
Sub tot principibus quæcumque amisimus olim,
Tu reddis : solo poterit Stilichone medente
Crescere Romanum vulnus tectura cicatrix;
Inque suos tandem fines redeunte colono,
Illyricis iterum ditabitur aula tributis.

Nec tamen humano cedit cæleste favori
Judicium : cingunt Superi concordibus unum
Præsidiis, hostesque tuos aut litore produnt,
Aut totum oppositi claudunt fugientibus æquor,
Aut in se vertunt furiis, aut militis ense
Bacchati laniant Pentheo corpora ritu;
Insidias retegunt, et in ipsa cubilia fraudum
Ducunt, ceu tenera venantem nare Molossi.

199, 200. *Opacum vitibus Istrum Conserit.* Hoc Probum jam fecisse notat Gesner. ex Aurel. Victor. de Cæs. 37. « Galliam, Pannoniasque, et Mœsorum colles vinetis replevit. » —*Patrium vectigal.* Gesnerus existimat, hoc loco innui, reliquis, quorum agri vastati fuissent, ad certus annos immunitatem esse datam. Cf. infra 206 sq. *Patrium*, quod patres jam pependerant, et quod iis non auctum erat.

207. *Illyricis.* Ibi enim præcipue turbarum sedes fuit illo tempore; V, 201.

209. *Judicium*, idem quod favor, qui pendet a judicio, quo quis eo dignus existimatur.

210. *Litore produnt.* Ut Andragathium Zosim. IV, 46 sq. et Gildonem Oros. VII, 36, ad quem versus sequens pertinere videtur.

211. *Claudunt;* conf. Heyne ad Tibull. I, 3, 36.

212. *Aut in se vertunt furiis*, i. e. furiis agitant, ut se ipsi interficiant, ut Arbogastes Oros. VII, 35; supra VII, 102 sqq.

213. *Pentheo ritu.* Pentheus a mulieribus in furorem actis, inter quas mater Agave, laceratus est. Ed.

214. *In ipsa cubilia fraudum*, ubi fraudes excogitantur, et unde exeunt, in ipsa illa loca recondita et abstrusa. Sumptum hoc a ferarum cubilibus.

215. *Molossi*, V, 420.—*Tenera nare*, sagaces. In multis Mss. est *Molossum*, quod probavit quidem Gesnerus, sed non recepit. Quo recepto, sensus est : *dii in ipsa cubilia fraudum ducunt*, sc. vindicem, ceu *Molossum*, et sic dii non comparantur cum molossis, sed Prin-

Ominibus ventura notant, aut alite monstrant,
Aut monitos certa dignantur imagine somnos.
Pro quibus innumeræ trabearum insignia terræ
Certatim petiere tibi : poscentibus ipse
Restiteras, et mens aliorum prona favori,
Judex dura sui, facibus succensa pudoris,
Tarda verecundis excusat præmia causis
Ergo avidæ, tantosque novi spe consulis annos

cipes, aut ii, quibus Principes utuntur ad investigandos insidiatores. Burmannus *Molossi* præfert, quem, etiamsi indigna diis comparatio videatur, ego quoque sequor. At *Molossi* inter canes quidem venaticos, verum non inter sagaces referuntur. Senec. Hippol. 30 sqq. *Molossi acres* opponuntur *canibus tacitis* h. l. sagacibus, qui describuntur 39 sqq. Quid? si legatur : *ceu tenera venantes nare Molossum*, ita, ut *venantes tenera nare* canes sagaces sint, qui Molossum ad cubilia ferarum ducunt.

216. *Alite*, præpete et oscine, pro auguriis.

217. *Aut monitos certa dignantur imagine somnos.* Sub *monitos somnos* Gesnerus intelligit somnos eorum, quos monere aut monitos esse dii voluerunt. Certe, ut mihi quidem videtur, *somnos monere* exquisitius, ideoque magis poeticum est, quam, dormientes monere, aut, per somnos monere. *Monitos* ergo *somnos* eos esse puto, per quos dii monere aliquid voluerunt. Jam vero illi monitus, per quietem dati, poterant esse vel obscuri, ut interpretatione indigerent, vel liquidi, ut ea nihil opus esset. Liquidos autem monitus fuisse, indicat *certa imagine*. Burmannus conj. *somni*, laudatque Ovid. Heroid. XV, 45 sq. Met. VII, 824 et XIII, 216, ubi videas Heinsium. Verum præterquam quod non necessaria esse videtur conjectura, hoc etiam ei potest objici, quod non plures, sed Stilichonem solum ex Claudiani mente illo somniorum genere monitum dii voluerunt, illudque *monitos* autem ad plures pertineret, qui eodem honore dignati essent.

218. *Quibus*, sc. meritis omnibus, quæ poeta supra recensuit.— *Trabearum insignia*, consulatum.

219—222. *Poscentibus*, sc. consulatum pro te. — *Aliorum prona favori*, quæ aliis tam libenter honores indulgere solet. — *Facibus succensa pudoris* simpliciter pro, pudore accensus. Barth. laudat Stat. Achill. I, 304 sq. :

Nec latet haustus amor, sed fax vibrata medullis
In vultus atque ora redit, lucemque genarum
Tingit, et impulsum tenui sudore pererrat.

— *Tarda excusat præmia*, i. e. excusat se, quod præmia tamdiu merita, sibique toties delata huc usque differat, quod dubitet præmia, consulatum, accipere.— *Verecundis causis*, iis, quas modestia seu verecundia illi suggessisset.

223. *Ergo avidæ* etc. Accedit poeta ad alteram carminis partem,

Elusæ, dominæ pergunt ad limina Romæ,
Si minus annueres precibus, vel cogere certæ
Cunctantem, votoque moras auferre paratæ.
Conveniunt ad tecta Deæ, quæ candida lucent
Monte Palatino : glaucis tum prima Minervæ
Nexa comam foliis, fulvaque intexta micantem
Veste Tagum, tales profert Hispania voces :
« Cuncta mihi semper Stilicho, quæcumque poposci,
Concessit, tantumque suos invidit honores.
Augusti potuit soceri contemnere fasces ;
Jam negat et genero : si non ut ductor ab orbe,

qua demonstraturus est, unde factum sit, ut Stilicho consulatum, toties oblatum, totiesque declinatum, tandem aliquando acceperit. — *Tantosque annos*, per tot *annos*. — *Novi consulis* pro : fore, ut Stilicho consulatum sibi delatum acciperet.

224. *Ad limina*, ad templum, quod Hadrianus Romæ ac Veneri exstruxit. Prudent. contra Symmach. I, 218 sqq.

.... ante
Delubrum Romæ (colitur nam sanguine et ipsa
More deæ, nomenque loci ceu numen habetur,
Atque urbis Venerisque pari se culmine tollunt
Templa : simul geminis adolentur tura deabus)!

226. *Votoque*, rei tantopere desideratæ.

227. *Candida*, e marmore candido.

228. *Prima*. Hispaniam primam inducit loquentem, quia patria erat Theodosii M. eique dat loco diadematis *folia Minervæ*, oleæ ramum, cujus arboris feracem Hispaniam esse constat. Hinc etiam, ut Gesnerus observat, ramum olivæ tenet in nummis Hadriani.—*Glaucis foliis*; vid. supra XX, 271.

229, 230. *Fulvaque intexta micantem Veste Tagum*. Epitheta exquisite permutata sunt pro : *micans veste intexta fulvo Tago*, i. e. auro ex Tago quæsito. Quod autem *intexta* a veste ad Hispaniam translatum est, paullo durius videri possit.

232. *Invidit*, ἐφθόνησε. Cf. Horat. Sat. II, 6, 83 sq. pro, non tribuit. Affectus positus est pro eo, quod sæpe inde proficisci solet. Gesnerus in notis personas commutat, Romæque adsignat, quæ Hispania loquitur. *Invidit* autem cum delectu posuit poeta : innuitur enim hoc, Hispaniam in petendo pro Stilichone consulatu, quasi suam rem agere, quum splendor honoris, illi viro, qui cum Theodosii domo adfinitate conjunctus sit, delati, etiam ad se pertineat. Conf. quoque infra 236 sq.

233. *Potuit*, h. l. prope pro, ausus est. — *Soceri fasces*, i. e. consulatum a Theodosio oblatum. — *Contemnere*; vid. supra XXI, 235.

234. *Si non* (Burm. *sic non* vitio operarum) *ductor*, rector, accipiat consulatum *ab orbe* sibi oblatum, aut sibi impetratum.

Quem regit, accipiat saltem cognatus ab aula.
Exiguumne putet, quod sic amplexus Iberam
Progeniem, nostros immoto jure nepotes
Sustinet, ut patrium commendet purpura Bætin?
Quod pulchro Mariæ fecundat germine regnum?
Quod dominis speratur avus? » — Tum flava repexo
Gallia crine ferox, evinctaque torque decoro,
Binaque gæsa tenens, animoso pectore fatur :
«Qui mihi Germanos solus Francosque subegit,
Cur nondum legitur fastis? cur pagina tantum

235. *Accipiat saltem* etc. Sensus : si merita, quibus *orbem*, imperium occidentale, amplexus est, tanti non putat, ut eorum præmium consulatus sit, accipiat tamen illam dignitatem adfinitati, qua adtingit Theodosii domum, debitam.—*Cognatus*, adfinis.

236—238. *Iberam progeniem* (v. n. ad VII, 189), Theodosii filios, *nepotes*, posteros. Arcadium et Honorium Hispanis non ideo *nepotes* vocat, quia Theodosius sit Hispaniæ filius, ut Gesnerus existimat. Cf. supra VIII, 18 sqq.— *Immoto jure* pro : imperio non imminuto, adeo, ut ipse sibi adroget, aut in suam rem vertat, vel ut non passus sit imperium imminui a gentibus barbaris, quod posterius magis placet propter *sustinet*, et ea, quæ sequuntur. — *Purpura* est dignitas imperatoria, *commendet*, illustret, *patrium Bætin*, Hispaniam, Theodosii patriam. Sensus : ut adhuc Theodosii domus regnum obtineat, Hispaniamque patriam illo honore decoret. — *Bætin*; vid. XII, 31.

239. *Fecundat regnum*. *Regnum*, h. l. abstractum est. Illud dici potest *fecundari*, quando Imperator filios in spem regni suscipit.

240, 241. *Dominis*, Imperatoribus futuris ex Maria natis, seu Augustis. Verum hoc omen vanum fuit, ut ex annalibus notum est. Maria enim sine prole obiit. — *Flava repexo Gallia crine*, i. e. repexa et compta Gallia crine flavo. Gallia enim in personam mutata more gentis exornata est. Solebant autem Galli crinem alere; Sil. Italic. XV, 671; unde *Gallia comata* Plin. H. N. XI, sect. 47; cf. Sil. Italic. III, 200 sq. — *Torque decoro*. Ut ille Gallus erat ornatus, cujus cæde Manlius cognomen Torquati sibi peperit. Gell. IX, 13.

242. *Gæsa*, XX, 249, propria sunt Gallorum tela : Græci dicunt γαισά. — *Animoso*, VIII, 392.

244. *Pagina*. Paginam honorum intelligit Gesnerus, de qua vid. Juvenal. X, 47 et ibi schol. sed fasti intelligendi sunt. Poeta variavit eamdem sententiam. Hoc liquet ex *tantum nomen*, quod non est consulis nomen, sed Stilichonis, quod in fastis legi non poterat, quum consul nondum ille fuisset.

Nescit adhuc nomen, quod jam numerare decebat?
Usque adeone levis pacati gloria Rheni? »
Inde Caledonio velata Britannia monstro,
Ferro picta genas, cujus vestigia verrit

245. *Quod jam numerare decebat*, quod sæpius in iis occurrere debebat. Hoc fieri poterat, si sæpius consul fuisset. Quoties autem aliquis consul fuisset, semper adjectis adverbiis numeralibus *iterum*, *tertium*, *quartum* etc. notabatur. Fasti igitur dici possunt *numerare nomen* ejus, qui sæpius consul fuit.

246. *Pacati Rheni*; cf. XXI, 189 sqq.

247. *Caledonio velata Britannia monstro*. Post Agricolæ victorias, Britannia Romanis satis nota erat, cujus partes septemtrionales incolebant Caledonii. Quidnam intelligendum sit per *Caledonium monstrum*, non satis constat. Barthius ignotam feram fuisse putat. Et poterat sane monstri aliqua species fingi, Caledoniique maris proprium haberi, quum tota septemtrionalis plaga miraculorum plena ab Romanis existimaretur. Tacit. Annal. II, 24 : « Ut quis ex longinquo revenerat, miracula enarrabant, vim turbinum, et inauditas volucres, monstra maris, ambiguas hominum et belluarum formas; visa, sive ex metu credita. » Potest omnino genus balænæ intelligi, quam Juvenalis (X, 14) Britannicam vocat, et ita accepisse veteres interpretes videntur ex glossa, quæ, ut notat Burmannus, Leidensi erat adscripta : *monstro, id est, cete*. Sed *velata* non est : pelle balænæ amicta, quum vestis cærulea, ut Nymphis, fluviis, diis marinis solet, a poeta ei adsignetur, neque illam pellem huic vesti superinductam fuisse dixerim. Totum hoc ad ornatum capitis pertinere puto. Ut enim supra (XV, 137 sqq. et infra 256) Africa inducitur dentibus elephantinis exornata; sic poterat Britannia induci, balænæ capite seu rictu pro capitis tegumento utens. Cæterum Heinsius conjecit *vallata Britannia ponto*, idque firmare studet multis locis citatis. Vix autem h. l. convenire potest illa conjectura, quum non de terra, sed de figura Britanniæ sermo sit. Idem conjecerat *vectata Britannia monstro*. Gesnerus et Burmannus de ursi exuviis locum interpretantur, quum *Caledonii ursi* mentio fiat apud Martial. Spect. ep. 7 :

Nuda Caledonio sic pectora præbuit urso,

quumque pelles ursinas et hodie gentes septemtrionales arcendo frigori adhibere soleant. Accedit, quod monstra etiam feras terrestres. Noster dixit infra XXIV, 274. Vix autem puto, ursos a poetis inter monstra relatos esse, nisi aliquem indicare voluerint inusitata corporis magnitudine et specie. Cf. XVII, 279 sq.

248. *Ferro picta genas*; vid. supra ad VII, 54. Heinsius conject. *secta* laudans III, 327, aut *puncta*. Barthius notat, quosdam legere *vitro picta* vel *nitro*. — *Vestigia verrit* de peplo longo intelligo, cujus

Cærulus, Oceanique æstum mentitur amictus:
« Me quoque vicinis pereuntem gentibus, inquit,
Munivit Stilicho, totam quum Scotus Iernen
Movit, et infesto spumavit remige Tethys.
Illius effectum curis, ne tela timerem
Scotica, ne Pictum tremerem, ne litore toto
Prospicerem dubiis venturum Saxona ventis. »
Tum spicis et dente comas illustris eburno,
Et calido rubicunda die, sic Africa fatur:
« Sperabam nullas trabeis, Gildone perempto,
Nasci posse moras: etiam nunc ille repugnat,
Et tanto dubitat fasces præbere triumpho?

infima pars pone per terram tracta plurimos sinus efficiat. Ed.

249. *Oceanique æstum mentitur.* Gesnerus *Oceani æstum* simpliciter accipit pro mari; vehementiam enim fluxus et refluxus circa Britanniam fecisse, ut *æstum* dicere quam *undas* poeta maluerit. Burmannus *vestem undulatam* intelligit, de qua egit ad Ovid. A. A. III, 177. Equidem hoc ad imam vestis partem traho, quæ, quum incederet Britannia, terram a tergo verrebat, et, quum cærulea esset, maris undantis aut æstus speciem referebat.

251. *Munivit.* Sic omnes Mss. præter unum, in quo legitur *Me juvit*, quod efficacius Heinsio videtur. *Munivit* intelligit ille de muro inter Scotiam et Angliam ducto. Potest etiam de præsidiis intelligi, quibus Angliam tutam præstitit contra Scotorum irruptiones Saxonumque appulsus. Cf. infra 254 sq. — *Iernen;* vid. n. ad VIII, 33.

252. *Movit*, excitavit in stragem Britanniæ. — *Infesto remige*, qui litus Britanniæ petebat, eam igne et ferro populaturus.

253. *Tela.* Heins. conject. *vela*, quod Burmannus recte improbat, quum Scotus terrestria bella gereret cum Britannis.

255. *Prospicerem.* Heinsius laudat Lucan. VIII, 46 sqq. Ovid. Heroid. X, 49; XIX, 21; vid. eumdem ad Heroid. V, 63; Burmann. ad Phædr. I, 17. — *Dubiis ventis*, incertis, quum non constet, quo vento venturi sint. Sidon. Apollin. carm. VII, 369 sqq.

Quin et Aremoricus piratam Saxona tractus
Sperabat, cui pelle salum sulcare Britannum
Ludus, et assuto glaucum mare findere lembo.

256. *Tum spicis et dente comas* etc. Africa frequens occurrit in nummis, capite dentibus elephantinis ornato et proboscide; cf. supra XV, 186 sq. — *Spicis*, i. e. spiceis sertis.

257. *Calido die*, solis æstu.

260. *Et tanto dubitat fasces præbere triumpho. Fasces præbere triumpho* Stilicho dici potest, quando consulatu accepto triumphat, ita ut lictores cum fascibus consulis

Qui mihi Maurorum penitus lacrimabile nomen
Ignorare dedit. » — Post has, Œnotria lentis
Vitibus intorquens ederas, et palmite largo
Vina fluens : « Si vos adeo Stilichone curules
Augeri flagratis, ait, quas sola juvare
Fama potest; quanto me dignius incitat ardor,
Ut præsente fruar, conscendentemque tribunal
Prosequar, atque anni pandentem claustra salutem? »
  Talibus alternant studiis, Romamque precantes
Pro cunctis hortantur eat : nec segnius illa
Paruit officio, sed raptis protinus armis,

triumphantis currum præcedant.

261. *Penitus* jungendum cum *ignorare dedit.* Gesnerus : ita funditus deleta illa rebellio, ut ne nomen quidem auctoris vel partium illius audiatur.

262. *Œnotria.* De hoc antiquo Italiæ nomine ab Œnotris Pelasgis vid. Heyne in excursu XXI, ad Virgil. Æn. I. — *Lentis.* Heinsius rectius putat *lentas.* Burmannus observat, epithet. *lentus* et viti et hederæ convenire Virg. Eclog. III, 38 sq. quod etiam Heinsium nequaquam fugit : videtur autem existimasse, illud epith. melius convenire hederis, quæ intorquentur, quam vitibus, circa quas intorquentur hederæ.

264. *Vina fluens. Fluens*, h. l. transitive positum; vid. ad I, 52.

265. *Augeri*, h. l. honorari. — *Quas* pertinet ad vos. — *Sola juvare Fama potest*, quum ipsum consulem apud vos non videatis; itaque non ex adspectu, sed ex fama, illius consulatus voluptatem sinceram capere possitis.

267, 268. *Conscendentemque tribunal Prosequar.* Pertinet hoc ad solemnem consulis deductionem e domo sua ad tribunal, prosequentibus amicis, necessariis et clientibus. Boeth. de consol. II, 3 : « Poteritne illius memoria lucis quantalibet ingruentium malorum morte deleri, quum duos pariter consules, liberos tuos, domo provehi sub frequentia Patrum, sub plebis alacritate vidisti. » Quem locum Barthius jam laudavit. Cf. I, 231 sqq. — *Anni pandentem claustra*; Stat. Silv. IV, 1, 2, de Domitiano consule :

...Insignemque aperit Germanicus annum.

Consulatus enim inibatur novi anni principio. Conf. I, 6 sq. XXVIII, 640 sqq.

269. *Studiis*, sermonibus studium suum in Stilichonem declarantibus. — *Romamque precantes*; cf. supra 224.

271. *Paruit officio*, obtemperavit illarum precibus. *Officium* enim putabat id perficere, quod illæ rogaverant. — *Raptis armis*; cf. I, 75 sq. In numis aut statuis Roma semper armata fingitur.

Ocior excusso per nubila sidere tendit.
Transvehitur Tuscos, Apenninusque volatu
Stringitur, Eridanus clypei jam fulgurat umbra.
Constitit ante ducem, tetrica nec Pallade vultum
Deterior, nec Marte minor : tremit orbe corusco
Jam domus, et summæ tergunt laquearia cristæ.
Tum prior attonitum gratis affâta querelis :
« Servatas, Stilicho, per te, venerande, curules,
Ornatas necdum, fateor : quid profuit anni
Servilem pepulisse notam? defendis honorem,
Quem fugis; et spernis, tanta quem mole tueris;
Respuis oblatum, pro quo labente resistis.

272. *Ocior excusso*, etc. Barthius interpretatur de stella cadente, eumque Gesnerns sequitur. Cf. XVII, 111. Burmannus notat, frequentiorem esse formulam : *ocior excusso... fulmine*, quod etiam h. l. aptius esset, quum addatur *per nubila*.

273, 274. *Apenninusque volatu Stringitur*, i. e. juxta Apennini, qui mons a septemtrione versus meridiem totam Italiam dividit, latera volatum dirigens, tantumque non ea adtingens. — *Eridanus*; Padus hodie. — *Fulgurat umbra*, clypei imaginem ostendit, fulgoremque ejus reddit.

275. *Tetrica nec Pallade* etc. Cf. I, 84. *Tetrica* vocatur Minerva quoque a Martial. X, 19, 14, i. e. severa, opponiturque lascivienti et petulanti.

276. *Orbe corusco* ad clypeum referendum, supra 274.—*Tremit*, h. l. pro : tremulo fulgore illustratur. Ovid. Fast. I, 77 sqq.

Flamma nitore suo templorum verberat aurum,
Et tremulum summa spargit in æde jubar.

277. *Et summæ tergunt* etc. Dii omnes, ut notum est, majore statura, quam humana, adparent, quorum in proceritate fingenda poetis libera potestas datur. Cave autem cum Barthio altitudinem palatiorum, quæ procerum essent, hoc modulo metiaris.—*Laquearia*; vid. Jani ad Horat. Od. II, 16, 11 sq. et 18, 2, h. l. simpliciter tectum cubiculi.

278. *Gratis*, quæ gratæ debebant esse Stilichoni, utpote ex amore in eum profectæ. — *Attonitum*, repentino deæ adventu.

279. *Servatas*, dejecto Eutropio, quo omnem dignitatem curules amiserant.

280, 281. *Ornatas necdum* etc. Ornari tantum poterant, si Stilicho eas suscepisset. — *Anni servilem pepulisse notam*, evertendo isto Eutropio, qui notam illis servilem, quum ipse servus fuisset, inusserat.

282. *Tanta mole*, tanto adparatu, tanta opera. Non plane eodem sensu occurrit supra XX, 101.

283. *Resistis*, sc. ne labatur. Cf. XX, 123 sqq.

Quænam causa moræ? quo me cunctabere rursus
Ingenio? nullus Boreæ metus, omnis et Austri
Ora silet; cecidit Maurus, Germania cessit,
Et Janum pax alta ligat: te consule necdum
Digna feror? titulumne levem, parvique nitoris
Credimus, Augusti quo se decorāre fatentur?
Sub juga quo gentes captivis regibus egi?
Num, si prodigiis casus natura futuros

284. *Quo me cunctabere. Cunctari aliquem*, pro morari aliquem, sæpius occurrit: Heins. laudat X, 20 sq. XXXVI, 321 sq. Stat. Theb. III, 719; IV, 625; VII, 1 sq. XI, 268; Val. Flacc. II, 92 sq. Virg. Æn. IV, 390. — *Quo ingenio* h. l. qua causa ingeniose excogitata, ut Barthius jam explicavit.

285. *Boreas* et *Auster* pro barbaris gentibus illarum plagarum positi sunt. Fingere Noster videtur, Stilichonem sæpe bellorum excusationem usurpasse, ut liceret sibi consulatum oblatum non accipere.

287. *Et Janum pax alta ligat.* Pax alta ligat non Janum deum, sed dei templum. Infra XXVIII, 638 sqq. Cf. Lucan. I, 61 sq. Janus inducitur perpetuis claustris bella premens. Et Janus ipse in limine templi custos positus est, in quo bellum catenis vinctum custodiebatur, Virgil. Æn. VII, 607 sqq. Cf. eumdem l. c. I, 293 sqq. ibique Heyne in excursu IX. Gesnerus ita locum accipit, quasi Janus deus a Pace templo suo fuisset inclusus, nitique potest Horat. Epist. II, 1, 255:

Claustraque custodem Pacis cohibentia Janum

Conf. Stat. Silv. lib. IV, 1, 13 sqq. — *Necdum*, id est, ne nunc quidem, quum totus orbis terrarum pacatus est, quum tua opera nomen meum apud exteras gentes tantopere celebratur, quum omnia mihi serviunt, ne nunc quidem tuo consulatu me dignaberis.

289. *Quo se decorare*. Heins. conj. *quem se decorare*, quod recepit Burmannus. Gesnerus ambiguitatem ex Heinsiana emendatione nasci existimat, retinetque prius, atque alterum *se* subintelligit. Forsan possit legi *quo se se ornare*. Conf. Sidon. Apollin. carm. V, 5 sqq.

. . . . decora omnia regni
Accumulant fasces, et princeps consule crescit.

Supra Nost. XVIII, 486 sq.

290. *Quo*. Gesnerus subintelligit: fine, consilio. Et sic versus quidem per se intelligi potest, sed sensus ejus a toto sententiarum nexu alienus esse videtur. Subintelligendum autem est: titulo, consulatu, seu consule. Sub consulibus enim in republica adhuc libera, eorumque ductu et auspiciis, gentes devictæ, regesque earum capti sunt. Voluit scilicet Roma hac commemoratione dignitatem consularis nominis augere.

291, 292. In consulatu neglecto a Stilichone seu spreto Roma se putat contemni; ideoque quærit ex eo, num existimet se pollutam esse

Signat, polluimur macula? quod reris, Eois
Omen erat : quanquam nullis mihi cognita rebus
Fabula; vix tanto risit de crimine rumor.
Opprobriis stat nulla fides, nec litera venit
Vulgatura nefas; in quo vel maxima virtus
Est tua, quod, nostros qui consulis omnia Patres,
De monstris taceas : pellendi denique nulla
Dedecoris sanctum violant oracula cœtum,

illo miraculo, eunucho consule, pro : num putet consulatum pollutum esse? Subjicit autem Roma statim hæc duo; primum, illud omen, quod vix fama audiverit, non ad Occidentem, sed ad Orientem pertinere; deinde, etiamsi consulatus romanus maculam inde contraxisset, Stilichonem ait solum esse, qui illam eluere possit; ejus itaque esse, pristinam dignitatem consulatui restituere.—*Quod reris*, sc. omen fuisse.

293. *Quanquam nullis mihi*, etc. Simulat se totius rei ignaram. — *Nullis rebus*, non edictis, non fastis, Romæ oculis consulatus Eutropii ingestus erat; nihil igitur de hac re in publicis monumentis exstabat, quam rumor solus Romam pertulerat.

294. *Vix tanto risit de crimine rumor*, pro : vulgavit crimen. Rationem respexit poeta, qua rumor rem aliquam per se ridiculam solet divulgare.

295. *Opprobriis stat nulla fides. Stat* pro : est. Burmann. ad Valer. Flacc. VIII, 249. Barth. ad Stat. Thebaid. V, 474, et Achill. 1, 506. Sensus : *opprobrii*, dedecoris illius, fides incerta est. — *Nec litera venit vulgatura nefas;* scilicet publice missa a Constantinopolitanis.

296. *Vulgatura nefas*, nunciatura, eunuchum esse consulem factum. — *In quo vel maxima virtus*, etc. in quo vel maximam prudentiam ostendisti.

297. *Nostros qui consulis omnia Patres.* De constructione verbi *consulere* cum duplici accusativo egit Burmann. ad Lucan. VI, 775. Cf. Serv. ad Virgil. Æn. XI, 343.

298, 299. *De monstris taceas.* Laudatur nempe Stilicho, quod nihil de Eutropii consulatu ad senatum retulerit, eoque caverit, ne in actis publicis de illa re aliquid exstaret. Cf. XX, 126 sqq. — *Pellendi denique*, etc. Ordo verborum: *nulla denique oracula pellendi dedecoris violant sanctum cœtum.* Quæritur jam, quænam sint *oracula pellendi dedecoris?* Gesnerus rescripta Arcadii intelligit de pellendo Eutropio ad senatum Romam missa. Edicta enim, epistolæ, rescripta Imperatorum *oracula* vocata esse, constat. Burmannus interpretatur: Senatus Romanus nihil ab hoc dedecore (Eutropio) gestum aut decretum accepit aut probavit. *Oracula* igitur *pellendi dedecoris* sumpsit pro oraculis, decretis, a pellendo dedecore datis. Utraque ratio mihi

Nec mea funestum versavit curia nomen.
Pars sceleris dubitasse fuit: quæcumque profana
Pagina de primo venisset limite Phœbi,

non probatur. Nam literis, quibus Arcadius pœnas Eutropii Romam nunciasset, senatus Romanus violari non potuit, neque decreta reliquave Eutropii acta quidquam ad senatum Romanum pertinebant. Præcessit autem, Stilichonem nihil de Eutropio consule ad senatum retulisse. Verum hoc in universum expressum est; dixerat enim: *De monstris taceas*. Jam, ut solet fere semper, explicationem subjungit. — *Nulla oracula* omnino (*denique*) *pellendi dedecoris*, nulla rescripta Honorii nomine a te, Stilicho, ad senatum missa, et ad *pellendum* illud *dedecus*, ad Eutropium, pertinentia, violant *sanctum cœtum*, senatum. In illis rescriptis aut epistolis si Stilicho etiam de Eutropio ad senatum retulisset, Patribus nunciandum fuisset, Eutropium eunuchum consulem a Constantinopolitanis esse constitutum, deinde quærendum, quid Patres hac de re censerent. Ipsi autem libelli, quum continerent eunuchum esse consulem factum, vel hoc ipso violassent senatum; ipsa enim istius rei in publico aliquo monumento commemoratio mali ominis esse, totumque ordinem summo pudore afficere debebat.

300. *Nec mea funestum versavit*, etc. id est, nec senatores deliberaverunt de Eutropio eunucho, utrum consul in fastis scribendus, an omnino rejiciendus esset. Quæ deliberatio in senatu locum habere non potuit, quum de Eutropio ad eum nihil esset relatum. Usum vocis *versare* pro considerare, deliberare, aliunde jam notum, etiam h. l. multis exemplis confirmavit Burmannus.

301, 302. *Pars sceleris dubitasse fuit.* Burmannus olim conjecerat *Par sceleri*; vidit autem postea, vulgatam lectionem posse defendi ex Virgil. Æn. VII, 266:

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse tyranni.

—*Dubitasse* sc. an forte in honorem Arcadii etiam per Occidentem consul esset agnoscendus Eutropius? Hac de re dubitasse tantum, aut animi pependisse, jam *partem sceleris* fuisse ostendit. Quæ ad senatum pertinerent, ad omnes homines retulit, hoc sensu: quicumque tantum dubitaverit, de rejiciendo et non agnoscendo Eutropio consule, in societatem sceleris aliqua ex parte venit. Illa autem deliberatio instituenda erat a senatu, quum semel de Eutropio relatum esset: prudenter itaque fecit Stilicho, qui nihil omnino ad senatum de hoc dedecore retulerit; ita ut non necesse fuerit, de aliqua re deliberare, quæ in deliberationem senatus venire omnino non poterat sine quadam hujus ordinis ignominia. — *Quæcumque profana*, etc. Pergit poeta in laudanda Stilichonis prudentia. Non solum ipse nihil retulit ad senatum romanum, verum etiam providit, ne nuncius hujus rei a Constantinopolitanis ad eum perferretur. —*Profana Pagina.* Sic vocatur epistola a Constantinopolitanis

Ante fretum deleta mihi, ne turpia castis
Auribus Italiæ fatorum exempla nocerent.
Publicus ille furor (quantum tua cura peregit!)
Secretum meruit : lætetur, quisquis Eoos
Scribere desierit ; fastos portenta Gabinos
Ista latent : propriam labem tersisse laborent.
Cur ego, quem nunquam didici sensive creatum,
Gratuler exemptum? delicti pœnitet illos ;

missa, Eutropii electionem nuncians. *Profana*, propter rei profanæ, turpis, commemorationem. — *Venisset.* Subjunctivus indicat, illam epistolam non esse missam, sed poni tantum, si missa esset. — *De primo limite Phœbi*, id est, ab Oriente. Malim tamen *limine*, quod Heinsius invenit in schedis Gudianis, et quod Burmannus quoque præferre videtur. Cf. Nost. VII, 164; VIII, 129; XXIV, 287.

303, 304. *Deleta* sc. esset tuo studio. — *Ante fretum*, antequam navi esset condita, quæ illam per mare Adriaticum trajiceret. — *Mihi*, in meum commodum. — *Ne turpia fatorum exempla.* Nonnulli Msss *facetorum*. *Fatorum* posse sumi, ut in Næviano *Fato Metelli fiunt consules*, Burmannus notat, qui etiam conj. *fatuorum*. — *Castis Auribus Italiæ*, quas illud nefas nondum polluerat.

305. *Publicus ille furor. Furor* est illa constitutio eunuchi consulis. — *Publicus*, non, ut Gesnerus explicat, qui toti Orienti innotuit, sed furor in re aliqua publica, in consulis electione, declaratus. — *Quantum tua cura peregit!* Markland. ad Stat. Silv. I, 4, 84, parenthesin sublatam vult, hoc sensu : meruit tantum secretum, quantum tua cura peregit. — *Meruit* igitur videtur accepisse sensu vulgari, non eo, quo apud Nostrum sæpe occurrit, pro : consecutus est. *Secretum meruit*, non publice innotuit Italiæ.

306. *Eoos* sc. fastos, qui opponuntur *fastis Gabinis*, id est, Romanis. Sententia verborum paullo est obscurior. *Eoos* fastos puto positos esse, pro Eoos consules, hoc sensu : lætetur, quicumque desierit numerare consules Byzantinos, qui, quum in eorum numerum eunuchus receptus sit, omnes quasi contaminati sunt, dignitatemque suam amiserunt.

307. *Gabinos* pro : Romanos, XXIV, 83. — *Portenta*, consul eunuchus : vid. sup. XVIII, 8 :
Omnia cesserunt eunucho consule monstra.

308. *Propriam labem tersisse laborent.* Illa labes ad nos nostrosque fastos nihil pertinet, neque est, ut illam maculam eluendam curemus ; illi laborent, qui ea se commacularunt.

309. *Quem nunquam didici sensive*, sc. ex publico aliquo monumento.

310. *Exemptum* sc. e fastis, pro : deletum. — *Delicti pœnitet illos.* Illi Eutropii nomen e fastis eraserunt.

Nos nec credidimus : fuerit tamen omnibus unum
Crimen, et ad nostras manaverit usque secures :
Plus ideo sumenda tibi fastigia juris,
Ne pereat tam priscus honos, qui portus honorum
Semper erat : nullo sarciri consule damnum,
Excepto Stilichone, potest ; bene præscia tempus
Mens tua distulerat : titulo tunc crescere posses ;
Nunc per te titulus : consul succurre gravatis
Consulibus, quicumque fuit, quicumque futurus;
Annum redde tuum, quem mox secura sequatur

311. *Nos nec credidimus.* Nos ne credidimus quidem, eum consulem esse factum; tantum abest, ut eunucho consule, macula simus adspersi.— *Fuerit tamen*, etc. Sententia eorum, quæ sequuntur, hæc est : ponamus autem, consulis dignitati isto consule esse derogatum; vel ob id ipsum, consulatum debes accipere, ut tuo splendore pristinam dignitatem recuperet. — *Omnibus* et Byzantinis et Romanis.

312. *Et ad nostras manaverit usque secures*, et ad consules romanos illa contumelia (*crimen*) pertineat.

313. *Plus ideo* pro : tanto magis. *Plus* pro, magis, durius : et *sumere fastigia* parum eleganter dictum putat Burmannus. Barthius versum adulterinum esse affirmat, eumque Lovaniensi in margine adscriptum fuisse Burmannus notat. Potest quidem sine incommodo abesse, sed supra X, 31 sq. dixit Noster æque ineleganter *deponere fastigia*.

314. *Qui portus honorum.* Consulatus erat summus magistratus, ideoque finis ambitionis et quasi portus, in quo, finito honorum decursu, ambitio acquiesceret.

315. *Sarciri damnum*, dignitas consulatus recuperari.

316. *Tempus*, sc. quo consulatum acciperes. Sapienter ad hoc usque tempus distuleras.

318. *Gravatis*, contumelia illa offensis : nempe æquum erat antiquos consules indignari societati infami, Eutropii.

320. *Annum redde tuum.* Interpunctionem Gesneri secutus sum, qua, ut equidem puto, omnis difficultas sublata est. Barthius, Heinsius et Burmannus post *futurus* posuerunt (,), conjunxeruntque *Annum redde tuum* cum superioribus. *Annum redde tuum*, sc. nomine tuo præscribendo. Heins. conj. *suum.* Burmann. conj. *crede tuum* hoc sensu : quicumque annus fuerit, etiam quo alii consules fuerunt, crede tamen esse tuum, i. e. te consulem fuisse, et omnia pro consule egisse, tanquam consul revera esses. Sed conjectura nihil est opus. *Annum redde tuum* explicat prius : *consul succurre gravatis Consulibus.* — *Secura sequatur*, i. e. ita, ut contumelia illa, qua affectum consulatum hactenus opinabantur, nullam dubitationem iis injiciat.

Posteritas, nec jam doleat defensa vetustas.
Sit trabeis ultor Stilicho, Brutusque repertor.
Libertas populi, primo tunc consule Bruto,
Reddita per fasces; hic fascibus expulit ipsis
Servitium: instituit sublimem Brutus honorem;
Asseruit Stilicho: plus est servasse repertum,
Quam quæsisse novum. Quid tardius ore rubenti
Annuis, et solitus frontem circumfluit ignis?
Tandem vince tuum, vincis qui cuncta, pudorem.
Hos etiam, quamvis corrumpi munere nullo
Te certum est, mirare libens ac suscipe cinctus,
Quos tibi divino mecum Tritonia duxit
Pectine: tincta simul repetito murice fila
Contulimus pensis, et eodem nevimus auro,

321. *Nec jam doleat*, etc. id est, nec jam amplius doleat, quum tuo consulatu defensa sit.

324. *Fascibus expulit*, etc. Stilicho liberavit fasces ipsos a consule, qui servus fuit.

326. *Adseruit*, sc. in libertatem; simpliciter pro: servavit, ut in sequentibus explicatur.

327. *Ore rubenti*, præ pudore, aut verecundia.

328. *Et solitus frontem circumfluit ignis. Circumfluit* nititur uno codice Barthii, qui illud recepit, eumque secuti sunt Heinsius et Gesnerus. In aliis est *circumlinit*, cujus glossam Burmannus priorem lectionem putat, laudatque Ovid. Met. XI, 136, cui addi potest supra 137. Obvium sane est, *circumlinere rem auro;* verum exempla desidero, in quibus est: *aurum circumlinit rem.* Forsan genuina lectio fuit *circumluit*, quod de igne æque potest dici ac *circumfluere;* saltem ex illa voce librarii et ad *circumfluit* et ad *circumlinit* aberrare potuerunt.

329. *Vincis qui cuncta.* Quinque Mss. apud Heinsium *vincis quo cuncta*, quod argute putat Heinsius dictum. Sed pudore aliquis *omnes* non *omnia* vincere potest. Idem opportune laudat Ovid. Epist. III, 85.

331. *Mirare libens.* Donum erat Tritoniæ, ideoque præstantissimum. — *Libens*, animo benevolo, libenter. Propert. II, 19, 11. — *Cinctus;* v. n. ad VII, 3: h. l. trabeas; cf. infra 340.

332, 333. *Divino pectine*, divina arte. — *Duxit.* Cf. XXXV, 43, et Burmann. ad Valer. Flacc. I, 429. — *Simul* pertinet ad *Contulimus.* — *Repetito murice*, bis tincta. Burmann. laudat Stat. Theb. IV, 540; Senec. Œt. 663 sq.

334. *Contulimus pensis. Pensis*, operi, seu ad opus. Dicere vult, se et Minervam fila purpurea nevisse ad illam texturam. — *Et eodem*

Aurea quo Lachesis sub te mihi sæcula texit.
Hic ego promissam sobolem, sperataque mundo
Pignora prælusi : veram mox ipse probabis
Me vatem, nostræque fidem venientia telæ
Fata dabunt. » — Dixit, gremioque rigentia profert
Dona, graves auro trabeas : insigne Minervam
Spirat opus ; rutilis hic pingitur aula columnis,

nevimus auro, etc. scilicet, filo aureo.

335. Ordo verborum : *quo Lachesis mihi texit aurea sæcula sub te* sc. reditura. Omnia, quæcumque acciderent hominibus in vita, a fato præstitnta fuisse, veteres, nt notnm est, credebant. Quod fatnm per Parcas filum nentes, unicum temporis continui symbolum, ad sensus quasi revocarunt, et, ut omnia, quæcumque acciderent, tempore continentur, finxerunt, earum filo totam hominum vitam cum tota rerum varietate esse quasi significatam. Illud filum, ad summam felicitatem significandam, aureum fingunt poetæ. Sidon. Apollin. carm. V, 312 sq.

Jam tunc imperium præsentis principis aurea
Volvebant bona fata colu... ..

et l. c. 368 sq. VII, 600 sqq. XV, 200 sq. Barthius laudat Senec. Apocolocynth.

At Lachesis redimita comas, ornata papillas,
Pieria crinem lauru frontemque coronans,
Candida de niveo subtemine vellera sumit
Felici moderanda manu, quæ ducta colorem
Assumpsere novum, mirantur pensa sorores;
Mutatur vilis pretioso lana metallo,
Aurea formoso descendunt sæcula filo.

Cæterum seusus videtur mihi hic esse : eodem aureo filo usæ sumus ad vestem conficiendam, quod Lachesis nevit, quoque illa sæcula anrea sub te reditura implicavit. Rationem, qua id fieri potuerit, nemo sibi facile animo informabit, licet acerrima imaginandi vi gaudeat.

336. *Hic*, his trabeis. In sequentibus forsan Noster secutus est Virgilium (Æn. VIII, 626 sqq.), apud quem Vulcanus futura Romanorum fata clypeo Æneæ insculpens inducitur. — *Sobolem*, filios, quos procreaturus est Honorius ex Maria. — *Promissam*, velut deorum oraculis.

337. *Prælusi*. Gesnerus : divinatione usa intexui. Mihi videtnr similitudo ducta a pugna, quæ veræ dimicationi in ludis gladiatoriis præcedere solebat. Intexuit imaginem pueri, quem olim paritura sit Maria; infra 345 sqq.

338, 339. *Venientia Fata*, res futuræ, eventus.

340, 341. *Insigne Minervam Spirat opus*, indicat Minervam fuisse artificem. Cf. VIII, 592. Elegans etiam est altera lectio : *insigne Minervæ Spirat opus*; id est, ad vivum omnia in Minervæ opere expressa sunt. Sed prior lectio tantum locum habere potest, quia non Minervæ solum, sed etiam Romæ solertia illud opus perfectum Noster dixit supra, v. 332. Cf. Sidon. Apollin. carm. XV, 158 sqq. Virgil. Æn. V, 250 sqq. Ovid. Met. VI, 53 sqq. Valer. Flacc. II, 410 sqq. Stat. Thebaid. VI, 540 sqq.

Et sacri Mariæ partus. Lucina labores
Solatur; residet fulgente puerpera lecto :
Sollicitæ juxta pallescunt gaudia matris.
Susceptum puerum redimitæ tempora Nymphæ
Auri fonte lavant ; teneros de stamine risus ,
Vagitusque audire putes : jam creverat infans ,
Ore ferens patrem; sed avus maturior ævi
Martia recturo tradit præcepta nepoti.
Parte alia spumis fucantem Serica frena

— *Rutilis*, Gesnerus : ex marmore porphyretico. — *Aula* , palatium seu cubiculum in palatio.

342, 343. *Lucina labores Solatur*, quum adjuvet parturientem, solvatque onus matris. Cf. I, 145.— *Fulgente lecto*, purpura et auro. Cf. VIII, 139 sqq.

344. *Matris.* Heins. conj. *matri.* Burmannus autem : *matres* , quæ adsident puerperæ, nunc labores videntes metuunt et pallescunt , nunc felicem partum sperantes gaudent. Sed *juxta gaudia* , seu *matres* quæ *juxta* sunt , *pallescunt* , quoad, *gaudia*, durius videtur. Equidem Serenam matrem intelligo gaudentem propinquo filiæ partu , sed periculi metu interdum pallescentem.

345. *Redimitæ tempora Nymphæ* , quæ deorum puerperiis adesse solent. Callimach. H. in Jov. 45 sqq. in Del. 255 sq.

346. *Auri fonte.* Gesnerus ad hæc: si voluit poeta significare materiem filorum , quæ fontem, id est, aquam repræsentant , malim argentum adhibuisset. Forsan autem aquam auri particulis splendentem cogitavit (cf. XVII, 286), ut pretiosissimam. — *Teneros* , teneri infantis. — *De stamine.* Heinsius notat, potiores Mss. habere *in stamine ;* sed illud præferendum videtur. Imago ridentis infantis adeo ad naturam accommodate erat expressa, ut sonum, quem risu edere solemus, de stamine (texturæ imagine) exeuntem audire putares.

347. *Vagitus;* cf. VIII, 153.

348. *Ferens* pro vulgariori : referens. — *Avus* , Stilicho. — *Maturior ævi* exquisite pro : ætate maturiori. Heinsius laudat Virgil. Æn. V, 73, et Stat. Theb. V, 90; vid. eum ad Ovid. Met. VIII, 617.

349. *Martia præcepta ;* instituit illum iis rebus , quæ ad usum militarem pertinent. — *Recturo.* Imperatori futuro.

350. *Fucantem*, h. l. tingentem. Heins. laudat Virgil. Georg. III, 203; Lucan. IV, 778 ; Sil. Italic. XVI, 357 sqq. XII, 254 ; Stat. Theb. VI, 396 sqq. Oppian. Halient. V, 183 sqq.

. . . . ὡς δέ τις ἵππος
ἱδρῶτ' ἐξανύσας καματώδεα τέρματος ἄκρου,
Ἀφρῷ ὑφ' αἱματόεντι γένυν σκολιοῖσι χαλινοῖς
Ἐμπρίει, θερμὸν δὲ διὰ στόμα κίδναται ἆσθμα.

Nost. VIII, 549; XXXV, 202.

Sanguineis, primæ signatus flore juventæ,
Eucherius flectebat equum, jaculisque vel arcu
Aurea purpureos tollentes cornua cervos
Aureus ipse ferit. Venus hic invecta columbis
Tertia regali jungit connubia nexu,
Pennatique nurum circumstipantur Amores,
Progenitam Augustis, Augustorumque sororem.
Eucherius trepido jam flammea sublevat ore
Virginis; arridet læto Thermantia fratri.

351. *Primæ signatus flore juventæ*; vid. not. ad I, 69.

352. *Eucherius*, Stilichouis filius.

353. *Aurea cornua* et *purpureos cervos*, ad colorem filorum vestis simpliciter respicere existimat Gesnerus, corruptumque illius sæculi de artibus judicium indicare, quo non opus ipsum ad naturam expressum, sed splendidi tantum colores probarentur, naturæ quamvis repugnantes. Sed *purpureos cervos* eodem sensu Noster potuit vocare, quo Horatius (Od. IV, 1, 10) *purpureos olores*, quo auctor Elegiæ in obitum Mæcenatis (II, 62, Poet. lat. min. T. III):

Brachia purpurea candidiora nive.

Sane *purpureos* præstat conjecturæ Heinsii, *purpureis*; et Burmanni: *pulvereos*. Quod attinet ad *aurea cornua*, cogitandum est, opus fuisse acu pictum non coloribus, eaque fila elegisse artificem, quæ propius saltem accederent ad colorem naturalem. Sed infra XXIV, 289 sqq. cervis jugalibus, qui Dianam vehunt, aurea quoque cornua tribuit:

Par nitor intactis nivibus; frons discolor auro
Germinat, et spatio summas æquantia fagos
Cornua ramoso surgunt procera metallo.

Conf. Ovid. Metam. X, 112; Valer. Flacc. VI, 71 sq. Callimach. Hymn. in Dian. 102.

354. *Aureus*, vel veste aurea indutus, vel tota ejus figura aureis filis expressa erat. Burmann. laudat Ovid. Amor. I, 2, 42; A. A. I, 214. — *Venus hic invecta columbis*; v. n. ad X, 151 sqq.

355. *Tertia connubia*. Eucherii, Stilichouis filii, cum Galla Placidia, Honorii sorore. Omen hoc vanum fuisse, illamque nupsisse Ataulpho, Visigothorum regi, et post Fl. Constantio notat Gesnerus.

358. *Flammea*, X, 285. — *Trepido ore*. Gesnerus: vel timidum pudorem virginis notat, vel cupidum sponsi. Prius, hoc loco, intelligo. *Tumido* Heinsius defendit citt. XXIX, 121; XXXI, 125; Stat. Theb. II, 204; Achill. I, 292. Verum hoc a papillarum tumore ductum puto, qui maturæ virginitatis signum esse solet, nec ad os transferri posse. — *Flammea sublevat*. Hoc forsan primus actus erat, quo jura mariti maritus novus auspicaretur.

359. *Thermantia*, Stilichonis filia natu minor, quæ Maria, sorore majori, defuncta, Honorio nupsit.

Nam domus hæc utroque petit diademata sexu,
Reginasque parit, reginarumque maritos.
Talibus invitat donis, dextræque gerendum
Diva simul porrexit ebur : solemnibus urnam
Commovet auspiciis, avibusque incepta secundat.
Tunc habiles armis humeros Dea vestibus ambit
Romuleis. Latii sederunt pectore cultus,
Loricæque locum decuit toga. Talis ab Istro,
Vel Scythico victor rediens Gradivus ab axe,
Deposito mitis clipeo, candentibus Urbem

360. *Domus hæc*, Stilichonis. — *Utroque petit diademata sexu* explicatur versn sequenti.

361. *Maritos*, ut Eucherium. Cæterum filios regis *reges*, et filias *reginas* sæpe vocari, docuit Burmann. ad Valer. Flacc. I, 174, et VI, 657.

363, 364. *Ebur.* Similiter Juvenal. X, 43 :

Da nunc et volucrem sceptro quæ surgit eburno.

Insigne erat consularis imperii scipio eburneus, in cujus capitulo insculpta erat aquila; vid. locc. laudd. a Ruperti ad Juv. l. c. quibus addas Dionys. Halic. III, 61. — *Solemnibus urnam Commovet auspiciis.* De auspiciis consularibus sermonem esse, nemo non videt; sed sive vetera illa, quæ ante comitia consulsria capi solebant, sive recentiores ritus sub Imperatoribus poeta respexerit, nibil certi saltem de sortibns, quæ h. l. procul dubio indicantur, dici potest. Miror sane Barthium, qui interdum res, quæ nunc ne tirones quidem fugiunt, tam curiose prosequitur, b. l. plane silere, qnia, ut ait ille quidem, *notæ res* sint. Roma autem, qnanqnam certus consnl jam destinatus sit, quasi ipsis auspiciis non portendantur futura, sed in auspiciis aut signis ipsis ea vis sit, quæ futura prospera reddst, *urnam commovet*, πάλλει, Virgil. Æn. VI, 432. — *Avibusque incepta secundat.* Hoc quoque ita intelligo : fscit, nt aves inceptis addicant.

365. *Habiles armis humeros*, pari modo dixit infra XXVI, 338 : *habiles remis fluvios*, pro : idoneos.

366. *Sederunt*, de vestibus quoque dici, notnm est Quintil. Instit. II, cap. ult.

367. *Toga* idem fortasse h. l. est quod *trabea :* bauc enim cum cinctn Stilich. Roms adportsverat supra 331 sqq. et forsau *cinctus* nibil aliud est, quam trabea. — *Talis ab Istro* etc. Mars Romæ, nt pater Romuli, potissimnm colebatur. Beue igitur comparat Noster Stilichonem cum Marte, peractis in Thracia bellis, Romam bsbitn triumphali redennte, totaque imago, qusm adumbravit, ad veterem trinmpbi morem expressa est.

369. *Clipeo*, armis. — *Mitis*, babitu pacato, quia arma deposuerat. — *Candentibus*, albis, pro : curru equis candentibus tracto. Cf.

Ingreditur trabeatus equis: spatiosa Quirinus
Frena regit; currumque patris Bellona, cruentam
Ditibus exuviis tendens ad sidera quercum,
Præcedit; lictorque Metus cum fratre Pavore
Barbara ferratis innectunt colla catenis,
Velati galeas lauro, propiusque jugales
Formido ingentem vibrat succincta securim.
Vidit ut optato se consule Roma potitam,
« Nunc, ait, Elysii lucos irrumpere campi,
Nunc libet, ut tanti Curiis miracula voti
Fabriciisque feram, famæ qui vulnere nuper

infra XXVI, 127, et XXVIII, 369, ubi de duobus tantum albis equis sermo est.

370. *Spatiosa.* Burmannus conj. *speciosa*, quod cum Homerico σιγαλόεντα convenit. — *Quirinus.* Filius in curru triumphantis sæpe fuisse, ut Gesnerus notat, neminem quidem fugit; qui autem regebant equos, non in ipso curru erant, sed pedites eos ducebant. Neque in equo eum consedisse, ut triumphantium filii prætextati solebant, cogitandum est. Casaub. ad Sueton. Tiber. 6. Quirinus seu Romulus nunc in curru Martis Bellonæ locum occupat, quæ alias, ut ἡνίοχος ex antiquissimo more, patris ἐπιβάτου currum regere solet, hoc loco autem currum præcedit, tropæum gerens. Hoc quoque ex vetere triumphi more, ubi spolia resque ab hostibus captæ ante triumphantem præferri solebant.

373. *Lictorque Metus cum fratre Pavore.* Hesiod. Scut. Herc. 195: Δεῖμός τε Φόβος τε θεράποντες Ἄρηος. Poetæ in Martis satellitio describendo semper fere luxuriantur. Homerus aliique iisdem nominibus Martis equos adpellant; vid. locc. laudd. a Burmann. ad Val. Flacc. II, 204. H. l. lictorum vicibus funguntur.

374. *Barbara colla*, captivi vincti ante triumphatoris currum ducebantur. Cf. XXVI, 293.

375. *Veleti galeas lauro.* Lictores armatos in præliis fuisse, probabile est; vid. ad VII, 5. Sed in triumpho galeas gessisse lauro velatas nusquam invenire me memini. Forsan hoc novavit poeta, ut simul exercitus vicem h. l. obirent, nisi ejus partes *Formidini* traditæ sint.

376. *Vibrat securim*, ut feminæ Amazonum telum ei tradidit.

377 sqq. Roma quum Stilichonem vidisset novi muneris insignibus indutum, consulibus apud inferos narrare gestit, dignitatem consularem pristino splendori esse restitutam.

379. *Curiis.* XVIII, 458. — *Tanti miracula voti*, rem tam exspectatam, et pæne insperatam.

38o. *Fabriciis.* III, 201. — *Famæ vulnere*, id est, infamia, mala ho-

Calcatam flevere togam : jam prata choreis
Pulsent, nec rigidos pudeat lusisse Catones.
Audiat hoc senior Brutus, Pœnisque tremendi
Scipiadæ, geminis tandem quod libera damnis
Unius auxilio fasces Libyamque recepi.
Quod superest, unum precibus, fortissime consul,
Adde meis, Urbique tuum largire parumper,
Quem rogat, adventum, quam tu belloque fameque
Depulsa terris iterum regnare dedisti.
Splendida suscipiant alium te rostra Camillum.
Ultorem videant servatoremque Quirites,

minnm existimatione, atque hanc in animo habuisse videtur poeta, quum scriberet *calcatam togam*, quod minus concinne *Famæ vulneri* tribuitur. Propterea quoque conjecit Heinsius *vulnera*, cui per appositionem, apud Nostrum haud infrequentem, additum sit, *calcatam togam*. Burmannus : *Romæ qui vulnera*, quod non displicet. Sed vid. eum ad Lucan. IV, 231. Gesnerus subaudit, *icti*, hoc sensu : tristi nuncio de tanta turpitudine eunuchi consulis accepto, *flevere togam calcatam*.

382. *Rigidos Catones*. Catonem Censorium videtur intelligere. — *Rigidos* ad morum gravitatem pertinet.

383. *Senior Brutus*, Junius, Tarquiniorum expulsor.

384. *Geminis damnis* explicatur versu sequenti. — *Libera*. Fascinm dignitatem et Africam, Gildone ad mortem compulso, recuperaverat.

387. *Adde*, concede, seu, da etiam hoc precibus meis.

388, 389. *Quam tu belloque famæque Depulsa*. Gesnerus, secutus Barthium, recepit *repulsam*, quod genuinum esse ei probabile videtur, ponique ut *defensam*, quod plane synonymum putat. Hoc hactenus verum esse videtur, ut possis ubique fere *defendere* ponere pro *depellere*, ideoque *defendere hostem ab urbe* pro *depellere hostem ab urbe*, verum non ratione inversa ubique *depellere* pro *defendere*; saltem non occurrit locus, ubi pro *defendere urbem* (tutari urbem) positum sit *depellere urbem*. Heinsius quoque *Depulsam* improbavit, quod explicavit Barthius : regimine antiquo pæne dejectam atque excussam. Sed vid. not. infr. ad XXIV, 171. — *Belloque fameque*. Bellum Gildonicum respicitur. — *Dedisti*, fecisti. Græcism. apud Nostrum frequentissimus.

390. *Splendida rostra*. De Camillo res notissima est ex Liv. V, 49, qui ut Urbem fugatis Gallis servavit, sic Stilicho domito Gildone eamdem ab interitu vindicavit. Cæterum innuitur illa oratio, quam in ineundo magistratu consules pro rostris habere solebant. Cf. XVIII, 312 sq. et XXVIII, 587 sqq.

Et populus, quem ductor ames, quibus Africa per te,
Nec prius auditas Rhodanus jam donat aristas;
Ut mihi vel Massyla Ceres, vel Gallica prosit
Fertilitas, messesque vehant nunc humidus Auster,
Nunc Aquilo, cunctis ditescant horrea ventis.
Quæ tunc Flaminiam stipabunt millia vulgi!
Fallax o quoties pulvis deludet amorem
Suspensum, veniens omni dum crederis hora!
Spectabunt cupidæ matres, spargentur et omnes
Flore viæ, superes quum Pincia culmina consul

392. *Ames*, h. e. beneficiis adficis. — *Quibus*, ad collectivum *populus* pertinet.

393. *Nec prius*, etc. Cf. XVIII, 401 sqq. XXIV, 91, sqq. Burmannus dicit, audivisse certe Romanos per tot sæcula Galliam frumenti esse feracem; sed inde Romam non adduxisse; satis enim annonæ suppeditasse classes Alexandrinam et Africanam. Quare mavult: *Nec prius adductas* vel *advectas*. Idem autem exprimit h. l. *Nec prius auditas.*

394. *Massyla;* XV, 284.

395. *Vehant*. A classe Austro acta ad ipsum Austrum translatum est. — *Humidus;* XXIV, 103; Juvenal. V, 100 sq.

396. *Aquilo*. Hunc ventum posuisse videtur, quia messes a regione septemtrionali, e Gallia, intelligit, ut, quemadmodum terras nominavit inter se situ oppositas, ita quoque ventis uteretur contrariis, quanquam naves e Gallia ad Italiam Aquilone deferri nequeant. — *Horrea;* XV, 55.

397. *Flaminiam*. Hanc antiquissimam et celeberrimam viam Cai. Flaminius Censor a. U. DXXXIII Roma per Etruriam Arimino tenus perduxit, Augustusque eam munivit; Sueton. in Aug. 30; in quam incidunt, quaque pergunt, qui Mediolano Romam proficiscuntur.

398. *Fallax o quoties pulvis* etc. Cf. XXIV, 3 sqq. XXVI, 455 sq. Martial. X, 6. — *Amorem suspensum*, turbam, non inter spem et metum fluctuantem, sed avide exspectantem ducis studio et caritate.

401. *Flore viæ*. Vias floribus spargere solemne fuit ad studium et amorem significandum in eum, cujus adventus exspectabatur. Quin in ipsum, qui virtute sua civium studia in se provocaverat, quum advenisset, flores spargebantur. Ovid. Trist. IV, 2, 50; Herodian. I, 7, 11; Conf. Freinshem. et Duck. ad Florum II, 7, 14; Lips. ad Tacit. Annal. XIV, 61. — *Superes quum Pincia culmina consul.* Barth. Heins. Burm. Gesner. *superes quum Pythia limina consul.* Burmannus sub *Pythia limina* putat intelligi Apollinis templum, ubi Augustus senatum habere solebat. *Superes q. P. limina* secundum illum virum doctum est: quum templum Apollinis ingrediaris. Hoc autem cum antecedentibus conjungi vix potest. Quid? tum

Arduus, antiqui species romana Senatus.
Pompeiana dabunt quantos proscenia plausus!

demum spectabunt matres, tum demum spargentur flores, quando limen templi Apollinis superet is, de cujus ingressu in urbem ne verbum quidem dixerit poeta? Hoc mihi persuadere non possum. Gesnerus, qui *Pythia culmina* legit, intelligit simpliciter triumphum, honorem laureæ, statuitque, indicare velle poetam, Stilichoni Urbem ingredienti habitum iri omnes honores triumphales, quum hic illius ingressus triumpho novis sit potior. Sed vix fidiculis adhibitis hujusmodi sententiam ex illis verbis extorquebis. Genuinam puto lectionem, quam primus Vaticanus suppeditat *Pincia culmina*. Mons Pincius, seu collis hortulorum, ab hortis Sallustianis sic dictus, in sexta urbis regione erat situs; juxta enm, aut supra, via Flaminia tendebat ad portam triumphalem. Stilichoni igitur via Flaminia Urbem ingredienti *Pincia culmina* erant superanda; matres urbem ingressum spectabant, viæque ante eum floribus spargebantur. Sic, ut opinor, omnia bene cohærent. A *Pincia* facilis erat aberratio ad *Phicia*, inde ad *Phitia*, et inde a correctoris cujusdam manu videtur esse *Pythia* ortum; quæ omnes aberrationes in Mss. Heinsii inveniuntur.

402. *Arduus* interpretor: altus, conspicuus, dum collem illum superes. Ovid. Met. II, 306. Aliter Gesnerus illud explicat, et quidem rationi, quam iniit, accommodate. — *Antiqui species romana senatus.* Vix puto hæc sana esse. Poeta videtur epitheta permutasse; vulgarior enim ratio foret: species antiqua romani senatus. — *Romana* Barthius exponit: Roma digna. Forsan scripsit: *species germana*. Sensus videtur esse: Stilichonem, urbem ingredientem, imaginem retulisse antiqui senatoris aut antiqui consulis. De antiqua senatus dignitate notum est illud dictum Cineæ, ὡς ἡ σύγκλητος αὐτῷ βασιλέων πολλῶν συνέδριον φανείη. Plutarch. in Pyrrho, c. 19, T. III, ed. Hutt.

403. *Pompeiana proscenia.* Theatrum ex lapide quadrato Pompeius a bello Mithridatico reversus Romæ exstruxit. Plutarch. in Pompeio, c. 40, T. IV, ed. Hutt.; Lips. ad Tacit. Annal. XIV, 20. Hoc incendio haustum, sub Tiberio ab eodem Imperatore refici cœptum, a Caligula absolutum est. Tacit. Ann. III, 72; Sueton. Calig. 21. Iterum conflagratum Claudius restituit. Sueton. Claud. 21. Tanta erat magnitudine, ut quadringenta spectatorum millia caperet. Antiquarii quidam octingenta millia memorant. Forsan oculis nimis festinantibus Scauri theatrum cum Pompeiano confuderunt apud Plin. H. N. XXXVI, sect. 24, 7. — *Proscenia*, locus proprie in theatro est, ubi actores fabulas agebant. Equidem puto, *Pompeiana proscenia* omnino posita esse pro *theatro Pompeiano*. Gesnerus forum Pompeianum, et porticus circumpositas intelligit, de quibus Propert. II, 23, 46 sq.

Scilicet umbrosis sordet Pompeia columnis
Porticus aulæis nobilis Attalicis.

Ad cælum quoties vallis tibi Murtia ducet
Nomen, Aventino Pallanteoque recessu!
Nunc te conspiciam castris, permitte, relictis,
Mox et cum genero trabeis visura secundis. »
   Hæc dum Roma refert, jam Fama loquacibus alis
Pervolat Oceanum, linguis et mille citatos
Festinare jubet proceres; nullique senectus,
Non iter, hibernis obstant nec flatibus Alpes.
Vincit amor meriti pridem, clariquc vetustis
Fascibus ad socii properant et vindicis annum.

404. *Vallis Murtia*, a Veneris Murtiæ, quod ibi erat, templo sic dicta, et inter Aventinum et Palatinum montes, in undecima urbis regione sita. Intelligitur autem circus maximus, qui in hac valle erat. Cf. Varron. de L. L. IV, p. 42 sq. ed. Bip. ibi ioterpp. Bulenger. de Circens. c. 2; compares XXIV, 195 sqq. — *Ad cælum ducet* elegantius Burmanno videtur, quam ut a librario proficisci potuerit. Alii Mss. *tollet*. Juvenal. I, 38: *in cælum evehit*.

405. *Recessu*. Hoc situs illius vallis seu Circi maximi designatur, pro : in recessu Aventini et Palatini montis. Sed elegantius mihi videtur *recussum*, quod invenit Heinsius in primo Vatic. a manu secunda. Cæterum sensus est : quantis plausibus excipieris in theatro et circo. Comparant Horat. Od. I, xx, 3 sqq.; Rutil. Itiner. I, 201 sqq.

407. *Genero*, Honorio.—*Trabeis secundis*, pro : iterum consulem.

408 sqq. Fama de Stilichonis consulatu pervulgata, omnes proceres undique festinant, ut pompam consularem frequentia sua concelebrent. In omnibus Mss. legitur *loquacibus alis*. Respexisse dici potest Noster Stat. Theb. III, 428 sq., ubi de Fama :

..... trepidas denso cum murmure plumas
Excutit.

Cf. Virgil. Æn. IV, 181 sqq. qui tot linguas, ora et aures Famæ tribuit, quot plumas habet. Heinsius, cui displicet *loquacibus alis*, conjicit, *loquacibus ales*, jungitque *loquacibus* cum *linguis*, in quo tamen nihil elegantiæ se videre Burmannus fatetur, quum contra, *alas loquaces* dici, ut aliæ res inanimatæ, vere poeticum sit. Laudat interpp. ad Petron. 120, et Virg. Eclog. VIII, 22. Retinui *alis*, quum quia Mss. in eo consentiunt, tum quia audacia hæc ab ingenio Claudiani non abhorret. Videtur explicandi causa adjecisse *linguis mille*. Heinsii conjecturam sequutus est Gesnerus.

410. *Proceres*; vid. n. ad XVI, 1.

412. *Meriti pridem*. Heins. conj. :

Vincit amor pridem emeriti, clarique vetustis
Fascibus ad socii properant et consulis annum.

Et hæc conjectura mihi vehementer placet, sed *et vindicis* retinendum puto. Si vulgatam retines, *meriti pridem* ad Stilichonem spectat, hoc sensu : vincit amor ejus, qui iam pridem consulatum meruit.

Sic ubi fecunda reparavit morte juventam,
Et patrios idem cineres, collectaque portat
Unguibus ossa piis, Nilique ad litora tendens
Unicus extremo Phœnix procedit ab Euro,
Conveniunt aquilæ, cunctæque ex orbe volucres,
Ut Solis mirentur avem : procul ignea lucet
Ales, odorati redolent cui cinnama busti.
Nec minor in cælo chorus est, exsultat uterque
Theudosius, Divique tui : Sol ipse quadrigis
Vere coronatis dignum tibi præparat annum.
Est ignota procul, nostræque impervia menti,
Vix adeunda Deis, annorum squalida mater,

414 sqq. Nostrum imitatus est Coripp. in laud. Just. I, 348 sqq. De Phœnice ave locus classicus est Herodot. II, 73. Plura dabimus infra ad XLIV. — *Fecunda morte.* Ex cinere enim concrematæ veteris avis prodit nova, quæ eadem est, sed viribus tantum renovatis. Inde explicari potest *reparavit juventam.*

416. *Tendens*, sc. iter. Recte recepit Heinsius pro *tandem.* Conf. XXIV, 138; X, 179; XLIV, 74; Valer. Flacc. I, 717.

417. *Unicus*, nullos habet similes.

419. *Solis avem*; v. n. ad XLIV, 18. —*Ignea.* Herodot. l. c. : τὰ μὲν αὐτοῦ χρυσόκομα τῶν πτερῶν, τὰ δὲ ἐρυθρά.

420. *Odorati redolent cui cinnama busti.* Juvenis Phœnix adhuc redolet rogum ex cinnamo patris, e cujus cineribus ipse prodit. De cinnamo, vid. n. ad Pers. VI, 36.

421. *Chorus*, lætitia, gratulatio.

422. *Tui*, qui tibi favent.— *Sol ipse.* Cf. Tibull. IV, 1, 121 sqq.

423. *Vere*, floribus., qui vere nascuntur. Mart. libr. IX, ep. 14, 2.

424 sqq. Sol pergit ad antrum temporis, quod omnia sæcula futura complectitur, ut inde annum eligat, qui Stilichonis nomine dignissimus sit. Tota imago hujus antri, quam Noster adumbravit, ex Græcis et Ægyptiacis phantasmatibus conflata esse videtur, ita tamen, ut statim sentias, artificem pertinere ad ea tempora, quibus antiqua simplicitas in rebus hujusmodi inveniendis, et ad rationem allegoricam revocandis jam diu cessesserat nimio in captandis similibus studio, et picturarum amori splendidis potius quam naturalibus coloribus descriptarum.—*Impervia*; cf. n. ad VII, 53.—*Nostræ menti.* Quid? tam procul, ut spatium interjectum ne mente quidem percurrere possimus? An forsan *genti* legendum, ut *nostræ genti*, i. e. hominibus, opponatur *diis.* Sic *impia gens* pro hominum genere impio occurrit apud Virgil. Georg. II, 537.

425. *Mater* ipsa spelunca est, in cujus sinu anni nascuntur.—*Squa-*

Immensi spelunca ævi, quæ tempora vasto
Suppeditat revocatque sinu : complectitur antrum,
Omnia qui placido consumit numine, serpens,
Perpetuumque viret squamis, caudamque reducto
Ore vorat, tacito relegens exordia lapsu.
Vestibuli custos, vultu longæva decoro,
Ante fores Natura sedet, cunctisque volantes
Dependent membris animæ. Mansura verendus

lida de tenebris accipio, quæ in spelunca regnant. Sil. Italic. I, 83: *squalentes umbræ taxi et piceæ.*

426. *Immensi*, quandoquidem principio caret et fine.

427. *Suppeditat revocatque.* Exeunt nempe ex illo sinu tempora et redeunt.

428. *Serpens.* Notissimum αἰῶνος symbolum et Ægyptiacæ originis. Cf. Serv. ad Virgil. Æn. V, 85. Phœnicum esse inventum, ait Macrob. Saturn. I, 9. — *Placido numine consumit.* De tempore quidem hoc bene dici potest, quod paullatim sensimque, sine vi adhibita, minuuntur, quæ senectute intereunt; verum ad serpentem vix commode Noster id transtulit, quum caudam suam mordicus semper teneat, eumque corporis habitum nunquam mutet.

430. *Tacito relegens exordia lapsu.* Serpens ille, caudam suam in ore tenens, circumfert se ita, ut habitum illum corporis non mutet, et quidem *tacito lapsu*, seu motu, sine strepitu ullo. Hac quidem imagine ad sensus revocari solet tempus, seu præcipue partes ejus continuæ, et in orbem sine fine redeuntes pingi solent. Sed hoc loco illa imago partem constituit allegoricæ imaginis per se quidem perspicuam, sed ita cum toto copulatam, ut si plane abesset, nihil magnopere desiderares. Induxit autem Noster serpentem antrum illud spiris complectentem, ut proprietatem temporis aut annorum, quæ antro continentur, indicaret, perpetuitatem et continuitatem.

431. sqq. *Vestibuli custos... Natura. Naturam* eam, quam scholastici *naturantem* vocabant, h. l. intelligi, patet ex v. 442, ubi *potens*, aut, ut alii legunt, *parens* vocatur. Illam facit antri custodem, quæ tempora emittat et recipiat, sub eaque forsan intellexit vim omnia producentem, éa præsertim, quorum ope temporum partes designantur et describuntur. Illa autem vis non pro arbitrio agit, sed ad leges, quas præscripsit *senex*, cujus personam fatum induisse videtur. — *Vultu longæva decoro.* Ex Naturæ ratione, quæ, quanquam longæva sit, juvenilem tamen vigorem et pulchritudinem retinet. — *Cunctisque volantes Dependent membris animæ.* Natura illa animarum est procreatrix, quæ simul cum temporibus ex antro emissis avolant. — *Dependent.* Quemadmodum apum examina, ut Gesnerus

Scribit jura senex, numeros qui dividit astris,
Et cursus stabilesque moras, quibus omnia vivunt
Ac pereunt fixis cum legibus : ille recenset
Incertum quid Martis iter, certumque Tonantis
Proficiat mundo; quid velox semita Lunæ,
Pigraque Saturni; quantum Cytherea sereno
Curriculo, Phœbique comes Cyllenius, erret.
Illius ut magno Sol limine constitit antri,

non male explicat, quæ uvæ instar, ex arboris ramo depeodent. Laudat Virgil. Georg. IV, 558 sq. Designatur itaque animarum multitudo.

434. *Senex verendus* Fatum est in personam mutatum. — *Jura mansura* leges sunt stabiles et æteruæ. — *Numeros*. Burmannus laud. Virg. Georg. I, 137 :

Navita tum stellis numeros et nomina fecit;

ubi *numeros stellis fecit* est : plures stellas sub uno sidere seu signo cælesti complexus est, cui nomen imposuit. Forsan idem intellexit Heyne, qui versum ita in notis explicat : sidera locis suis et nominibus notari cœpere. Verum h. l. *numeros* dictum est pro : cursus certa temporis dimensione peragendos, et eadem ratione, qua stellis adsignatur chorus. Vid. ad IX, 16; XVII, 102.

435, 436. *Et cursus stabilesque moras.* His explicatur τὸ *numeros*. *Stabiles moræ* pertinent ad planetas, qui nobis eos intuentibus interdum consistere et morari videntur. *Stabiles* ad certum quoque motum et cursum referri Gesnerus notat; v. n. ad XXI, 372. — *Quibus omnia vivunt Ac pereunt fixis cum legibus.* Planetarum intervallis comparationibus et cursibus omnium rerum, quæ apud nos fiunt, conservationem ex astrologorum disciplina adtribuit. Cf. Man. III, 58 sqq. IV, 29 sqq. — *Fixis cum legibus*, secundum certas leges. — *Ille*, senex. — *Recenset*, observat singulas stellas, ut officium suum præstent secundum leges ipsis datas.

437. *Incertum quid Martis iter.* Plin. H. N. II, sect. 15 : «In Martis sidere, cujus est maxime inobservabilis cursus » ex disciplina nempe Ptolemaica (cf. Ricciol. t. I, lib. VII, c. 6, p. 497), quæ epicyclorum ope planetarum cursus studebat explicare, cujus rei difficultas in Marte maxima deprehendebatur. Barthius ad incertam Martis temperiem hæc spectare existimavit. Luc. I, 658 sqq. X, 206 sqq. Utrumque sane h. l. conjungendum esse videtur.

439. *Sereno*, a luce Veneris serena ductum.

440. *Phœbique comes Cyllenius.* Mercurium (Cyllenium; Virg. Æn. VIII, 138) omnium planetarum minimum a sole discedere, nunc quidem pueris notum est.

441. *Illius ut magno* etc. Sol ad antrum accedit, ut inter tempora et annos, quæ illo continentur, optimos eligat, reliquosque aureos se sequi ordine jubeat. Non male hoc finxit Noster : initio enim anni, ut

Accurrit Natura potens, seniorque superbis
Canitiem inclinat radiis : tunc sponte reclusos
Laxavit postes adamas ; penetrale profundum
Panditur, et sedes ævique arcana patescunt.
Hic habitant vario faciem distincta metallo
Sæcula certa locis : illic glomerantur ahena;
Hic ferrata rigent; illic argentea candent.
Eximia regione domus, contingere terris
Difficiles, stabant rutili, grex aureus, anni;
Quorum præcipuum pretioso corpore Titan
Signandum Stilichone legit : tunc imperat omnes
Pone sequi; dictisque simul compellat euntes :
« En, cui distulimus melioris sæcla metalli,
Consul adest : ite optati mortalibus anni.
Ducite virtutes, hominum florescite rursus

notum est, tunc Romæ consulatus inibatur. Sol novum iter ingressurus in Stilichonis honorem, aurea nune se sequi jubet sæcula, quæ in ejus consulatum distulerat.

442. *Accurrit* meliores scriptos legere Heinsius notavit, quem vide quoque ad Ovid. Fast. II, 372. Burmannus illud recepit. Auctoritas tantorum virorum me impedivit, quominus *occurrit* restituerem, quod τῷ *natura potens* melius convenire videtur, pro quo etiam *natura parens* nonnulli habent solemni permutatione. Vid. Burmann. ad Ovid. Met. X, 352 ; Luc. X, 238. — *Seniorque* Gesnerus ad Naturam trahit, ego ad senem ; v. 433 sq.

443. *Superbis radiis*, Solis.

444. *Adamas.* Repagulum ex adamante, ferro, sponte cedit.

445. *Sedes ævique arcana. Ævi* et ad *sedes* et ad *arcana* pertinet; vid. notam ad XXI, 372, i. e. interiores et arcani recessus ævi patescunt.

446. *Hic.* Heins. conj. *His*, ut ad *locis* referatur. — *Faciem* recte dici, etiamsi de pluribus agatur, docuit Burmannus ad Sueton. Claud. 34 ; Lucan. VII, 100.

447. *Glomerantur* de multitudine in unum locum coacta, et omnino de turba. Valer. Flacc. VI, 187.

449. *Eximia regione domus. Regionem domus* pro parte ejus positum inter rariores locutiones Burmannus refert.

451. *Pretioso corpore* ad aurum pertinet, ex quo erat ejus corpus.

452. *Signandum Stilichone*, cui Stilicho consul nomen imponat. — *Omnes*, reliquos annos aureos. — *Imperat sequi.* Burmannus, qui rariorem constructionem putat esse, comparat Virgil. Æn. VII, 35 sq.

456, 457. Burmann. conjicit.
Ducite virtutes : hominum florescite rursus
Ingeniis hilares, Bacchi frugumque feraces.

Ingeniis, hilares Baccho frugumque feraces.
Non inter geminos anguis glaciale Triones
Sibilet, immodico nec frigore sæviat Ursa:
Non torvo fremat igne Leo, nec brachia Cancri
Urat atrox æstas, madidæ nec prodigus urnæ
Semina prærupto dissolvat Aquarius imbre,

qnoniam duo, vinum et fruges, ex solemni quasi formula jungi debeant. Laudat Senec. Hercul. Fur. 697; Flor. I, 16; Ovid. Amor. II, 16, 7, ubi v. Heins. Sed quis vulgatam distinctionem non præferat? — *Ducite virtutes* hic videtur positum esse pro: producite virtutes, vel vobiscum ducite. — *Hilares Baccho* jungenda suut.

458, 459. *Anguis.* De hoc asterismo vid. Arat. Phæn. 45 sqq. Cf. Ovid. Met. II, 173 sqq. — *Glaciale Sibilet.* A vento septemtrionali ductum videtur, quo sibilante, seu vehementius flante hiemis tempore aqua congelatur, aut a strepitn glaciei fluvios tegentis, septemtrionali vento vehementer spirante. — *Immodico nec frigore sæviat Ursa.* Simili ratione *Triones* vocantur *gelidi* VIII, 429, atque *pigri* VII, 205. Voluit nempe hoc poeta, sub Stilichonis consulatu sæcula aurea reditura esse, cælique temperiem ab illo inde tempore justum temperamentum esse habituram, ut neque frigore uimio, neque æstn graviori uratur terra. Causam autem æstus et frigoris a sideribus repetit, ut poetæ solent. *Gemini Triones* sunt Ursa major et minor.

460, 461. *Leo*; v. n. ad. I, 25; III, 365. — *Torvo fremat igne. Fremere* leoni accommodatum, ut supra *sibilare* angui, et ursæ *sævire.* — *Torvo igne.* Varie tentavit Heinsius hæc, modo *tosto ore*, modo *toto igne*, vel *torto* conjiciens. Burmannus, cui *torvo igni* durius dictum videtur, mavult *torvo ore*, quum *igne* et *ore* passim confundantur, nisi *torvo fremat igne Leo* positum sit pro: *Leo torvus fremat igne.* Verum incertum reliquit, utrum *igne* cum *fremat*, quod saltem non mollius esset, an cum *torvus* sit jungendum. Pedestri sermone dicendum fuisset: ne nimins igne leo sit. Hæc ignis abnndantia ab ira leonis repetita est. Posuit igitur Noster *fremat* pro, nimius sit, et *torvus* perpetuum fere vultus, et oculorum minacium epitheton ad ignem ipsum transtulit. Calpur. Eclog. IV, 168, *Jam fremit æstas* pro: jam ardeutior est. Wernsdorf. ad h. l. putat illud sumptum esse a feris, quæ ira et rabie excandnerunt. Heiusius ibi legendum censet: *jam premit æstas.* — *Nec brachia Cancri Urat atrox æstas.* In Cancri signo, ut notum est, sol æstate moratur. Manil. IV, 758 sq.

..................colit India Cancrum:
Ardent Æthiopes cancro, cui plurimus ignis
Hoc color ipse docet.

— *Æstas* pro sole videtur positum in cancri signo versante. — *Madidæ nec prodigus urnæ.* Aquarium pingunt urnam manu teneutem, liquoremque effundeutem.

462. *Semina dissolvat*, i. e. cor-

Phrixeus roseo producat fertile cornu
Ver Aries, pingues nec grandine tundat olivas
Scorpios: autumni maturet germina Virgo,
Lenior et gravidis allatret Sirius uvis. »
Sic fatus, croceis rorantes ignibus hortos
Ingreditur, vallemque suam, quam flammeus ambit
Rivus, et irriguis largum jubar ingerit herbis,

rumpat nimio humore, pro hoc posuit *prærupto imbre*, quod Heinsius mutatum vult in *prorupto imbre*, multa exempla, quæ usum τοῦ *prorumpere* ostendunt, afferens. Vid. præterea Burm. ad Valer. Flacc. IV, 507. Equidem, si vel Mss. adducerent, *præruptum*, h. l. non mutarem. *Proruptum* notat simpliciter exortum, sed *præruptum* vehementiam et copiam indicare videtur, quum Aquarius urnam nimis invertat.

463. *Phrixeus Aries.* Quod alii de Acheloi taurino cornu, alii de Amaltheæ capra narrant (Munker. ad Lactant. Plac. fab. 9, 1; Hygin. fab. 31; Ovid. Metam. IX, 2 sqq. Lutat. ad Stat. Theb. IV, 106; interpp. ad Valer. Flacc. I, 41 sqq.), ad cornua Arietis transtulit Noster. — *Roseo cornu ver fertile.* Epitheta permutata sunt, ut sæpe fit a Nostro. Ovid. Fast. V, 115 sqq. et 127: cornu illud *fertile* vocatur, et Virgil. Eclog. IX, 40, *ver* vocat *purpureum*.

465. *Scorpios;* v. Heins. et Burmann. ad Ovid. Met. II, 196. — *Virgo;* Arat. Phænom. 96 sqq.

466. *Lenior allatret* pro: parcat. Manil. V, 206 sqq.:

Quum vero in vastos surgit Nemeæus hiatus,
Exoriturque canis, latratque Canicula flammans,
Et rabit igne suo, geminatque incendia solis, etc.

Conf. Statium, Silvarum lib. I, 3, 5.

467. *Croceis rorantes ignibus hortos.* Mss. alii *floribus*, alii *finibus*. Heinsius conj. *croceis halantes floribus hortos;* vid. eum ad Ovid. Met. VIII, 675; æmulationemque putat esse Virgilianam, Georg. IV, 109. Burmannus *ignibus* non tentandum censet; vid. eum ad Ovid. Fast. V, 363: sed pro *rorantes* mavult *rutilantes*, ut l. c. III, 403. Verum et *rorantes* bene se habet; est enim *rorantes hortos* positum pro: hortos rore conspersos Virgil. Æn. VIII, 645. — *Croceis ignibus*, rore, seu guttulis, roseum ignem repercutientibus, ut primo mane esse solet. A primo mane autem hæc ad hortos solis translata sunt, ubi equi ejus pascuntur, et ubi ipse iter diurnum parat. Gesnerus *rorantes* explicat: modicum, subfrigidum et bene olentem humorem spirant *ignibus croceis*, i. e. floribus. *Ignes* enim sæpe vocari *sidera*, et *terrestria sidera* pro floribus posuisse Colum. X, 96.

469. *Irriguis.* Irriguæ sunt herbæ, non aquis, sed larga luce, quam circum se diffundit flammeus rivus. — *Jubar*, radios. — *Ingerit.* *Ingeri* de hastis sæpe dicitur Virg. Æn. IX, 763; XII, 330; quod bene transfertur h. l. ad radios. Sensus: larga luce collustrant.

Quas Solis pascuntur equi ; fragrantibus inde
Cæsariem sertis, et lutea lora jubasque
Subligat alipedum : gelidas hinc Lucifer ornat,
Hinc Aurora comas, juxtaque arridet habenis
Aureus, et nomen prætendit Consulis, Annus;
Inque novos iterum revoluto cardine cursus
Scribunt æthereis Stilichonem sidera fastis.

471. *Lutea*. Bene observat Burmannus, hic omnia igneo colore debere apparere. — *Cæsariem*, comas.

472, 473. *Gelidas comas*. Burmannus ait : non a rore, sed quia mari emergere fingitur Sol. Sed quidni *gelidas* de frigore matutino intelligas, quod sole oriente semper fere sentimus? Barthius dicit, Nostrum, h. l. Luciferum et Auroram comentes Solis cæsariem induxisse. Equidem puto, illum nihil aliud voluisse, quam Luciferum et Auroram se compsisse ad iter jamjam ingrediendum, non Solem ab illis esse comptum. Quum autem initio anni consules munus suum adirent, atque hoc loco sermo sit de primo novi anni die, bene finxit Poeta novum Annum currui Solis adstantem, studiisque Solis et Luciferi et Auroræ, a quibus mox producendus esset, arridentem.

474. *Nomen prætendit*. Inscriptus erat Consulis nomine.

475, 476. Sententia hæc est : siderum constellationes futuros consulatus Stilichoni portendunt. — *In novos cursus*, i. e. in novos annos. — *Revoluto cardine*, hoc anno elapso. Male Gesnerus : Hoc nomen velut formatis in literarum figuram sideribus cælo atque æternitati inscribitur.

TABULA

RERUM QUÆ HOC PRIORI VOLUMINE CL. CLAUDIANI

CONTINENTUR.

PROLEGOMENA IN CL. CLAUDIANUM.

Claudiani Carmina.

FINIS PRIORIS VOLUMINIS.